



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

XXV

//





TERTULLIANUS
PRÆDICANS.

III



APPROBATIO.

Nos JOANNES MARIA MATHIAS DEBELAY, Archiepiscopus Avenionensis, cum R. P. Michael Vivien inter eos qui de re concionatoria scripsere, nulli secundus existimetur; illiusque multoties recusum opus quod inscribitur : *Tertullianus Prædicans*, tantum, in hoc genere, laudis, quantum quod maxime, apud rei peritos obtinuerit, tum materiarum abundantia et methodo, tum ubertate ac mira partitionum varietate, tum ex Sanctis Patribus testimoniorum copia, tum rationum numero et pondere; ita quod quasi thesaurus esse videatur et sit, ex quo, quidquid ad instructionem ædificationemque fidelium necessarium est, aut utile, cuique, ad libitum, haurire licet; ideo, quam a nobis expostulavit dilectus in Christo Franciscus Seguin, typographus, qui de religione, ac imprimis de nostra Diœcesi jampridem optime meritus est, ob eam quæ ipsius est inveteratam consuetudinem, ut egregia magis et aptiora quæ videntur, ad usum cleri, fidei defensionem, rectamque secundum Evangelium morum institutionem, opera prælis suis indefessim subjiciat, vulget, petitioni ejus annuentes, licentiam ipsi facultatemque per præsentés, libenti animo concedimus, ut prædictum laudatissimum opus ad bonum commune reipublicæ christianæ typis denuo mandetur; in quorum fidem subscripsimus.

Avenione, die 5 septembris 1855.

† J. M. M., Archiepiscopus Avenionensis.

Lettre adressée à l'Éditeur par S. E. M^{sr} le Cardinal de Bonald.

Milhau, le 15 septembre 1855.

Parmi tous les ouvrages ecclésiastiques que la librairie a publiés depuis quelques années, Monsieur, un des plus utiles au Clergé est le *Tertullianus Prædicans*, que vous réimprimez dans ce moment. Il suffit de dire que ce livre avait le suffrage de Bossuet pour montrer l'importance de l'édition que vous vous disposez à donner. Il serait à désirer qu'on ne nous inondât pas de traductions des anciens auteurs ecclésiastiques, souvent fort inexactes, faites à la hâte, et livrées au public avec une déplorable précipitation. Ces publications sont loin de favoriser les bonnes études. Pour vous, Monsieur, vous avez travaillé dans leur intérêt en réimprimant d'anciens ouvrages dans la langue de l'Église. Je ne peux que vous en féliciter.

Veillez agréer, Monsieur, l'assurance de mon sincère dévouement.

† L. J. M. Cardinal de BONALD, Archevêque de Lyon.

TERTULLIANUS

PRÆDICANS

ET

SUPRA QUAMLIBET MATERIAM

OMNIBUS ANNI DOMINICIS, ET FESTIS NON ORDINARIIS SOLUM, SED ETIAM
EXTRAORDINARIIS; SINGULISQUE QUADRAGESIMÆ FERIS PRÆDICABLEM

ORDINE ALPHABETICO COPIOSE DISPOSITAM

SEX AD MINUS FORMANS CONCIONES

INGENIOSE ADINVENTAS, BELLE CONCINNATAS, ET TRINA SUBDIVISIONE ILLUSTRATAS

CUM DUPLICI INDICE, CONCIONUM SCILICET ET MATERIARUM.

AUCTORE R. P. MICHAELE VIVIEN

S. THEOL. LECTORE, PROV. RECOLLECTORUM IN AQUITANIA ALUMNO, NECNON ANTIQVO CUSTODVM CUSTODÆ.

EDITIO RECENS ET ACCURATIOR

OCTAVA POST PLURES LVIETIÆ PABISIORVM, COLONIÆ AGRIPPINÆ ET PATAVII EDITAS.

TOMUS TERTIUS.

AVENIONE

TYPIS FRANCISCI SEGUIN, BIBLIOPOLÆ, VIA BOUQUERIE, 13

M DCCC LVI

LIBRARY

Pontifical Institute of Mediaeval Studies

**113 ST. JOSEPH STREET
TORONTO, ONT., CANADA M5S 1J4**

ENTERED JUN 27 1995

ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO DOMINO

D. LUDOVICO-ANTONIO DE NOAILLES ,

ABBATI ALTOBRACENSI MERITISSIMO ,

NECNO.

DOCTORI SORBONICO SAPIENTISSIMO.

Qui magnatibus libros devovent, ABBAS ILLUSTRISIME, ut plurimum erant defectu vel laudis excessu. Defectum mihi merito imputabit gloriæ tuæ zelotes; nam quidquid de Te dixero, Tuo semper merito minus erit. At ne Zoilus quisquam *livido ingenio* (1) de adulatorio excessu meum redarguat obsequium, prædicabo duntaxat veterem generis Tui nobilitatem, illustrem parentum pietatem, et singularem, qua polles, morum probitatem.

Certissimum est Dominos de Noailles a multis seculis *ut sidera radiasse, ut lumina floruisse* (2), et inter Arvernix et Lemovicarum dynastas, primas occupasse sedes. Quod probe demonstrant magnæ jurisdictiones, quibus sunt dominati; amplæ facultates, quibus sunt opulenter ditati; illustres affinitates, quibus sunt honorati; excelsæ dignitates, ad quas sunt sublimati. *Nec ego per singulos decurram tot ac tantos.* (3) Inter quos tres ordinati Episcopi, diœceses Aquensem et Sancti Flori laudabiliter gubernarunt; quinque a regibus christianissimis, Romam, Constantinopolim, Angliam, Scotiam, Poloniam, Venetias, legati missi, regni negotia prudenter tractaverunt; nonnulli exerci-

(1) Tert. L. de Vel Virg. 13. — (2) Tert. Apol. 11. — (3) Tert. Apol. 10.

tuum Imperatores effecti, pro Franciæ gloria fortiter pugnaverunt. Hugo quoque de Noailles, religionis zelo succensus, versus Palesinam properans, infideles debellaturus, *russatus sanguinis sui spe* (1), fato functus est. (2)

At enim hæc omnia apud priores majoresque tuos, non contemni modo, sed etiam magna laude pensari (3) justitiæ consentaneum duxi, ABBAS ILLUSTRIS-SIME. Nam ab *his originis fontibus, ordo gradatim deducitur* (4) ad Annam de Noailles, patrem Tuum, Ducem et Franciæ Parem; Perpignani Governatorem; Cerdaniæ et Comitatus Ruscinonensis Proregem; primum prætorianæ cohortis præfectum; duobus regibus familiarem; Deo etiam, Regi regum, charissimum. « Quæ illi major gloria esse poterit, vel sublimior honor, quam illius imperatoris esse amicum, qui super omnes imperatores est? Et quanto ille sublimior est in omnipotentia et virtute, tanto majoris est diligentia in sanctitate, et justitia, et humilitate, et observantia, mandatorum ejus: » (5) ut domus Tua, ABBAS ILLUSTRIS-SIME, vetustate nobilis, parentum Tuorum pietate commendata, micantius splendeat.

Nobilitas tributaria est, et quanto illustrior, tanto magis tributaria: ipsa etiam participata Sanctorum divinitas non est immunis a tributo. *Dii, qui magis tributarii, magis Sancti; imò qui magis Sancti, magis tributarii.* (6) Vir ignobilis tributum debet Reipublicæ aut Principi; at homo ingenuus, et Christianus, angustiori nobilitate præditus, sibi, aliis, Deoque solvere tenetur stipendium: sibi, ut incontaminatam originis conservet gloriam, quæ a progenitoribus *genere manante* (7), velut aqua perlucida in posteros diffluit; aliis quibus *exemplo, et testimonio est* (8); Deo, cui pietatis debitum solvit, ne *sub pio, impius* (9) appareat.

Trinum illud ingenue nobilitatis tributum, pendit Tuus pater, ABBAS ILLUSTRIS-SIME, probis moribus avitam gloriam reverberans; extraneos suo exemplo ad virtutem stimulans, seduloque pietatis operibus vacans, secum sociam habens L. Boyer, *feminam vernaculam Ecclesiæ* (10), Christianis et Catholicis parentibus natam, Præfecti ærarii filiam, Supremi Magistri Equitum Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani neptem, non minus pietate quam corde et corpore Domino de Noailles conjunctam.

Pax et consensio laus nuptiarum est; at conjugum pietas est fausti matrimonii complementum: tanta est inter Dominum de Noailles ejusque uxorem unitas, ut non solum utriusque eadem sit caro, eadem anima, eadem mens, sed etiam eadem virtus, eadem justitia. Quibus probe competunt ea quæ de Zacharia et Elisabeth testatur Evangelista: « Erant ambo justii apud Deum, incedentes in omnibus mandatis ac justificationibus Domini sine querela. » (11) Quia, ut expendit Chrysologus, *ambobus erat una justitia.* (12) Dominus de Noailles ejusque uxor sine querela iaccedunt in cunctis mandatis ac justificationibus Domini. Nec mirum; una est amborum justitia, maritalis pietas reverberat in uxorem, et vicissim, uxoria pietas reverberat in virum. *Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio; simul orant, simul voluntantur, et simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes: in Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in refrigeriis; neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est* (13); in cunctis sibi consentiunt, eadem pietatis exhibent officia, et quemadmodum *illa Anglorum circumstantia non cessant dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus* (14), sic Dominus de Noailles ejusque uxor simul vacant pietatis

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (2) An. 1245. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 18. — (4) Tert. L. de Carn. Christ. 22. — (5) D. Aug. lib. de Salat. Doc. c. 8. — (6) Tert. Apol. 13. — (7) Tert. L. de Carn. Christ. 22. — (8) Tert. L. de Cult. Fem. 15. — (9) Tert. L. 1. adv. Marc. 10. — (10) Tert. L. de An. 51. — (11) Luc. 1. — (12) Serm. 91. — (13) Tert. L. 2. ad Uxor. 8. — (14) Tert. L. de Orat. 3.

operibus, divinasque continuo concinunt laudes. *Sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant quis melius Deo suo cantet.* (1) Tantam Tuorum parentum æmulans pietatem, ABBAS ILLUSTRISIME, singularem ostentas morum probitatem.

Vult et Cleanthes, non solum corporis lineamentis, sed et animæ notis similitudinem parentibus in filios respondere, de speculo scilicet morum, et ingeniorum, et affectuum. (2) Generosa parentum virtus, avitos mores, arcano quodammodo transfundit in posteros, vel per traducem probæ indolis, vel providentioris magisterii ministerio, vel exemplaris virtutis imitamento. Bona indoles est eximium naturæ beneficium: hæc mutuatur homines vel a Deo auctore naturæ, *Magister ex occulto Deus producit ingenia* (3); vel a progenitoribus quorum mores hauriunt filii quasi hæreditario jure: *sed Empedocles, causam argutæ indolis et obtusæ, in sanguinis qualitate constituit* (4); ex quavis autem parte procedat bona indoles, inter effectus prædestinationis computatur, et est optima dispositio ad suscipiendas disciplinas quæ *animam efficiunt ornatorem.* (5) Quod si scientiæ naturales decorem animæ conferunt, quanto majorem pulchritudinem a justitia et sanctitate mutuatur. Uti anima criminosa sceleribus dedecoratur, ita innocua, pietate venustatur: *Pulchra anima justitia et disciplinis philosophiæ, deformis vero, contrariis artibus.* (6) Lucas Evangelista Joannis celebraturus sanctitatem, præclaram parentum ejus præmisit justitiam, « ut venerabilior existeret, qui sanctis parentibus responderet sanctitate ingenita, quasi quadam justitiæ hæreditate. » (7)

Non absimiliter, ABBAS ILLUSTRISIME, præmisi bonam indolem, disciplinæ magisterium et parentum pietatem, non parum deservire ad formandos probos filiorum mores, ut demonstrem in Te felici nexu conjunctam esse ingenuitatem cum doctrina et pietate, Teque non minus virtute, sapientia et bona indole, quam nobilitate esse præclarum. Indolis Tuæ bonitas relucet, tum in venusta, modesta et gravi corporis compositione, quæ animi denotat magnitudinem; nam *facies occultorum, ea quæ apparent* (8); tum in suavi et placida conversatione, quam pretiosis ornas margaritis: siquidem *margaritæ Tue sunt quotidianæ conversationis insignia* (9): externa corporis venustas, quæ Te omnibus præstat spectabilem, et gratio a conversationis urbanitas, quæ omnium Tibi conciliat animos, intellectus Tui denotant præstantiam, qui scientiæ disciplinis eruditus, ita veritatibus naturæ et gratiæ illustratur, ut doctiores quique mirentur Tuam in arguendo subtilitatem, in respondendo soliditatem, in explicando sapientiæ profunditatem simul cum claritate conjunctam.

Neque duntaxat mirantur splendorem quo Tuus illustratur intellectus, sed adhuc charitatis ardorem quo Tua sufflammatur voluntas: non enim uno, sed omni virtutum genere splendes. Quis non miretur, ABBAS ILLUSTRISIME, Tuam prudentiam omnium virtutum magistram, humilitatem, qua Te dejicis quasi *nullificaveris populi* (10); orationis affectum, *cum etiam per noctem cæsurgis oratum* (11); et dum in Abbatia Altobracensi demoraris teneri complexione, infirma satis valetudine, aere etiam nebuloso, simul cum religiosis diurnis processionibus, et *nocturnis convocationibus* (12) assistis ad divinas decantandas laudes; munificentiam, qua pauperibus eleemosynas abunde largiris; zelum ecclesiasticæ disciplinæ quo æstuas. Taceo cæteras corporis et animi dotes, tot ac tantas exemplares virtutes, quæ Te in seculo depravatis moribus corrupto *de singularitate fumosum* (13) prædicant, et avitæ nobilitati, et paternæ pietati probe respondere demonstrant, ut sit *quam pius poter tam pius filius* (14); dignus

(1) Tert. L. 2. ad Uxor. 8. — (2) Tert. L. de An. 5. — (3) Tert. L. de An. 20. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. de An. 6. — (6) Tert. L. de An. 9. — (7) Paulip. Ep. 10. — (8) Tert. L. de An. 18. — (9) Tert. L. 2. ad Uxor. 5. — (10) Tert. L. 3. adv. Marc. 7. — (11) Tert. L. 2. ad Uxor. 1. — (12) Tert. L. 2. ad Uxor. 4. — (13) Tert. L. de Res. 13. — (14) Tert. L. 2. ad Nat. 13.

profecto qui sit de nobili familia de Noailles oriundus; dignus christianæ religionis Presbyter, sacerdotale perfectissime adimplens ministerium; dignus infulis pontificiis, quas Deo dante ad totius Ecclesiæ bonum brevi excepturus es; dignus ut illustris Tua nobilitas fulgens sapientia et singularis virtus honoretur a cunctis; dignus cui *Tertullianus Prædicans* offeratur, munus quidem dignitatis impar, quod submisso et reverenti animo offert,

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

Humillimus et obsequentissimus servus,

Fr. MICHAEL VIVIEN,

Provinciæ Recollectorum in Aquitania alumnus.

REVERENDISSIMO PATRI

E. GUILIELMO VAN SICHEM

ORDINIS S. P. FRANCISCI FRATRUM MINORUM RECOLLECTORUM SACRÆ
THEOLOGIÆ LECTORI JUBILATO,

PROVINCIAE GERMANIÆ INFERIORIS MINISTRO EX-PROVINCIALI, SUPER PROVINCIAS GERMANIÆ
SUPERIORIS, BELGII, HIBERNIÆ, ANGLIÆ, SCOTIÆ ET DACIÆ, CUM PLENITUDINE
POTESTATIS IN UTROQUE FORO ACTUALI COMMISSARIO GENERALI,
ETC., PATRI MEO OBSERVANDISSIMO.

QUANDOQUIDEM laudabilis; REVERENDISSIME PATER, libros, qui luci donantur, Mæcenatibus ac patronis certis inscribendi, dedicandique consuetudo paulatim apud omnes inoleverit, ego et hanc mihi serio, et sancte semper observandam merito duxi; qui totus jam in illo esse cœpi, ut selectissimos auctores, tum theologos, tum divini verbi præcones, in lucem emittam, vel alibi editos, vel etiam plane fortassis divenditos denuo prælo subdam. Et ecce, dum *Tertullianum Prædicantem*, omnium calculo approbatum, bis in Gallia editum, primo in Germania luci aptare cogito, non diu anceps hæsi, quem Mæcenatem e plurimis excellentissimis Seraphici Instituti viris deligerem; sed statim sese REVERENDISSIMA PATERNITAS Tua, menti meæ objecit. Et vero cui potius inscribendus erat quam Tibi, plurimis titulis apud omnes glorioso? Nam, si spectetur doctrina, qua polles, soliditatem certe, et claritatem præbet. Si integritas vitæ, qua flores, religiosam sane disciplinam exhibet. Si denique officium, quo nuperrime decoratus es, bonam profecto Tui famam redolet.

Equidem ut de doctrina et scientia Tua exordiar, hanc omnes summe admiran-
tantur, et amant, qui vel primis labiis, ut aiunt, gustarunt doctrinalem sa-
porem Cursus Philosophici, brevi, clara, solida, et ad docendum, discen-
dumque facili methodo a Te non ita pridem digesti; ita etiam, ut quilibet a
judicio alieno liber, cogatur fateri, se lectione adeo exquisita satiari non posse.
Aliorum quidem grandia scripta, et intumescencia opera philosophica veneran-
tur non pauci; collectione variarum opinionum, refutationeque plures delectan-
tur; sed brevitatem perspicuitati artificiose junctam, maxime pro juven-
dum Juniorum memoria, quis non præferat? Venerantur multi longam Homeri

EPISTOLA DEDICATORIA.

Hiadem doctis compositam carminibus; sed illius qui eam in brevi nucis putamine scriptis complexus est ingeniositatem, quis est qui dedignetur? Et ut uno verbo plura absolvam, nemo est, REVERENDISSIME PATER, qui philosophiam a te magno studio conscriptam, sine ingenti stupore et voluptate transcurrere possit, ob singularem in ea contentam eruditonem, miramur in dicendo claritatem cum soliditate conjunctam, et plenitudinem difficultatum cum brevitate sociatam; quæ duo simul in unum, maximis etiam viris, et de hoc argumento bene meritis, in hoc opere valde fuit semper difficile conjungere. Unde non mirum quod istud opus Tuum omnium jam pene manibus teratur, vel certe ab aliis ad quos saltem fama pervenit, avide etiamnum exposcatur.

De integritate autem vitæ Tuæ quid dicam? Rarum revera est in homine docto solidam scientiam ab humilitate non ficta deponi; nimis enim verum est proverbium commune: *Scientia inflat*. Ast dum Te contemplor, video Te non gentilis Philosophi imitari arrogantiam, quem jure merito Tertulianus *gloriæ animal* (*Tertull. L. de An. 1.*) appellat; quin potius Christi Domini, in quo sunt absconditi thesauri sapientiæ Dei, cerno Te æmulari demissionem: *Qui omnem humilitatem exhibuit* (*Tert. L. adv. Jud. 10.*), et mundanos fugiens honores, humanas respuens laudes, *inglorius* (*Tert. L. de Idol. 18.*) haberi voluit. Et quod magis est, REVERENDISSIME PATER, Deus, qui abunde Tibi largitus est sapientiam, in Te adhuc ultra humilitatem effudit charitatem, quæ *est summum fidei Sacramentum, christiani nominis thesaurus*. (*Tert. L. de Pat. 12.*) Hæc Te non tantum Deo gloriosum præstat, sed singulari ista tua charitate et benevolentia omnium animos Tibi ubique devinxisti, qua tum omnes quocunque genere eruditionis, et doctrinæ commendatos, tum vero maxime religione et pietate præstantes complecti solebas, quorum nemo unquam accessit, qui Te non tam Patronum, quam Parentem agnosceret. Et unde paternus affectus talis ac tantus? Legisti nimirum, et ad amussim servare studes salutare illud monitum S. Gregorii: *Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem; et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec disciplina dissoluta*. (*Greg. lib. 5. Moral.*) *In correctione quippe, ut idem Sanctus Pater monet, vitiorum, subesse debet iracundiæ, non præesse: ut executione justitiæ non dominando præveniat, sed simulando subsequatur, et notum judicium possessa impleat et præcurrat*. (*Lib. 26. Moral.*)

Hæc, et alia, ut veniam ad officii Tui decorem, singularia cum sapientiæ, tum virtutis ornamenta, dum silentio tegi non possent, tandem in palam prodeuntia effecerunt ut ad alias, quas propria voluntate videris possessum dedisse, aliena raptus sis, dignitates, votis pene omnibus, ad totius almæ Germaniæ inferioris Provinciæ regimen summo cum applausu evectus sis; et inde crescente fama, totiusque Belgii oras excesserit, nomen Tuum Germaniam, Hiberniam, Angliam, Scotiam, Daciam implevit; atque ad supremum Commissariatus Generalis munus ex tot viris præclaris, quibus hodie dum floret Seraphicus Ordo, uti semper floruit, cum maxima gratulatione sis electus. Quo in officio, non dubito, modo Deus vitam longiorem dederit, posthac verificabitur de Te quod olim de suo Olybrio dixit Poeta Claudianus:

Actusque priores
Commendat repetitus honor.

Hoc ipsum dictum Poetæ, ut scio, adaptasti REVERENDISSIMO PATRI de Riddere, jamdudum in officio Commissariatus prædecessori Tuo; sed certe (absit invidia calamo) spero, post annos aliquot evolutos, de Te me posse idipsum communi voto affirmare. Quid enim? Sane mihi et aliis videris in sublimi hoc

munere constitutus, discretionem, quæ omnium virtutum mater et nutrix est, plurimos, si non aliquibus passibus superare, ad minus æmulatione adæquare. De qua moderatione virtutum effatum illud melliflui Doctoris alte imbibisti: *Discretio omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem, et perpetuitatem confert. Tolle hanc, et omnis virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.* (S. Bern. super Cantica.)

REVERENDISSIME PATER, Patrone gratiosissime, hæc sunt, ut alia silentio subducam, quæ me moverunt ut Tibi dicarem, gloriosoque Tuo nomini inscriberem *Tertullianum Prædicantem* modo sub prælo sudantem in mea officina. Et hæc mea editio Tertulliana meritissimo gestit suo ingenio in Tuum sinum convolare, in quo veluti centro conquiescat, quasi nusquam illa melius et tutius esse possit. Et, quæso, in quo sinu tutius conquiesceret quam Tuo? Quo hospitio melius excipi posset quam tua gratia et favore? Venit siquidem *Tertullianus Prædicans* ad Te, non ut alienigena, sed ut inquilinus et domesticus; venit, inquam, a REVERENDO ET DOCTISSIMO PATRE Michaelæ Vivien, Seraphica familia, confratre Tuo, studio Sacræ Theologiæ, Tuo consodali, venit ingeniose adinventus, belle concinnatus et trina subdivisione illustratus; ita etiam ut inter innumera pene Seraphici Ordinis vestri eruditorum virorum concionatoria scripta, quos Lucas Wadingus, suo nomine satis in urbe et orbe celebris, in suis annalibus doctissime scribentes recenset, locum facile primum, *Tertullianus prædicans* sibi vendicet. Nunc ergo tandem, ut olim Tiberius Cæsar, cælo tonante, solitus erat procedere laureatus (teste Plinio, virens laurus a fulmine semper libera est et intacta manet), sic partus meus, cujus frontem nomine REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS Tuæ tanquam laureo sermo, ne forte aliquo criticorum aut invidorum fulmine icipitur, insignivi, feliciter in publicum prodibit, non sine maxima omnium attente legentium et relegendium utilitate. De cætero mecum Tui, quibus præes, Deum obnixè rogabunt, ut REVERENDISSIMAM PATERNITATEM Tuam diutissime seivet incolumem, ad sacri Ordinis decus, incrementum religionis et studiorum amplificationem.

Coloniæ, ex mea officina. anno 1681.

REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS TUÆ

Devinctissimus

JOANNES WILHELMUS FRIESSEM,

Civis et Bibliopola Coloniensis.

Permissio Reverendi Patris Provincialis.

FRATER Agathangelus Petit, Provinciæ Recollectorum in Aquitania Minister Provincialis, et servus R. P. MICHAELI VIVIEN, ejusdem Provinciæ alumno, Sacræ Theologiæ Lectori, necnon antiquo Custodum Custodi, salutem. Cum Liber *Tertullianus Prædicans* nuncupatus, in sex Tomos distributus, sit jam maxima ex parte typis mandatus, et feliciter a Doctoribus quibusque approbatus, licentiam tibi facimus ut præclarum illud opus perlicias, et denuo typis mandes, sive in-quarto, sive in-folio, prout melius tibi visum fuerit. In ejus fidem præsentem Licentiam propria manu subscripsimus, et parvo officii nostri sigillo munivimus. Datum in Conventu nostro Sanctæ Mariæ de Gratia Burdigalæ, die 19 Februarii, anno 1677.

F. AGATHANGELUS PETIT,
Minister Provincialis.

Approbationes Lectorum Theologiæ.

LIBRI cui titulus est *Tertullianus Prædicans* secundum et tertium tomum frustra commendarem. Primus siquidem et reliquos et eorum auctorem satis commendat; qui illum legerunt vivendi quod in lucem edendum supererat vehementi flagrabant desiderio; neque fallit eos opinio, ibi enim maximam ingenii ubertatem observabunt, ac materiæ abundantiam cum præclara methodo, quæ Tertulliani operibus deerat claritate mirabuntur. Hæc ipse perlegendo miratus sum, ideoque Opus dignum judico quod typis quamprimum mandetur, utpote quod nihil contineat fidei aut bonis moribus contrarium, quin potius futurum sit utilissimum, tum cæteris omnibus, tum præcipuæ divini verbi Præconibus. Quod testor in hoc Conventu Recollectorum Sanctæ Valeriæ prope Lemovicas, die 22 mensis Julii anni 1673.

F. GERMANUS DEYR,
Lector Sacræ Theologiæ, et Guardianus Conventus Recollectorum
Sanctæ Valeriæ prope Lemovicas.

Ego infrascriptus Sacræ Theologiæ Lector, summa cum delectatione attente perlegi librum cui titulus *Tertullianus Prædicans*, in quo Tertulliani doctrina licet ex se satis commendata, mire tamen commendatur, tum ob selectas Patrum sententias, quibus adornatur, tum ob subtiles Theologorum rationes, quibus ab Auctore solidatur. Ipsum ergo typis dignissimum judico, non solum quia nihil in ipso quod catholicæ fidei sectatoribus adversetur, sed etiam quia nihil in ipso quod christianæ veritatis Præconibus non multum patrocinetur, quibus *Tertullianus Prædicans* erit Tertullianus docens methodum, clare, breviter et nervose sermones conficiendi. In lucem igitur prodeat opus et prælo, quam citius mandetur tanquam communi Concionatorum bono utilissimum censeo et peropto. Datum in Conventu Sancti Leonardi, die 8 Junii anni 1673.

F. GABRIEL BARRIERE,
S. Theologiæ Lector.

Licentia et Censura Ordinarii.

TERTULLIANUS *Prædicans*, sive campus floridissimus selectissimorum conceptuum ac discursuum omni tempore prædicabilium; qui, cum in Gallia, non absque singulari fructu binis vicibus impressus, et a diversis Theologis approbatus fuerit, nihilque ab orthodoxa Doctrina alienum complectatur, hisce pro tertia vice imprimendi facultatem concedimus. Signatum Coloniae Agrippinæ, decima sexta Februarii

F. THEODORUS DEGHENS,
SS. Theologiæ Doctor et Professor Ordinarius, Canonicorum Regularium S. Crucis
Provincialis ad Rhenum, et Prior Coloniae, Ordinarius Librorum Censor. M. P.



TABULA

CONCIONUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

FESTA APOSTOLORUM.

SCHOLIUM.

In hoc tractatu, 1. Petrus pœnitens lacrymatur; 2. Petrus incarceratur; 3. Saulus immutatur; 4. Paulus triumpho honoratur; 5. Andrea cruci patibulatur; 3. Joannes privilegiis commendatur.

CONCIO PRIMA.

Petrus Christi aspectu et gratiæ efficacia erectus a lapsu; 1. peccati maculam lacrymis lavat; 2. fidem suam publica confessione declarat; 3. mortis timorem constanti martyrio reparat. Fol. 2

I. PARS. Petrus lacrymas fudit 1. frigidas ex timore; 2. amaras ex dolore; 3. calidas ex amore. ibid.

II. PARS. Petrus Christum confessus est 1. plene et integre; 2. palam et publice; 3. omnium Apostolorum nomine. 5

III. PARS. Petrus passioni dominicæ adæquatur, moriens pro Christi 1. dilectione; 2. confessione; 3. crucis passione. 9

CONCIO SECUNDA.

Petrus ligatus fuit 1. in domo Caiphæ vinculis probrosis; 2. a tempore pœnitentiæ, vinculis pretiosis; 3. in carcere, vinculis gloriosis. 12

I. PARS. In domo Caiphæ fuit Petrus 1. tenebris obscuratus; 2. peccati funibus ligatus; 3. diaboli ministris præstratus. ibid.

II. PARS. Petrus pretiosis charitatis vinculis ligatus Christum dilexit 1. plus quam sua quæ pro Christo deseruit; 2. plus quam suos, quibus Christum præposuit; 3. plus quam se, quia pro Christo animam posuit. 13

III. PARS. Gloriosa Petri vincula D. Chrysostomus præponit, 1. regiæ majestati; 2. apostolicæ dignitati; 3. angelicæ nobilitati. ibid.

CONCIO TERTIA.

Sauli conversio est 1. Deo gloriosa; 2. Christo jucunda; 3. Ecclesiæ fructuosa. 16

I. PARS. In Sauli conversione ostendit Deus 1. potentiam; 2. sapientiam; 3. clementiam. ibid.

II. PARS. Gaudet Christus de Sauli conversione, qui 1. per totum fere mundum prædicavit; 2. velocissime mundum peragravit; 3. sua prædicatione mundum immutavit. 20

III. PARS. Paulus Ecclesiam sua 1. scientia illustravit; 2. charitate amavit; 3. virtute ornavit. 23

CONCIO QUARTA.

Paulus triumphat de 1. semetipso; 2. paganismo; 2. tyranno sævissimo. 27

I. PARS. Paulus triumphat de semetipso, 1. intellectum suum in obsequio fidei captivans; 2. voluntatem suam gratiæ imperio substrans; 3. zelum legis Mosaicæ in zelum legis evangelicæ commutans. ibid.

II. PARS. Paulus triumphat de paganismo 1. Verbi Dei prædicatione; 1. miraculorum operatione; 3. virtutis exemplaris exhibitione. 30

III. PARS. Paulus de tyranno triumphat constanter tolerans martyrium 1. varium; 2. longum; 3. cruentum. 32

CONCIO QUINTA.

- CruX fuit ab Andrea Apostolo* 1. desiderata; 2. quæsitâ; 3. amata. 36
 I. PARS. CruX fuit Andreae 1. utilis et pretiosa; 2. suavis et deliciosa; 3. honorabilis et gloriosa. ibid.
 II. PARS. Andreas per crucem invenit 1. gloriosam famositatem; 2. sublinem affinitatem; 3. opulentam hereditatem. 39
 III. PARS. Andreas crucis supplicium passus est 1. libenter; 2. patienter; 3. ardentem. 41

CONCIO SEXTA.

- Joannes est* 1. inter Apostolos carior; 2. inter Evangelistas sublimior; 3. inter martyres constantior. 43
 I. PARS. Joannis prærogativæ colligendæ sunt ex 1. divina dilectione; 2. dominica similitudine; 3. Mariana donatione. ibid.
 II. PARS. Joannes merito aquilæ comparatur, quia est 1. Prophetis sapientior; 2. Apostolis perspicacior; 3. cæteris Evangelistis sublimior. 51
 III. PARS. Joannes inter martyres constantior, ob martyrii 1. diuturnitatem; 2. diversitatem; 3. acerbitem. 57

FESTIVITATES SACRÆ.

SCHOLIUM.

In hoc tractatu, 1. Josephus Virgini desponsatur; 2. præcursor Mariæ magnus demonstratur; 3. Joannes Herodis sævitia decollatur; 4. Stephanus coronatur; 5. CruX inventa discriminatur; 6. CruX exaltatur.

CONCIO PRIMA.

- Josephus* 1. cum æterno Patre titulum patris partitur; 1. cum Spiritu Sancto dignitatem sponsi Virginis partitur; 3. cum Maria auctoritatem et imperium in Christum partitur. 61
 I. PARS. Josephus cum æterno Patre velut dividit paternam 1. dignitatem; 2. singularitatem; 3. charitatem. ibid.
 II. PARS. Josephus et Spiritus Sanctus Mariæ ambo sponsi, 1. sponsæ virginitatem obumbrant; 2. sibi Christum arrogant; 3. Matrem et Filium sollicitè curant. 65
 III. PARS. Josephus in Christum et Mariam sibi vindicat auctoritatem, quia est 1. æterni Patris vicarius institutus; 2. loco Spiritus Sancti substitutus; 3. sponsus Virginis constitutus. 71

CONCIO SECUNDA.

- Joannis magnitudo mutuanda est ex ejus* 1. sublimi existimatione; 2. virtutum perfectione; 3. officii administratione. 77
 I. PARS. Joannes magnam sibi conciliavit existimationem 1. divinam; 2. dominicam; 3. humanam. ibid.
 II. PARS. Joannes fuit magnus in 1. sanctitate; 2. charitate; 3. humilitate. 82
 III. PARS. Joannes est 1. vox Verbum declarans; 2. præco Agnum demonstrans; 3. præcursor Christum baptizans. 90

CONCIO TERTIA.

Joannes est martyr Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quia mortuus est defensans 1. Patris auctoritatem; 2. Filii veritatem; 3. Spiritus Sancti puritatem. 94

CONCIO QUARTA.

- Stephanus coronatus est ob* 1. angelicam puritatem; 2. christianam charitatem; 3. martyrii dignitatem. 103
 I. PARS. Stephanus ratione angelicæ puritatis, lucis et sanctitatis, coronatur 1. liliis; 2. stellis; 3. gemmis. ibid.

- II. PARS. Stephanus auro coronatur inimicos 1. corde ardentem amans; 2. ore pro eis ferventer orans; 3. corpore, flexis genibus Deum deprecans. 106
- III. PARS. Stephanus coronat 1. Christum; 2. corpus Ecclesie mysticum; 3. semetipsum 108

CONCIO QUINTA.

Cruce est ænigma 1. in justo faustum; 2. in peccatore infaustum; 3. in reprobo horrendum. 115

- I. PARS. Justo cruce fausto ænigmatate 1. inhonorata, est honorabilis; 2. dolorosa, delectabilis; 3. odiosa, amabilis. 116
- II. PARS. Infaustum ænigma est cruce a peccatore 1. inhonorata; 2. aversata; 3. repudiata. 122
- III. PARS. Cruce horrendo ænigmatate causat reprobo 1. tristitiam et afflictionem; 2. rabiem et desperationem; 3. pœnam et condemnationem. 127

CONCIO SEXTA.

Cruce exaltatur 1. de contemptu ad cultum et venerationem; 2. de ignominia ad gloriam et honorem; 3. de maledictione ad benedictionem et salutem. 130

- I. PARS. Christiani venerationis causa, 1. crucem in seipsis deferunt; 2. in conficiendis et administrandis sacramentis crucem apponunt. ibid.
- II. PARS. Cruce 1. regum diadema decoratur; 2. Christus coronatur; 3. Christianus glorificatur. 135
- III. PARS. Cruce Christus 1. dæmonem vicit; 2. peccati maculam delevit; 3. cœlum aperuit. 136

FIDES

—

SCHOLIUM.

Fides 1. triumphans; 2. honorans; 3. illuminans; 4. operans; 5. regulans; 6. salvans.

CONCIO PRIMA.

Ad curiositatem fidei substernendam tria concurrunt, 1. humanæ mentis imbecillitas; 2. divinorum mysteriorum sublimitas; 3. curiosorum lapsus et infelicitas. 139

- I. PARS. Homo sua intelligentia nequit attingere quæ sunt 1. supra seipsum; 2. infra seipsum; 3. intra seipsum. ibid.
- II. PARS. Intellectus humanus divina non potest cognoscere mysteria ob eorum 1. magnitudinem; 2. parvitatem; 3. occultationem. 141
- III. PARS. Persæpe curiosi labuntur in 1. errorem; 2. hæresim; 3. atheismum. 143

CONCIO SECUNDA.

Fides 1. reddit honorem divinæ majestati; 2. credit divinæ veritati; 3. obedit divinæ auctoritati. 146

- I. PARS. Fides 1. majestati dominationis divinæ intellectum sacrificat; 2. majestati divinæ intelligentiæ cunctas mentis cogitationes substrat; 3. majestati divinæ sapientiæ, scientiarum reverentiam præstat. ibid.
- II. PARS. Fides divinæ credens veritati, est 1. infallibilis in credendo; 2. una in credendo; 3. invariabilis in credendo. 148
- III. PARS. Fides divinæ obtemperans auctoritati 1. propter Deum Deo credit; 2. magis Deo quam cunctis aliis rebus credit; 3. adversus ea quæ sese ejus obsequio opponunt, insurgit. 151

CONCIO TERTIA.

Fides scientiam superat in doctrinæ 1. magnitudine; 2. certitudine; 3. facilitate. 153

- I. PARS. Christiani sunt doctiores 1. scribis; 2. hæreticis; 3. philosophis. ibid.
- II. PARS. Scientia incerta, quia 1. inuititur supra sensum fallacium depositionem; 2. variam auctorum patitur opinionem; 3. admixtam habet contentiosam disputationem. 159

III. PARS. 1. Deus non per scientiam, sed per fidem perfecte cognoscitur; 2. scientia cum labore, fides sine labore acquiritur; 3. non per scientiam, sed per fidem meretur. 161

CONCIO QUARTA.

Fides 1. obtemperans; 2. amans, 3. operans. 163

I. PARS. Christianus per fidem 1. Deo obsequitur; 2. Ecclesiæ incorporatur; 3. mysteriorum notitiam assequitur. ibid.

II. PARS. Charitas fidem 1. venustat; 2. vivificat; 3. format. 166

III. PARS. Bona opera sunt necessaria ad fidem 1. conservandam; 2. manifestandam; 3. præmiandam. 169

CONCIO QUINTA.

Fides regulat 1. mentem, seu cogitationem; 2. voluntatem, seu affectionem; 3. manum, seu actionem. 172

I. PARS. Fides est 1. magistra hominem ignorantem erudiens; 2. stella navigantem dirigens; 3. columna itinerantem ducens. ibid.

II. PARS. Fides 1. splendore, voluntatis cæcitatem illuminat; 2. timore, voluntatem a malitia et perversitate revocat; 3. amore, voluntatem ad bonum prosequendum sufflammat. 175

III. PARS. Fides regulat manus ad 1. recte vivendum; 2. bene agendum; 3. genere certandum. 176

CONCIO SEXTA.

Fides 1. necessaria ad salutem; 2. sola fides sine operibus in adultis non sufficit ad salutem; 2. demonstratur modus quo fides necessaria est ad salutem. 178

I. PARS. Fides necessaria ut Deo uniamur per 1. cognitionem; 2. dilectionem; 3. justificationem. ibid.

II. PARS. 1. Lutherus redarguitur; 2. Calvinus rejicitur; 3. doctrina catholica asseritur. 180

III. PARS. Fides est 1. justificationis initium; 2. spei fundamentum; 3. necessarium ad salutem consequendam medium. 183

GRATIA.

SCHOLIUM.

Gratiæ 1. penuria et necessitas; 2. sufficientia et universalitas; 3. victoria et efficacitas; 4. condescendentia et suavitas; 5. excellentia et dignitas; 6. opulentia et utilitas.

CONCIO PRIMA.

Catholica doctrina agnoscit 1. hominem absque interiori gratia ad salutem insufficientem; 2. Deum homini gratiam gratis largientem; 3. gratiam sufficientem homini ad salutem tribuentem. 185

I. PARS. Homo insufficientis est ad consequendam salutem, ex 1. naturæ inopia et paupertate; 2. culpæ malitia et iniquitate; 3. facultatum animæ impotentia et infirmitate. 186

II. PARS. Deus gratis homini largitur gratiam 1. prævenientem; 2. adjuvantem; 3. perseverantem. 188

III. PARS. Mutuatur homo a gratia 1. præveniente, sufficientium facultatis; 2. adjuvante, sufficientiam causalitatis; 3. sanctificante, sufficientiam condignitatis. 192

CONCIO SECUNDA.

Deus 1. ut Creator vult omnium hominum salutem; 2. ut Reparator, mortuus est propter omnium hominum salutem; 3. ut Governator, providit cunctis hominibus medio sufficientia ad salutem. 194

I. PARS. Deus 1. Creator bonitate præditus, non ad mortem et damnationem, sed ad vitam et salutem formavit hominem; 2. Benefactor munificus, vult cunctorum hominum salutem; 3. Pater benignus, delinquentes filios recipit ad pœnitentiam et salutem. ibid.

II. PARS. Redemptorem pro cunctis et singulis hominibus mortuum probatur ex 1. divino

- Scripturæ sacræ oraculo ; 2. venerando Ecclesie et Patrum testimonio ; 3. suscepto a Christo Redemptoris officio. 203
- III. PARS. Deus gubernator providus, non denegat auxilium sufficiens ad salutem 1. infidelibus et ethnicis ; 2. infantibus et parvulis ; 3. peccatoribus obduratis et reprobis. 208

CONCIO TERTIA.

Efficacia gratiæ est 1. profunda et inscrutabilis ; 2. fecunda et amabilis ; 3. impedita et lacrymabilis. 222

- I. PARS. Efficacia gratiæ est inscrutabilis, nec bene explanatur per 1. physicam prædeterminationem ; 2. moralem præmotionem ; 3. congruam voluntatis vocationem. ibid.
- II. PARS. Gratia præstat homini vires et arma quibus valeat 1. peccata vitare ; 2. tentationes superare ; 3. præcepta divina servare. 226
- III. PARS. Homines gratiam irritam reddunt 1. per negligentiam, quia eam in oratione non petunt ; 2. per imprudentiam, quia ejus susceptionem differunt ; 3. per malitiam, quia ejus vocationem rejiciunt. 229

CONCIO QUARTA.

Deus sua gratia hominem 'vocat' 1. multiformiter ; 2. suaviter ; 3. sapienter. 231

- I. PARS. Gratia, sanctissimæ Trinitatis imago, 1. ut imago Patris, est initium existendi ; 2. ut imago Filii, ratio cognoscendi ; 3. ut imago Spiritus Sancti, lex diligendi. ibid.
- II. PARS. Doctrina catholica in homine 1. liberum arbitrium agnoscit ; 2. gratia nullam libero arbitrio necessitatem imponit ; 3. gratia liberi arbitrii indifferentiam non tollit. 234
- III. PARS. Gratia 1. hominis indoli sese contemperat ; 2. voluntatem ejus adjuvat ; 3. juxta probabilem sententiam a voluntatis consensu, efficaciam complementum mutat. 238

CONCIO QUINTA.

Per gratiam habitualem 1. homo a Deo sanctificatur ; 2. Deus nuncupatur ; 3. Dei possessio comparatur. 242

- I. PARS. Gratia habitualis 1. mortuos vivificat ; 2. maculatos mundat ; 3. criminosos sanctificat. 245
- II. PARS. Per gratiam habitualem homo Deus 1. nominatur ; 2. consecratur ; 3. adoptatur. 244
- III. PARS. Spiritus Sanctus est in justo velut in 1. amici gremio ; 2. sponsæ thalamo ; 3. templo sibi sacro. 246

CONCIO SEXTA.

Homo gratia sanctificatus lucratur 1. honores incomparabiles, 2. divitias inæstimabiles ; felicitates ineffabiles. 248

3. PARS. Gratia sanctificans 1. elevat supra humanam naturam ; 2. sublimat supra angelicam I. naturam ; 3. attollit ad divinam naturam. ibid.
- II. PARS. Gratia sanctificans est thesaurus 1. quem Deus donat ; 2. qui omnes naturæ gazas superat ; 3. qui deperditum peccato meritum recuperat. 249
- III. PARS. Per gratiam sanctificantem 1. finis supernaturalis attingitur ; 2. hæreditas cœlestis adipiscitur ; 3. merces ineffabilis acquiritur. 250

GRATITUDO.

SCHOLIUM.

Sex potissimum hominem christianum ad gratitudinem Deo reddendam stimulant, 1. famulata irrationalis creatura ; 2. donata rationalis natura ; 3. accepta a Deo hominis substantia ; 4. professæ religio christiana ; 5. effusa divina munificentia ; 6. horrenda ingratitude culpa.

CONCIO PRIMA.

Quævis creatura nullo silentio hominis vociferatur : 1. Accipe beneficium ; 2. retille gratitudinis officium ; 3. fuge ingratitude vitium. 253

- I. PARS. Deus homini mancipavit 1. cunctas creaturas universaliter; 2. cunctas bonis et malis indifferenter; 3. cunctas cunctis continuo et indesinenter. ibid.
- II. PARS. Homo Deo gratias agat 1. pro cunctis beneficiis universaliter; 2. pro adversis et prosperis indifferenter; 3. continuo et indesinenter. 254
- III. PARS. Homo ingratus creaturis abutens, est reus 1. superbiæ et vanitatis; 2. injustitiæ et iniquitatis; 3. idololatriæ et impietatis. 256

CONCIO SECUNDA.

Homo gratus Dei beneficia 1. ad memoriam revocans; 2. intellectus considerans, 3. voluntate amans. 259

- I. PARS. Homo gratus Dei divinorum beneficiorum memoriam 1. conservare tenetur; 2. qui eam non servant, ingrati censentur; 3. qui obliviscuntur, rei habentur. ibid.
- II. PARS. Homo gratus attente considerat Dei beneficia, quæ sunt 1. circa ipsum; 2. intra ipsum; 3. supra ipsum. 262
- III. PARS. Homo gratus Deum ardentem amat, ob dona quæ sunt 1. circa ipsum; 2. intra ipsum; 3. supra ipsum. 265

CONCIO TERTIA.

Christianus sit Deo gratus, a quo accepit dona 1. naturæ; 2. fortunæ; 3. gratiæ. 267

- I. PARS. Deus, Pater munificus, largitus est homini naturæ 1. dona; 2. ornamenta; 3. conservat naturæ dona et ornamenta. ibid.
- II. PARS. Fortunæ bona hominibus Deus 1. largitur; 2. immeritis largitur; 3. inæqualiter largitur. 268
- III. PARS. Deus munificus 1. erga peccatores, quos misericorditer expectat; 2. erga pœnitentes, quos a peccatis liberaliter emundat; 3. erga justos, quibus bene operandi gratiam abunde subministrat. 269

CONCIO QUARTA.

Baptismus nos 1. a malis liberat; 2. bona nobis communicat; 3. cum divinis personis sociat. 271

- I. PARS. Baptismus 1. peccati maculas lavat; 2. de morte ad vitam revocat; 3. a diaboli tyrannide liberat. ibid.
- II. PARS. In baptismo Christiani efficiuntur Dei 1. servi, per characteris impressionem; 2. domestici, per fidei infusionem; 3. amici, per animæ sanctificationem. 273
- III. PARS. In baptismo Christiani societatem habent 1. cum Patre, qui eos in filios adoptat; 2. cum Filio, qui eos sacerdotes inaugurat; 3. cum Spiritu Sancto, qui eos in templa consecrat. 274

CONCIO QUINTA.

Divinæ personæ largiuntur homini dona divina: 1. Pater, Filium in incarnatione; Filius, semetipsum in Eucharistiæ institutione; 3. Pater et Filius, Spiritum Sanctum in ejus missione. 275

- I. PARS. Donum quo Pater dat Filium commendant 1. dantis majestas; 2. doni nobilitas; 3. recipientium vilitas. ibid.
- II. PARS. In Eucharistiæ sacramento, Christus 1. gratiam affluenter dat; 2. divinitatem et humanitatem suam donat; 3. donum et accipientem intentione unit et velut conviscerat. 276
- III. PARS. Pater et Filius dant Spiritum Sanctum, ut 1. nos doceat veritatem; 2. nobis conferat sanctitatem; 3. largiatur charitatem. 277

CONCIO SEXTA.

Ingratitudo est 1. p. obrosa; 2. criminosa; 3. damnosa. 278

- I. PARS. Ingratitudo probrosa 1. naturam demittit; 2. religionem pervertit; 3. gratiam destruit. ibid.
- II. PARS. Ingratitudo criminosa efficit hominem 1. fraudulentum et rapacem; 2. perfidum et proditorem; 3. inhumanum et interfectorem. 280
- III. PARS. Ingratitudo 1. bona data tollit; 2. ne ulteriora bona dentur impedit; 3. ingratum punitioni exponit. 282

HUMILITAS.

SCHOLIUM.

Humilitatem sex potissimum suadent: 1. Christiana religio; 2. Christi demissio; 3. gratiæ acquisitio; 4. Virtutis consummatio; 5. sublimium defectio et humilium sublimatio; 6. superbiæ condemnatio.

CONCIO PRIMA.

- Humilitatis 1. necessitas; 2. veritas; 3. continuïtas.* 284
- I. PARS. Humilitate 1. Christianus dignoscitur; 2. Dei servus Domino obsequitur; 2. cæli candidatus cælum consequitur. ibid.
- II. PARS. Humilitas vera 1. cordis; 2. oris; 3. operis. 285
- III. PARS. Humilitatis continuïtatem exoptulat continua 1. a Deo dependentia; 2. pugna cum superbia; 3. gratiæ indigentia 288

CONCIO SECUNDA.

- Christus deiecit se 1. usque ad hominem; 2. infra hominem; 3. propter hominem.* 289
- I. PARS. Dei Filius assumpsit humanæ formæ 1. vilitatem; 2. paupertatem; 3. indignitatem. ibid.
- II. PARS. Christus 1. tyranno idololatræ obsequitur; 2. ad pedes Judæ proditoris provolvitur; 3. Barabbæ, scelerato famosissimo, postponitur. 290
- III. PARS. Christus 1. humilitatis egit magistrum; 2. sese proposuit in humilitatis exemplum; 3. viam humilitatis demonstravit ad comparandum cælum. 291

CONCIO TERTIA.

- Humiles Deus 1. placide respicit; 2. orationes humilium benigne audit; 3. gratiam humilibus abunde distribuit.* 293
- I. PARS. Deus humili largitur gratiam, ob ejus 1. gratitudinem; 2. demissionem; 3. vacuitatem. ibid.
- II. PARS. Humilium orationem Deo acceptabilem demonstrat exemplum 1. Chanancæ mulieris; 2. Centurionis gentilis; 3. Publicani peccatoris. 294
- III. PARS. Humilitas habet virtutem, gratiam 1. attrahendi; 2. augendi; 3. conservandi. 296

CONCIO QUARTA.

- Humilitas virtutum 1. origo et initium; 2. custos et præsidium; 3. consummatio et fastigium.* 297
- I. PARS. Humilitas cæteras virtutes 1. præcedit; 2. gignit; 3. fulcit. ibid.
- II. PARS. Humilitas custodit 1. fidem; 2. castitatem; 3. charitatem. 298
- III. PARS. Humilitas virtutes 1. decorat; coadunat; 3. conservat. 299

CONCIO QUINTA.

- Superbi humiliantur, humiles sublimantur, ut constat exemplo 1. Nabuchodonosor, et Joannis baptizatori; 2. Evæ, et Mariæ, Matris Salvatoris; 3. Luciferi, et Christi redemptoris.* 301
- I. PARS. Joannes 1. se vocem vocitans Angelus nuncupatur; 2. laudes humanas respiciens, a Deo commendatur; 3. sese indignum existimans qui calcamenti Messicæ corrigiam solvat, manus ejus supra Christi caput sublimatur. ibid.
- II. PARS. Humilis Maria 1. abunde gratia decoratur; 2. in solio tanquam regina collocatur; 3. ad Dei maternitatem sublimatur. 302
- III. PARS. Christus humilis 1. de ignominia in honorem exaltatur; 2. de doloribus in delicias commutatur; 3. de terra in cælum sublimatur. 303

CONCIO SEXTA.

- Superbiæ* 1. *gravitas*; 2. *diversitas*; 3. *infelicitas*. 305
- I. PARS. Superbia est 1. crimen diaboli; 2. initium peccati; 3. summa delicti. ibid.
- II. PARS. Superbia perverse appetit 1. vestium elegantiam; 2. carnis gloriam; 3. virtutis eminentiam. 306
- III. PARS. Deus dicit væ 1. flori decidenti, qui mundi gloria deundatur; 2. Ephraim, qui gratiæ donis privatur; 3. coronæ superbiæ, quæ pœna interminabili muletatur. 307

HYPOCRITA.

SCHOLIUM.

Hypocrita 1. *speciem pietatis simulat*; 2. *ab hominibus videri captat*; 3. *gloriam Deo debitam sibi arrogat*; 4. *cæteros depretiat*; 5. *judicandi auctoritatem temerarie usurpat*; 6. *invidia perpetuo laborat*.

CONCIO PRIMA.

- Hypocrita* 1. *virtutes simulat*; 2. *sub specie virtutis vitia occultat*; 3. *mendacio et fallacia Dei justitiam irritat*. 309
- I. PARS. Hypocrita 1. mendax; 2. fallax; 3. mendacio et fallacia virtutes simulans. ibid.
- II. PARS. Hypocrita societatem habet cum 1. diabolicis; 2. pharisæis; 3. hæreticis. 311
- III. PARS. Væ pronuntiat Deus in hypocritas, quia 1. non leviter peccant; 2. alios decipere tentant; 3. Dei justitiam sufflamant. 312

CONCIO SECUNDA.

- Hypocrita, ut videatur ab hominibus*, 1. *jejunat*; 2. *eleemosynas erogat*; 3. *Deum orat*. 314
- I. PARS. Hypocritarum culpatur jejunium 1. ex se fictitium; 2. ex modo pravum; 3. ex intentione perversum. ibid.
- II. PARS. Eleemosyna buccinata hostilis est 1. Deo, quem gloria debita frustrat; 2. pauperi, cui arroganter insultat; 3. hypocritæ, quem cœlesti mercede indignum præstat. 315
- III. PARS. Damnatur 1. intentio qua hypocrita orat; 2. modus quo orat; 3. locus in quo orat. 318

CONCIO TERTIA.

- Ad Dei gloriam* 1. *omnis creatura invitatur*; 2. *ratio stimulat*; 3. *hypocrita gloriam Deo debitam sibi arrogat*. 319
- I. PARS. Ad Dei laudem invitatur creaturæ 1. terrestres; 2. cœlestes; 3. mixtæ, partim terrestres, partim cœlestes. 320
- II. PARS. Ad querendam Dei gloriam tenetur homo ex 1. æquitate; 2. gratitudine; 3. pietate. 321
- III. PARS. Hypocrita 1. temerarie Deum suo proposito frustrat; 2. injuste suo bono defraudat; 3. impie gloriam Deo debitam sibi arrogat. 322

CONCIO QUARTA.

- Hypocrita* 1. *sese de justitia laudat*; 2. *plus cunctis sese existimat*; 3. *cæteros arroganter depretiat*. 324
- I. PARS. Hypocrita superbia tumens, sese 1. a peccatis immunem prædicat; 2. legis observatorem declarat; 3. de justitia et virtute commendat. ibid.
- II. PARS. Hypocrita sese commendat 1. singularitate; 2. inæqualitate; 3. sanctitate. 325
- III. PARS. Non est æqua sors tumentis Pharisæi et Publicani dejecti; 1. ille orans non exauditur, istius oratio acceptatur; 2. ille condemnatur, iste justificatur; 3. ille reprobatur, iste coronatur. 327

CONCIO QUINTA.

Judicium temerarium est illicitum et injustum ex defectu 1. auctoritatis et jurisdictionis; 2. notitiæ et cognitionis; 3. probitatis et dilectionis. 329

I. PARS. Temerarie judicans offendit 1. Deum cujus auctoritatem sibi arrogat; 2. proximum quem in sua mente diffamat; 3. semetipsum, nam aliorum judicio et insuper pœnæ se mancipat. ibid.

II. PARS. Temerarie judicans, actiones 1. indifferentes sinistre interpretatur; 2. dubias, malas suspicatur; 3. bonas, de prava intentione enlpare conatur. 331

III. PARS. Judicandi temeritas oritur ex 1. præsumptione et superbia; 2. animadversione et invidia; 3. perversitate et malitia. 334

CONCIO SEXTA.

Invidiæ 1. nequitia et iniquitas; 2. sævitia et crudelitas; 3. miseria et infelicitas. 336

I. PARS. Invidia peccatum diabolicum, est 1. inexcusabilis; 2. irremediabilis; 3. interminabilis. ibid.

II. PARS. Invidia crudelis perpetravit 1. homicidium; 2. fratricidium; 3. deicidium. 338

III. PARS. Invidus 1. a Christo separatur; 2. cœlesti felicitate privatur; 3. inferni doloribus cruciatur. 341

INFERNUS.

—

SCHOLIUM.

Pœnarum inferni 1. veritas; 2. diversitas; 3. acerbitas; 4. ignis infernalis activitas; 5. privationis Dei infelicitas; 6. pœnæ tum damni, tum sensus æternitas.

CONCIO PRIMA.

Inferni gehenna est 1. credenda; 2. metuenda; 3. cavenda. 344

I. PARS. Inferni pœna probatur 1. unanimi sapientium testimonio; 2. infallibili humanæ veritatis oraculo; 3. evidenti rationis patrocinio. ibid.

II. PARS. Inferni metus est 1. sapientiæ monumentum; 2. concupiscentiæ frænum; 3. salutis fundamentum. 347

III. PARS. Inferni cautela annexam habet 1. boni affectionem; 2. peccati detestationem; 3. Dei satisfactionem. 349

CONCIO SECUNDA.

Inferni pœnæ 1. ponderantur; 2. numerantur; 3. mensurantur. 353

I. PARS. Quam ponderosæ sint inferni pœnæ constat ex 1. inferni profunditate; 2. gehennæ incomprehensibilitate; 3. suppliciorum intolerabilitate. ibid.

II. PARS. Pœnarum numerus desumitur ex parte 1. Dei vindicantis; 2. hominis peccantis; 3. ignis cruciantis. 356

III. PARS. Inferni pœnæ commensurantur 1. divinæ majestati; 2. peccatoris qualitati; 3. criminis gravitati. 358

CONCIO TERTIA.

Pœnæ inferni in acerbitate superant 1. omnia quæ passi sunt mortales supplicia; 2. cuncta quæ sustinuit Christus tormenta; 3. neque concipi possunt nisi ex oppositione ad beatorum præmia. 360

I. PARS. Pœnæ inferni longe superant 1. dolores quos sustinuerunt homines ex naturæ infirmitate; 2. quos passi sunt martyres ex tyrannorum crudelitate; 3. supplicia quæ tolerarunt peccatores ex Dei severitate. 361

II. PARS. Cruciatu inferni Christi dolores longe superant, quia 1. Christus volens, damnatus coactus patitur; 2. Christus consolatur, damnatus absque consolatione patitur; 3. Christus ab hominibus, damnatus a dæmonibus patitur. 363

- III. PARS. Inferni supplicia cœli præmiis opposita elucescunt: nam 1. in cœlo sunt cuncta universaliter bona, in inferno cuncta mala; 2. in cœlo pura bona, in inferno pura mala; 3. in cœlo perpetua bona, in inferno perpetua mala. 364

CONCIO QUARTA.

Ignis inferni activitas est 1. *admirabilis*; 2. *ineffabilis*; 3. *incomparabilis*. 369

- I. PARS. Ignis inferni 1. ardet nec lucem emittit; 1. urit nec destruit; 2. agit incessanter nec sese consumit. ibid.

II. PARS. Ignis inferni agit 1. physice; 2. detentive; 3. metaphorice. 374

- III. PARS. Ignis inferni activitas est incomparabilis, sive sit 1. physica; 2. detentiva; 3. metaphorica. 375

CONCIO QUINTA.

Pœna damni est 1. *maxima*; 2. *acerbissima*; 3. *æquissima*. 379

- I. PARS. Reprobis incurrit in inferno damnnum 1. incomparabile; 2. irreparabile; 3. intolerabile. ibid.

II. PARS. Tria damnatos cruciant: 1. notitia boni perdit; 2. amor innatus boni perdit; 3. desiderium boni perdit. 383

- III. PARS. Damnatus 1. a Deo aversatur; 2. a Deo separatur; 3. a Deo privatur. 386

CONCIO SEXTA.

Consideratur miseræ æternitatis 1. *justitia et æquitas*; 2. *duratio et infinitas*; 3. *fructus et utilitas*. 390

- I. PARS. Æquitas pœnæ æternæ desumitur ex 1. gravitate offensæ; 2. iniquitate culpæ; 3. institutione divinæ justitiæ. 391

II. PARS. Misera æternitas est 1. rota malorum nunquam quiescens; 2. mors semper vivens et nunquam moriens; 3. duratio semper existens et nunquam finiens. 395

- III. PARS. Utilitas miseræ æternitatis est 1. illius cogitatio; 2. peccati pœnitentia et castigatio; 3. præteritæ vitæ emendatio. 398

JUDICIUM ULTIMUM.

SCHOLIUM.

In ultimo judicio peccator 1. *ad Christi præsentiam timore percutitur*; 2. *Sanctorum gloria opprimitur*; 3. *criminum manifestatione confunditur*; 4. *de suis sceleribus convincitur*; 5. *a cunctis entibus funitur*; 6. *judicium consummatione perficitur*.

CONCIO PRIMA.

In ultimo judicio, peccator stabit coram Deo 1. *munifico, cujus gratias non agnovit*; 2. *summa majestate prædito, cujus magnitudinem contempsit*; 3. *justissimo, cujus iram accendit*. 402

- I. PARS. Peccatori exprobrabit Deus munificus 1. gratias sibi collatas oblitum fuisse; 2. de tot acceptis gratiis nullum fructum retulisse; 3. in auctorem gratiarum crudeliter sæviisse. ibid.

II. PARS. In ultimo judicio, Deus, majestate præditus, apparebit sub forma 1. supremi judicis; 2. triumphantis regis; 3. Dei magnitudinem suam ostendentis. 404

- III. PARS. Æquissimus Deus demonstrabit iram 1. Dei potentis offensi; 2. patientis despecti; 3. amantis derelicti. 408

CONCIO SECUNDA.

In ultimo judicio, peccator opprimetur gloria 1. *Christi*; 2. *Crucis*; 3. *Sanctorum*. 412

- I. PARS. Christus peccatori, gloria 1. impassibili, ingeret pudorem; 2. sublimi, incutiet dolorem; 3. terribili, ingenerabit timorem. ibid.

- II. PARS. Crux peccatorem sua gloria 1. opprimet; 2. mœrore et tristitia afficiet; 3. in desperationem injiciet. 415
- III. PARS. Peccator Sanctorum opprimetur gloria 1. videns in honore suum supra caput sublimatos viles et abjectos, quos pedibus conculcavit; 2. intuens velut suos judices, pauperes et egenos, quos ut stultos condemnavit; 3. conspiciens fœces, lugentes, quos miseros existimavit. 416

CONCIO TERTIA.

- Peccator pudore confusus, objectus 1. Dei conspectibus; 2. propriis conspectibus; 3. hominum, Angelorum et dæmonum conspectibus.* 419
- I. PARS. Quam 1. cæcus peccator qui in occulto peccans, existimat quod Deus illum non conspiciat; 2. temerarius peccator, qui palam et publice peccans, Dei conspectum insolenter despiciat; 3. stultus peccator, qui pudorem quem patientur in ultimo judicio reprobi, non pertimescit! ibid.
- II. PARS. Peccatores in tantam impudentiam sunt elati ut 1. palam et publice peccent; 2. sese de sceleribus jactitent; 3. ut crinosiores appareant, certatim pugnent. 422
- III. PARS. Manifestabuntur peccata quæ commiserunt 1. inverecundi in aperto; 2. stulti in occulto; 3. fraudulentum sub virtutis velo. 424

CONCIO QUARTA.

- Peccator 1. accusatur; 2. convincitur; 3. condemnatur.* 426
- I. PARS. Accusatur 1. de bono quod omisit; 2. de bono quod non bene fecit; 3. de malo quod commisit. 427
- II. PARS. Convincitur ex 1. legis depositione; 2. exemplari Sanctorum operatione; 3. propriae conscientiae confessione. 429
- III. PARS. Condemnatur a iudice 1. sapientissimo; 2. æquissimo; 3. potentissimo. 431

CONCIO QUINTA.

- Peccator in ultimo judicio est 1. de cunctis rationem redditurus; 2. a cunctis entibus prosequendus; 3. omni auxilio destituendus.* 436
- I. PARS. Peccator reddet rationem 1. Patri, de opere creationis; 2. Filio, de opere redemptionis; 3. Spiritui Sancto, de opere sanctificationis. ibid.
- II. PARS. Peccator persequetur a 1. creatura, qua abusus est; 2. Deo, cui infensus est; 3. semetipso, quia sui ipsius inimicus est. 437
- III. PARS. Peccator nullum accipiet 1. ab hominibus solatium; 2. ab Angelis et Sanctis auxilium; 3. a Deipara et Christo patrocinium. 439

CONCIO SEXTA.

- In ultimo judicio, erit consummatio 1. mundanæ dispositionis; 2. humanæ operationis, 3. divinæ miserationis.* 442
- I. PARS. Consummabitur mundus 1. elementaris et genericus; 2. civilis et politicus; 3. spiritualis et ecclesiasticus. ibid.
- II. PARS. Consummabitur humana operatio ex defectu 1. voluntatis; 2. sanctitatis; 3. tempestatis. 446
- III. PARS. Divina misericordia 1. superabitur; 2. evacuabitur; 3. consummabitur. 447

Permissio Reverendi Patris Provincialis.

FRATER Agathangelus Petit, Provinciæ Recollectorum in Aquitania Minister Provincialis, et servus R. P. MICHAELI VIVIEN, ejusdem Provinciæ alumno, Sacræ Theologiæ Lectori, necnon antiquo Custodum Custodi, salutem. Cum Liber *Tertullianus Prædicans* nuncupatus, in sex Tomos distributus, sit jam maxima ex parte typis mandatus, et feliciter a Doctoribus quibusque approbatus, licentiam tibi facimus ut præclarum illud opus perficias, et denuo typis mandes, sive in-quarto, sive in-folio, prout melius tibi visum fuerit. In ejus fidem præsentem Licentiam propria manu subscripsimus, et parvo officii nostri sigillo munivimus. Datum in Conventu nostro Sanctæ Mariæ de Gratia Burdigalæ, die 19 Februarii, anno 1677.

F. AGATHANGELUS PETIT,
Minister Provincialis.

Approbationes Lectorum Theologiæ.

LIBRI cui titulus est *Tertullianus Prædicans* secundum et tertium tomum frustra commendarem. Primus siquidem et reliquos et eorum auctorem satis commendat; qui illum legerunt vivendi quod in lucem edendum supererat vehementi flagrabant desiderio; neque fallat eos opinio, ibi enim maximam ingenii ubertatem observabunt, ac materiæ abundantiam cum præclara methodo, quæ Tertulliani operibus deerat claritate mirabuntur. Hæc ipse perlegendum miratus sum, ideoque Opus dignum judico quod typis quamprimum mandetur, utpote quod nihil contineat fidei aut bonis moribus contrarium, quin potius futurum sit utilissimum, tum cæteris omnibus, tum præcipuè divini verbi Præconibus. Quod testor in hoc Conventu Recollectorum Sanctæ Valeriæ prope Lemovicas, die 22 mensis Julii anni 1673.

F. GERMANUS DEYR,
Lector Sacræ Theologiæ, et Guardianus Conventus Recollectorum
Sanctæ Valeriæ prope Lemovicas.


EGO infrascriptus Sacræ Theologiæ Lector, summa cum delectatione attente perlegi librum cui titulus *Tertullianus Prædicans*, in quo Tertulliani doctrina licet ex se satis commendata, mire tamen commendatur, tum ob selectas Patrum sententias, quibus adornatur, tum ob subtiles Theologorum rationes, quibus ab Auctore solidatur. Ipsum ergo typis dignissimum judico, non solum quia nihil in ipso quod catholicæ fidei sectatoribus adversetur, sed etiam quia nihil in ipso quod christianæ veritatis Præconibus non multum patrocinetur, quibus *Tertullianus Prædicans* erit Tertullianus docens methodum, clare, breviter et nervose sermones conficiendi. In lucem igitur prodeat opus et prælo, quam citius mandetur tanquam communi Concionatorum bono utilissimum censeo et peropto. Datum in Conventu Sancti Leonardi, die 8 Junii anni 1673.

F. GABRIEL BARRIERE,
S. Theologiæ Lector.

Licentia et Censura Ordinarii.

TERTULLIANUS *Prædicans*, sive campus floridissimus selectissimorum conceptuum ac discursuum omni tempore prædicabilium; qui cum in Gallia, non absque singulari fructu binis vicibus impressus, et a diversis Theologis approbatus fuerit, nihilque ab orthodoxa Doctrina alienum complectatur, hisce pro tertia vice imprimendi facultatem concedimus. Signatum Colonæ Agrippinæ, decima sexta Februarii.

F. THEODORUS DEGHENS,
SS. Theologiæ Doctor et Professor Ordinarius, Canonicorum Regularium S. Crucis
Provincialis ad Rhenum, et Prior Colonæ, Ordinarius Librorum Censor. M. P.



FESTA APOSTOLORUM.

SCHOLIUM.

In hoc tractatu, 1. Petrus pœnitens lacrymatur; 2. Petrus incarceratur; 3. Saulus immutatur; 4. Paulus triumpho honoratur; 5. Andreas cruci patibulatur; 6. Joannes privilegiis commendatur.

CONCIO PRIMA.

In Petro apparet, tum humanæ naturæ fragilitas, tum divinæ gratiæ efficacitas. Humana fragilitas, dum ad unius ancillæ vocem prosternitur, gratiæ vis et potestas, dum ex Christi conspectu erigitur. Petri fragilitatem, prædixerat Salvator. *Prospexerat et has Deus imbecillitates conditionis humanæ; adversarii insidias; periclitaturam fidem.* (1) Gratiæ potentiam commendat D. Hieronymus animadvertens, quod paululum relinquitur Petrus tentationi, ut intelligat se potentia Domini conservatum. (2) Trina potissimum de causa corruit Petrus: præsumptione scilicet, fidei imbecillitate, et mortis formidine. 1. Præsumptione: nam constat *et Petrum præsumptorie aliquid elocutum* (3); et quia ter præsumpsit, ter negavit; ut trinæ præsumptioni, trina responderet negatio. 2. *Per infirmitatem faci suæ* (4) cecidit Petrus: siquidem liberat a casu, *fides si vigilat.* (5) In domo autem Caiphæ prostratus fuit Petrus: nec mirum. Fides ejus non vigilabat, sed dormiebat: et quia somnus est mortis imago,

ejus titubatio, quasi mors fidei fuit. (1) 3. Mortis formidine negavit Petrus: *Qui timet non est perfectus in dilectione, quem timorem intelligi præstat, nisi negationis auctorem?* (2) Petrus mortis temporalis formidine perterritus, ad unius ancillæ vocem fæde prostratur; et qui magnam alias ostentarat audaciam, *timore Petrus ter negavit.* (3)

Deplorandus sane Apostoli lapsus, sed admiranda Christi bonitas, et divinæ gratiæ efficacitas. Qualis, quæso, Salvatoris bonitas, qui eodem tempore, quo Petrus negat, Petri salutem sollicite curat? Eodem momento quo negationem suam Petrus, mendacio, juramento et anathemate confirmat, Petri miseretur, gratiamque largitur, qua tenebras ab ejus mente fugat, et in ejus corde dolorem ingenerat. Ubi elucet gratiæ necessitas: nam *quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negavit Christum?* (4) Apparet adhuc gratiæ efficacitas: nam *negavit primo Petrus, et non flevit: quia non respexerat Dominus. Negavit secundo et non flevit: quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit tertio: respexit Jesus et ille*

(1) Tert. Scorp. 6. — (2) In c. 14. Matth. — (3) Tert. l. 4. adv. Marc. 41. — (4) Tert. Scorp. 1. — (5) Tert. ibid.

(1) D. Aug. Ser. 12. de Verb. Dom. — (2) Tert. Scorp. 12. — (3) D. Aug. in Ps. 90. — (4) D. Aug. Ser. 124. de Temp.

amarissime flevit. (1) Magna profecto Salvatoris bonitas, qui prostratum misericorditer aspexit discipulum, et benigno suo aspectu a lapsu erexit. Quare Petrus sic alloquitur Bernardus: *Aspectus ejus, profectus tuus.* (2) Nec minor gratiæ vis et potestas, quæ de peccatore efficit pœnitentem; de titubante in fide, confessorem fidelem; de timido negatore, generosum martyrem. Nam Christi aspectu, et efficacia gratiæ: 1. Petrus præsumptione peccans, peccati maculam lacrymis lavat; 2. Petrus in fide titubans, fidem suam publica confessione declarat; 3. Petrus formidine Christum negans, mortis timorem constanti martyrio reparat.

I. PARS. *Peccator deflere se debet.* (3) Peccator Petrus, quem obcœcaverat præsumptio, et cui Christi aspectus redliderat visum, sceleris sui prospiciens magnitudinem amarissime flet. *Quidam favore perverso Petrum excusare nituntur* (4), quasi in suis responsis æquivocatione usus sit. Verum *si nihil peccavit, quare flevit?* (5) Etenim Petrus flets peccati sui gravitatem aperte demonstrat: quia, ut sapienter ratiocinatur D. Augustinus: *Videt Petrus se in se: flevit se in se: et conversus est ad eum qui fecerat se* (6): Lacrymæ ejusque peccatum supponunt, gravitatem demonstrant. *Quæris unde sint lamentationes, unde fletus?* (7) Respondet Gregorius Nyssenus: *Vulnerum animi tanquam sanguis lacrymæ sunt.* Hunc cordis sanguinem, Deo immolabat beata Monica, ut a suis sceleribus criminosum filium revocaret, ut ipsemet fatetur Augustinus Deum alloquens: *De sanguine cordis per lacrymas, tibi sacrificabatur pro me.* (8) Quale est cor, tales sunt lacrymæ, quas fundit per oculos. Cor autem est vel frigidum, vel amarum, vel calidum. Frigidum, ob timorem; amarum ob dolorem; calidum ob amorem. Per timorem *sanguis animi gescit* (9); per dolorem *inaccrescit*; per amorem *calescit*. Si quæras modo, *quantis lacrymarum generibus inundarit* Petrus, dicam cum Tertulliano: *Habuit et frigidas, et amaras, et calidas guttas.* (10) Quas omnes velut sanguinem cordis, per oculos fudit, et Deo obtulit. 1. frigidas, ob timorem; 2. amaras, ob dolorem; 3. calidas, ob amorem.

1. *Tempus pœnitentiæ, idem quod timoris.* Tanta est connexio inter pœnitentiam et timorem, ut peccator de suis sceleribus pœ-

nitere absque timore non videatur. Quapropter Tertullianus timidum pœnitentem, vera pœnitentia functum existimat. *Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, et ita vera pœnitentia functum?* (1) Vitæ emendatio, pœnitentiæ veritatem denotat, quæ a timore dependet. Pœnitentiæ veritas, detestatio criminum est; pœnitentiæ fructus, remissio delictorum. Ut quis autem aversetur peccata, et peccatorum obtineat remissionem, oportet ut Deum metuat. Nam *pœnitentia in gratiam nos Domino revocat: idcirco te deliquisse pœniteat, quia Dominum cœperas timere.* (2) Verus pœnitens Petrus, guttis frigidis a suo perterritio corde emanantibus, et commissa peccata delevit, et amissam Dei gratiam recuperavit, quas idcirco S. Leo felices nuncupat: *Felices, sancte Apostole, lacrymarum tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.* (3)

Quam dissimilis est Petrus pœnitens a semetipso peccante! Petrus præsumptione peccans, ita obcœcatur, ut nullo modo conspiciat, neque Dei justitiam de peccatoribus vindictam sumentem: neque Christum pronunciantem se *confessurum confessores, et negaturum negatores suos apud Patrem* (4); neque infernum, ad recipiendos scelerosos, os suum aperientem; neque humanam fragilitatem ad lapsum pronam, et de sua salute periclitantem. Verum Petrus pœnitens, divina gratia illustratus: *neq̄ enim fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi* (5): mentis aperit oculos, et pertimescit. *Porro timoris origo, notitia est.* (6) Multiplici timorè cor ejus conturbatur: *Timet Deum, quem magis propitium velit quam iratum.* (7) Timet Christum, qui *confessorem confitebitur, negatorem negabit.* (8) Timet infernum, *pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni.* (9) Timet semetipsum, ne rursus in peccatum cadat. *Modus temeritatis, testatio est timoris.* (10) Petrus considerari potest ante et post lapsum. Ante lapsum a præsumptione timidus, nihilque timens, temere sese exposuit periculo cadendi, ideoque corruit. *Nam qui præsumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur.* (11) Post lapsum vero pœnitens Petrus, et timens *egreditur foras,*

(1) D. Ambr. in c. 22. Luc. — (2) Ser. 56. in Cant. — (3) — Tert. L. de pœn. 6. — (4) D. Aug. Tract. 6. in Joan. — (5) D. Aug. in ps. 140. — (6) Ser. 52. de Temp. — (7) Sen. Ep. 64. — (8) l. 5. Conf. 7. — (9) Tert. Scorp. 1. — (10) Tert. L. adv. Valent. 15.

(1) — Tert. L. de Pœn. 6. — (2) Tert. L. de Pœn. 5. — (3) Serm. 9. de Pass. — (4) Tert. L. adv. Prax. 26. — (5) D. Hier. in c. 14. Matth. — (6) Tert. L. 2. ad Nat. 2. — (7) Tert. L. de Test. An. 2. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (9) Tert. Apol. 45. — (10) Tert. L. de Pœn. 7. — (11) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2.

fugiens cadendi periculum (1), et amaras producit ob cordis dolorem lacrymas.

2. Deus qui *in semetipso pœnitentiam edicavit*, quando tactus fuit dolore cordis intrinsecus, eo quod fecisset hominem: *mandat animam mœroribus dejicere*. (2) *Etenim sicut est testis pœnitentiæ dolor, ita lacrymæ testes sunt doloris*. (3) Lacrymis suam Petrus testatus est pœnitentiam; frigiditas fudit timor, amaras producit *doloris affectio*. (4) Pœnitentiæ magnitudinem, ex doloris magnitudine mensurandam, vult D. Augustinus: *In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris*. (5) In Petro tamen considerare debemus, et doloris magnitudinem, quia amare flevit: et doloris longitudinem, quia toto vitæ tempore, amarissime flevit. Doloris magnitudinem denotat Evangelista, dum asserit quod *Petrus egressus foras flevit amare*, seu, ut alii legunt, *amarissime*. (6) Alia lectio habet, *prorupit in fletum*, quo vehemens ejus dolor, et ingens lacrymarum imber significatur. Infans in ipso nativitatis exordio *vitam vagitu salutatur* (7): eodem modo Petrus a pœnitentiæ exordio *cœpit flere* (8); et, ut explicat Theophylactus, *magna vehementia cœpit flere*; quasi luctum et planctum toto animi studio susceperit. *Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed animi amaritudine*. Unde beatus Petrus *mox a Domino indulgentiam accepit: quia amarissime flevit trinxit negationis culpam*. (9) Hunc Petri dolorem ita exaggerat Cardinalis Drogo, ut eum Christi tormentis audeat comparare. *Vide quis graviora pertulit opprobria, Christus foris in corpore, an Petrus in corde*. (10)

Verum, sicut lacrymularum quas fundit natu recens infans, incommoda et miserias vitæ flebilis ominantur: *Plus est quod de prospectu lacrymabilis vitæ, quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur*; (11) ita lacrymæ pœnitentis sunt signa doloris et amaritudinis, quam habet in corde: nam *per lacrymas dolorem ostendimus*. (12) Cordis dolorem Petrus toto vitæ decursu ostentavit par lacrymas: unde græca lectio, *pro cœpit flere*, habet, *adjiciens flevit*. Quasi lacrymas lacrymis addiderit, neque unam sine lacrymis horam pertransiundo. Nam, ut expendit D. Chrysostomus, *flevit amare, et alia quæ fletum sunt consecuta,*

fecit similiter. (1) Si quidem per totam vitam in rigida perseveravit pœnitentia: et ut ex S. Clemente Papa refert Lyranus. *Ex tunc Petrus contraxit in consuetudinem, ut a primo gallorum cantu usque ad horam matulinam fleret*. (2) Verum tanta cum abundantia ut ejus oculi ex continuo fletu apparerent tanquam sanguine perfusi, et quamdiu permansit in terra, copiosæ fluxerunt lacrymæ: *Utique ex iisdem oculis, qui retro fleverant: quique adhuc flere potuissent, si non omnem lacrymæ imbrem indulgentia divina siccaret*. (3)

3. Neque solum ob timorem vel dolorem, sed etiam ob amorem lacrymatus est Petrus: *Audistis mœrorem et timorem* (4): timor frigiditas fudit lacrymas, amaras dolor, sed calidas amor: nam *lacrymæ testes sunt amoris*. (5) Oculi non plangunt nisi ferveant: siquidem *vulnerati cordis lacrymæ sunt signa*. (6) Et, ut ait D. Augustinus, *ipsæ lacrymæ piæ contribulatorum, mustum sunt amantium*. (7) Cor Petri Christi amore sauciatum calidas emittebat guttas. Pœnitens ille discipulus, *flere cœpit amare, quia Dominum suum cœpit amare*. (8) Oculi ejus velut piscina Hesebon, *præ amore dilecti fluunt lacrymis*. (9)

In peccato duo sunt consideranda: culpa scilicet et pœna. Culpa Deum offendit, et animam maculat; pœna punit peccatorem. Et quia *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei* (10); perfectus pœnitens, et *vehemens Christi amator Petrus* (11), magis pœnitet de culpa quæ Deum offendit, quam de pœna quæ peccatum et peccatorem punit: ideoque lacrymatur, non solum ob timorem supplicii, quod peccando meruerat; sed multo magis ob offensam, quam in Deum commiserat: ut enim ait D. Chrysostomus, *dum Christum abnegasset, non ob suppliciam luxit, sed quod quem amabat eum abnegasse se videretur*. (12) Semel atque iterum de Petri negatione locutus est Christus. Primo in communi de pœna negantibus destinata: *Omnis qui in me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor in illo coram Patre meo, qui in cœlis est. Et omnis qui negaverit me coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est*. (13) Secundo in particulari de Petri culpa locutus est Christus: *Antequam gal-*

(1) D. Leo Serm. 2. de Pass. — (2) Tert. l. de Pœn. 8. — (3) D. Aug. l. 50. Hom. 50. — (4) Tert. l. de Pœn. 5. — (5) In Enchir. c. 65. — (6) Matth. 26. — (7) Tert. l. de An. 19. — (8) Marc. 14. — (9) D. Aug. Ser. 66. de Temp. — (10) l. de Sacra. Dom. Pass. — (11) Tert. l. de An. 19. — (12) Senec. Ep. 64.

(1) In cap. 26. Matth. — (2) Niceph. l. 2. c. 57. — (3) Tert. l. adv. Valent. 15. — (4) Tert. l. adv. Valent. 15. — (5) D. Bern. Serm. 10. in Cant. — (6) Glib. Serm. 30. in Cant. — (7) In Ps. 94. — (8) D. Aug. Serm. 121. de Temp. — (9) Rupert. — (10) D. Aug. Ser. 7. Temp. — (11) D. Chrys. — (12) Hom. S. ad Rom. — (13) Tert. Scorp. 9.

lus cantet ter me negabis. At Petrus pœnitens non lacrymatur pro pœna negatoribus inflicta, sed pro culpa a se per negationem commissa: itaque flet amare, non attendens ad verba Christi asserentis: Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo. Sed recordatus Petrus verbi Jesu quod dixerat: Priusquam gallus cantet ter me negabis, egressus foras flevit. Ideoque copiosæ et diuturnæ Petri lacrymæ, ardentissimum ejus testabantur amorem: *Cœlestes imbres pipiavit Achamoth* (1): a Spiritu Sancto cœlestes imbres pipiavit Petrus quas ex amoris fonte per oculos fudit.

Symbolum amoris, columba, *quod corporaliter ipso felle careat columba* (2); quæ suum adeo ardentem amat masculum, ut eo viduata, vel ad tempus ab eo separata, continuo gemat. Non immerito filius columbæ nuncupatur Petrus, qui per negationem modico tempore separatus a Christo, continuas fundit amoris lacrymas. Per amorem columba dignoscitur: proprius Spiritus Sancti character est amor; quare *columbæ figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus Sancti declararetur* (3): scilicet Amor qui ei specialiter appropriatur. (4) Petrus est *filius Spiritus Sancti* (5): Filius patris redolet naturam et mores. *Vult et Cleanthes, non solum corporis lineamentis, sed et animæ notis, similitudinem parentibus in filios respondere, de speculo scilicet morum et ingeniorum et affectum.* (6) Petrus Spiritus Sancti filius, parentis sapit affectum, et divino inardescit amore: *Ferventissima Petri erga Christum charitas erat.* (7) Spiritus Sanctus orat gemitibus inenarrabilibus, id est, orantes ad gemitus et fletus inducit: Petrus Spiritus Sancti filius, a parente lacrymarum donum accepit, et sicut in deserto Moyses *percussit petram et fluxerunt aque* (8); ita cor Petri, Spiritus Sancti gratia percussum, per oculos fudit amoris lacrymas.

Quantum distat a Petro scelerosus peccator, qui, ut fatur D. Augustinus, *nescit flere qui flenda committit, et cum ipse sit lacrymabilis non habet culpæ lacrymas suæ!* (9) Petrus habuit cor timore conturbatum, mœnore angustiatum, et calore sufflammatum; ille vero nullum habet inferni timorem, peccati dolorem, Dei amorem. Petrus dolet de peccato, et fugit peccati periculum et occasionem; ille vero neque de peccato commisso dolet, neque de futuro casu præcavet. Petrus toto vitæ decursu, suam amarissime

flet negationem; ille pro tot ac tantis patratiss sceleribus, nec unicam fundit lacrymam. Impœnitens ille peccator semetipsum frustrat venia; nam lacrymæ sunt *diluvium peccatorum* (1): Angelos lætitia; nam lacrymæ sunt *deliciæ Angelorum* (2): Deum desiderio; nam *Deus delinquentium gemitus esurit, sinit lacrymas peccatorum* (3): Petrum imitatione, cui tantum valuerunt lacrymæ, ut ausus sit dicere D. Ambrosius: *Petrus tentatus est ut negaret: negavit ut fleret* (4): execrabilis Petri negatio permissa est a Deo, ut sumptuosius ex lacrymis Petrus consequeretur bonum. Grande profecto malum trina in fide negatio, pretiosus adhuc bonum, jugis exinde ploratio. Idcirco *major gradus redditus est ploranti, quam fuerat ablatus deneganti.* (5) Negavit iterum atque iterum Petrus, plus tamen flendo acquisivit, quam negando perdiderat. *Nam qui lapsus est antequam fleret, erectus est ut alios regeret, qui seipsum non rexit.* (6) Sic est lucrosus pœnitentiæ commercium, sic pretiosæ sunt lacrymæ. *O fletum rigatorem* (7), exclamat Tertullianus, quo pœnitens discipulus peccati maculas lavat! O beatum Petrum, qui fidei titubationem, publica fidei confessione firmat.

II PARS. *Una ergo tibi fides ad tutelam opus est.* (8) Exercenda est fides et ad praxim redigenda, præsertim dum furit persecutio. *Nam quando Deus magis creditur, nisi in tempore persecutionis? Tunc fides in expeditione sollicitior, in alterutra diligentia et dilectione* (9): tunc ad auxilium vocanda est fides, ne quid adversus Dei amorem committatur. Hanc fidei sollicitudinem et Dei dilectionem non servavit Petrus *frigidus charitate;* (10) quia licet habituales non amiserit fidem, fuit tamen *frigida fides* (11): quapropter Petri peccatum fuit, non contra fidei veritatem, sed contra confessionem, quam charitate destitutus non propalavit. Verum uti Petrus charitate nudatus, Christum negat, ita Petrus charitate inflammatus, Christum audacter confitetur. *Quam dilectionem perfectam affirmat, nisi fugatricem timoris, et animatricem confessionis?* (12) Timor a corde Petri expulerat dilectionem, et impedierat confessionem: dilectio fugat timorem, et Christi inducit confessionem. Hanc *plenam* vocitat D. Augustinus; non solum quia procedit a dilectione, quæ est plenitudo legis; sed trina

(1) Tert. L. adv. Valent. 15. — (2) Tert. L. de Bapt. 8. — (3) Tert. L. de Bapt. 8. — (4) Alcuin. — (5) D. Hieron. — (6) Tert. L. de An. 5. — (7) Theophil. in c. 14. Matth. — (8) Ps. 77. — (9) Ser. 7. in Ps. 118.

(1) D. Hieron. — (2) Rupert. — (3) Chrysol. Ser. 93. — (4) In cap. 4. Luc. — (5) D. Ambr. in Ps. 158. — (6) D. Ambr. in c. 4. Luc. — (7) Tert. L. adv. Valent. 15. — (8) Tert. L. de Fug. in Pers. 15. — (9) Tert. L. de Fug. in Pers. 1. — (10) Laur. Just. L. de triumph. Agon. Chr. — (11) Tert. L. de Fug. in Pers. 3. — (12) Tert. Scor. 12.

adhuc potissimum ratione : quia, 1. Christum plene et integre confessus est ; 2. Palam et publice confessus est ; 3. Nomine omnium discipulorum confessus est.

1. Christus in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter, est vere Deus et homo : seu, ut fatur Tertullianus, *homo Deo mixtus* (1), in utero Virginis conceptus, non hominis opere, sed Spiritus Sancti virtute : etenim certum est de fide, *Dei Filium delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute, in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex ea natum, egisse Jesum Christum.*

(2) Et quamvis apparuerit in similitudinem carnis peccati, tamen *sine peccato Christus.* (3) Quia vero *incarnatus Dominus noster Jesus Christus a multis ignorabatur; quos cum docere vellet, congregatis quærebat ab illis: Quem dicunt esse Filium hominis?* (4) Licet omnia perfecte cognosceret Christus, discipulos interrogat, tum ut eis præbeat occasionem suam confessionem declarandi; tum ut exclusis falsis opinionibus, eos in veram cognitionem deducat. Nam animis imprimi nequit veritas, nisi prius ab eis expellatur falsitas. Quadruplex autem tunc temporis inter homines falsa de Christo versabatur opinio : 1. Quia *Filium hominis contemplatio corporis præfererat*, homines *de simplici multitudine* (5), ut ait Theophylactus, *absque malitia et perversitate* (6), secundum corpus duntaxat judicantes, existimabant Christum purum hominem, ex Maria et Josepho generatum. 2. Scribæ et Pharisei *pleni iniquitate* (7), et invidia in Christum tabescentes, peccatorem eum, Samaritanum et dæmoniacum prædicabant. 3. Nonnulli Christi innocentiam, doctrinam et miracula mirantes, *Christum Jesum alii Joannem, alii Eliam, aut unum aliquem ex veteribus prophetis Herodi affirmabant.* (8) Plures Christum Dei Filium crediderunt, non naturalem, sed adoptivum : cujusmodi erant in navi cum Apostolis navigantes, et dicentes : *Vere Filius Dei es.* (9) Verum, ut animadvertit D. Chrysostomus, *ad opiniones illas falsas nihil Salvator respondet, utpote quas indignas responsione duceret.* (10)

Bis Apostolos interrogat Christus : 1. dicit : *Quem me aiunt homines?* (11) 2. Eos seorsim interrogat, *quisnam illis videretur?* (12) Quando quærit ab eis quid de eo dicunt homines, se Filium hominis appellat : quando autem

discipulos sigillatim interrogat, non solum Filium hominis nuncupat, sed quid ipsi de eo sentiant, sciscitatur : *Carnalis videlicet populi sententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod proprie est Filius hominis, posuit; spirituales vero discipulos, de sua Divinitate interrogans, non Filium hominis, sed signanter me dixit* (1) : et sic ipso interrogationis modo discipulos a falsis vulgi opinionibus avocans, instruensque ut de se altiora sentirent, ferrentque de Divinitate testimonium. *Hac secunda interrogatione monuit Dominus discipulos, ut majora de ipso cogitarent; ipso enim interrogationis modo ostendit, illas vulgares opiniones multum a sua dignitate abesse.* (2)

Quæsivit prius quid de eo dicerent homines, postea Apostolos, quid de se sentiant, interrogat. Tunc Apostoli, *nequaquam homines, sed dii vocantur : quia qui de Filio hominis loquuntur, homines sunt; qui Divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed dii appellantur.* (3) Haud homo, sed Deus, existimandus est Petrus, qui Christi confessus est divinitatem. Quædam inter Christum et Petrum videtur æmulatio : *Cum Dominus assumptæ humanitatis humilitatem profitetur, de se intimavit quod minus est : discipulus vero, de eo intimavit quod majus est.* (4) In sua interrogatione Christus divinitatem tacet, et propalat humanitatem : in sua confessione Petrus tacet humanitatem, et divinitatem prædicat ; et his verbis, *tu es Christus Filius Dei vivi*, falsas Judæorum confutat opiniones, et Christi sanctitatem, filiationem naturalem, et divinitatem denotat. Sanctitatem : nam *Christus dicitur a chrismate quod est unctio quæ Domino nomen accommodavit facta spiritalis.* (5) Unctus autem fuit Christus, tum unctione hypostaticæ unionis, qua humanitas delibuta fuit ; tum unctione gratiæ sanctificantis, qua fuit constitutus formaliter sanctus, et a peccatoribus segregatus. 2. Filiationem adhuc naturalem. *Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei.* (6) Non enim adoptatus est a Deo in tempore, ut cæteri Sancti ; sed ab æterno generatus a Patre, cui est consubstantialis, coæternus, et per omnia æqualis. 3. Tandem divinitatem : *Et Deum dictum, ex unitate substantivæ.* Christum adhuc nominat Petrus Filium Dei vivi ; quia Pater æternus, qui est vitæ divine scaturigo, eam Filio, in sua ge-

(1) Apolog. 21. — (2) Tert. L. de Præsc. hæc. 15. — (3) Tert. L. de An. 41. — (4) Cyril. Hieros. Catech. 2. — (5) D. Hilar. — (6) D. Chrys. ho. 55. — (7) D. Chrys. Ibid. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (9) Matth. 14. — (10) To. 5. Orat. de Sigillis. — (11) — Tert. Scorp. 10. — (12) Tert. L. 4. adv. Marc. 21.

(1) D. Bern. de Grad. humil. col. 4. — (2) D. Chrys. hom. 55. — (3) D. Hieron. in c. 14. Matth. — (4) D. Anselm. apud. Silver. — (5) Tert. L. de Bapt. 7. — (6) Tert. Apol. 21.

neratione communicat : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* (1) Vel, ut vult D. Hieronymus ad distinctionem Saturni, Jovis, aliorum qui falso existimabantur dii, cum homines fuerint mortales. Unde Tertullianus : *Etiam Jovem ostendemus tam hominem, quam ex homine : et deinceps totum generis examen, tam mortale quam seminis sui par.* (2)

2. Christi divinitatem, et filiationem testimonio exornavit (3) Petrus, quia eam, et clare cognovit, et palam et publice confessus est. Maria Virgo Filii divinitatem perspicue cognovit : at eam publice confessa non est. Martha Christi filiationem confessa est : *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi* (4) : verum eam tantum obscure cognovit ; ignoravit enim modum quo Filius Dei dicebatur : an scilicet per generationem, vel adoptionem, vel externam denominationem. Petrus vero Christi divinitatem palam et publice confessus est ; ejusque filiationem naturalem clare et perfecte cognovit. *Beatus Petrus plusquam homo erat, qui ultra hominem sapiebat : cum cui Dei Filium in homine videret, ultra humanos oculos vidit et intellexit.* (5)

Sublimem illam notitiam mutuatus est Petrus ; 1. Ab Scripturis. *Nec enim accepisset Petrus dicere : Tu es Christus, antequam audivisset et credidisset Moysi et Prophetis ; a quibus solis adhuc Christus annuntiabatur.* (6) 2. Et miraculis, quæ coram eo patraverat Christus, quorum fuerat oculatus testis, ut individuus ejus comes. *Et Petrus merito contubernium Christi sui agnoscens, inividuitate ejus.* (7) Conferens siquidem Domini opera cum vaticiniis quæ de eo prædixerant Prophetæ, recte colligebat Christum esse Messiam in lege promissum. *Hæc itaque quæ viderat Petrus, et cum pristinis comparavit, et non tantum retro facta, sed et in futurum jam tunc prophetantia recognoverat, non potest non eum sensisse Christum, nisi quem noverat in Scripturis, quem jam recensebat in factis.* (8) 3. Ex merito fidei, *cujus intellectum fides mereretur.* Petrus submisce credens Christum Filium Dei, ejus notitiam assecutus est, et ita fides ejus fuit remunerata et voce cœlesti confirmata. *Hæc autem fides meruerat, ut etiam voce cœlesti confirmaretur : jubente illum audiri, quem agnoverat.* (9) 4. Ab æterno Patre, qui in monte Thabor Filio dedit testimonium, *cujus vo-*

cem audierat Petrus. Nam *cui potius figuram vocis suæ declarasset, quam cui effigiem gloriæ suæ revelavit Petro ?* (1) Dei Filius est effigies et splendor paternæ gloriæ ; hanc figuram seu effigiem æternus Pater Petro manifestavit, dum ei vocis suæ figuram declaravit. Echo in rupibus et petris formatur, quando scilicet petra ad recipiendam vocem disposita per reflexionem remittit vocem ad eum a quo prolata est. Petrus erat petra ad suscipiendam vocem divinam aptissima ; æternus Pater hæc profert verba : *Hic est Filius meus dilectus* : Petrus velut echo paternæ declarationis, dicit : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* 5. Ex revelatione Spiritus Sancti : *Amat figura Spiritus Sancti orientem Christi figuram.* (2) Sol oriens est figura Christi, qui est sol æternitatis, et a luminoso Patris sinu oritur in splendoribus. Columba quæ est figura Spiritus Sancti, solem ejusque splendorem diligit. Petrus columbæ filius, ab Spiritu Sancto illustratus, justitiæ Solem contemplatur. *Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu Sancto habet, cujus et filius appellandus sit, siquidem Bar-jona in lingua nostra sonat filium columbæ.* (3) Non amat tenebras columba, sed lucem. *Nostræ columbæ etiam domus simplex, in editis semper, apertis et ad lucem.* (4) Petrus columbæ filius in editis fuit, et in apertis. In editis, dum ad latentem in Christo deitatem ascendit ; in apertis, dum æternam Christi generationem, quam mente et intelligentia distincte concepit, libera et clara voce confitetur. Nam *per revelationem summi Patris, corporea superans et humana transcendens ; vidit mentis oculis Filium Dei vivi, et confessus est gloriam ætatis.* (5)

3. Hanc autem confessionem nomine omnium Apostolorum protulit : *Interroganti Domino, cum pro omnibus responderet : Tu es Christus.* (6) Tertulliano arridet D. Augustinus, *Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, unus pro multis dedit responsum Christo.* (7) Non pro se tantum respondet, sed *Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur : Tu es Christus Filius Dei vivi.* (8) Petrus erat designatus *eximius Apostolorum* (9) : Ex D. autem Leone, *ille primus est in Domini confessione, qui primus est in apostolica dignitate.* (10) Omnes sensus adunantur in capite : Petrus futurus erat Apostolorum caput, om-

(1) Joan. — (2) Apolog. 10. — (3) Tert. L. ad Scap. 4. — (4) Joan. 11. — (5) Paschas. L. 8. in Matth. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 54. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 22. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (9) Tert. Ibid. 34.

(1) Tert. Scorp. 12. — (2) Tert. L. adv. Valent. 5. — (3) D. Hieron. — (4) Tert. L. adv. Valent. 3. — (5) S. Leo Ser. de Transfig. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (7) Sermon. 15. de Verb. Do. — (8) D. Hier. — (9) Hug. Card. in c. 21. Joan. Sermon. 2. — (10) D. Chrysost.

nium princeps et vertex collegii (1); cæterorum Apostolorum spiritus, corda, et linguæ, in illo ut in capite uniebantur, ideoque primus loquitur, et pro omnibus loquitur. Deinde ad os pertinet proferre sermonem, Petrus autem erat os Apostolorum, et os Discipulorum (2); quapropter pro omnibus Christum confitetur Filium Dei. Non quod eum negasset Filiam beatissimæ Virginis Mariæ, quod ait Christus, sed ut demonstraret unum eundemque Filium hominis esse Filium Dei. (3) Christus etenim utramque naturam, divinam et humanam denotat in persona Verbi subsistentem. Ita utriusque substantiæ census, hominem et Deum exhibuit, (4) quapropter Christus Deus et homo confitendus est. Hæc confessionis tenenda est ratio, ut sicut Dei Filium, ita et Filium hominis meminerimus, quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem. (5)

Hujusmodi fuit Petri confessio, qui Christum Deum et hominem credens et prædicans, beatus proclamatur, et in hac etiam vita remuneratur. Ipsa remuneratione medicinæ, et testimonio fidei. (6) Petri confessio Christo gloriosa, et sibi proficua, dignum præmium consecuta est (7); nam Christus testimonio de se Apostoli reddit vicem: Petrus dixerat: Tu es Christus Filius Dei vivi: mercedem recepit vera confessio (8): Christus siquidem dixit Petro: Ego dico tibi. Seu, ut legit Vatablus: Vicissim dico tibi. (9) Quæ verba si expendit Sanctus Leo: Et ego, inquit Jesus, dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego notam tibi facio excellentiam tuam quia tu es Petrus. Quanta Petri gloria, quod ejus magnitudo divino egeat decantatore! quid amplius ad ejus encomium potest dici, quam quod sicut solus Pater æternus, Filii potest manifestare divinitatem, sic solus æternus Filius valet Petri decantare laudes? Aliter adhuc præfata verba elucidat D. Augustinus. Et ego dico tibi (10), quasi notans motivum et rationem laudandi Petrum. Tanquam si diceret: Quia tu dixisti: Tu es Christus Filius Dei vivi, ego dico tibi, quia tu, Petre, confitendo divinitatem meam, dixisti id quod ego sum: Tu es Christus Filius Dei vivi: ego quoque tuam remunerando fidem, faciam te id quod non eras, constituamque firmissimam Ecclesiæ meæ petram: non sermone casso, et nullum habente opus; sed dico

tibi quia meum dixisse, fecisse est. (1) Dei siquidem verba vacua non sunt, sed semper cum effectu conjuncta. Quod probe animadvertit Philo Judæus explanans Exodi locum, ubi dicitur: Cunctus populus videbat voces: Humana enim vox auditur, divina visu percipitur. Quare? quia quæcunque Deus dicit, non verba sunt, sed opera. (2)

Binam mercedem accepit Petri confessio: unam in terra, in cælo alteram. In terra factus est Apostolorum princeps, et totius Ecclesiæ visibile caput: in cælo potitur gloria suis meritis commensurata. Merces quam habuit in terra, est illi, cum Summis Pontificibus propria; ad eam cuncti non possunt assurgere Christiani; merces quam accepit in cælo est illi et aliis fidelibus communis; illam suis confessoribus largitur Christus, juxta uniuscujusque meritum; a quibus et testimonium sui expectet, et in quos justitiæ vicem mandat. (3) Certissimum namque est ex Evangelio Christum confessurum in cælis confitentes se, negaturum negantes, ut bene animadvertit Tertullianus: Manifesta, ut opinor, definitio et ratio est, tam confessionis, quam negationis (4): Christus justitiam exercet tum erga confitentes, tum erga negantes: illos confitetur, istos negat. Constat itaque perinde negationi negationem rependi a Domino, quemadmodum confessioni confessionem. (5)

Alias tyranni, confitentes disciplinam christianam, velut reos puniebant, negantes vero uti innocuos absolvebant. Cogis negare ut absolvas, quem non poteris absolvere nisi negaverit. (6) Christus econverso confessores præmiat, negatores punit. Christum autem tribus potissimum modis confiteri et negare possumus: ore scilicet, opere et sanguine: 1. Ore, quando palam et publice sermonibus ab ore prolatis profiteamur: Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: quomodo primi Christiani coram regibus et tyrannis Christum confessi sunt. Unde sic fantur apud Tertullianum: Dicimus, et palam dicimus, et vobis torquentibus lacerati et cruenti vociferamur, Deum colimus. (7) 2. Opere, nimirum per virtutum opera a christiana religione edocta. Uti enim Christus per opera suam commentatus est divinitatem, juxta istud Tertulliani, licuerit et Christo commentari divinitatem, rem propriam (8): ita Christianus, virtutis faciens opera, Christi divinitatem et religionis testatur veritatem. 3.

(1) D. Chrysost. Hug. Gard. — (2) D. Cyril. Hug. Gard. — (3) D. Idelph. Serm. 2. de Assumpt. — (4) Tert. L. de Carn. Chr. 5. (5) — Hilar. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (7) D. Hilar. Can. 16. in Matth. — (8) D. Hilar. 2. Com. in Matth. 16. — (9) Serm. 3. de S. Pet. — (10) Serm. 3. de Verb. Dom.

(1) D. Hieron. — (2) Cap. 20. L. de Decal. — (3) Tert. Scorp. 10. — (4) Tert. Scorp. 9. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. Apol. 2. — (7) Apolog. 21. — (8) Ibid.

Sanguine, ideoque qui pro Deo et fidei veritate sustinent tormenta, nuncupantur a Tertulliano confessionis suæ alumni: *Et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.* (1) Ore adhuc, opere et timore Christus negari potest. Ore, nimirum quando quis religioni renuntiat, vel fidem mentitur, dum tenetur eam profiteri; *quia nec fas ulli de sua religione mentiri.* (2) 2. Opere, dum quis facta religioni contraria operatur: nam Christum ore confitens, factis negat. 3. Timore. *Debitricem martyrii fidem* (3) asseverat Tertullianus; scilicet Christianus de sua fide interrogatus tenetur fidei veritatem et Dei honorem confiteri, etiam cum discrimine et dispendio vitæ: *Deum jubeor et de omni substantia diligere, ut pro eo moriar.* (4) Qui autem pro Dei amore non vult fundere sanguinem, dum tenetur, sed eum mortis formidine negat, *non est perfectus in dilectione Dei.* (5) Perfectus Petrus in Dei dilectione, qua mortis expellens timorem, et *Deum diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat, ex tota anima sua, quam pro Deo ponit* (6); Christum confessus est ore, opere et sanguine; seu, ut loquitur D. Ambrosius, *sanguinis suffragio.* Ore confessus est Christi divinitatem: opere, Christi veritatem: sanguine, Christi majestatem; cui toleratam pro ejus honore mortem, velut holocausti hostiam obtulit. Haud perfecti in Dei dilectione, multi hujusce ætatis Christiani, qui Christum nequaquam confitentur; non dico sanguinis suffragio, quia pax, qua fruitur Ecclesia gallicana, non exoptulat *martyria fidei examinatoria* (7); verum neque oris, neque operis confessione: quin immo tum ore, tum opere, se Christianos mentiuntur, et Christum adhuc negant. Sicut qui se Christianum confitetur, Christum, per quem est Christianus, confitetur: ita econverso. *Proinde qui se negavit Christianum, in Christo negavit, negando se in Christo esse, dum negat se Christianum. Et Christum autem in se negando, dum se in Christo negat, Christum quoque negabit.* (8)

Tertulliano assentit D. Augustinus, qui docet, *non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam, qui cum sit, negat se esse Christianum.* (9) Quod exemplo Petri confirmat qui negando se Christi discipulum, negavit Christum: quod si Petrus ex formidine et voce tan-

tum negando se esse Christi discipulum, negavit Christum, quanto magis scelerosi Christiani Christum negant, qui eum non ex timore, sed ex crimine; non verbis tantum, sed factis negant: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles.* (1) Quia ut expendit D. Hieronymus, *nulla est major abominatio, quam Deum verbis fateri, negare autem operibus.* Ejusmodi et enim confessio est criminosa, mendax, infida, impia, damnosa: 1. Criminosa, quia Deo debitam cognitionem et dilectionem non reddit; unde attendenda est in illis, *non confessio nominis, qua voce tenus Christum fatentur, sed examinatio criminis* (2), qua suis operibus negant; 2. Mendax, et ut ait Tertullianus, *simulata confessio*: (3) quia cum vere non sint Christiani, sese tales mendaciter simulant. Quare nihil aliud est *vita istorum omnium quam meditatio et trutina mendacii* (4); 3. Infida, quia Christum non credunt, etsi credere videantur: illorum tamen est *plane frivola fides.* (5) Cujus hanc suppeditat Salvianus rationem: *Cum hæc sit hominis fides, fideliter Christi mandata servare, fit absque dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis est, nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: et aperte hoc totum in hoc revolvitur, ut qui Christiani opus non agit, Christianus non esse videatur; nomen enim sine actu et officio suo nihil est. Quid enim aliud est sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto?* (6) 4. Impia, quia scelerosus honorem, æstimationem, et cultum Christo debitum negat, et reddit rebus, quas Christo præponit: *Eo enim, quod aliud a se colit, quam colit, negat quod colit, et culturam in alterum transfert, et transferendo jam non colit quod negavit.* (7) Sic superbus Christum negat, et honores colit; libidinosus Christum negat, et colit venereas voluptates; avarus Christum negat, et colit mammonam: et ut concludam cum D. Augustino, *toties negamus, quoties peccamus*; 5. Damnosa: Christiani namque sanctitatis disciplinam profitentes, et non sancte, sed inique viventes, graviori sunt supplicio puniendi. Ut enim prosequitur Salvianus, *non probant quod confitentur, et impugnant professionem suam moribus suis: magis enim damnabilis est malitia quam titulus bonitatis accusat: unde Salvator ad tepidum Christianum: Utinam aut calidus esses, aut frigidus! Nunc quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Hoc est di-*

(1) Tert. Apolog. 39. — (2) Tert. Ibid. 21. — (3) Scorp. 8. — (4) Tert. Scorp. 4. — (5) Tert. L. de Fug. in Pers. 9. — (6) Tert. Scorp. 6. — (7) Tert. — (8) Tert. Scorp. 9. — (9) Tract. 115. in Joan.

(1) Ep. ad Tit. 1. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) L. 1. ad Nat. 19. — (4) Salv. L. 4. de Guber. — (5) Tert. L. de Fug. in Pers. 5. — (6) L. 4. de Prov. — (7) Tert. Apol. 21.

cere : Utinam aut calorem, aut fidem haberes bonorum Christianorum, aut enim fides te calida Deo insinualet, aut certe adhuc legis ignorantia aliquatenus excusaret; nunc autem quia Christum jam agnovisti, et negligis quem agnovisti, incipiam te evomere. Hac pœna mulctat Dominus scelerosum illum Christianum, suis criminibus fidem et Christum negantem, et quem adhuc Salvator in cœlo negaturus est apud æternum Patrem. Nam sicut profitentes se confessurus est, ita negantes se est negaturus. Peccator autem suis sceleribus Christum negat : sicut justus bonis operibus Christum confitetur. Ille Christum negat, quia se Christianum negat: iste vero se Christianum demonstrans, Christum confitetur. Quomodo Petrus confessus est Christum, sed trina voce : voce oris voce cordis, voce sanguinis. Voces oris, sunt verba ; voces cordis sunt lacrymæ ; voces sanguinis, quas emisit moriendo pro Christo. Et quia *Christus, vicem passionis quasi et ipse de ea salutem consecuturus, expostulat* (1), Petrus sua passione, Christo reddidit vicem, ejusque martyrium perfecte est imitatus.

III. PARS. Magna profecto est gloria, sequi Dominum, ejusque imitari tormenta : quare in Apostolorum laudem, merito prædicat Tertullianus : *Quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini et Magistri.* (2) At inter omnes Christi discipulos præ aliis *Petrus passioni dominicæ adæquatur.* (3) In passione Domini tria potissimum consideranda sunt : scilicet, 1. motivum passionis, quia ex amore passus est ; 2. occasio passionis, quia ob confessionem sui ipsius passus est ; 3. genus passionis, quia in cruce passus est. *Petrus passioni dominicæ adæquatur.* Nam, 1. pro amore Christi passus est ; 2. pro confessione Christi passus est ; 3. in cruce mortem passus est.

1. Ex hominis amore, mortem crucis passus est Christus. Nam ut belle ad propositum fatur Tertullianus, *certe Christus dilexit hominem ; propter eum descendit ; propter eum prædicavit ; propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, et mortem crucis. Amavit utique quem magno redemit.* (4) Petrum vere passum, nemo Christianus dubitat. Nam ut ait Tertullianus, *quod Petrus cæditur, quod Paulus distrahitur, ipsorum sanguine scripta sunt.* (5) Passum vero Petrum ex Christi dilectione declarat D. Augustinus. *Petrus negator et amator ;*

negundo prostratus, flendo purgatus, patiundo coronatus. (1) Martyrio coronatus fuit Petrus, ex amore Christi : quia ut profunde meditatur Tertullianus, *dilectio martyrem excudit.* (2) Etenim amor est forma martyrii : et sicut regis imago impressa monetæ, ei pretium et valorem tribuit, ita passio Christi per dilectionem cordi et corpori impressa, hominem martyrem excudit. Amor qui olim Christum, qui est typus et forma Martyrum, in corde Petri impresserat, Christi adhuc passionem in ejus corpore imprimit, et sic discipulum Martyrem excudit. Christus a suis discipulis *vicem repetit* (3), Martyres moriendo pro Christo, ejus passioni vices reddiderunt : scilicet, cum *caro suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, et quidem per eandem crucem sæpe, nedum per atrociora quoque ingenia pœnarum.* (4) Nam etsi passionis Christi et Apostolorum inæquale sit meritum ; quia tamen nihil ultra martyrium æque generosum præstare valuerunt, proprio martyrio Christi martyrium quodammodo adæquarunt, offerentes Christo amorem pro amore, passionem pro passione, sanguinem pro sanguine, mortem pro morte. Et licet par pari non obtulerint Apostoli, quia tamen nihil amplius præter martyrium offerre potuerunt, hanc oblationem sic pretiose taxavit Christus, ut eam acceptaverit ad suæ passionis adæquationem : quapropter *Petrus dominicæ passioni adæquatur*, Christo reddens amorem pro amore, sanguinem pro sanguine, passionem pro passione, mortem pro morte, quam confitendo ejus divinitatem pertulit.

2. *Statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est.* (5) A mundi exordio, qui Deo placuerat occiditur, et quidem a fratre. Quo proclivius impietas alienum sanguinem sectaretur, a suo auspicata est. Neque tantum in lege naturæ, et a primordio justitia vim patitur, ut patet ex cæde innocui Abelis a Caino injuste trucidati ; verumetiam in lege Moysis, ut exemplo constat, non modo Justorum, verumetiam et Prophetarum. Nam *David exagitatur, Helias fugatur, Jeremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare et ædem trucidatur. Ipse clausula legis et Prophetarum, nec Prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa cive truncatur, in puellæ psalticæ lucar.* Nec mirum si Justi et Prophetæ ab iniquis passi sunt, cum ipsemet Christus justissimus, et *signaculum omnium Prophetarum* (6), sit a Caipha

(1) Tert. Scorp. 25. — (2) Scorp. 9. — (3) Tert. L. de Præsc. Hær. 36. — (4) L. de Car. Chr. 4. — (5) Scorp. 13.

(1) Tract. 125. in Joan. — (2) Scorp. 6. — (3) Tert. Scorp. 1. — (4) Tert. L. de Res. car. 8. — (5) Tert. Scorp. 8. (6) — Tert. L. adv. Jud. 8.

summo Judæorum Pontifice, per invidiam ut reus morti damnatus. Occasio autem et motivum injustæ hujus condemnationis fuit Christi confessio, qui adjuratus ab iniquo Pontifice an esset Filius Dei, statim ac suam confessus est divinitatem, ut reus mortis judicatus est. Nam ut Evangelista refert, *ex tunc* Caiphas scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit, reus est mortis. In hac adhuc parte, *Petrus dominicæ passioni adæquatur*; nam pro Christi confessione gloriose occubuit. *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit.* (1) Ille autem crudelissimus imperator sumpsit occasionem condemnandi Petrum, ejusque sanguinem fundendi, eo quod Christi prædicaret divinitatem, et christianæ religionis veritatem. Beatus ille Apostolus, qui in Cæsarea Philippi Christi confessus fuerat divinitatem, eandem rursus Romæ confitetur, et gloriose moritur *ex testimonio religionis, et prælio confessionis, pro justitia et sacramento.* (2)

Animadvertit autem Tertullianus, quod in veteri Testamento, *et utique qui Spiritu Dei agebantur, ab ipso in martyria dirigebantur, et ut jam patiendo quæ et prædicassent* (3), et sua passione prædicata, vera demonstrarent. A Spiritu Romam ductus Petrus, ut christianam religionem prædicaret, ejusque veritatem suo martyrio demonstraret: nam ut prosequitur Tertullianus, *cæterum pati oportebat omnem Dei prædicatorem atque cultorem, qui ad idololatriam provocatus, negasset obsequium, secundum illius quoque rationis statum.* In imperii solio sedebat tunc temporis Nero, princeps adeo sævus, ut Domitianus quantumvis crudelissimus, dicatur *portio Neronis de crudelitate.* (4) Monstrum illud inhumanitatis, infensissimus erat hostis religionis christianæ, et præsertim Petrum aversabatur, quod duas pellices illi charissimas ad fidem adduxisset, et Simonem Magum debellasset: idcirco Apostolum crudelissima morte mulctavit imperator, et ita a Nerone prima in Christianos persecutio sumpsit originem. Etenim, ait Tertullianus, *consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem, in hanc sectam cum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse.* Romæ igitur per Neronis sævitiam passus est Petrus, ut quæ erat imperii caput, esset caput Ecclesiæ, quæ erat idololatriæ sedes, religionis esset sedes: quæ erat magistra erroris, magistra esset veritatis. Et quia *præsentibus tunc et posteris*

deinceps commendari veritatem oportebat, pro qua fidem diceret passio ipsorum defensorum ejus; quia nemo voluisset occidi, nisi compos veritatis. (1) Multa perpressus Petrus: *Utique pro fiducia veritatis libenter Romæ per Neronis sævitiam sanguinem christianum seminavit* (2): Christo vices reddidit, et *passioni dominicæ adæquatur*, crucis sustinendo mortem.

3. Suis lacrymis Christus reclinatus adhuc in stabulo, martyrii formam ominabatur; et ut ait Petrus Damianus, *Christus in præsepio reclinatus, legem Martyrii præfigebat.* (3) Sudor etiam sanguineus quem in horto fudit Salvator, *significabat de toto corpore suo quod est Ecclesia emanaturas Martyrum passiones.* (4) Sed nihil adeo fideles ad martyrium stimulat, ac passio quam in cruce pertulit Dominus, ut cruorem cruore, mortem morte, et crucem cruce compensent.

Multipli ratione ad crucis supplicium inflammatus fuit Petrus, 1. Gratitude, ut sua passione Domini remuneraret passionem. *Si ob hoc caput ei tuum debes, tale si potes ei repende, quale suum pro te obtulit.* (5) 2. Cura et sollicitudine pastorali: bonus Pastor dat animam suam pro ovibus suis. *Sed ovis proprie Christianus, et grex Domini Ecclesiæ populus, et Pastor bonus Christus* (6), qui subiit mortem crucis, et suis humeris errantem oviculam detulit. *Errat et una pastori ovicula, et tandem invenitur, et humeris pastoris ipsius refertur.* (7) Et quia Petrus constitutus fuerat a Christo, universalis Ecclesiæ Pastor, pro defensione commissi sibi gregis crucifixus fuit. 3. Obsequio in Christum, qui Petro mandavit, ut se sequeretur, scilicet in crucem. *Merito dictum est Petro: Sequere me; qui non solum mortem, sed etiam mortem crucis expertus est.* (8) 4. Christi vaticinio, qui Petro mortem crucis prædixerat. *Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget.* (9) Ut autem expendit Tertullianus, *tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.* (10) 5. Dominica similitudine; ut sicut Christum imitatus fuerat in confessione divinitatis, ipsum adhuc imitaretur in genere passionis. Unde D. Augustinus: *Petrus crucem sicut Salvator in exitu pertulit, et dominicæ devotionis simili morte discerptus est, scilicet ut quem imitabatur fide, imitaretur et passione.* (11) 6. Christi apparitione, siquidem Petrus Neronis

(1) Tert. Scorp. 15. — (2) Tert. Scorp. 8. — (3) Scorp. 8. — (4) Tert. Apolog. 5.

(1) Tert. Scorp. 8. — (2) Tert. Apol. 21. — (3) Serm. 11. — (4) D. Aug. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (6) Tert. L. de Pud. 7. — (7) Tert. L. de Pen. 8. — (8) D. Aug. Tract. 124 in Joan. — (9) Joan. 21. — (10) Scorp. 15. — (11) Serm. 26. de Sancti.

Martyres et fidei confessores. Tribus illis vinculorum generibus vincitus fuit Petrus, 1. In domo Caiphæ, ubi scelerose Christum negavit, vinculis probrosis. 2. A tempore pœnitentiæ usque ad mortem Deum ardentem amans, vinculis pretiosis. 3. In carcere, velut generosus fidei Confessor, vinculis gloriosis.

I. PARS. *Domus quidem diaboli est et carcer, in qua familiam suam continet.* (1) Trinam diaboli invenio domum. Infernum scilicet, carcerem et criminis: in inferno sunt tenebræ, quæ præscitorum obscurant mentes; vincula, quæ eos detinent, et dæmones, qui eos torquent. Eadem in carcere agnoscit Tertullianus. Tenebras quidem, *Habet tenebras carcer.* (2) Vincula etiam *habet et vincula*; tandem dæmones qui in carcere tanquam *in domo sua* (3) inhabitant. Criminosi et peccatores habent adhuc *maiores tenebras, quæ hominum præcordia excæcant, graviores catenas, quæ ipsas animas hominum constringunt.* (4) *Peiores* Dæmones qui eos ad malum inducunt, ut Petri exemplo, evidentissime comprobatur; qui in domo Caiphæ, fuit, 1. tenebris obscuratus; 2. peccati funibus alligatus; 3. ancilli et servis, uti diaboli ministris, prostratus.

1. Carceres sunt *loca luminis aliena.* (5) Verum quantumvis tenebris obscurentur ergastula, in quibus detinentur rei, criminosi et peccatores sunt adhuc *in tenebrosiore carcere* (6): etenim tenebræ quæ obscurant mentis oculos, sunt majores his quæ obnubilant corporis visum. Detinentur *iniqui vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, digni quidem carere luce et pati carcerem tenebrarum.* (7) Hanc captivitatem gravissimam existimat Eusebius Emissenus. *Quis gravissimam neget captivitatem, tantum mentis errorem? Et quod pejus est, ista captivitas magis animas occupaverat, consilium tulerat, sensum laqueaverat: et ideo quia deseruerant rationis auctorem, merito primi intellectus perdididerant libertatem.* (8) Captivitatem mentis passus est Petrus in atrio Pontificis, *cum lucis detrimento* (9): nam peccati tenebris obnubilatus, fede mentitur, et etiam jurejurando se nescire Christum asseverat. Quare de tanto scelere pœnitens, fatetur cum Vate Regio: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* (10): ubi Patres in Catena græca: *Ita ut obruant rationem, quæ tropice caput nuncupatur.* Neque solum ratio

Apostoli fuit obscurata, sed etiam ejus anima vinculis peccatorum ligata.

2. Criminosi et peccatores *funem longum delictorum sibi attrahunt* (1): seu, ut fatur Sapiens: *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* (2) Quomodo autem ejusmodi funes peccatorum conficiantur belle declarat Venerabilis Beda: *Qui enim funem facit, torquendo semper et involvendo filis fila adauget: talis est fortitudo malorum operum.* In domo autem Caiphæ, funibus delictorum constrictus fuit Petrus, *fila filis augendo, scilicet addendo negationi juramentum; juramento, execrationem et anathema.* Idem accidit aliis criminosis, in quibus *crimina criminibus vindicantur, et supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed et vitiorum incrementa.* (3) Ad tendendum delictorum funem, et augendum criminum numerum, peccantem Petrum, aliosque scelerosos inducit diabolus.

3. *Diabolus ad hoc se regnare putat, si Sanctos a religione Dei deturbat.* (4) Minime contentus Dæmon, Judam Iscariotem ab apostolica deturbasse dignitate, et ad proditionem induxisse: *Auctor scilicet Judæ traditoris* (5); Petrum aggreditur, adversus quem *armat subvertendæ fidei paraturam* (6): scilicet servos et ancillas Pontificis, qui suis interrogationibus eum ad negationem impellunt. Callidus serpens qui duos prostravit discipulos, per se vel per suos ministros nobis laqueos tendit; funibus peccatorum nos constringit, et noctis caligine contenebrat: *Idcirco ne semper nos in tenebris moraremur* (7), Christus nos suæ gratiæ radiis illustrat. *Fulgente nobis lumine ex alto, qui sedebamus in tenebris, et in umbra mortis detinebamur.* (8) Etenim, ut æternus fatur Pater Filium alloquens apud Esaiam: *Ecce dedi te in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, utique errantium exsolvere de vinculis vinctos, id est, de delictis liberare; et de domo carceris, id est, mortis, sedentes in tenebris, ignorantia scilicet.* (9) Sic aperuit oculos Petri obcæcatos in domo Caiphæ; dirupit probrosos criminis funes, quibus vincitus detinebatur; de morte peccati suscitavit ejus animam, et cor divini amoris pretiosis charitatis ligavit vinculis.

II. PARS. Perfecta charitas, *quæ Deum diligens ex totis viribus suis* (10), arctissime nos Deo connectit; tum ob infinitam ejus

(1) Tert. l. ad Mar. 1. — (2) L. ad Mar. 2. — (3) Tert. l. ad Mar. 1. — (4) Tert. l. ad Mar. 2. — (5) Tert. l. adv. Valent. 14. — (6) Tert. l. de An. 1. — (7) Sap. 17. — (8) Hom. 11. de Pasch. — (9) Tert. l. de An. 27. — (10) Ps. 37.

(1) Tert. l. de vel. Virg. 14. (2) — Prov. 5. — (3) D. Aug. l. 5. cont. Julian. 5. — (4) Tert. l. adv. Jud. 9. — (5) Tert. l. 3. adv. Marc. 7. — (6) Tert. l. de Pat. 15. — (7) Tert. l. adv. Valent. 15. — (8) Tert. l. adv. Jud. 6. — (9) Tert. — (10) Tert. Scorpi. 6.

amabilitatem, tum ut respondeat amori quo ad se Deus nos attrahit: juxta istud Osee: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* (1) Seu ut habet Chaldaea lectio: *Sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis.* Petrum traxit Dominus, sibi que ligavit fortitudine charitatis: quapropter ut animadvertit D. Augustinus: *Tertio utrum Petrus eum diligat Dominus interrogat: redditur enim negationi trinæ trina confessio.* (2) Verum melius ad propositum Bernardus, Christum sic Petrum alloquentem adducit: *Amas me plus quam tua? Amas me plus quam tuos? Amas me plus quam te?* (3) Petrus Christo charitatis vinculis ligatus dilexit eum plus, 1. quam sua, quæ pro Christo deseruit; 2. plus quam suos, quibus Christum præposuit; 3. plus quam se, quia pro Christo animam posuit.

1. Christus affectavit de naviculariorum collegio adlegere (4), et inter navicularios præsertim piscatores assumpsit. *De tot generibus operum, quid utique ad piscaturam respexit, ut ab illa in Apostolos sumeret Simonem et filios Zebedæi?* (5) Et hoc tantum quia illos vocavit, ut prophetiam adimpleret: *Hoc enim dicto, intellectum illis suggererat adimpletæ prophetiæ, se eum esse qui per Jeremiam pronuntiavit: Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur illos, homines scilicet* (6): tum ut eorum obedientiam et amorem experiretur. Illi autem Salvatoris vocationi probe respondentes, ejus dilectionem cunctis terrenis facultatibus prætulērunt, quas libenti animo reliquerunt ut Domino adhærerent, etenim *relictis naviculis secuti sunt eum.* (7) Quare Petrus claudo pecuniam ab eo sciscitanti, dixit: *Argentum et aurum non est mihi. Digna vox principatu principis Apostolorum, principis Ecclesiæ. Quid Petro et auro? nonne Petrus dixit: Nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* (8) qui pro Christi amore cunctas adnegavimus terrenas facultates, et Dominum etiam nostris prætulimus?

2. *Nam et Abrahamum non tentandæ fidei gratia sacrificare de filio jusserat, sed probandæ, ut per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora Deo cariora habenda.* (9) Abrahæ obsequium probavit Deus, præcipiens ei ut sibi unigenitum immolaret Filium: et Petri amorem probavit Dominus, dum eum interrogat: *Petre, diligis me plus his?* Licet enim non sit ausus dicere se plus aliis disci-

pulis Christum diligere, revera tamen plus aliis Dominum dilexit, quia cum inter Apostolos, solus fuerit matrimonio conjunctus, solus filios reliquit et Christi amori postposuit. Quem adhuc plusquam se dilexit, nam pro ejus amore suam animam posuit.

3. *Cæterum super Deum diligere, nec animam licet.* (1) Tantum abest ut Petrus animam suam plus quam Deum dilexerit; quin immo Deum supra animam dilexit: nam pro Dei amore animam posuit, et martyrium constanter sustinuit. *Passos Apostolos scimus, manifesta doctrina est; hanc intelligo solum Acta decurrens; nihil quæro: carceres illic, et vincula, et flagella, et saxa, et gladii, et impetus Judæorum, et cætus nationum, et tribunorum elogia, et regum auditoria, et proconsulum tribunalia, et Cæsaris nomen interpretem non habent. Quod Petrus cæditur, quod Stephanus opprimitur, quod Jacobus immolatur, quod Paulus distrahitur, ipsorum sanguine scripta sunt.* (2) Petrus martyrium Romæ consummavit Neronis imperatoris crudelitate. *Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur.* (3) Martyrium longe antea inchoarat Apostolus Hierosolymis sævitia Herodis regis, qui eum incarceraverat et vinculis gloriosis onerarat.

III. PARS. *Ne ergo confundaris martyrio Domini nostri, neque me vinctum ejus.* (4) Tantum abest ut vincula pro Deo tolerata afferant ignominiam et dedecus: quin immo adeo sunt gloriosa, ut Paulus pro Christo vinctos beatos affirmet. *Thessalonicensibus de vinculis scribens, utique beatos affirmavit, quibus donatum est non tantum credere in Christum, sed etiam pro ipso pati.* (5) Tanti Apostolorum vincula facit D. Chrysostomus, ut ea, 1. regis majestati præferat; 2. apostolicæ dignitati anteponat; 3. supra angelicam nobilitatem extollat.

1. Grandis sane regia majestas: ut enim ait Tertullianus, *colimus Imperatorem, ut hominem a Deo secundum, et solo Deo minorem: sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.* (6) Attamen D. Chrysostomus supra regiam majestatem Apostolorum evehit vincula. *Magna dignitas hæc, et regno quovis major. Non enim caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ propter Christum fertur.* (7) Postquam Os aureum re-

(1) Cap. 11. — (2) Tract. 123. in Joan. — (3) Tract. de dilig. Deo. — (4) Tert. l. 4. adv. Marc. 9. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. Ibid. — (7) Tert. ibid. — (8) Balduin. apud Tilman. — (9) Tert. L. de Orat. 8.

(1) Tert. Scorp. 14. — (2) Tert. Scorp. 15. — (3) Ibid. — (4) Tert. Scorp. 15. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. L. ad Scap. 2. — (7) Hom. 8. in Epist. ad Ephes.

giis coronis Apostolorum in communi præposuit vincula, specialiter Pauli vincula commendat: *Paulus vincus Jesu Christi, magis quam diademate coronatus, gloriatur.* (1) Proclus Constantinopolitanus Antistes simili encomio catenas Petri prædicat: de quibus Apostolorum princeps magis quam de regia purpura lætabatur. *His catenis Apostolus ornabatur, his exultabat, ac gestiens se oblectabat, et tanquam regalem aliquem ornatum, circumferens exultabat, et apostolicæ dignitati præponebat.*

2. *Ex discentibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat Christus destinatos nationibus magistros.* (2) Magna profecto Apostolorum dignitas, quos velut Cardinales a latere Summus Pontifex Christus, misit in mundum. Verum, quantumvis magna sit apostolica dignitas, hanc minorem Apostolorum vinculis censet D. Chrysostomus. *Vinctum esse propter Christum illustrius est quam sive Apostolum, sive Doctorem, sive Evangelistam esse.* (3) Quapropter Apostoli propter Christum alligati suis vinculis gloriantes fideles consolabantur. *Apostoli cum maxime de vinculis, quibus ob confessionem nominis continebantur, ad Ecclesias scribebant.* (4) Imo Paulus libertate donatus, et vinculis exoneratus, semper se *vinctum Domini* (5) nuncupat; hunc honoris titulum gloriosior existimans nomine Doctoris gentium, quo ab Ecclesia honoratur. Quapropter ipsemet Paulus, catenas quibus erat vinctus, vincula Evangelii vocitat: *In vinculis Evangelii* (6): non quod Evangelium fuerit alligatum, et cum illo in carcere occultatum, sed quia suis vinculis ad Evangelium plures idololatras adduxit. *Vinctus est Romæ et plerosque attraxit* (7); non solum homines vulgi, sed etiam prætorianos milites, imo Imperatoris familiares et concubinas, ut ipsemet asseverat Paulus: *Scire autem vos volo fratres, quod quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: ita ut vincula mea manifesta fierent in omni prætorio, et in cæteris omnibus.* (8) Non minus fuerunt efficaces ad prædicandum et suadendum Evangelium Petri catenæ, quam vincula Pauli. Ideo beatas prædicat D. Chrysostomus: *O beata vincula, o beatas manus, quas catena illa exornavit!* (9) Catenarum Petri encomiastes Proclus Apostolum in gratiam Imperatoris deprecatur. *His catenis Imperato-*

rem nostrum armes, munias victoriis, et trophæis coronas. Dubium non est quin Petri catenæ persæpe Imperatori de suis hostibus victoriam contulerint, cum per eas Deus Dæmonem debellaverit. Nam ut prosequitur Proclus: *Has catenas composuit Dei Patris Verbum, ut ejus de Deo confessionis præmium esset: ab his dæmonum pravi spiritus alligati enecantur: ab his princeps hujus mundi, captivus educitur; ab his Apostolorum princeps supra angelos evehitur.*

3. Tanta est angelorum dignitas ut eis post Deum primum perfectionis gradum conferat Tertullianus: *Angelos post Deum novimus.* (1) Verum Tertulliano non assentiens D. Chrysostomus Petri catenas, et Pauli vincula angelorum præfert nobilitati: *Si quis mihi diceret: Quid malles an esse angelus, qui Petrum pupugit, an Petrus, qui salvus evasit? Mallem esse Petrus, propter quem venit angelus.* (2) Eodem modo D. Pauli vinculis ac D. Petri catenis philosophatur Chrysostomus. « Nihil est æquæ præclarum ac vincula propter Christum, atque catenæ sanctis illis manibus impositæ. Hoc fortasse est præclarius quam habitare cœlos quam sedere a dextris: hoc est magnificentius quam sedere super duodecim sedes. Si quis mihi daret totum cœlum, aut illam catenam, ego illam præferrem; si quis me apud superos collocaret cum angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem et vincula; si quis me faceret unam ex potestatibus, quæ sunt circa cœlos, aut circa thronos, aut Apostolum vinctum, potius optarem talis esse vinctus. Nihil est illa catena beatius. Non tam beatum existimo Paulum quod raptus sit in paradysum, quam quod conjectus sit in carcerem. Non tam eum censeo beatum tum quod raptus sit in tertium cœlum, quam eum censeo beatum propter vincula. Nam quod hæc illis sint majora, audi quomodo ipse quoque noverit: neque enim dixit: Rogo vos ego qui verba audivi ineffabilia, sed rogo vos ego vinctus in Domino. Et ut aliorum fatur: *Paulus vincus Jesu Christi.* Ut autem expendit D. Ambrosius, tali præludio utitur Apostolus, *ut dignitatem epistolæ a se missæ faceret: ab injuria sua cœpit: sicut enim peccati causa vinciri opprobrium est, ita pro Christo custodiæ vincula sustinere maxima gloria.* (3) Idem Paulus Agrippæ regi scribens exoptat eum sibi in omnibus similem, solis vinculis exceptis: *Opto apud Deum, non tantum te, sed etiam omnes, hodie fieri tales qualis et ego sum, exceptis vinculis his.* Munificus

(1) Hom. 2. de laud. Paul. (2) — Tert. L. de Præsc. Hæret. 20. — (3) Hom. 8. in Ep. ad Ephes. — (4) Tert. L. de Fug. in Pers. 9. — (5) Tert. Scorp. 15. — (6) Epist. ad Philem. — (7) D. Chrysost. hom. 5. de Pat. Job. — (8) Philip. 1. — (9) Hom. 8. in Ep. ad Ephes.

(1) Tert. L. de Resur. 5. — (2) Hom. 8. in Ep. ad Ephes. — (3) Ep. ad Philip.

valde erat Apostolus, et cuncta liberaliter erogabat: tanta erga fratres charitate aestuabat, ut pro eorum salute, anathema fieri exoptaverit: attamen vinculorum suorum adeo est parcus, ut eorum nullum velit participem. Dividere cum aliis desiderat auctoritatem supra dæmones; potestatem patrandi miracula; sublimem notitiam quam in raptu didicit; meritorum valorem, quæ suis virtutibus acquisivit; Evangelii prædicationem quam Christus illi commisit: sed cum nemine vincula partiri exoptat, sola vincula integra sibi vindicat, tanquam ornamenta pretiosiora, monumenta gloriosiora, et gloriam splendidiorem. Cuncta quæ de Pauli vinculis dicta sunt, Petri catenis possunt aptari, quas Ecclesia, præ Pauli vinculis, aliorumque Sanctorum catenis honorat, imo ipsemet Deus commendavit; tum ab eis per Angelum miraculose Apostolum liberans; tum Herodianam catenam cum Neroniana miraculose connectens; tum plura per has catenas operans miracula. Ecclesia etiam principis Apostolorum veneratur catenas, quarum instituit celebritatem; earumque limaturam mittebant olim Summi Pontifices ad Reges et Imperatores, velut donum magni momenti. Nec mirum si Petri catenæ tanto habentur in honore: nam si alias fideles adibant carceres ad osculanda vincula martyrum, idcirco christianas mulieres non vult Tertullianus matrimonio conjungi cum ethnicis, ne ab illo charitatis officio dimoveantur: *Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur?* (1) nonne honoranda sunt Petri vincula ab ipsis etiam supernis spiritibus honorata? *Illa vincula reverentur angeli.* (2)

Et ut finis hujus discursus sit iuitio conformis, in Petro vidimus vincula probrosa, pretiosa et gloriosa. Dissolvamus vincula probrosa, quibus ob crimina constringimur. *Solve vincula colli tui captiva, filia Sion, solve colligationes impietatis.* (3) Et ut infausta hæc valeamus disrumpere vincula, divinum imploremus auxilium, ut sicut Angelus de cælo missus refulsit in carcere, in quo vincus erat Petrus, sic *splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulgeat* (4): deinde adeamus *Petrum claves regni cælorum consecutum, et solvendi et alligandi, in cælis et in terris, potestatem.* (5) Rogemus eum ut suis precibus nobis obtineat gratias ad rumpendos peccatorum funes necessarias. 2. Petrus a delictorum vinculis liberatus, fuit toto vitæ decursu charitate cum Deo con-

unctus. *Unum hoc metuebat, ne a Christi dilectione excideret.* (1) Vos etiam si vincula pretiosa desideratis: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* (2) Siquidem cum Deo connectit, ejusque mandata fideliter custodit. *Si quis diligit me, sermones meos servabit.* (3) Præcepta divina sunt vincula quæ nos ligant ne faciamus quæ prohibent, et ut faciamus quæ præcipiunt. « Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. » *Ne progredierentur ad illicita, compedes acceperunt: Quare ergo vincula ferrea, et non aurea? Ferrea sunt, quamdiu timent; ament, et aurea erunt.* (4) Dei amatores ligati vinculis charitatis, et adhuc disciplinæ compedibus constricti. Nam ut ait Magnus Gregorius, *sancti viri non incongrue compediti dicuntur, qui ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea quæ exteriora sunt vagantur, sed quasi gressum operis immobiliter figunt. De his namque compedibus scriptum est (Eccles. 6.): Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum.* (5) Scriptura sacra divinas leges nuncupat compedes et torques: compedes, quia a malo dimovent: *Lex enim ligavit sibi, ut solveret cupiditatibus* (6), torques, quia legis observatores ditant, ad instar Petri, qui velut perfectus obediens, cælestibus gazis fuit multum locupletatus. *Amica prorsus confabulatio, Simonis ad Jesum, et sermo omni oratorio flore venustior: dignusque Simon, qui cum Salvatore plenius proloquatur: Simon namque obediens, Jesus Salvator. Loquitur ergo obedientia cum salute, quia solis obedientibus æterna salus hæreditario jure debetur. Si tamen ibi sit Petrus, id est, si obedientia non vacillet, aut titubet, sed fundata sit supra firmam petram.* (7) 3. Petrus pro fidei confessione gloriosa vincula detulit. Nullus est qui non sit vinculis ligatus. Quot sunt cruces, quot adversitates, tot sunt vincula, quæ gloriosa erunt, gloriamque merebuntur, si constanter et pro Dei amore sustineantur. Quomodo vincula portavit Petrus? quomodo tribulationes sustinuit Paulus? *Alligatus ego spiritu valde ad Jerusalem; que in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens, quoniam vincula, et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, dummodo consummem cursum meum.* (8) Uxoratus est cum conjuge ligatus, pater cum

(1) Tert. L. 2. ad Uxor. 4. — (2) D. Chrysost. hom. 10. in Ep. ad Colos. — (3) Jerem. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 46. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 22.

(1) D. Chrysost. Hom. 2. de Laud. Paul. — (2) Colos. 3. — (3) Joan. 14. — (4) D. Aug. in Ps. 149. — (5) In Ps. 5. Pœn. — (6) D. Ambr. L. 7. in c. 13. Luc. — (7) Pet. Dam. Hom. 9. — (8) Act. 20.

Omnis peccatorum conversio difficilis, ut constat ex variis quæ defert nominibus. Est namque, 1. Creatio, quia in illa Deus de nihilo peccati producit gratiam; 2. Liberatio, quia a captivitate liberat, et diabolicæ servitutis vincula solvit; 3. Sanitas, quia morbis et languoribus peccati sanat; 4. Resurrectio, quia animam a morte ad vitam revocat. Hæc sunt communia cunctis peccatorum conversionibus; sed quædam sunt conversiones quæ Dei potentiam peculiariter efflagitant; suntque miracula dexteræ ejus: de quibus belle ratiocinatur Tertullianus: *Et deducet te magnitudo dexteræ tuæ, virtutis scilicet gratiæ spiritualis, de qua Christi agnitio deducitur: Sagittæ tuæ, inquit, acutæ, minantes traductionem, uniuscujusque cordis, compungentes et transfigentes conscientiam quamque. Populi sub te cadent, utique adorantes.* (1) In Sauli conversione magnitudinem dexteræ suæ adhibuit Christus: potentia et virtute gratiæ usus est. *Quam valida fuit hæc Christi cum Paulo contentio! quam potens vocatio! quam efficax gratia, quæ in momento cor Pauli hostile, sibi subditum, anicum et obsequens effecit; quæ Saulum in Paulum, lupum in agnum, persecutorem in prædicatorem, Judæum in Apostolum commutavit.* (2) Ad efficiendam hanc immutationem, acutiorem gratiæ sumpsit sagittam, qua inimici vulneravit pectus. *De cælo emissa est sagitta, corde percussus est Saulus. O sagittam acutam, qua acceptus cecidit Saulus ut esset Paulus!* (3) Potentissima illa sagitta sauciatus se victum confitetur, ante pedes victoris Christi prosternitur, eum adorat, ejusque fidem recipit et prædicat. *Paulus vero Apostolus de persecutore, qui primus Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stilo mutans, et convertens machæram in aratrum; lupus rapax Benjamin, dehinc ipse afferens escam secum Jacob.* (4) Miraculosa illa Sauli conversio, divinam potentiam commendat, et ulterius sapientiæ divinæ gloriam prædicat.

2. *Quis iste Paulus, et quid ante Apostolum, et quomodo Apostolus?* (5) Tria de Paulo possunt sciscitari: unum, quid fuerit antequam ad apostolatam fuerit vocatus; alterum, quomodo fuerit factus apostolus; tertium, quis et qualis fuerit a tempore quo apostolico functus est ministerio. 1. Quid fuerit Saulus ante suam conversionem, satis superque declaratum est; nimirum lupus rapax dominicum devastans gregem; leo fu-

rens sæviter Ecclesiam lacescens; Pharizæus zelo legis mosaicæ excandescens; disciplinæ christianæ hostis infensissimus; fidelium persecutor crudelissimus; humanatus dæmon cædes spirans, et post sanguinem inhumane anhelans. Nam, ut ait Laurentius Justinianus (1): « Adhuc aspersum sanguinem Protomartyris Stephani gestabat in vestibus, adhuc sanctum lambebat cruorem, et tamen sitiēbat adhuc; tenuerat lapidantium indumenta, saxa porrexerat, omniumque manibus lapidaverat, nihilominus sceleribus istis graviora addere peccata durabat. Quis furenti, liganti, trahenti, percutienti, non expavesceret obviare Saulo? Nempe si totus insurrexisset mundus, Sauli minime valuisset animositatem flectere, evertere sensum, intelligentiamque evincere. » Verum, quod humanam superabat potentiam, divinam non vicit virtutem: etsi enim Saulus non valuerit ab hominibus immutari; *quare non potuerit a Deo converti, ut a potentiore, ut ab eo qui lapidum quoque naturam convertere valeat in filios Abraham?* (2) D. Chrysostomus qualis fuerit Paulus considerans: « Miratur Dei potentiam, et gratiæ Christi virtutem, utpote quæ Saulum ferocientem et sævientem, in ipso æstu furoris stitit, fregit et immutavit. Nec expectavit donec furor hic sæviendo obsisteret: ut ostenderet potentiam suam, vincens et superans persecutorem in media insania: sic enim medicum maxime admiramur, quando febrem, cum infestior, et flammam morbi, cum vehementior est, extinguere et penitus abolere potest. » Nam dum Saulus minas spirat, post cædes anhelat, in Christianos furit, eorum sanguinem fundit, Christus una voce (3), « ejus immollivit mentem, sedavit furorem, placavit crudelitatem, mutavit propositum, naturam reformavit, docuit rationem, lumine circumvenit, idque sapientiæ nectare totum saginavit. »

Admiranda sane Dei potentia in Sauli conversione, sed non minus stupescenda ejus sapientia ferocientem illum immutans inimicum: *Contraria ex contrariis reformari alternant.* (4) In mundi exordio, suam Deus ostentavit sapientiam producendo lucem de tenebris. Eandem adhuc demonstravit postquam filii Israël de captivitate Babylonica reversi sunt, de aqua sacrum educendo ignem. Verum magis adhuc elucet Dei sapientia in conversione Sauli, in qua *contrarium ex contrario fit* (5); nam, 1. : *Cum pro-*

(1) Tert. L. adv. Jud. 9. — (2) D. Aug. L. 50. Hom. Hom. 14. — (3) D. Aug. in Ps. 44. — (4) Tert. Scorp. 13. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæc. 23.

(1) Serm. de Conver. S. Pauli. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 37. — (3) Laur. Just. — (4) Tert. L. de An. 29. — (5) Tert. Ibid.

volvit hominem magis relevat (1), prostravit autem Saulum ut eum erigeret. 2. Percussit ut sanaret: *Percutiens eum Christus et sanans*. 3. Occidit ut vivificaret. *Occidens et vivificans* (2), addit D. Augustinus. 4. Excæcavit ut eum illuminaret, et conferret *visualitatem ex cæcitate* (3), seu, ut ait D. Augustinus, *cæcitate percutitur, ut intus illuminetur* (4); divinum Verbum cui sapientia appropriatur, est *lumen ejus invisibiliter operatum*. (5) Hanc divinæ sapientiæ industriam declarat adhuc D. Augustinus de Saulo loquens: *Prostratus est ut excæcicaretur; excæcatus ut mutaretur; mutatus ut mitteretur*. (6) Quam ipsemet Christus commendat apud eundem Augustinum; *de cælo vocavi, una voce percussi et dejeci; alia erexi et elegi, tertia implevi et misi, quarta liberavi et coronavi*. (7)

Ut autem dignoscatur, 3. qualis fuerit Paulus Apostolus, opponendus est Saulo Christianorum hosti infensissimo. Nam *qui aversatus fuerit, convertetur*. (8) Conversio autem duo importat: unum, ut qui *convertuntur amittant quod fuerunt* (9); alterum, ut acquirant quod non fuerant: *Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat* (10), ut patet Pauli exemplo, qui in sua conversione amisit quod fuerat, et acquisivit quod non erat. Nam, ut ait D. Ambrosius, *priusquam hic apostolus præceptis spiritualibus lavaretur, erat blasphemus, et persecutor et Saulus: at ubi pluvia super illum lavacri cælestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor et Saulus; vivificatur apostolus, vivificatur justus, vivificatur et Paulus: usque adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, ut cum moribus mutaret et nomen*. (11)

Hæc autem mutatio magis adhuc elucescet, si Paulum opponamus Saulo: ex Sauli namque depravatis moribus, Pauli virtutes magis splendent. 1. Saulus fuit peccator et criminus; Paulus vero non peccator et scelerosus, sed *sanctissimus apostolus*. (12) 2. Saulus fuit iracundus; Paulus vero non irasperatus, sed *pacificus apostolus*. (13) 3. Saulus fuit odio et animadversione accensus; Paulus vero non inimicitias fovens, sed ita charitate sufflammatus, ut *Apostolus charismatum* (14) nuncupetur. 4. Saulus legis mo-

saicæ zelator ardentissimus; Paulus legis evangelicæ non destructor, sed ædificator vigilantissimus. De quo sic locutus est Deus per Esaiam: *Auferam a Judæa, inter cætera et sapientem architectum. Et nunquid ipse tunc Paulus destinabatur de Judæa, id est, de Judaismo, auferri habens in ædificationem Christianismi, positurus unicum fundamentum, quod est Christus?* (1) 5. Saulus, lupus rapax dominicas oves jugulate satagens; Paulus gregem custodiens et adaugens: quem in Benjamin figuratum existimat Tertullianus: *Nam mihi Paulum etiam Genesis olim repromisit. Inter illas enim figuras et propheticas super filios suos benedictiones, Jacob cum ad Benjamin direxisset, Benjamin, inquit, lupus rapax, ad matutinum comedet adhuc, et ad vesperam dabit escam. Ex tribu enim Benjamin oriturum Paulum providebat, lupum rapacem, ad matutinum comedentem, id est, prima ætate vastaturum pecora Domini, ut persecutorem Ecclesiarum; dehinc ad vesperam escam daturum, id est, de vergente jam ætate oves Christi educaturum, ut Doctorem nationum*. (2) 6. Saulus leo ferociens, Christianorum persecutor acerrimus; Paulus non fidelium persecutor, sed apostolus; *ipse se apostolum de persecutore profitetur* (3); de persecutore religionis mutatus est in fidei Prædicatorem. *Ecce una voce prostratus est persecutor, resurrexit enim jam non persecutor, sed prædicator, qui enim persequeretur mortuus est: Quare persecutorem et non invenies jam, quia surrexit*. (4)

Plures ex Gentilibus Christianos persequentes, asseverat Tertullianus, *ignorare illos dum oderunt, et injuste odisse dum ignorant*. (5) Constat autem illos ignorasse quod oderant, et injuste odisse. Etenim *omnes qui retro oderant, quia ignorabant, simul desinunt ignorare, cessant et odisse. Ex his sunt Christiani, utique de comperto, et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant*. Idem in Saulo comprobatur, qui ignorans aversatus et persecutus est christianam disciplinam. Verum, 1. relictis Pharizæorum dogmatibus, *ad eundem Deum conversus est, a quo Israël abscesserat*. (6) Messiam enim quem Judæi repudiarunt agnovit, et, 2. in eum credidit. *Tunc et Paulus ubi credidit, tinctus est, et hoc est quod Dominus in illa plaga orationis præceperat: Exsurge dicens, et introi Damascus: illic tibi demonstrabitur*

(1) Tert. L. de Pæn. 9. — (2) D. Aug. Serm. 10. de Sanct. — (3) Tert. L. de An. 29. — (4) L. 5. Hom. Hom. 14. — (5) Tert. L. adv. Valent. 14. — (6) Ep. 204. ad Donat. Presb. — (7) Serm. 10. de Verb. Apost. — (8) Tert. L. de Pæn. 8. — (9) Tert. L. de Carn. Chrit. 3. — (10) Tert. L. adv. Prax. 27. — (11) Serm. 31. — (12) Tert. L. de Bapt. 17. — (13) Tert. L. de Bapt. 14. — (14) Tert. L. de An. 9.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 6. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (3) Tert. L. de Præsc. Hær. 23. — (4) D. Aug. L. 50. Hom. Hom. 14. — (5) Tert. Apol. 1. — (6) Tert. L. adv. Jud. 2.

quid debeas agere. (1) Christianam religionem palam et publice professus. *Sed et Paulus, utpote ejusdem Evangelii et discipulus et magister, et testis, qua ejusdem ipsius Christi Apostolus.* (2) 4. Apostoli officio functus, Christum ejusque doctrinam audacter prædicavit. *Apostolus Paulus ex persecutore Christianorum, annuntiator factus est Christi.* (3) 5. Ad alios Christi discipulos deductus, non ut religionis persecutor, sed ut Evangelii prædicator. *Demutatus in prædicatorem de persecutore, deducitur ad fratres a fratribus, ut unus ex fratribus recipitur.* (4) 6. Tanquam Christianus, apostolus, et religionis prædicator, agnitus est a Christianis, et receptus ab aliis discipulis, imo ab ipsomet Petro collegii apostolici principe. *Itaque et dexteram ei dederunt, signum concordiae et convergentiae, et inter se distributionem officii ordinaverunt, non separationem Evangelii; nec ut aliud alter, sed ut aliis alter prædicarent; Petrus in circumcisionem, Paulus in nationes.* (5) 7. Paulus sua prædicatione fidem Judæis maxime credibilem demonstravit. *Paulus Evangelio fidem dedit.* (6) In quo Dei sapientia mirum in modum coruscat, per Saulum hostem Christianorum acerrimum, jam conversum, Judæorum confundens incredulitatem, eorumque malitiam et pertinaciam revincens. Quis enim non credat Christo et christianismo, cui infensissimus inimicus Saulus, natione Judæus, professione Pharisæus, tam luculentum exhibuit testimonium? *ex æmulis nonnunquam testimonium necessarium est.* (7) Quapropter ut sibi facilius credatur, æmulationem et zelum legis, quo alias æstunabat, adducit Paulus, et cum Pharisæis disputans, se Judæum et Pharisæum fuisse declarat. *Habes Paulum apud Summos Sacerdotes et sub tribuno, inter Sadducæos et Pharisæos, fidei suæ professorem:* (8) *Viri, inquit, fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe nunc et de resurrectione judicor apud vos.* (9) Deinde addit quanto zelo et hostilitate Christianos fuerit insecutus. *Supra modum persequabar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos cœtaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.*

3. Hucusque Dei mirati sumus potentiam in conversione Pauli; divinam adhuc contemplati sumus sapientiam, modo divina

(1) Tert. L. de Bapt. 15. — (2) Tert. L. de Carn. Christ. 22. — (3) D. Aug. Serm. 10. de Sanct. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 25. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 2. — (7) Tert. L. de An. 2. — (8) Tert. L. de Res. 39. — (9) Gal.

attendenda est clementia, qua gratiam divinæ dignationis consequitur. (1) Tum quia non ex suis meritis, sed ex mera et gratuita Dei bonitate convertitur. *Invenimus Paulum apostolum sine ullis meritis bonis, imo etiam cum multis meritis malis, Dei gratiam consecutum.* (2) Tum quia suam Deus clementiam erga Paulum specialiter ostendit. *Dubium si non et alibi hanc clementiæ profusionem demonstrasset* (3) Apostolus, dum Filii Dei descensum conversationem, doctrinam et mortem peculiariter sibi arrogat. 1. Dei Filius pro amore hominum descendit de Cœlis. *Christus dilexit hominem, propter eum descendit.* (4) Propter Paulum etiam de cœlo descendere dignatus est, et ut ei suam exprobraret inhumanitatem qua eum in suis membris persequabatur: Saule, Saule, quid me persequeris? Quasi dicat: *Sævis et misereor.* (5) 2. Pro omnibus hominibus in terris apparuit Dei Filius. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.* (6) At specialiter apparuit Paulo, ut insinuare contendit Ananias: *Dominus Jesus, qui apparuit tibi in via.* (7) 3. Cunctos fideles erudit Christus: idcirco vocatur *illuminator generis humani.* (8) Paulus quoque fuit a Christo edoctus et *de omnibus illuminatus.* (9) 4. Propter hominem Christus cruci fuit traditus. *Propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem crucis.* (10) At Paulus dominicam passionem et mortem sibi specialiter vindicat: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* (11) Tum maxime fulget Dei clementia erga Paulum, quod *vas Paulo ante perditionis, nunc vas electionis* (12): et ut fatur D. Bonaventura, « vas altum per contemptum terrenorum elevatum a terra et cœlo proximum; vas lucidum et clarum, ob eximium divinæ sapientiæ donum; vas purum et mundum per continentiae donum; vas solidum per patientiæ donum. » Et addit D. Thomas, *vas pretiosum, electum, dilectum* (13); quia illi Deus cuncta dona, cunctarum virtutum cumulum, cum tanta abundantia largitus est, ut D. Chrysostomus (14) Paulum cunctis Sanctis veteris et novi Testamenti præferre non erubescat. « Cui te, o B. Paule, justorum veteris Testamenti, vel novi, audeam comparare? Omnium quippe virtutum, quasi in arca quadam, cum multo prorsus

(1) Tert. L. adv. Jud. 2. — (2) D. Aug. L. de Grat. et L. Arb. c. 6. — (3) Tert. L. de Pern. 8. — (4) Tert. L. de Carn. Christ. 4. — (5) D. Aug. Serm. 65. de Verb. Apost. — (6) Ep. ad Tit. 2. — (7) Actor. 9. — (8) Tert. Apol. 21. — (9) Tert. L. adv. Valent. 58. — (10) Tert. L. de Carn. Christ. 4. — (11) Ep. ad Gal. 2. — (12) D. Aug. L. 50. Hom. Hom. 14. — (13) Serm. 2. de Conv. S. Pauli. — (14) Tom. 7. de Laud. B. Pauli.

cumulo condidisti. Denique etiamsi totum contra te aliquis sigillatim Justorum appendat chorum, inveniet trutinam virtutum, ponderibus a tua parte depressam. »

Verum omissa comparatione donorum et gratiarum D. Pauli, aliorumque Sanctorum, prædicemus *felicem illum, qui Pauli similis exstiterit* (1), qui ejus conversionem imitatus fuerit. Sauli conversio fuit, 1. Prompta; 2. Perfecta; 3. Firma. 1. Prompta, quia vocanti Christo statim obsequitur. *Aversus quippe a fide quam vastabat, repente est ad illum gratia potentiore conversus.* (2) 2. Perfecta, quia, ut fatur D. Augustinus, *fit Paulus de Saulo.* (3) Omnis conversio est inter duos terminos, quorum unus destruitur et alter acquiritur. *Saulus deposita tunica veteris peccati pannosa, cædibus sanguinea* (4), indutus est veste munda gratiæ, sanctitatis et virtutis. *Paulus primo Saulus, postea Paulus, id est, primo superbus, postea humilis* (5); primo iracundus, postea mitis; primo scelerosus, postea sanctus. De peccatore namque factus est justus, de iracundo mitis, de lupo agnus. *Hic autem apostolus de Saulo Paulus, hoc est de superbo minimus.* (6) 3. Pauli conversio fuit constans et firma: quia a vitiis ad virtutes immutatus, constanter in gratia et sanctitate permansit. *Naturam concussit mutando.* (7) Pauli æmulemur conversionem in promptitudine, perfectione et firmitate. 1. In promptitudine, cito respondentes divinæ vocationi. 2. In perfectione per deperditionem vitii et acquisitionem virtutis. 3. In firmitate perseverando in statu gratiæ. Quod ut valeamus exsequi, *Paulum apostolum intueamur, nihil nobis isto viro notius, nihil suavius* (8), cujus conversio fuit Deo gloriosa et Christo jucunda.

II. PARS. Conversio Pauli est jucunda ipsimet Paulo, cœlo, cuivis criminoso, et etiam Christo. 1. Jucunda Paulo: *quid enim jucundius quam Dei Patris et Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia?* (9) 2. Jucunda cœlo: *Lætantur cœli, et qui illic angeli, pœnitentia hominis.* (10) D. Chrysostomus ex gaudio quod ostentarunt angeli in productione solis, eorum letitiam in Sauli conversione colligit (11): unde sic Deum alloquitur: « Lucidarunt te simul omnes angeli, cum creares solem; tunc jubilarunt omnes angeli cum creares so-

lem: verumtamen non ita, quemadmodum cum Paulum nobis toto orbe conspicuum faceres. Propterea cœlo splendidior facta est terra. » 3. Jucunda cuivis criminoso, nam ab illo fugat desperationem, et spem ingenerat: « Quis desperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, quando quidem audiat adhuc spirantem minarum, et cædis in discipulos Domini, subito factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus: Assurgere ad studia meliora non valeo, quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens christianum, dirum toto pectore virus efflalat persecutor crudelissimus, in fidelissimum repente mutatus est prædicatorem. (1) » Pauli persecutionem in Saulo obumbratam agnoscit Tertullianus: *Nam et Saulis primo asperitas insectationis erga David, dehinc pœnitentia et satisfactio, bona pro malis recipientis; non aliud portendebat quam Paulum in Saule, secundum tribus; et Jesum in David, secundum virginis censem.* (2) Saul Paulum de sua tribu oriundum significabat; David Christum de suo sanguine per Mariam nasciturum figurabat; Saul Davidem injuste persequitur; et David mitissimus bona malis repensat; Paulus crudeliter Christum aggreditur, et Christus misericorditer Paulum allicit, ut peccatoribus spem veniæ ingerat. Tandem, 3. Sauli conversio Christo fuit jucunda: *Heus tu, peccator, bono animo sis: vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Quod mulier drachinam perdidit, et requirit, et reperit, et amicas ad gaudium invitat: nonne restituti peccatoris exemplum est? Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, et post inopiam, pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopinum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat.* (3) His parabolis declarat Salvator gaudium quod ex peccatorum conversione concipit. Verum si Christus adeo lætatur de conversione cujusvis scelerosi, quanto magis gaudet de Sauli conversione, qui mundi operatus est conversionem? Nam, 1. Per totum fere mundum prædicavit; 2. Velocissime mundum peragravit; 3. Sua prædicatione mundum immutavit.

1. Paulus a Christo constitutus *Apostolus prædicator* (4), ubique prædicavit. Singulis apostolis singulæ nationes commissæ sunt. Habuit Andræas Scythiam, Philippus Asiam, Thomas Indiam, Bartholomæus Armeniam,

(1) Tert. L. 1. ad Uxor. 4. — (2) D. Aug. L. 1. de Prædest. Sanct. — (3) L. 50. Hom. Hom. 14. — (4) D. Aug. L. 50. Hom. 17. — (5) D. Aug. in Psal. 72. — (6) D. Aug. Serm. 42. de Sanct. — (7) Tert. L. de Pall. 4. — (8) D. Aug. in Psal. 147. — (9) Tert. L. de Spect. 29. — (10) Tert. L. de Pæn. 8. — (11) Tom. 4. in Epist. ad Phil.

(1) D. Bern. Serm. Convers. S. Paul. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (3) Tert. L. de Pæn. 8. — (4) Tert. L. adv. Valent. 5.

Simon Chananæus Mesopotamiam, Matthæus Æthiopiam, at Paulus cunctas complectitur nationes : in quo multum ab aliis Apostolis discriminatur. Nam ut fatur Sanctus Vincentius Ferrerius : « Limitatam prædicationem prædicare habebant apostoli, sed beatus Paulus non accepit regionem limitatam, sed per totum mundum universum ibat (1) : » in quo non solum apostolis, sed adhuc angelis a D. Chrysostomo præfertur : *Angelis quidem diversarum gentium cura commissa est : Paulus universum gubernavit orbem.* (2) Plus audet Petrus Damianus, et Paulum Christo similem prædicat : *Quamdam si dici liceat, cum Christo similitudinem Paulus tenet, dum non uni dumtaxat Ecclesiæ, sed omnibus præsidet.* (3) Tale elogium Pauli Encomiastes adauget adhuc Os aureum, et apostolum vocitat, *Os per quod Christus locutus est majora, quam per semetipsum : quia Christus ut homo nec ubique fuit, nec ubique prædicavit : at os Pauli ubique seminavit Evangelium : et ob hanc causam prædicatur a D. Chrysostomo Magister orbis.* (4) Hanc honoris dignitatem Apostolo tribuit Ecclesia : « Deus, qui universum mundum beati Pauli prædicatione docuisti. » Imo ipsemet Paulus de tali titulo gloriatur : *Positum sum ego Prædicator, et Apostolus, et Magister gentium* (5) ; qui antequam tale ac tantum obiret ministerium *ascendit in Hierosolyman cognoscendi Petri causa, ex officio et jure scilicet ejusdem fidei et prædicationis.* (6) Viso autem Petro et cæteris apostolis, *denique ut cum auctoribus contulit, et convenit de regula fidei, dexteris miscuere, et exinde officia prædicandi distinxerunt, ut illi in Judæos, Paulus in Juda os et in nationes* (7) ; quibus inauditum adhuc prædicavit Evangelium, et incognitum Christi manifestavit nomen. *Sic prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus* (8), peragrans et illustrans innumeras fere nationes. Quod miratur D. Chrysostomus : « Etenim homo ignobilis, abjectus et circumforaneus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio Romanos, et Persas, et Parthos, et Medos, et Indos, et Scythas, et Æthiopas, et Sauromatas, et Saracenos, et omne prorsus humanum genus, sub jugum mitteret veritatis. » (9)

2. *Omnis spiritus ales ; hoc et angeli, momento ubique sunt.* (10) Paulus velut angelus tot regiones mira celeritate lustravit, et tan-

quam pennatus totum pervolavit orbem. (1) Qui Alexandri et Cæsaris scrutantur victorias, non minus eorum celeritatem quam animi mirantur magnitudinem. Daniel Prophetæ repræsentat Alexandrum sub figura animalis adeo velociter currentis, ut pede terram haud tangere videretur. Julius vero Cæsar (2), ut torrens, quam velocissime inundavit Europam, Africam et Asiam, et velut belli fulmen, e Gallia in Italiam transvolavit, ab Italia in Macedoniam, a Macedonia in Ægyptum, ab Ægypto in Armeniam, ubi Tigrae rege debellato, ad Senatum romanum scripsit : *Veni, vidi, vici.* Sed heroum illorum celeritas minime est comparanda cum velocitate qua Paulus usque ad ultimas orbis pervolavit oras. Quare a Sancto Isidoro nuncupatur *pennatus agricola.* Cui aptari debent quæ de apostolis in communi fatur D. Bonaventura ; quorum ora *adventum testata Dei, in omnem terram, et in fines orbis terræ coruscare et tonare cæperunt.* (3) Quod quomodo factum sit D. Augustinus perpulchra similitudine declarat, apostolos conferens cum nubibus quæ celerrime feruntur, et tonitrua et fulmina vibrant. *Unde fulgura ? ex nubibus. Misit Dominus apostolos suos velut nubes ; videbantur homines et contemnebantur, quomodo videntur nubes, et contemnuuntur, antequam de eis exsiliat quod mireris.* (4) Nubes formantur ex aquæ vaporibus, a solis calore attractis et elevatis. Vilis et obscura videtur nubes, at tamen *est intus quod tonat, fulgurat, coruscat* (5) ; quia est gravis imbrum, tonitruorum, fulgurum. Nubes sunt apostoli, qui *ut nubes volant* (6) ; quia sunt ignobiles, pauperes et despecti : verum est in illis quod tonet, fulguret et coruscet. Potissimum in Paulo, qui spiritu vehementi delatus, et tanquam nubes volans ubique radiat, ubique tonat, ubique cælestes spargit imbres, ubique Evangelium seminat, et ubique fructum et utilitatem prædicationis suæ colligit.

3. *Conversio hominis ad cultum veri Dei, rejectio erroris, disciplina justitiæ, pudicitia, misericordiæ, innocentia* (7) : sunt fructus Paulinæ prædicationis. *Quid enim os istud non effecit ? Dæmones expulit, peccata absoluit, tyrannos compescuit, philosophorum linguam observavit, orbem ad Deum adduxit, et omnia quæcunque voluit, disposuit.* (8) Multimodum fructum prædicationis Pauli perpulchra similitudine declarat D. Chrysos-

(1) Serm. de S. Paul. — (2) Hom. 2. de Laud. Paul. — (3) Opusc. 55. c. 3. — (4) Hom. 17. in Gen. — (5) 2. ad Tim. 12. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 22. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 2. — (8) Rom. 5. — (9) Hom. 4. de Laud. Paul. — (10) Tert. Apol. 22.

(1) D. Chrys. — (2) Cap. 6. — (3) Serm. de S. Simone et Jud. — (4) In Psal. 96. — (5) D. Aug. Ibid. — (6) Esa. 60. — (7) Tert. L. de Carn. Christ. 4. — (8) D. Chrys. Hom. 32. ad Rom.

tomus : « Sicut radiis solis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures et latrones, sic prædicatione fulgente et Evangelium disseminante Paulo, fugabatur error, veritasque remeabat : idololatria, ebrietates, comessationes, stupra, adulteria, aliaque dictu sæda defecerunt, atque consumpta sunt, instar ceræ ignis vapore pereuntis, et instar palarum quæ subito cremantur incendio. (1) » Neque solum fugavit vitia sua prædicatione Paulus, sed etiam seminavit virtutes. *Vileamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatæ sicut recorrecti; quid legant Philipenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* (2) Judæi malitia excæcati, videntes et Christi miracula, et hominum multitudinem qui ejus prædicatione convertebantur, eum de magia culpabant : *Quem igitur solummodo hominem præsumpserant de humilitate, sequebatur uti magum arstimarent de potestate, cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitæ.* (3) Eodem modo Julianus Apostata fructum prædicationis Pauli ægro animo ferens, Apostolum magum appellat. Hanc calumniam retundens Cyrillus Alexandrinus (4), fatetur Paulum posse nuncupari magum, eo quod sapienter incantaverit Gentiles, eosque concinnitate doctrinæ, prædicationis efficacia et miraculorum operatione traxerit ad Christum. Quod ipsemet asseverat Paulus : *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me efficit Christus inobedientiam gentium, verbis et factis; in virtute signorum et prodigiorum; in virtute Spiritus Sancti : ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.* (5) Replevit autem Evangelium Paulus, quia Evangelio replevit provincias omnes medias inter Jerusalem et Illyricum, nempe Arabiam, Damascus, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphiliam, Pisidiam, Lycaoniam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Troadem, Achaïam, Epirum, aliasque quas Evangelii prædicatione replevit, fide Christi illustravit, et ad disciplinam christianam adduxit. Christus vocitatur a Clemente Alexandrino *Pæonius medicus, et sanctus ægrotæ animæ incantator.* (6) Porro incantationis genus est, et divinæ sapientiæ miraculum, exte-

rriori verbo internas animæ sanare ægritudines. Hoc incantamenti specie nationes incantavit Paulus : quare quilibet gentilis christianus factus, poterat dicere : *Sermone me suasisti, medicamine sapientissimo.* (1) Christus vocatur a Salviano *magnes cordium* (2), quia sua prædicatione, virtute et passione, tanquam *magnes attrahens ferrum* (3), ad se intuentes ejus opera, audientesque doctrinam allexit, maxime quando fuit cruci affixus : ut antea fuerat vaticinatus : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* (4) Id est, ut expendit Hugo Cardinalis : « Omnia genera hominum, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in artium litterarum, et utilium professionibus, sive in aliis omnibus. » Suspensus in cruce ait Christus Dominus : *Dulci violentia adducam homines, magnaue amoris efficacia traham magnos et parvos, divites et egenos, sapientes et ignaros, dominos et servos, reges et subditos, et universaliter cunctos.* Non absimiliter Paulus cum modico tempore prædicaverit, totum attraxit orbem terrarum : *etenim animam habebat, non minus cælo trahere idoneam.* (5) Tantam habebat vim persuadendi apostoli prædicatio, ut tanquam magnes corda hominum alliceret, tantaque dicendi pollebat virtute, ut cælo non esset inferior, ad permovendos animos, eosque ad veritatis cognitionem, et virtutis amorem adducendos. At unde Paulo tanta efficacia ? 1. Quia ad hoc munus fuerat a Christo *vas electionis constitutum.* (6) 2. Quia, ut fatur D. Cyrillus Alexandrinus, erat *Christi promptuarium* (7); ex quo Christi opes, dotes et virtutes depromebantur. 3. Quia, ut ipsemet ait, *Christo confixus sum cruci, et ut cum Tertulliano loquar, cohesit illi, quod magnes ferro.* (8) Ut autem ferrum magneti unitum, aliud attrahit ferrum, ita Paulus Christo ad se trahenti cunctos homines conjunctus, similem mutuatus est virtutem. Nam *si magnes lapis solummodo appropinquans* (9), trahit ad se paleas, a fortiori quando eis unitur. Inde colligenda est virtus magnetica Pauli, qui Christo crucifixo conjunctus, ad Christum attraxit gentes, et Ecclesiæ magnum attulit fructum.

III. PARS. Belle Tertullianus nuncupat Paulum *Ecclesiarum conditorem* (10), tum quia plures fundavit Ecclesias, tum quia

(1) Hom. 4. de Laud. S. Paul. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 5. — (3) Tert. Apol. 21. — (4) L. 3. Cont. Julian. — (5) Rom. 15. — (6) L. 1 Palag. 2.

(1) Tert. L. de Pall. 5. — (2) L. 4. de Gubern. Dei. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 44. — (4) Joan. 12. — (5) D. Chrysost. Hom. 25. ad Pop. Antioch. — (6) Tert. L. de Bapt. 18. — (7) L. 3. Dialog. — (8) Tert. L. adv. Hermog. 44. — (9) Tert. Ibid. — (10) Tert. L. de Pud. 14.

Ecclesiam universalem quæ ex particularibus integratur, propugnavit, tum maxime quia eodem fere modo se habuit erga Ecclesiam quo Christus. Hac de causa sic fatur: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*. Christus autem Ecclesiam edocuit, dilexit et decoravit. Similiter Paulus tanquam quidam Christus, Ecclesiam, 1. Sua scientia illustravit; 2. Charitate amavit; 3. Virtutibus ornavit.

1. *Paulum apostolum doctorem nationum in fide et veritate* (1) appellat Tertullianus. Talis ac tantus doctor merito multis commendatur, et a D. Chrysostomo velut sol contemplatur: *Sol autem quidam hominibus est Paulus*. (2) Sol orbem illuminat, Paulus Ecclesiam illustrat: ideo D. Dionysius vocat eum « communem nostrum solem. (3) » Quem adhuc beatus Thomas a Villa-nova, Cherubim appellat: *Vis videre Cherubim, respice Paulum*. (4) Hunc vult D. Hieronymus vas electionis nuncupatum, *quia legis et sacramentorum Scripturarum erat armarium* (5); quarum sensum perfecte penetraverat, et medullam intus noverat. *Quis nunc medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola?* (6) Eundem adhuc appellat Hieronymus *bibliothecam Divinitatis*, quia, ut belle ait Faustus Episcopus Regiensis, *de ejus pectora, quasi de proprio templo Dominus loquebatur*. D. Dionysius Paulum vocat *abyssum sapientiæ*. (7) Nec mirum, quia ut fatur D. Ambrosius, *thesauros scientiæ largitur* (8), quibus ditat Ecclesiam. Verum Pauli doctrina magis elucescet, si sequentia attente considerentur: 1. Magister a quo edoctus fuit; 2. Academia seu universitas in qua eruditus fuit; 3. Libri quos composuit; 4. Mystera quæ exposuit; 5. Discipuli quos instruxit; 6. Fructus quos produxit. 1. Ab ipsomet Christo edoctus fuit Paulus: *Ipse se Apostolum est professus, et quidem non ab hominibus, nec per hominem, sed per Jesum Christum*. (9) Ex nobilitate et scientia Magistri, discipuli scientia inferri potest. Paulus eruditus est, non ab hominibus, neque ab angelis, sed a Jesu Christo: *Notum enim vobis facio Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*. (10) Cæteri apostoli edocti quidem sunt a Christo, sed mortali adhuc et in

terrīs conversante: Paulus vero eruditus est a Christo immortali, et a Domino jam in cælis quiescente. (1) At, 2. in qua Academia vel Universitate edoctus est Paulus? Non Salmanticensi, vel Complutensi, vel Sorbonica, vel terrestri, sed cœlesti: nam *in tertium usque cælum ereptus Paulus, et in Paradisum delatus, audiit quædam illic, cum ita fuerit conditio eorum, ut nulli hominum proderentur*. (2) Non in cœlo aereo, neque in firmamento, sed in Empyreo; nam ut ait Sanctus Vincentius Ferrerius: *Si dicatur tibi: Ubi didicit Paulus? potes dicere, in cælo Empyreo, in schola angelorum tribus diebus studuit*. (3) Ut autem ratiocinantur Juristæ apud Chassanæum: *Doctor creatus in majori, famosiori et digniori universitate, est præferendus aliis*. (4) Neque tantum ex cœlesti Academia commendandus est Paulus, sed etiam, 3. ex libris cœlestibus quos composuit, præter quod Lucæ Evangelium nonnulli Paulo tribuunt: *Nam et Lucæ Digestum, Paulo adscribere solent*. (5) Quatuordecim edidit Epistolas nunquam sat commendatas, de quibus sic fatur Eusebius: « Paulus, qui inter cæteros apostolos eruditior etiam in verbis videtur, et in sensibus præpotens, nam amplius quam parvulum epistolarum suarum corpus reliquit, quod utique immensa continet intra se atque innumera sacramenta; utpote qui usque ad tertium cælum raptus, quæ gererentur inspexerat, et in ipsum quoque dignum paradisum adductus, videbat ibi ineffabilia verba, et doctrinam illius interim scholæ, discipulus effectus exceperat. (6) » Et quia, 4. in raptu omnia sacramenta cognoverat, *Vas electionis, Doctor nationum* (7); eadem suis in Epistolis propalavit, in quibus de præcipuis religionis christianæ tractat mysteriis, nimirum de Christi redemptione, de prædestinatione et gratia, de cœlesti et ecclesiastica hierarchia; unde D. Chrysostomus: *Paulus archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res orbis mysteria cuncta, universamque dispensationem Deus concessit; ipse cælum solem habens justitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum et profundissimum*. (8) At, 5. quinam sunt discipuli quos docuit Paulus? Multum est quod docuerit Judæos. Constat namque ex Evangelio ipsum Paulum dixisse factum se esse omnibus omnia, *Judæis Judæum, non Judæis non Judæum, ut omnes lucrifaceret* (9): majus est

(1) Tert. L. de Pud. 14. — (2) Hom. 8. de Laud. Paul. — (3) De div. Nom. 7. — (4) Serm. 4. de Assump. — (5) Ep. ad Pammach. — (6) Tert. Scorp. 12. — (7) Tom. 5. Bibliot. Pat. — (8) Serm. de Nativ. Pet. et Paul. — (9) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (10) Gal. 1.

(1) Tert. 5. adv. Marc. 1. — (2) Tert. de Pr. Hær. 24. — (3) Serm. de Conv. S. Paul. — (4) In Catal. consider. 32. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 5. — (6) L. 13. Hist. c. 24. — (7) Tert. L. de Res. 25. — (8) Hom. 4. de Laud. S. Pauli. — (9) Tert. L. de Præsc. Hær. 24.

quod docuerit nationes idololatriæ deditas et assuetas. Maximum quod apostolos docuerit, ipsumque Petrum a recto christianæ libertatis tramite deviantem, et nonnihil in Judæismum inclinantem redarguerit. *Reprehensus est Petrus et Joannes et Jacobus, qui existimabantur columnæ; manifesta causa est. Personarum enim respectu videbantur vitare convictam.* (1) Sed omnem superat admirationem, quod Paulus docuerit angelos. Deus tamen, *non solum hunc magistrum dedit gentibus, sed etiam angelis.* (2) Tantam sibi commissam a Deo prærogativam ipsemet asseverat Paulus. *Datam sibi inquit, Apostolus, gratiam novissimo omnium, illuminandi omnes: quæ dispensatio sacramenti occulti ab ævis in Deo, qui omnia condidit; ut nota fiat principatibus et potestatibus, in supercælestibus per Ecclesiam, multifaria sapientia Dei.* (3) At, 6. quis enarrare valeat fructus quos de Pauli doctrina accepit et quotidie mutuatur Ecclesia? D. Augustinus se Pauli lectione conversum fatetur, ejusque epistolas magno fructu lectitasse affirmat. Item asseverat D. Hieronymus: *Paulus vas electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, flumen eloquentiæ christianæ, qui mysterium retro generationibus ignoratum, et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei magis miratur quam loquitur: quem quotiescunque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.* (4) Hanc Evangelii tubam summopere exoptabat audivisse D. Augustinus. Verum illam quotidie audimus in ore prædicatorum resonantem. *Paulus prædicavit post mortem, quod non legitur de alio Sancto.* (5) Quod innuit Ecclesia dum in hymno ad honorem Pauli decantato Apostolum deprecatur, ut Christianos bonos doceat mores, « Doctor egregie, Paule, mores instrue: » Ut autem volunt Juristæ apud Chassanæum, *inter omnes Doctores cujuscunque facultatis sint, præferuntur qui actu legunt et docent.* (6)

Egregius Doctor Paulus veritatem docet, bonos instruit mores, et vitia audacter redarguit. Doctores sunt in triplici differentia: alii sunt erronei, qui non veritatem, sed novitatem sectantur, etiamsi sit ab Ecclesia damnata; nonnulli politici, qui indifferenter verum et falsum docent: quando sunt cum novatoribus, novitates sustinent; quando sunt cum Catholicis, religionis veritates defensant; tertii molles, qui neque errorem, neque vitium audent increpare. Hi omnes

multum a Paulo discriminantur: qui est, 1. Doctor non erroneus, sed verax, cujus doctrina est, ut fatur Tertullianus, *ab apostolo lucis, id est, veritatis.* (1) Neque, 2. Doctor politicus in fide titubans; quapropter ut supra dictum est, Tertullianus nuncupat *Paulum columnam immobilem disciplinæ* (2); et ut ait D. Ambrosius, *Pauli vocatio Ecclesiæ firmitudo fuit* (3); qui non circumferebatur omni vento doctrinæ, sed Ecclesiæ fidem quam alii tuebantur apostoli, invariabiliter prædicabat. *Siquidem propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos apostolos et consultandos, ne forte in vacuum cucurrisset, id est, ne non secundum illos credidisset, et non secundum illos evangelizaret.* (4) Neque, 3. Doctor mellis errores et vitia redarguere non valens, sed zelotes et audax, redarguens hæreticorum errores, et mores Christianorum depravatos: et forte ob hanc causam Tertullianus eum appellat *Censorem disciplinarum* (5); alludens ad officium Censoris apud Romanos; vel potius ad Catonem, Censorem dictum, qui continuo adversus civium scelera clamitabat. Eodem modo Paulus arguebat peccata, et hæc redargutio oriebatur ex charitate, qua Ecclesiam amabat.

2. Hæc enim consultata sunt Christi Ecclesiam diligentis, qui se pro ea tradidit uti eam sanctificet. (6) Verus Christi imitator, et perfectus Ecclesiæ amator Paulus, ardentem suam charitatem denotat fungens officio Pastoris vigilantissimi, amici fidelissimi, parentis verissimi, matris tenerrime diligentis. Nam ut Pastor vigilantissimus sollicitam Ecclesiarum curam gerit: *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum: ut amicus fidelissimus est particeps cunctarum adversitatum quas patiuntur Christiani: Quis infirmatur et ego non infirmor? ut pater verissimus delinquentes filios redarguit: O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? Tandem ut mater ardentem diligens, fideles, velut filios dilectos parturit: Filioli, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis.*

1. Ex Richardo a Sancto Laurentio; *Christus emphatice dicitur dilectio.* (7) Simili elogio Paulum commendat D. Chrysostomus: *Sicut ferrum missum in ignem totus ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas.* (8) 2. Christus omnium hominum exoptat salutem: *Summa est voluntatis ejus salus eorum quos adoptavit.* (9)

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 5. — (2) D. Ambr. in Paul. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 18. — (4) Epist. 61. ad Pamach. — (5) Vinc. Ferr. — (6) Consid. 6.

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 8. — (2) Tert. L. de Pud. — 16. (3) L. de Isaac. c. 4. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 2. — (5) Tert. L. de Pud. 14. — (6) Tert. L. de Pud. 18. — (7) L. 6. de Laud. B. V. — (8) D. Chrysost. Hom. 3. de Laud. Paul. — (9) Tert. L. de Orat. 4.

Simili desiderio æstuabat Paulus : quare cunctos ad fidei agnitionem , Dei amorem , et felicitatis consecutionem adducere nitentur : *Nunc per epistolas , nunc per preces , nunc per minas , nunc per se , nunc per suos , omni studio conabatur erigere laborantes , stantes firmare , humi jacentes attollere , sanare contritos , torpentes unimare , hostes retundere , more optimi ducis , militis et medici , omnium officiorum personas , et munus ipse subibat* (1) 3. Christus pro omnibus fuit maledictus , quia in cruce suspensus , quod præfiguratum vult Tertullianus per illum hircum qui *circumdatus coccino , maledictus , et consputatus , et convulsus , et compunctus , a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem , manifestis notatus insignibus Christi passionis ; qui coccinea circumdatus veste , et consputatus , et omnibus contumeliis afflictus , extra civitatem crucifixus est.* (2) Magistri et Domini charitatem æmulans Paulus pro fratribus anathema fieri exoptat : *Veritatem dico in Christo , non mentior testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto , optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* (3) Dionysius Carthusianus et Abulensis (4) , volunt Paulum hyperbolice locutum , ut eximium suum in Judæos demonstraret amorem ; quo quidvis pro eis pati desiderat. Verum ipsemet Paulus declarat se non hyperbolice vel amphibologice loqui , sed vere et serio , in cuius fidem suam testatur conscientiam , testatur Christum , testatur Spiritum Sanctum. D. Thomas et Liranus ita Paulum explicant , quasi velit diutius abesse a Christi gloria , ut vivens in hac vita prosit hominibus. Verum huic expositioni obstat *ly Anathema* ; quo res Deo consecrata moriebatur , aut civiliter , aut naturaliter. Origenes et D. Hieronymus per anathema quod exoptat Apostolus , intelligunt occisionem , martyrium et mortem corporis pro hominibus , et etiam pro Judæis infensissimis Christianorum hostibus tolerandam. Verum non bene concordant cum verbis Pauli , qui optat separari a Christo : mors enim separat hominem a vita , sed non a Christo : imo martyrium cum Christo maxime conjungit. Omnes hæ explanationes Pauli zelo probe non respondent : neque sufflammatum implent apostoli amorem , qui heroico quodam excessu quasi cæcæ charitatis , quæ abstrahit nec considerat an res sit possibilis , secundum Dei ordinationem necne ; optat , ait D. Chrysostomus , æternam

separationem , non a charitate , sed a beatitudine. Optat , ait D. Chrysostomus , in æternum perire æternisque addici pœnis. Addit Cassianus , modo pœnam damni et sensus , pro peccatis suis non sustineat. *Quid agis , Paule ? nonne jam dixisti : Quis nos separabit a charitate Christi ? Imo ait : Quia amo Christum , cupio separari a fruitione Christi , ut plures , imo omnes eum vident et laudent.* (1) Ne quis me insipientiæ accuset , neque de defectu charitatis culpet , non desipio , neque contra charitatem , contraque Christum , pro Judæis pugno , sed pro charitate contra charitatem , in charitatem conitor et tendo. Optabam et opto anathema esse a Christo ; opto pro charitate Christi a Christo divelli ; opto pro salute hominum , non ab amore , sed a beatitudine et gloria Christi , etiam in æternum , si opus sit , exul excludi ; opto « dempto peccato et charitatis et gratiæ naufragio , » esse pro eis anathema , et æternum subire exitium.

Desiderium profecto non minus grande quam novum , nec unquam hactenus auditum. Magnus sane amici amor , qui pro amico vitam suam libenter impendit : *Majorem hac dilectionem nemo habet , ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (2) At multo major apostoli amor , qui pro Judæis inimicis suis infensissimis et persecutoribus crudelissimis , mori exoptat. Ingens fuit sane martyrum charitas , qui vitam amiserunt temporalem , ut æternam sibi compararent vitam : at multo major Pauli charitas , qui salva Dei gratia , non temporalem tantum , sed æternam vitam perdere desiderat ; modo ii quos amat , eam tuto et secure consequantur. Ardentem dilectionis ignem demonstravit Moyses , salvari nolens , nisi sceleri Israëlitarum salvarentur , eligens potius , « salva Dei amicitia , » damnari cum illis quam sine illis salvari : *Aut dimitte eis hanc noxam , aut dele me de libro tuo.* (3) At major est adhuc Pauli dilectio , qui gloriæ suæ optat pati jacturam , ut alii glorificentur.

Ut autem circa Pauli desiderium nulla supersit difficultas , sciscitandum est an , 1. fuerit possibile et licitum ; 2. absolutum vel conditionatum ; 3. quodnam fuerit ejus motivum. 1. Licitum fuisse constat : licite enim optavit separari a fruitione et beata societate Christi , « absque sua culpa , » ut multi alii Deum videant , diligant , illoque in cœlis fruuntur. Deus enim plurimum gloria , magis quam unius felicitate glorificatur : Dei autem

(1) D. Chrysost. Ibid. — (2) Tert. L. adv. Jud. 14. — (3) Rom. 9. — (4) In cap. 32. Exod.

(1) Collat. 32. Cap. 6. D. Chrys. — (2) Joan. 15. — (3) Exod. 32.

gloria privatae beatitudinis est praeponeuda : divinae autem gloriae desiderium est, ex charitate non contra charitatem : 2. ejusmodi autem desiderium fuit conditionatum et tantum sub hac tacita conditione, « si Deus vellet, aut si fieri posset : » non absolutum et efficax ; alias optasset rem impossibilem et divinae ordinationi repugnantem : Deus siquidem Pauli salutem ordinavit velut medium, ad suam gloriam et hominum salutem ; non ordinavit tamen ut privatio Paulinae beatitudinis, esset medium et procuratio salutis alienae. 3. Triplici autem de causa ejusmodi conditionatum desiderium habuit Paulus, 1. Ob zelum gloriae Dei, qui a pluribus magis quam ab uno potuisset in aeternum laudari ; 2. Ob ardentem proximi amorem, cujus salutem suae praeferebat salutem. *Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed ut salventur alii, ipse de gloria aeternaliter decidere.* (1) 3. Ut Christi imitaretur exemplum, et quid mirum, si cum Dominus pro servis maledictum sit factus, servus pro fratribus anathema fiat ? Tantam Apostoli charitatem, incomprehensibilem multi existimant : quia scilicet sunt charitate destituti. *Quia nos longe sumus ab hac dilectione, idcirco intelligere haec ejus dicta non possumus.* (2) Paulus tamen dilectionis dominicae aemulator, pro Ecclesia fieri anathema optavit, quam adhuc ad instar Christi suis virtutibus ornavit.

3. Quivis Christianus tenetur *ex forma dominica agere* (3) : at inter omnes Christi imitatores, Paulus, boni scilicet Domini bonus famulus, qui in vestigiis Domini Dei sui ambulans, potentiora quodammodo et expressiora pedibus suis, fecit Domini esse vestigia. (4) Quapropter belle ad propositum fatur D. Ambrosius : *Paulus interpres est Christi* (5) : *Imitatores mei, inquit, estote, sicut et ego Christi.* (6) Paulus Evangelii, aut evangelicae doctrinae non dicitur interpres, licet hoc munus recte obierit, sed ipsiusmet Christi interpres nuncupatur ; quia scilicet imitator est Christi ; quasi morum imitatio sit prototypi interpretatio. Quapropter Paulus studiosus Christi imitator suis actionibus Christum interpretatur, ipsum suis moribus spirat : nam ad Christi exemplum Ecclesiam illustravit, amavit, et adhuc virtutibus ornavit Ecclesiam a Christo Sanctorumque virtutibus, velut tot floribus, decoratam prodit Tertullianus : scilicet *centenarius rosis, utrisque liliis, etiam gemmis* (7) ornatam ; siquidem

ornat ir violis humilitatis, liliis castitatis, rosis charitatis ; his autem floribus. Ecclesiam venustat Paulus. Et quidem, 1. humilitatis violis, dum se minimum apostolorum vocitat, et indignum apostolica dignitate judicat : *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Novissime omnium tanquam abortivo visus est et mihi Christus. Mihi omnium minimo data est haec gratia. Blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus.* Mala, non bona quae fecit, praedicat ; suos defectus, non suas perfectiones, dinumerat. 2. Castitatis liliis Ecclesiam decoravit Paulus : coelibem enim egit vitam, et continuo virginitatem servavit : quare sui exemplo ad virginali puritatem stimulat. *Nusquam nuptias permittit, ut non potius ad suum exemplum nos eniti malit.* (1) 3. Taceo reliquas virtutes, quae eminenter in charitate continentur, ut ostendam quanta sit Pauli dilectio, et quantum charitatis rosis Ecclesiam venustaverit. Hunc exinimum Christi amatorem audiamus de charitate disserentem : *Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei.* (2) Tanta charitate conjunctus Deo erat Paulus ut ab eo nullatenus possent eum dimovere, neque reges terrae, neque inferni daemones, neque caeli spiritus angelici, neque cunctae simul creaturae actuales et possibles. Tanti faciebat Dei amorem Apostolus ut eum a Deo separare non possit, neque metus cruciatus gehennae, neque spes felicitatis aeternae. *Non separat altitudo, neque profundum ; quid enim mihi caelum polliceatur, ut a caeli fabricatore sejungar ? aut quid terreat infernus, ut Deum deseram ?* (3) His floribus Ecclesiam decoravit Apostolus, quam nos etiam ornabimus, si simus Pauli imitatores, sicut Paulus est Christi imitator. Ecclesiam ornavit Paulus violis humilitatis, liliis castitatis, et rosis charitatis. Vacemus humilitati, quae est virtutum basis et fundamentum ; servemus castitatem, quae est virtutum decus et ornamentum : ardeamus charitate, quae est virtutum forma et complementum, qua decorantur justii in via, et beantur Sancti in patria.

(1) D. Chrysost. Hom. 1. de Laud. S. Paul. — (2) D. Chrysost. — (3) Tert. L. de Idol. 18. — (4) Salv. L. 3. de Gubern. Dei. — (5) L. 6. de Sacram. 5. — (6) 1. Cor. 11. — (7) Tert. L. de Cor. Mil. 14.

(1) Tert. L. 1. ad Uxor. 5. — (2) Rom. 8. — (3) D. Aug. L. 1. de Mor.

CONCIO QUARTA.

INTER homines quos profana Gentilitas titulo magnitudinis honoravit, non minorem locum obtinet *Pompeius Magnus, solo theatro suo minor.* (1)

Hoc autem honoris nomine insignitus fuit Pompeius ob insignes quas reportavit victorias, quæ trinum meruerunt de tribus mundi partibus triumphum : et ut de debellatis Asia, Africa et Europa, a tanto duce, jugis servaretur memoria, *trinas Pompeii aras* (2) struxerunt Romani. Verum etsi inter Gentiles nullus *sublimior Pompeio* (3) habeatur, tamen Paulus potiori jure ab Ecclesiâ vocitatur Magnus : imo Pompeio major et sublimior est prædicandus. Tum quia Pompeius est criminosis ; Paulus vero sanctus. *At peccatum hominem parvum facit et exiguum ; virtus eminentem præstat et magnum.* (4) Tum quia gloriosius triumphat ; quare dicitur *admirabilis* (5) a D. Hieronymo : *Triumphus laurea foliis struitur, an cadaveribus ? lamnis ornatur, an bustis ? unguentis delibuitur, an lacrymis conjugum et matrum ?* (6) Pompeii triumphus structus est de spoliis provinciarum quas devastavit ; de conjugum lacrymis quas maritis viduavit ; de matrum fletibus, quas filiis orbavit ; de hominum cadaveribus, quos trucidavit. At Pauli triumphus non est sanguine cruentatus, nec prædis dehonestatus, nec lacrymis contristatus, sed virtutibus ornatus, gaudio cœli et terræ commendatus, et *Deo triumphorum* (7) sacratus, cujus auxilio et gratia quamplures obtinuit Apostolus victorias, terque gloriosissime triumphavit : nam, 1. Triumphavit de semetipso ; 2. Triumphavit de paganismo ; 3. Triumphavit de tyranno sævissimo.

I. PARS. *Victorias ut numina, et quidem augustiora, quanto lætiora, veneramini.* (8) Tanto majori gaudio Ecclesia, sive Triumphans, sive Militans, Pauli celebrat victorias, quanto sunt augustiores. Eo autem sunt augustiores, quo de potentissimo triumphat inimico. Nullus autem est validior hostis semetipso. Tria autem erant in Paulo quæ difficilem illi de seipso reddebant victoriam. Nimirum, 1. Intellectus tumens, et scientia inflatus ; 2. Voluntas ferociens, et odio Christianorum inflammata ; 3. Zelus sustinendæ

legis mosaicæ fervens : hæc tamen obstacula Paulus Deo adjutus superavit. Nam, 1. Intellectum suum in obsequium fidei captivavit ; 2. Voluntatem suam gratiæ imperio substravit ; 3. Zelum legis mosaicæ in zelum legis evangelicæ commutavit.

1. Multa habemus *experimenta fidei victricis.* (1) Nam, 1. mundi conversio, ad christianam veritatem, est experimentum fidei victricis : *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.* (2) 2. Ecclesia per fidem insignes reportavit victorias de hæresibus, quas a dæmone inspiratas et ab idololatria non multum distare asseverat Tertullianus : *Neque ab idololatria distare hæreses : cum et auctoris et operis ejusdem, cujus et idololatria.* (3) 3. Sancti per fidem tyrannos cunctaque tormentorum superarunt genera : *Fides martyres coronat* (4), ait D. Augustinus. Et ut belle ad propositum Sanctus Zeno Veronensis : *Fides quidem pro spe pugnat, sed sibi vincit.* (5) Fides spei militat, pro qua usque ad mortem pugnat ; victoriæ tamen gloriam spei non cedit, sed sibi duntaxat trophæa erigit, sibi triumphum parat, sibi que pompam triumphalem exstruit. 4. Innatam intellectus humani arrogantiam sibi subdit fides, *et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi.* (6) Hoc autem intellectus obsequium non fit sine prælio : pugnandum scilicet est cum experientia sensuum, cum lumine rationis, cum scientiæ notitia : *Ex omnibus actibus intellectus, solum credere bellum habet* (7) : et quo quis acutiorem habet intellectum, et majori scientia pollet, eo fortius et validius pugnat : tum ut suam mentem a captivitate liberet ; tum ut sententiam suam quam ratione solidatam censet, tueatur ; tum quia indignum et honori derogans judicat, mutare propositum ; tum quia scientia inflat, et docti facile *tument.* (8) Inde colligendum est qualis et quanta fuerit victoria quam fides retulit de Saulo acumine ingenti prædito, de scientia tumido, quam Tarso apprime didicerat, et in tantum profecerat, ut apud Ethnicos disceptatum fuerit, an Platoni præferendus esset Paulus ; qui Hierosolymis sacris fuit disciplinis eruditus, ut ipsemet testatur. (9) *Nutritus sum in ista civitate secus pedes Gamaliel, eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis.* (10) Verum Christus de

(1) Tert. L. de Spect. 10. — (2) Tert. L. de Pall. 1. — (3) Tert. Apol. 11. — (4) Cyril. Alex. L. 12. in Levit. — (5) Epist. ad Philip. — (6) Tert. L. de Cor. Mil. 12. — (7) Tert. Ibid. — (8) Tert. L. 1. ad Nat. 12.

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 3. — (2) 1. Ep. Joan. 5. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 40. — (4) Serm. 1. de Verb. Apost. — (5) Serm. de Fid. Spe. Char. — (6) 2. Cor. 10. — (7) Guill. Paris. 1. de Fid. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 41. — (9) D. Chrysost. Hom. 5. in 1. Cor. — (10) Act. 21.

cælo descendens tumentem Sauli intellectum ventilat per fidem, auferens a terra in cælum (1), dum ejus corpus in terram prosternit, ejus mentem lumine fidei illustrat, et in cælum evehit; ut ejus credat Divinitatem cum humanitate conjunctam, « ego sum Jesus, quem tu persequeris. » *Hoc a me audis de superioribus, quod in me de inferioribus despicias: prosternens igitur te, nequaquam hoc tibi adstruo quod ante seculum Deus sum, sed illud a me audis quod de me credere dedigneris.* (2) Verum, ut Thomas incredulus Christi carnem tangens, ejus divinitatem confessus est, ita Saulus Jesu audiens vocem Deum, credidit quem antea non credebat in cælo regnare, sed magis ut falsum prophetam cum damnatis esse. (3) Statim ut Christus locutus est, ipse audit vocem auditu corporis et mentis (4): ut ait D. Chrysostomus, circumfulguravit lux de cælo, divina lux non tantum illuminat, sed circumfulgurat, ad captivandas sub fidei jugo tumentes et rebelles mentes: *Non lucernæ speculi lumine, se totius solis lancea opus est* (5); solis autem lancea percussæ, in luce sagittarum tuarum ibunt in splendore hastæ tuæ (6): seu, ut ex Græco legit Euthymius: *In lucem jacula tua ibunt, in lumen fulgoris armorum tuorum.* Sagittis luminosis jaculatus Saulus, armis fulgidis illustratus, vulneratus et victus, Christi dominationem confitetur (7); et, ut fatur Venerabilis Beda « superbiæ suæ squamas » deponit, sensuum experientiam, rationis discursum, scientiæ notitiam, legis mosaicæ æmulationem, fidei imperio repente subjicit: *Cum autem placuit ei qui me vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni et sanguini.* (8) Cajetanus legit: *Non contuli; non consului carnem et sanguinem.* Non consului sensus corporis, an scilicet christiana disciplina eis repugnaret; non consului Judæos, Phariseos, meosque parentes, utrum meam approbarent conversionem; non contuli obscuritatem et auctoritatem fidei, cum rationis discursu, scientiæ evidentia, sed statim mentem meam in obsequium Christi captivavi, et voluntatem meam gratiæ imperio substravi.

2. *Hæc erit vis divini gratiæ potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem.* (9) Gratia nullam voluntati necessitatem imponit, neque homini liberum arbitrium eripit. *Ne sic deferamus gratiam, ut liberum arbitrium*

auferre videamur: rursus ne liberum arbitrium sic asseramus, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur. (1) Etsi gratia non tollat hominis libertatem, subjicit tamen sibi arbitrii potestatem: tum quia est potentior natura; cum enim Deus sit humanæ voluntatis auctor, suum imperium in illam ostentat, sua gratia efficaciter movens: *Habens humanorum cordium quocumque placeret inclinandum potentissimam voluntatem.* (2) Tum quia gratia intellectum illuminat et prævenit voluntatis consensum; voluntas autem bonum nequit velle quin illud cognoscat: quapropter cum voluntas in volendo dependeat a cognitione intellectus, dependet etiam a gratia, quæ intellectum illuminat. *Gratia Dei prævenit fidem, prævenit etiam omnem obedientiam et charitatem, qua una, Deo veraciter et salubriter obeditur.* (3) Tum quia docet intellectum quod justum est delectatione victrici (4); et suaviter allicit voluntatem, ut velit quod justum est. Nam ut profunde ratiocinatur D. Augustinus: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem ignotescat quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* (5) Hoc patet in Saulo, qui Christianos persequabatur, et Christi religionem non amplexabatur, quia ignorabat an ejusmodi disciplina esset bona: quare dixit: *Ignorans feci.* Ulterius cum esset pronus ad iram, mititas eum minime delectabat. Dei gratia autem vicit ignorantiam intellectus, voluntatis malitiam superavit: intellectus ignorantiam, cælesti lumine; voluntatis malitiam, suavi delectatione. Quod ipsemet conversus Paulus probe recognoscens, ait: « Gratia Dei sum id quod sum », fateturque *non suæ facultatis, sed divini numeris esse quod scit, et quod delectatur.* (6) Paulus potest considerari vel post, vel ante suam conversionem. Post suam conversionem gratia sanctificatus simul cum gratia operabatur bonum: *Non ego, sed gratia Dei mecum, ac per hoc non gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* (7) Ante conversionem, non suam vocationem operatus est Saulus, sed sola gratia eam operata est: nam, ex eodem D. Augustino, *ut autem de*

(1) Tert. L. adv. Jud. 11. — (2) Greg. Mag. L. 23. Mor. 24. — (3) Liran in cap. 9. Actor. — (4) Liran. Ibid. — (5) Tert. L. de Pud. 7. — (6) Habac. 3. — (7) D. Chrys. — (8) Galat. 1. — (9) Tert. L. de An. 21.

(1) D. Aug. L. de Peccat. Merit. c. 17. — (2) D. Aug. — (3) D. Aug. L. de Persev. Sanct. c. 16. — (4) D. Aug. — (5) L. 2. de Peccat. Merit. 17. — (6) D. Aug. Ibid. — (7) D. Aug. L. de Grat. et liber. arbit. c. 5.

cælo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala.

Magna fuit quidem efficacia gratiæ illuminatione ferocientis Sauli, quæ eruditur obscuratum ejus intellectum manifestando illi bonitatem christianæ disciplinæ quæ erat non odienda, sed diligenda; non perseguenda, sed amplexanda: major immutando ejus voluntatem a feritate lupi, in agni mansuetudinem: *Quando delectat bonum, magnum est Dei donum* (1): verum maxima illam conversionem operando in instanti. *Violentissimum persecutorem Christus in ardentissimum repente prædicatorem commutavit.* (2) Conversiones aliorum peccatorum non sunt adeo subitanæ: Deus ut plurimum tam potentes non largitur gratias: gratiæ ordinariæ tardius operantur, paulatim disponentes corda quæ suo imperio subdere satagunt. Hominum voluntates vitiis assuetæ non facile cedunt: sæpe dimicandum est antequam plene valeant superari. D. Augustinus per decem annos integros cum Deo certavit volens et nolens abjicere peccatum, et consentire gratiæ, ut ipsemet in suis Confessionibus fateatur: *Ego eram qui volebam, ego eram qui nolebam: ego, ego eram, nec plene volebam, nec plene nolebam.* At Saulus in momento divinam sequitur vocationem, quia in conversione famosi illius persecutoris, *non pro mora temporum, sed compendio gratiæ maturatur charitas.* (3) Magnum sane est discrimen inter fructus quos natura producit, et eos quos Deus supernaturaliter operatur. Naturæ fœtus paulatim producuntur. *Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri: granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula erigitur; deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur; is quoque rudis aliquandiu et informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis.* (4) At fructus a Deo producti supernaturaliter, in momento maturantur. In conversionibus communibus gratia naturam imitatur, lento properat gressu: at Pauli conversionem in momento operatur, adeo potenter sævi hujus persecutoris attrahens voluntatem, ut ejus suavi delectatione victus dicat: *Domine, quid me vis facere?* (5) seu ut expendit Liranius, *Domine, paratus sum tibi in omnibus obe-*

dire. Promptum Sauli obsequium admiratur Bernardus, « Domine, quid me vis facere? » (1) *Breve verbum, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Suam enim ita abjecit voluntatem, ut nec etiam proprium cor haberet.* Nam ut ait D. Chrysostomus, *cor Pauli erat cor Christi, qui gratiæ efficacia zelum legis mosaicæ in zelum legis evangelicæ commutavit.*

3. Etenim *instantia divinæ gratiæ victus* (2) zelum zelo compensavit Saulus: zelo legis mosaicæ vivide stimulatus; et, ut ait Tertullianus, *ferenter* (3) insequens Christi discipulos, Damascus pergit, sed in itinere de cælo tactus, de Saulo Paulus, de Pharisæo qui zelo quidem Dei agebatur, sed non per scientiam (4), in divini gratiæ officina effingitur religionis christianæ prædicator zelotes. *Paulus apostolus, gentium doctor, zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei sollicitus curator, orator pietatis, imbecillum deductor, credentium pronubus, Judæorum redargutio, nostri omnium sagena* (5): sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus: « fuit namque ex naturali dispositione vir fervens et agilis. (6) Unde quemadmodum ante in Judaismo, sic postea in Christianismo ferventissimus fuit et valde activus. » De oculata Dei sapientia sic fatur Sapiens: *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis.* (7) Sapientia Dei in idoneos ad munia apostolica negligens, solerter inquirat et undequaque investigat se dignos, et apostolicis muneribus obeundis idoneos. Sic divina providentia in viis circuit quærens Paulum qui novi Testamenti prævidebatur per idoneus minister. Quod argute prædicat Photius: *Ambibat Paulum præveniens gratiam, cælestis gloria* (8): nimirum Christus Dominus jam in cælis gloriosus contemplan aptissimam Pauli indolem, et acre ingenium ad Evangelium late propagandum, gratiæ officiositate, et cælesti luce eum circuit quærens, et *cælestis gloria, præveniens gratiam, Paulum ambit.* O bona gloriæ ambitio, quæ sollicite quærit, et feliciter invenit futurum aptissimum Evangelio ministrum. Tunc enim prævidebatur *postmodum et ipse usu omnibus omnia futurus, ut omnes lucraretur.* (9) Et ob hanc causam, ad Paulum ex Pharisæo Evangelii prædicatorem futurum non mittit Christus aliquem ex apostolorum summatibus, qui eum in fide erudiat,

(1) D. Aug. in Psal. 118. — (2) D. Chrys. Hom. de Laud. Paul. — (3) D. Cyprian. — (4) Tert. L. de vel. Virg. 1. — (5) Act. 9.

(1) Serm. de Convers. S. Paul. — (2) Tert. L. An. 57. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 20. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 14. — (5) D. Chrysost. Hom. 22. ad Pop. — (6) Dion. Carthus. — (7) Sap. cap. 6. — (8) Apud Œcumen. — (9) Tert. L. 1. adv. Marc. 20.

sed Ananiam; quoniam per homines docendus Saulus non erat, sed per Christum, siquidem Ananias nihil eum docuit, sed tantum baptizavit. Simul enim ut illuminatus est, magnam Spiritus gratiam, a zelo animique promptitudine attracturus erat. (1) Christus Dominus videns Pauli ingenium ad prædicationem Evangelii aptissimum, voluit illum, non per suos apostolos, sed per semetipsum erudire, magnaque Spiritus Sancti gratia zelum Pauli immutat, linum ardens non extinxit, sed lucere magis fecit ortu luminis sui. (2) Nam acri ejus animo utitur tanquam instrumento peridoneo ad Evangelii promulgationem, Deus convertens peccatores destruit quidem eorum nequitiam, non autem naturam quam duntaxat immutat de malo in bonum. Sic Saulus in alium virum conversus est. (3) Exemplum Ninives prodit D. Augustinus: *Respice quæ fuerit Ninive, et vide quia eversa est: eversa est in malo, ædificata in bono: sicut eversus Saulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator.* (4) Et ut aliorum ait D. Augustinus: *Eversa Ninive quæ mala erat, et bona ædificata est quæ non erat: stantibus enim mœnibus atque domibus, eversa est civitas in perditis moribus.* (5) Eodem modo eversus et ædificatus est Saulus. Eversus in vitiis; ædificatus in virtutibus; natura namque eadem remaneus, easdem adhuc conservans passiones, Deus eorum mutavit objectum, ut zelus qui legi mosaicæ ministraverat, evangelicæ ministraret. Nam ut profunde philosophatur Tertullianus, *aliud enim demutatio, aliud perditio: perdit hæc, illa mutat. Quomodo ergo quod perditum est mutatum non est; ita quod mutatum est, perditum non est. Perisse enim est in totum non esse quod fuerit, mutatum esse, aliter esse est. Porro, dum aliter est, id ipsum potest esse: habet enim esse quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest et demutari quid, et ipsum esse nihilominus: ut et totus homo, in hoc ævo substantia quidem ipse sit, multifariam tamen demutetur, et habitu, et ipsa corpulentia, et valetudine, et conditione, et dignitate, et ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, seilibus, legibus, moribus; nec quicquam tamen amittat hominis, nec ita alius efficiatur, ut cesset idem esse; imo nec alius efficiatur, sed aliud.* (6) In sua conversione non alius effectus est Saulus, sed aliud: non est deperditus, sed mutatus. Eandem naturam, eandem personam, idem ingenium

habens, easdem non habet qualitates, eosdem non habet mores. De malo mutatus in bonum, de acri Christi persecutore, ardens Christi apostolus, de zelote legis mosaicæ defensore, legis evangelicæ propugnator validissimus, quam adeo fortiter defensavit, ut gloriose triumphaverit de paganismo.

II. PARS. *In scholis carthaginiensibus fuit quidam frigidissimus rhetor latinus, Phosphorus nomine. Cum virum fortem peroraret: Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de prælio cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis.* (1) Tot elogia quæ non bonus ille orator falso sibi arrogat, vere sibi vindicare potest Paulus, qui est orator non frigidus, sed ferventissimus; non ridiculo nemine denotatus, sed vas electionis a Christo cognominatus; adeo fortunatus, quod Dominus Paulum paradisi quoque compotem fecit ante martyrium (2); maximus ob eminentes quibus decoratur virtutes; de sua victoria gloriosus, nam efficacia gratiæ adjutus semetipsum gloriose vicit; tandem triumphalis, id est, triumpho dignus, eo quod paganismum detriumphaverit; 1. Verbi Dei prædicatione; 2. Miraculorum operatione; 3. Virtutis exemplaris exhibitione.

1. Gratias Deo refert Paulus quod eum de idololatria et paganismo victorem præstiterit: *Deo gratias dicit, quod nobis victoriam referre præstiterit.* (3) Gentiles autem debellavit Apostolus prædicatione verbi Dei, quod belle nuncupatur a Tertulliano *Verbum triumphatorium* (4), quia per illud Paulus idololatriam superavit, et gentes ad agnitionem veritatis adduxit, et ob hanc causam Tertullianus eum vocitat *Doctorem nationum in fide et veritate.* (5) Hercules plures de monstris et tyrannis reportavit victorias, totque in mundo patravit prodigia quæ admirationem ingenerant: multi tamen opinantur Herculem mira ejusmodi fuisse operatum, non corporis viribus, non clava quam secum semper habebat, neque aliis armis, sed linguæ facundia et sermonis eloquentia: *Opinamur Herculem oratione omnia perfecisse, siquidem tela ipsius acuta, certa et animas sauciantia, sermones interpretemur.* (6) Lingua sua duntaxat monstra domabat, tyrannos superabat, et obvium quempiam ad se trahebat. (7) Unde depingitur cum catena ab ejus ore exeunte, quia

(1) Orenmen. in c. 9. Actor. — (2) Tert. L. adv. Jud. 9. — (3) Tert. L. de Res. 55. — (4) In Psal. 50. — (5) Ep. ad Maced. — (6) Tert. L. de Res. 55.

(1) Tert. L. adv. Valent. 8. — (2) Tert. Scorp. 12. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 10. — (4) Tert. Ibid. — (5) Tert. L. de Pud. 14. — (6) Lucian. in Herc. — (7) Embl. 8.

auditorum sibi ligat aures. Hanc vim sermonis quam Alciatus Herculi vindicat, alii tribuunt Mercurio (1): « Mercurium finxerunt antiqui, aurea catena, auribus hominum annexa, mortales quocunque voluisset, trahere solitum. » Verum quod de Hercule et Mercurio finxit antiquitas, vere in Paulo adimpletum est: nam, ut ait D. Chrysostomus, *lingua Pauli quibuscunque fuit admota, ad seipsum eos continuo transferebat; impugnatores quoque ejus celeriter capti sunt.* (2) Et ob hanc causam cum Lystris prædicasset et claudum sanasset, turbæ levantes vocem suam, *vocabant Paulum Mercurium, quoniam ipse est dux verbi.* (3) Plato fuit alias creditus Nestor ob mella facundiae (4); et Paulus existimatus est Mercurius, tum quia naturali pollebat facundia; tum quia non tantum erat eloquens, sed etiam potens et efficax in dicendo; tum quia in tertium raptus cælum, cœlestis videbatur orator, et nuntius e cœlo ad homines missus, qui non nisi cœlestia spirans, homines orco addictos revocare, cœlestes efficere, et in cælum transmittere satagebat verbi Dei prædicatione et miraculorum operatione.

2. Asseverat Tertullianus Apostolos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, ut merito Apostoli crederentur. (5) Christus, qui suam doctrinam signis et portentis confirmarat, dedit eis virtutem patranda miracula, ut suæ prædicationis probarent veritatem: *Dedit Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent; super dæmones, ut eos everterent; super elementa, ut ipsa immutarent.* (6) Nihil est validius ad fulciendam fidem, quæ rationis captum superat, quam prodigia quæ virtute duntaxat Dei possunt operari, *quia fidei nostræ rationem humana verba asserere non valent, virtutum testimonio, quæ cum tacent, clamant: rationabilis approbatur.* (7) Miracula divina virtute facta, in confirmationem eorum quæ humanam rationem superant, suppleant argumentorum probationem et effectum, adjuvant namque rationem humanam ut eis assentiatur. *Idecirco fiunt exteriora miracula ut mentes hominum ad interiora perducantur; quatenus per hoc, quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ admirabilia sunt invisibilia credantur.* (8) De eo quod veris confirmatur miraculis, nulla-

tenus potest dubitari, quia cum sint sigilla quædam divinæ omnipotentiae, quæ affirmant de Deo sunt credenda: quare cum Dominus Lazarum suscitasset, *tunc vere Christus probatus est Deus* (1): quia, ut ait OEcumenius, *demonstratio quæ fit per opera et signa, firmitior est ea quæ ex verbis producitur.* (2) Philosophi et oratores ethnici fucatis verbis persuadere nitentur quæ dicebant, quos ideo Paulus caupones facundiae vocitat: *Athenis enim expertus linguatam civitatem, cum omnes illic sapientiarum atque facundiarum caupones degustasset* (3); ipse vero nova philosophia, novoque dicendi modo convincit animos: *et sermo meus et prædicationis mea non in persuasibilibus humanæ sapientiarum verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* (4) Quasi dicat: « Non vobis tonantia et poetica verba proferimus, non aliqua grammaticorum arte composita, nec eloquentia seculari disertio sermone fucata, » (5) sed in ostensione virtutis Dei. *Disciplina nostra propriam quamdam habet demonstrationem, diviniorem quam sint Græcorum demonstrationes; quam Apostolus nominat demonstrationem spiritus et virtutis, utpote spiritu per prophetias, fidem adstruente quæ de Christo feruntur: virtutis vero per prodigia, quæ facta credimus* (6): quibus Paulus prædicationis suæ veritatem demonstravit: nam ut ipse ad Corinthios scribit: *Signa apostolatus mei facta super vos insignis et prodigiis et virtutibus.* (7) Miracula sunt vera et incontestabilia apostolatus Pauli argumenta, quæ ipse vocat signa, prodigia et virtutes. Signa, tum quia sunt indicia veræ fidei, cœlestis et divinæ doctrinæ, tum quia sunt signa Dei supra naturam omnipotenter operantis; ejusmodi signis, Pauli doctrinam veram et a se oriundam, testantis. Miracula quæ fecit Paulus nuncupat adhuc prodigia, id est, portenta, extraordinaria et portentosa facta: tandem illa appellat virtutes, scilicet gesta potentissima, omnipotentiae opera, quæ Deus est per illum potenter operatus. *Post tot ac tanta opera atque documenta christianæ religionis seculo edita, quæ edi non potuissent sine Evangelii veritate.* (8) Hanc adhuc confirmare voluit Paulus virtutis exemplaris exhibitione.

3. Apostolus merito potest nuncupari *integrator veritatis* (9), quia veritatem quam

(1) Nat. Com. L. 5. Mythol. 5. — (2) Hom. 7. de Laud. S. Paul. — (3) Actor. 14. — (4) Tert. L. de An. 32. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 44. — (6) D. Aug. Serm. de SS. Pet. et Paul. — (7) D. Ambr. in c. 5. Rom. — (8) D. Greg. L. 27. Moral. 11.

(1) D. Aug. in Joan. — (2) In 1. Cor. 11. — (3) Tert. L. de An. 3. — (4) 1. Cor. 11. — (5) D. Aug. Serm. 1. de Accedent. ad gratiam. — (6) Orig. L. 1. Cont. Cels. — (7) 2. Cor. 12. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 4. — (9) Tert. Apol. 46.

verbo docuit, exemplo et actione commendavit, et suis exemplaribus virtutibus. *Evangelium implevit.* (1) Sanctus Paulinus religiosi perfecti vitam, *plenitudinem Evangelii* (2) vocitat; quia ardens charitate, quæ est plenitudo legis, et consilia evangelica probe servans, Evangelio plenitudinem subministrat. Eodem modo Paulus virtutis exemplo *Evangelium implevit.* Evangelium aut ore dicitur, aut calamo scribitur, aut vitæ innocentia demonstratur. Quando ore dicitur et linguae sermone propalatur, nuda verba continet quæ aerem verberant; quando atramento scribitur, litteras emortuas exhibet; at dum exemplo et opere demonstratur, *verbum exstructorium* (3) exhibet. Paulus Evangelium verbo prædicavit, scriptis concinnavit, exemplo demonstravit: Evangelium tamen non implevit neque verbo, neque calamo, sed duntaxat virtutis exemplo: et ut ad sui imitationem Timotheum formaret, sic hortatur discipulum: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* (4) Seu, ut alia habet lectio, *facito plenam fidem tui ministerii*, scilicet tuæ prædicationis, ut eam ad plenum probatam reddas. Tria a Timotheo exoptulat Paulus: unum, ut diligenter vigilet, ne hæretici loco veritatis seminent errores: *Hæretici respicient veritatem catholici dogmatis, et suscipiant fabulas errorum; sed tu vigila prudenter attendendo veritatem, et repellendo omnem errorem.* (5) Alterum, ut efficiat opus Evangelistæ, id est, prædicatoris evangelici. *At opus Evangelistæ est bene vivere et bene docere; moribus et verbis subditos instruere.* Tertium, ut ministerium suum impleat: *Ministerium officii tui imple, ut non sit in aliquo vacuum a bona actione tua, sed quidquid in eo debes agere plenarie perficias.* Documenta Timotheo quæ præbuit Paulus, ipse prius executioni mandavit! ministerium suum implens, *ne forte in vacuum currisset* (6): ex Tertulliano, *quod bonum, non desiderat, aut non optat, aut non capit profectum? ut fiat de bono melius* (7), quod in Paulo probe comprobatur. Nam, *quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor.* (8) Tanto ardore ad perfectionis metam properabat Paulus, ut quasi hactenus nihil boni fecisset, in stadio virtutis summis viribus graderetur. *Paulus Apostolus quotidie proficit, nec servat in sudario delicato gratiam quam accepit, sed*

ut avarus negotiaior renovatur de die in diem: et decrescere se putat nisi semper creverit. (1) Et fortasse ob hanc causam asseverat D. Chrysostomus, quod *omnem hominem Paulus exhibebat Deo* (2); vel quia omnem hominem ad Deum ejusque cognitionem et amorem exhibere nitebatur; et *ut eximius magister, quot sunt homini mores, tot concepit passiones* (3): omnia omnibus factus ut omnes lucrifaceret; vel quia totum hominem ex corpore et anima compositum, cunctasque vitæ suæ actiones Dei consecravit gloriæ: *Sed in omni fiducia sicut et semper, et nunc, magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* (4)

Paulus sanctis operibus ministerium suum implevit, et virtutum exemplis Evangelio complementum dedit; ne in vacuum prædicaret: Et vos sitis Pauli imitatores et studere virtutibus, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* (5) In vacuum autem illi recipiunt gratiam quicum ea non laborant, nec ei suum adhibent studium, sed otiosam reddunt, dum eam bonis operibus explere non satagunt. Paulus vivens prædicavit, et tum sermone, tum actione, *nobis demonstravit quomodo in cælos ascendere oporteat.* (6) Moriendo ab officio prædicationis non cessavit: nam, ut addit Chrysostomus, *post mortem præco*: licet enim a multis annis vitam obierit temporalem, adhuc tamen prædicat, tum epistolis quas scripsit, tum virtutibus quibus splendescit, tum martyrio, quo de tyranno sævissimo triumphat.

III. PARS. Tyranni inhumane persequentes et torquentes martyres, sua sævitia præbuerunt eis triumphandi materiam. Idcirco sancti milites Christi sic fantur: *Illos nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur.* (7) O quam gloriosus est Pauli triumphus, qui pro fidei veritate damnatus fuit, passusque est martyrium, 1. Varium; 2. Longum; 3. Cruentum!

1. Christi martyres sunt *palmis victoriæ insignes* (8); et quo plura passi sunt tormenta, eo sunt insigniores victoriæ palmis et gloriosius triumphant. Si quis unquam pro Christo plura et varia passus est supplicia, maxime Paulus: quod asseverat ipsemet Christus a primo die conversionis. Nam Ananix objicienti: « Domine, audivi quanta mala fecerit Sanctis tuis in Hierusalem, » respondet Dominus (9): « Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati, » ut quantitas malorum quæ passurus erat pro

(1) Greg. Naz. Orat. 1. — (2) Epist. 1. — (3) Tert. L. de Carn. Chris. 17. — (4) 2. ad Tim. 4. — (5) D. Anselm. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 2. — (7) Tert. L. ad Hermog. 37. — (8) Philip. 3.

(1) D. Hier. adv. Jovin. — (2) In Cor. 9. — (3) Chrysost. Serm. 101. — (4) Philip. 1. — (5) 2. Cor. 6. — (6) D. Chrys. Hom. 22. ad Pop. — (7) Tert. Apol. 28. — (8) Tert. Scorp. 12. — (9) Act. 9.

Christo sit conformis quantitati malorum quæ intulit Christo. Quasi dicat Salvator: *Reddam illi, vindicabo me de illo, et patietur pro nomine meo, qui sævit in nomen meum.* (1) Eventus Salvatoris probavit oraculum, nam, *quod fecit Saulus, patitur Paulus; quod fecit persecutor, patitur prædicator; quod fecit lupus, patitur agnus: quia sic est in tali homine vindicandum, ut discat pati quod faciebat, sentiat et ipse quod aliis inferebat.* (2) Quod ab enumeratione demonstrat D. Augustinus. (3) « Paulus patitur quod fecerat Saulus; Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est; Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas una minus accepit; Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus propterea submissus est in sporta; Saulus vinxit, Paulus vinctus est; et dum Saulus sæviens quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum confessorum: et dum ipse infert aliis necem, ipse suscepit pro eo mortem. » Tot mala quæ Saulus persecutor intulit, denotant *quanta sustinuerit Paulus; multo plura quam fecerat, quasi avarus exactor, cum usura recepit quod dederat.* (4) Ne dicat amplius Ananias: *Quanta mala fecit Saulus! sed, Quanta mala passus est Paulus! quanta ipsi numerositas triumphorum!* (5)

Ut autem varia Pauli tormenta melius dignoscantur, attendendi sunt illi a quibus passus est: passus est a seipso, a dæmonibus, a tyrannis, a falsis fratribus. 1. Passus est a seipso, tum mortificationem Christi in corpore suo circumferens: *Semper mortificationem Christi Jesu in corpore nostro circumferentes* (6); tum in carne sua Christi passionem adimplens: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* (7) Quasi dicat, ut expendit D. Chrysostomus: *Nondum omnia passus est pro nobis, etiam post mortem patitur. Nam quæ illum oportebat pati, ego pro ipso patior.* (8) Quæ passus est Dominus sufficiunt ad humanam redemptionem, sed non sufficiunt ad Christi amorem. Et quia Christus vivit in Paulo, Paulus patitur pro Ecclesia, quæ desunt Christi amori, et desiderio majora patiendi: tum pœnitentiæ rigores in se suscipiens: *Castigo corpus meum et in servitum redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (9): inde concludit D. Chrysostomus: *Si Paulus hoc*

timuit cum talis esset præceptor, et post prædicationem, et orbis terrarum susceptum patrocinium formidavit, quidnam nos dicemus? quidnam nos agemus? (1) 2. Passus est Paulus a dæmonibus: nam, *Apostolus refert datum sibi sudem angelum Satanae ut colaphizetur.* (2) Hic autem stimulus carnis quem sentiebat Apostolus carni adhærens, in carne, et a carne excitatus, erat concupiscentiæ motus, libidinisque tentatio. Hunc stimulum, suscitantem et accendentem ad venereas voluptates vocat Paulus Angelum Satanae, quia scilicet erat a Satana suscitatus et sufflammatus. Dæmon enim humores commovendo, sanguinem accendendo, spiritus generationi subservientes excitando et inflammando, Pauli phantasiæ turpes imagines objiciendo, concupiscentiam quasi sopitam, totque laboribus, inediis, ærumnis, pene mortificatam suscitabat, et ad turpes libidinis motus commovebat et acuebat. Hanc tentationem permisit Deus *ex causa colhibitionis*, (3) scilicet ad humiliandum Apostolum, et ab ejus mente tumorem fugandum. *Hic monitor Paulo datus est ad premendam superbiam, uti in curru triumphanti datur monitor suggerens: Hominem te esse memento.* (4) Animadvertit autem Tertullianus, *nec hanc speciem permitti diabolo in Sanctos humiliandos per carnis vexationem, nisi simul ut et virtus, tolerantia scilicet, in infirmitate perficiatur.* 3. Passus a persecutoribus et tyrannis; nam *depugnavit ad bestias Ephesi: illas scilicet bestias asiaticæ pressuræ, de qua in secunda ad eosilem: Nolumus enim vos ignorare, fratres, de pressura nostra apud Asiam, quod superquam supra gravati sumus citra vires, uti de vita hæsitaremus.* (5) Idem Apostolus varia quæ passus est tormentorum genera recenset. *Corinthiis passiones suas enumerans, in laboribus abundantius, in carceribus plurimum, in mortibus sæpius; a Judæis quinquies quadragenas citra unam accepi, ter virgis cæsus, semel lapidatus, et reliqua.* (6) Quantum vero et qualiter martyria optabilia (7) sibi fuerint, multis ipse commendat et evidenter demonstravit. Nam *discipulis magnopere deprecantibus, ne se Hierosolyma committeret, passurus illic quæ Agabus prophetaverat, sollicitudini eorum non subscripsit; sed econtrario: Quid, inquit, facitis lacrymantes et conturbantes cor meum? Ego enim non modo vincula pati optaverim, sed etiam mori Hierosolymis pro nomine Domini*

(1) D. Aug. in Psal. 56. — (2) D. Aug. Serm. 1. de Sanct. — (3) Serm. 25. de Sanctis. — (4) D. Aug. Psal. 56. — (5) D. Bern. Hom. 59. — (6) Tert. Scorp. 13. — (7) Colos. 1. — (8) Rom. 4. in c. 1. Colos. — (9) 1. Cor. 1.

(1) Hom. 25. in Epist. ad Cor. — (2) Tert. Lib. de Fug. in Pers. 2. — (3) Tert. L. de Fug. in Pers. 2. — (4) D. Hieron. — (5) Tert. L. de Res. 48. — (6) Tert. Scorp. 13. — (7) Tert. Scorp. 13.

mei Jesu Christi. (1) 4. Passus est Paulus a falsis fratribus, et has passiones tormentis sævitia tyrannorum illatis, graviores existimat D. Chrysostomus. *Pauli famem, nuditatem, naufragia, deserti habitationes, timores, pericula, insidias, carceres, verbera, vigiliæ, mortes, et alia, quæ prædicationis causa perpessus est, ne ferenda quidem arbitror: at vero quando illum Asiatici omnes aversati sunt, quando Galatæ perversi, quando Ecclesiam Corinthii plurimas in partes sciderunt, quid illum perpessum putas? quantas illius animo tenebras offusus arbitraris?* (2) Tot persecutiones, passiones, afflictiones, crucees, tormenta, constanti animo pro Christi amore toleravit Paulus. *Quis, inquit, separabit nos a dilectione Christi? pressura, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an machæra? Secundum quod scriptum est: Tui causa mortificamur tota die, deputati sumus ut pecora jugulationis: sed in omnibus istis supervivimus pro eo qui nos dilexit. Persuasum enim habemus quod neque mors, neque vita, neque virtus, neque sublimitas, neque profundum, neque alia conditio poterit nos a dilectione Dei separare, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* (3) Quam ardens Pauli charitas qui constanter, perseveranter pertulit martyrium varium et longum!

2. Binum agnoscit Tertullianus martyrii genus: unum breve, longum aliud; illud in momento vitam adimit: unde dicitur *compendium mortis* (4); istud *non subita dolorum concussione* (5) vitam finit, sed diu cruciat, quod gravius illo D. Cyprianus existimat. *Semel vincit, qui statim patitur: atqui manens semper in pœnis, congregitur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur.* Hoc medio utitur sanctus martyr, ut martyres in carcere detentos, ad diuturnas pœnas tolerandas stimulet: *Quo longior vestra pugna, hoc corona sublimior; agon unus, sed multiplex præliorum numerositate congestus.* (6) Paulus de ejusmodi agone gloriatur: *Agonem bonum decertavi* (7), non solum quia generose certavit, sed quia diu certavit. *Quanta ipsi cum hoste conflictuum assiduitas?* (8) Vita ejus fuit continuum martyrium. Alii martyres semel moriuntur, at Paulus quotidie moritur: *Quotidie morior.* Una mors Paulo satis non erat ad Christi gloriam: singulis diebus pro ejus honore moriebatur. *Semel mori parum est eum qui potest regi suo gloriosam sæpe de hostibus suis referre vic-*

toriam. (1) Quapropter Paulus, qui tot repetitis mortibus, velut tot victoriis, Christi gloriam promulgaverat, de suis victoriis Deo gratias agit. *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo.* (2) Hic locus varie expendendus est, et dicendum, 1. cum D. Hieronymo, quod Deus per Pauli martyrium triumphavit. *Triumphus enim Dei est passio martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio et inter tormenta lætitia.* Cum enim quis viderit tanta constantia perseverare martyres, atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. (3) Deus autem præsertim triumphavit per Paulum, qui Dei seminavit notitiam per prædicationem, virtutis operationem, et martyrii passionem. Vel, 2. Cum D. Ambrosio, Deus triumphat nos, quia triumphare nos facit: illius enim auxilio et passionum impetus, quæ sunt intra nos frangimus; et tentationibus dæmonum, qui pugnant adversus nos, resistimus; et persecutiones hominum constanter toleramus. Hoc modo Paulus divina gratia adjutus, triumphavit, et de carnis stimulis a dæmone sufflainmatis, et de tot tormentis variis et diuturnis, a falsis fratribus et tyrannis illatis. Vel, 3. Cum D. Anselmo, Deus triumphat nos cum adversitates submisit et cum dependentia ad ejus voluntatem recipimus. Vel, 4. Cum Theophylacto, Deus nos triumphat, id est, triumphos nostros conspicuos reddit, ostentans nos cum trophæis et victoriæ signis, quibus triumphatores honorantur, quibus honoratus est Paulus triumphans de tyranno constanter patiundo martyrium cruentum.

3. *Quinam isti tam beati victores, nisi proprie martyres? illorum enim victoriæ, quorum et pugnæ; eorum vero pugnæ, quorum et sanguis.* (4) Paulus vero Romæ sanguinem suum fudit Romæ, cum Nerone pugnavit, et Romæ de sævo illo tyranno gloriose triumphavit. Inter martyrium Petri et Pauli æqualitatem agnoscit Tertullianus: *Bene quod Petrus Paulo in martyrio adæquatur.* (5) In martyrio adæquantur Apostoli, quia uterque Romæ cruentam passus est mortem; uterque Neronis sævitia ultimo mulctatus est supplicio; uterque pro fide et religione martyrium subiit: *Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit: tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur; tunc Paulus civitatis romanæ consequitur nativitatem, cum illic*

(1) Tert. L. de Fug. in Pers. 6. — (2) L. 5. de Prov. — (3) Tert. Scorp. 15. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 12. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (6) Epist. 16. — (7) Tert. Scorp. 15. — (8) D. Bern. Hom. 39.

(1) D. Chrysol. — (2) 2. Cor. 2. — (3) Epist. 50. ad Hedibiam. — (4) Tert. Scorp. 12. — (5) Tert. 1. de Præsc. Hæret. 26.

martyrii renascitur generositate. (1) Ratio autem cur Nero Paulum enecaverit : quia scilicet ejus pellicem a cœno libidinis revocaverat. « Paulus pellicem Neronis, quam ille deperibat, cum induxisset fidei ac religionis sacramenta suscipere, persuaserat una incestum illum impurumque congressum declinare. Hæc ille crimina objectans, corruptoremque nequam, flagitiosum ac nebulo-nem Paulum vocitans, primum coniecit in vincula; cum vero ut puellæ ejusmodi monita atque consilia dare desineret, et persuadere non posset, eundem necavit. » (2) Et ita Paulus pro castitate simul ac pro fidei veritate decollatus est. Præcisa autem cervice, pro sanguine lac profudit, symbolum castitatis, quam toto vitæ tempore diligenter servaverat, et pro qua defensanda strenue mortuus est. (3) « De Pauli cervice cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda quam sanguinis, et mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia, in ipsa cæde extitisse splendidum potius quam cruentum. » *Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait : Lac vobis potum deli ?* Pauli martyrium a motivo commendat Hildebertus : *Paulus passus est pro Christo, Christus pro mundo.* (4) Quid perfectius est? quid majus est, Christus, aut mundus? heu quam exiguus est totus mundus comparatione Christi! Attamen licet a persona dignior sit passio Christi quam Pauli, ex mente Hildeberti, a motivo proximo, valde excellit passio Pauli. Ut enim fatur ipsemet Paulus : *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sanæ mentis : virtute enim patimur, ex dilectione in Deum, et sana mente, cum obinnocentiam patimur.* (5)

Duplex est martyrium : cruentum unum, incruentum aliud. De utroque loquitur Tertullianus. Cruentum aperit paradysum. *Si crucem tuam tollas et sequaris Dominum, paradisi clavis tuus sanguis est.* (6) Incruentum est etiam martyrium sine passione perfectum. (7) Utrumque martyrium passus est Paulus : cruentum Romæ. *Discipuli a Judæis insequentibus multa perpassi, utique pro fiducia veritatis libenter, Romæ postremo per Neronis sævitiam sanguinem christianum semnaverunt* (8); incruentum, quaudiu religionem evangelicam professus est, tum adimplendo in corpore suo Christi passionem; tum castigando carnem suam per pœnitentiam et mortificationem; tum sustinendo

constanter multimodam hominum persecutionem. *Ecce autem et odio habemur ab omnibus hominibus, nominis causa, et tradimur etiam a proximis, et perducimur ad potestates, et interrogamur, et torquemur, et confitemur, et trucidamur.* (1) Tot persecutionibus vexatus Paulus a constantia nunquam defecit. *Propter quod boni duco in infirmitatibus, in injuriis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* (2) Martyrium Pauli incruentum æmulandum est a vero Christiano : quod imitabitur, si, 1. Passionum motus compescat, concupiscentiæ æstus colibeat, inordinatos carnis motus comprimat. Etenim *carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est.* (3) 2. Si patienter patiatur persecutiones. *Omnes Christiani patiuntur; et si non sæviunt homines, sævit diabolus.* (4) 3. Si adimpleat passiones Christi constanter adversitates tolerando, ad instar Pauli dicentis (5) : « Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi. » His tamen verbis valde videtur dehonestari Christi passio. Paulus ut humanas sublimet passiones, quodammodo devenustat divinas : potestne esse aliquid imperfectum, diminutum et incompletum in passione Christi Dei simul et hominis? et potestne esse in homine aliquid adeo excelsum et sublime, quod valorem dominicæ passionis compleat? Hanc difficultatem acute enodat Caietanus : « Dicendo : Adimpleo in carne mea quæ desunt passionum Christi, apparenter significat aliquid diminutionis in passione Christi : secundum tamen veritatem non significatur diminuta passio Christi, sed significatur quod deest illi conjunctio ipsius cum afflictionibus nostris. » Conjugimus ergo passiones nostras cum passione Christi, eas patiando pro eodem motivo quo passus est Christus, et cum virtutibus dominicarum virtutum æmulis : sic adimplebimus quæ desunt passionum Christi, et completam merebimur felicitatem.

•••••

CONCIO QUINTA.

Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, et Dominum sequaris necesse est. (6) Christus moriens tres viduas reliquit : Mariam, Ecclesiam et crucem. Mariam dilecto discipulo commendavit; Ecclesiam Petro commisit; crucem Andreæ reliquit; quo autem animo sanctus Apostolus amplexatus

(1) Tert. Scorp. 15. — (2) D. Chrysost. L. 1. adv. Vituperat. vitæ Monast. — (3) D. Amb. Serm. 66. — (4) Epist. 9. — (5) Tert. Scorp. 15. — (6) Tert. L. de An 55. — (7) Tert. Scorp. 8. — (8) Tert. Apol. 21

(1) Tert. Scorp. 11. — (2) Tert. Scorp. 15. — (3) D. Ang. Serm. 46. de Sanctis. — (4) D. Aug. in Psal. 93. — (5) Colos. 1. — (6) Tert. L. de Idol. 12.

sit crucem sibi a Domino oblatam, ex ipsius verbis eminenter comprobatur. Statim namque ac sententia præfecti damnatus fuit ad crucem, prospiciens de longe sui instrumentum supplicii, in hæc verba prorupit: *O bona crux! diu desiderata, sine intermissione quæsita, sollicitè amata.* Ambientes tanto ardore dignitates, et honores non concupiscunt, ac Andreas desiderabat crucem: avari tanta sollicitudine fortunæ bonæ non perquirunt ac Andreas crucem. Impudici tanto affectu non amant venereas voluptates ac Andreas diligebat crucem: crux erat illius desideriorum terminus, perquisitionum meta, et amorum objectum. Consideranda igitur est crux tanquam ab Andrea, 1. Desiderata; 2. Quæsita; 3. Amata.

I. PARS. *Quæ voluntas sine concupiscentiæ stimulo est?* (1) Nullus est homo desiderii expers: at quo mundanorum tendunt desideria? Ad honores vanos, voluptates sensuales, divitias fallaces. *Sicut pecuniæ, vel dignitatis, ita et voluptatis concupiscentia est.* (2) Verum ad quid terminatur Andræe desiderium? Non ad facultates terrenas, non ad venereas voluptates, non ad seculi honores, sed ad crucem. *O bona crux, diu desiderata!* Si consulamus homines seculo deditos, mundanorum præponent desideria; sed si Scripturam sacram inspiciamus, *concupiscentiæ seculi damnantur* (3); et si attente Andræe contemplemur desiderium, omni approbatione judicabimus dignum: tum quia est conforme Christi desiderio qui crucem desiderans, *concupivit quæ digna sunt Deo* (4); quia ut aliorum ratiocinatur Tertullianus, *nihil tam dignum Deo quam salus hominis;* (5) quam operata est Christus per crucem. Tum quia crux continet veras divitias, innocuas voluptates et honores sublimes. Imitemur desideria, non mundanorum, sed Andræe Apostoli; desideremus cruces, sunt etenim dignæ nostro desiderio: utpote, 1. Utiles et pretiosæ; 2. Suaves et deliciosæ; 3. Honorabiles et gloriosæ.

1. Mundanis cruces depretiantibus idipsum potest exprobrari quod ethnicis exprobrat Tertullianus: *Diximus originem deorum vestrorum a plastis de cruce induci.* (6) Adeo utilis et pretiosa est crux ut ethnicorum industria nescierit formare Deos absque ministerio crucis. Tantus est valor crucis, ut argentum et aurum, quod tanquam supremum numen mortales venerantur, crucis figura decoretur. Paradoxon sane videtur, sed ta-

men est veritas quæ negari nequit, perpauco reperiri in mundo homines, qui cruces non existiment et magno habeant in pretio. Nam quis cruces non æstimet in pistolis, in ducatis, in nummis aureis? Cruces aureæ vel gemmæ quas de collo suspensas deferunt prælati, et etiam mulieres, nonne tanto ditiores existimantur, quanto ponderosiores? Et tamen, addit Tertullianus, ejusmodi *monilia crucem* sunt. Verum quantumvis cruces argenteæ, aureæ, gemmæ, habeantur pretiosæ, multo locupletior et ditior est crux quam D. Andreas ascendit, quæ ex membris Christi summum mutuata est pretium, ut sanctus prædicat Apostolus: *Salve, crux pretiosa, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata.* Tria de cruce Domini notatu dignissima fatur beatus Andreas: 1. Crucem pretiosam nuncupat: etiamsi mundanus *nesciat pretium ejus* (1), attamen Andreas in schola cœli eruditus quam sit pretiosa crux suis verbis declarat: *Putas non fuit in nobis qui secum cogitaret et diceret: Quid sibi vult hoc? aut, unde tam nova lætitia? Certe et crux pretiosa est, et amari potest.* (2) Addit, 2. Beatus Andreas crucem fuisse Christi membris dedicatam, et ita crux summum mutuatur valorem ex sanguine Christi, quo dedicata et consecrata est, et ratione hujus consecrationis cunctis religionis officiis et mysteriis admittitur signum crucis. *Quod signum, nisi adhibeatur, sive frondibus credentium, sive ipsi aquæ qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguuntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* (3) Et fortasse ob hanc causam Præsules vocitat Tertullianus *crucis antistites.* (4) Addit, 3. Beatus Andreas quod crux est Christi membris, tanquam margaritis ornata. Quot guttas sanguinis fudit Dominus, tot sunt uniones infiniti pretii, quibus decoratur et ditatur crux. « Cruces ait non nemo in tanto pretio esse apud superos, ut stellis coronetur. » Quo alludere videtur D. Fulgentius, asseverans Christum esse pretiosum in stellis. *Quis est iste rex Judæorum, qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus? Parvulus in præsepio, et immensus in cœlo; vilis in pannis, pretiosus in stellis.* (5) Christus in pannis adoratur a pastoribus, a regibus agnoscitur, ab Angelis glorificatur, et tamen in pannis vilis habetur, et pretiosus in stellis. At cur potius in stellis quam in pannis pretiosus? *Quia stella illa beatitudinis apparuit Magis*

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (2) Tert. L. de Spect. 14. — (3) Tert. L. de Spect. 14. — (4) Tert. L. de An. G. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 27. — (6) Apol. 16.

(1) Job. 28. — (2) D. Bern. Serm. 1. S. Andræe. — (3) D. Aug. Tract. 118. in Joan. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (5) Serm. de Epiph.

super montem illum victorialem, habens in se quasi formam pueri parvuli, et super se similitudinem crucis. (1) Christi pretium censetur, non ex pastorum applausu, neque ex regum obsequio, neque ex cœlesti Angelorum hymnodia, neque ex purissimo Deiparæ sinu, sed ex stella duntaxat, illustri signo crucis insculpta. Contumeliosa Christi vilitas quantumvis a cœlo et terra honorata, pretium adhibere Christo perhibetur. Similitudo sola crucis pretiosum ostentat Dei Filium qui est vilis in pannis, pretiosus in stellis. At quid adeo existimat Christus redemptionis iusigne, nisi apud homines magno in pretio habeatur crux, quæ est *bonorum omnium datrix*? (2) Quod probe sciens beatus Andreas intuens paratam sibi crucem, et Salvatoris crucem in memoriam revocans, clamat: *O bona crux, diu desiderata et aliquando concupiscenti animo præparata! accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat qui per te me redemit.* Et hæc dicens, applaudebat et blandiebatur cruci, ait D. Bernardus, ut ostenderet cruce esse suaves et deliciosas.

2. *Nimum stultus es, Christiane, si et in seculo voluptatem concupiscis* (3), tum quia vera voluptas animi importat oblectamentum, voluptas autem seculi ut plurimum animalis est et bestiam sapit; tum quia vera voluptas non est tristitia permixta; in seculo autem sunt *tristes voluptates* (4); et ut ait Magnus Gregorius, *pœnam sustinet, quod voluptatem putavit* (5); tum quia vera voluptas tendit ad interminabile gaudium, quod gaudiis seculi non competit: *Quæ adeo non sunt gaudia, ut sæpe initia futuræ tristitiæ sint* (6), ut aliorum fuisse monstratum est. (7) Quare ut declarat Tertullianus, Christiani voluptas est fastigium voluptatis mundialis. *Et quæ major voluptas quam fastidium ipsius voluptatis, quam seculi totius contemptus, quam mortis timor nullus?* (8)

Verus Christianus, 1. fastidit seculi voluptates: *Delicatus es, Christiane, si et voluptatem in seculo concupiscis.* 2. Existimat cruce quæ mundus gaudia existimat; et econverso, *quæcunque mundus reputat crucem, ego delicias reputo, et quæ mundus delicias, ego reputo crucem.* (9) 3. Pro damnis temporalibus non contristatur: *Contristetur illic, qui fructum seculi suspirat.* (10) 4. In tribulationibus, afflictionibus et crucibus lætatur. Idcirco Propheta Evangelicus se-

missum asseverat ut omnes lugentes consolaretur: *Ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu maroris.* (1) Hujus optimam rationem præbet Tertullianus: *Nihil crux sentit in nervo, cum animus in cœlo est.* (2) Tertulliano arridens Petrus Damianus, ait: *Jam quippe spiritus ad alta suspensus, in hoc ineffabiliter dum sibi cumulari gaudia per tormenta videt, pœnis fovetur, incendio refrigeratur, fame reficitur, inopia dilatatur, et id maximum lucrum putat, si gravem de passione Domini sarcinam portet.* (3) Quod de semetipso asseverat Paulus reddens rationem cur in persecutionibus lætetur: *Exsultantes in pressuris, certi quod pressura tolerantiam perficit, tolerantia vero probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit.* (4) Et aliorum gaudium cunctis tribulationibus superabundare fateatur: *Superabundo gaudio in omni tribulatione.* (5) Lectio græca habet: *Supererubero;* et hæc gaudii exuberantia omnem afflictionum sensum eripit, non secus ac si aquarum ingens copia modicum extinguat ignem. Læticia qua Sancti ubertim perfrauntur, superabundans ab Apostolo nuncupatur, et quod est adhuc majori admiratione dignum, cum calamitatibus pæne sunt oppressi, tanta intus repleti sunt consolatione, ut eorum gaudium non tam superabundare et exuberare quam cœlestis gloriæ velut stillas delibare videatur. Ludibria crucis fuere deliciæ Christi, et justi in cruce deliciantur. Sic intelligit D. Hieronymus istud Davidicum: *Exsultabunt Sancti in gloria: exsultabunt Sancti in cruce.* (6)

Si ullus unquam Sanctus in cruce demonstravit læticiam, maxime Sanctus Andreas, qui, ut fatur D. Bernardus: « Videns paratam eminus crucem, nequaquam ut exigere videtur mortalis infirmitas, facies expalluit, nequaquam sanguis ejus gelatus est: non steteret comæ. (7) » Apostolus in trino potest considerari tempore: 1. Dum a Proconsule Ægæo damnatus est ad crucem; 2. Dum ad supplicium ducitur et crucem intuetur; 3. Quandiu in cruce suspensus remanet, et in omni tempore de passione gaudet: nam, 1. Damnatus a proconsule, *ad tormenta sicut ad ornamenta, ad pœnas sicut ad delicias ibat.* (8) 2. Intuens crucem, lætus eam salutatur, et dulcia verba quæ profert internam animi læticiam demonstrant, et stuporem Ber-

(1) Imperf. Hom. 2. in Matth. — (2) D. Damas. L. 1. de Fid. 12. — (3) Tert. L. de Spect. 28. — (4) Sen. — (5) L. S. Mor. 3. — (6) Boet. L. de Cons. Pros. 3. Tom. 2. — (7) Tert. Præd. fol. 161. — (8) Tert. L. de Spect. 29. — (9) D. Bern. — (10) Tert. L. ad Mart. 2.

(1) Esa. 62. — (2) Tert. L. ad Mart. 2. — (3) Serm. 2. de S. Apollinar. — (4) Tert. Scorp. 13. — (5) 2. Cor. 7. — (6) Hug. Card. in c. 26. Gen. — (7) Serm. 2. de S. Andr. — (8) D. Bern.

uardo ingenerant : quasi non homo, sed Angelus sit qui ita loquitur : « Obsecro, fratres, homo est qui loquitur? an non est homo, sed Angelus, aut nova aliqua creatura? » Haud dubie homo mortalis est. « Homo plane similis nobis passibilis, nam passibilem eum passio ipsa testatur, » *qua appropinquante tam lætabundus exultat.* Neque, 3. Minori gaudio afficitur quandiu in cruce suspenditur. At unde tantum animi robur? unde tam invicti pectoris fortitudo? unde tanta cordis jubilatio, ut non solum non contristetur, sed etiam magnopere lætetur; ut non solum non timeat, sed etiam exultans jubilet et gaudeat? « Unde ergo in homine nova hæc exultatio, et lætitia hactenus inaudita? Unde in homine tam spiritualis mens, tam fervens charitas, animus tam robustus? » Magnum invenio discrimen inter Magistrum et discipulum, Christum et Andream : Christus morti proximus tristatur : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (1) : Andreas vero ductus ad supplicium, lætatur : « Agnosco plane in duce pusillanimatorum trepidationem, agnosco ægri vocem in medico. » (2) Christus suscepit in se Andreæ infirmitates, et Andreæ suam contulit fortitudinem : unde vox illa tristis quam profert Dominus est Andreæ quam suscepit infirmitas; vox vero lætitiæ quam profert Andreas, est fortitudo quam accepit a Christo. Mirabilis facta est inter Christum et Andream commutatio : Andreæ suscepit infirmitates, Christus ut se verum hominem demonstraret Andreæ contulit robur et lætitiæ, ut eum Divinitatis efficeret participem, *tot cruces Divinitatem consecutæ.* (3) De quo decantat Ecclesia : « Homo Dei ducebatur ad sacrificandum, » crucem desiderans ut pretiosam, deliciosam et gloriosam.

3. *Ecce profusus hostis nequaquam tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit gladio* (4) : obsequendo enim non præbuisset Sanctis martyrii palmam, at persecuendo, subministrat eis acquirendæ gloriæ materiam : quapropter tyrannis exprobrant martyres apud Tertullianum : *Crudelitas vestra nostra est gloria.* (5) Christianos Dominus tyrannorum sævitia insecutos, beatos prædicat : « Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint (6) : » illorum enim persecutio est vobis multum proficua : nam et vos glorificat, et felicitatem vestram incrementat. « Divina providentia quæ etiam malorum operibus bene utitur, meliora de contrariis peragit : et ita justas

ordinat causas, ut boni ex adversis proficiant, et ad pia transeant merita, impietatis ingenia. Nam quos per cruentissimum persecutorem humiliaverat diabolus, exaltavit Deus : quos ille damnavit, iste glorificavit ; ille opprobriis adimplevit, hic præmiis ; ille induxit mortem, hic ad vitam de morte perduxit. » (1) Martyrium Sanctorum, et impietatis et pietatis ingenium prædicat. Impietatis ingenium in tyrannis, qui impie et crudeliter martyres persecuntur. Pietatis ingenium in providentia Dei, quæ utitur impietate malorum persequentium bonos, ut bonorum pietatem manifestet, eosque abunde gloria et felicitate præmiet. *Quæ est ista rerum, et quam stupenda diversitas? Unus idem et pœnæ secum causam portat et gloriæ.* (2) Pœnæ, quam infligit injusta et impia tyrannorum crudelitas; gloriæ, quam meretur invicta martyrum patientia. Hanc causam pœnæ et gloriæ in beato Andrea recognosco. Pœnæ, nam injuste damnatus est ab Ægæo proconsule; gloriæ, nam crucis supplicio gloriæ beatitudinem meruit : ita ut *quod fuit instrumentum pœnæ, sit gloriæ testimonium, et dolorum materia transeat ad insigne meritum.* (3)

Daniel nuncupatus est *vir desideriorum* (4) : Andreas vir desideriorum crucem ardentem concupivit. *Tota vita Christiani sanctum desiderium est.* Beatus Andreas est Christianus, antistes, et Christi discipulus. 1. Christianus, imo Protochristianus : nam ut docet Doctor Angelicus, *Andreas fuit primus Christianus* (5) : primus etenim fuit qui Messiam recognovit, eum fratri indicavit : *Invenimus Messiam* (6), et Simonem ad Christum adduxit. 2. Sacerdos : ut ipsemet Ægæo proconsuli testatur : « Ego omnipotenti Deo qui unus et verus est, immolo quotidie, non carnes taurorum, non hircorum sanguinem, sed immolatum agnum in altari. » 3. Christi discipulus : quare crucem alloquens, sic factus : « Suscipe me discipulum ejus qui pendit in te magister meus Christus. » Et sub his tribus titulis crucem desideravit. 1. Ut Christianus, quia crux veros denotat Christianos : *Ea nos ostendunt Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi* ; 2. Ut sacerdos et antistes. Christiani præsules *antistites crucis* (7) nuncupantur, tum quia in tremendo missæ sacrificio cruentum crucis sacrificium commemorant; tum quia crucem suam post Christum portant; tum quia pro

(1) Matth. 27. — (2) D. Bern. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 7. — (4) Tert. Apol. 11. — (5) Tert. L. ad Scap. 4. — (6) Matth. 5.

(1) Euseb. Emiss. Hom. 4. de Epiphan. — (2) Euseb. Emiss. Serm. de S. Roman. — (3) Euseb. Emiss. Hom. et SS. Epiphan. et Alexand. — (4) D. Aug. Trac. 4. in Ep. Joan. — (5) In 1. Joan. 15. — (6) Joan. 1. — (7) Tert. L. 1. ad Nat. 11.

defensione religionis martyrium pati exoptant, ad quod hortantur per crucem, quam deferunt como appensam; 3. Ut Christi discipulus, ut magistrum suum imitaretur, quia *non est discipulus supra magistrum, nec servus super dominum suum: quia cum magister et dominus ipse perpressus sit persecutionem, et traditionem, et occisionem, multo magis servi et discipuli eandem capere debent, ne quasi superiores exempti de iniquitate videantur; quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini et magistri.* (1) Ut hos tres titulos digne sustineret, crucem desideravit Andreas, *et nunc russatus sanguinis sui spe* (2); id est, animoso desiderio effundendi sanguinem, præmature purpuratus crucem sollicitè quæsivit.

II. PARS. *Calor est omnis affectus: verum cum in affectationem flabellatur, jam de incendio gloriæ ardor est.* (3) Uti superbi ardore incenduntur, ita politici et avari in affectationem flabellantur. Superbi quærunt famam, qua in hominum memoria perpetuo vivat; politici quærunt affinitates, quibus prosperentur, avari vero quærunt divitias, quæ ditentur: verum hi quærunt et sæpe sæpius non inveniunt. Puriori flamma incenduntur qui affectant passiones et cruces. *Cruce digno ambitu consecrata.* (4) Hoc sacro ardore accensus beatus Andreas quæsivit crucem et invenit, 1. Gloriosam famositatem; 2. Sublimem affinitatem; 3. Opulentam hæreditatem.

1. Multi, etiam Gentiles, atrocissima quæque passi sunt supplicia, ut quendam compararent sibi de fama æternitatem. (5) Unde postquam Tertullianus retulit *gladium gravem, et crucem excelsam, et rabiem bestiarum, et summam ignium pœnam, et omne carnificis ingenium in tormentis* (6): sic concludit: *Acerba licet ista, a multis tamen æquo animo excepta, imo et ultro appetita, famæ et gloriæ causa, nec a viris tantum, sed etiam a feminis: quorum plura utriusque sexus congerit exempla: Sed hæc exempla omittamus de affectatione venientia.* (7) Consideremus martyrum tormenta, qui passi sunt non ex gloria, sed pro religione; non ut sibi compararent famam, sed ut Dei procurarent honorem: verum fugiendo honorem, honorem adepti sunt: *Siquidem honorata est apud Deum mors religiosorum ejus, quæ in ipso aditur ex testi-*

monio religionis, et prælio confessionis, pro justitia et sacramento. (1) Ecclesia eos veneratur, in eorum honorem dies sacros consecrat, et in numero divorum annumerantur. *Qui puniuntur consecrantur, et numina erunt dicenda supplicia.* (2) Eorum reliquiæ magna habentur in veneratione, et sepulcra devotionis gratia visitantur: *A facie enim injustitiæ perit justus, et erit honor sepultura ejus.* (3) Tandem transeunt de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiiis in honores (4), quos passionibus sibi merito comparaverunt. Hæc quæ sunt cuicunque martyribus communia, specialiter conveniunt beato Andreae, qui in cælo immortalis gloria coronatur, in Ecclesia solemnitate honoratur. Quem adhuc Philippus Probus Dux Burgundiæ fidei catholicæ propugnator acerrimus, sibi advocatum et patronum elegit, ejus crucem pro insignibus assumpsit, instituitque ordinem aurei velleris in ejus honorem; quem Hispaniarum rex etiam nunc præbet Magnatibus, tanquam ingens gratiæ et benevolentiae monumentum. Ejusmodi Ordinem simul cum Belgio, hæreditario jure accepit a Maria Burgunda Maximiliano Austriaco matrimonio conjuncta. Et non immerito in honorem Sancti Andreae institutus est, ob conjunctionem quam habet Apostolus cum Agno immaculato: nam quærendo crucem, nobilem cum eo contraxit affinitatem.

2. *Teneo meum Christum in nomine sponsi.* (5) Sic loquitur Sponsa, cui Christus est Sponsus sanguinum; ut autem docet Andreas Cretensis, *Cruce est vinculum conjugii.* Cælestis hujus Sponsi fragrans amore sic factur Sponsa: « Quis mihi det te fratrem meum fugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam nemo me despiciat? » (6) Christum intus et foris contemplatur Ambrosius. Intus in sinu Patris habitantem; foris post humanationem in utero Virginis factam, pro salute hominum in cruce sanguinem fundentem. *Foris factus qui erat intus; vide illum intus, quando legis quod in sinu est Patris; cognosce illum foris, quando nos quærit, ut redimat.* (7) In cruce desponsatus Christus, eumque in cruce deosculata est Sponsa. *Tunc enim foris inventus est Sponsus, et osculatus a Sponsa, cum humanitate vestitus, et extra Hierosolymam crucifixus, eam ipsam a sempiterna morte redemit.* (8) In cruce Christum quæsivit et invenit Andreas, in cruce sibi eum despon-

(1) Tert. Scorp. 9. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (3) Tert. L. de Pall. 4. — (4) Sever. Sulpic L. 2. Sac. Hist. — (5) Tert. Scorp. 6. — (6) Tert. L. ad Mart. 4. — (7) Tert. L. ad Mart. 6.

(1) Tert. Scorp. 8. — (2) Tert. Apol. 12. — (3) Tert. Scorp. 8. — (4) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 4. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (6) Cant. 8. — (7) L. de Instit. Virg. cap. 1. — (8) Philo. Carpat. in c. 8. Cant.

savit ; ubi non solum pro eo , sed etiam cum eo mori videretur. (1) Inter conjuges est omnimoda honorum et malorum societas. Sponsa sacra ex passionibus Sponsi honorem et decorem mutuatur. Quam ideo sic alloquitur Sponsus : « Ostende mihi faciem tuam : facies enim tua decora. » (2) Christus ubique pulcher , ait D. Augustinus , sed potissimum pulcher in ligno (3) in quo crucifixus est. Quam pulchra Sponsa Christo concrucifixi ! quam decora facies quæ non erubescit auctorem , non confunditur a redemptore. Ostendit ergo faciem suam , signaculum crucis præferens. Andreas Christo desponsatus in cruce pulchrescit , de suo Domino non erubescens , sed palam et publice confitens. Non solum crucem supra frontem prætulit , sed etiam cruci affixus fuit , ut esset particeps passionum Christi quas lætanter sustinuit : *Etenim secundum quod communicatis passionibus Christi , gaudete , uti et in revelatione gloriæ ejus gauleatis exsultantes. Si dedecorami in nomine Christi , beati estis , quoniam gloria et Dei spiritus requiescit in vobis , dum ne quis vestrum patitur ut homicida , aut fur , aut maleficus , aut alieni speculator ; si autem ut Christianus , ne erubescat.* (4) Criminosi qui scelerum suorum luunt pœnas , erubescere debent ; nam eorum supplicium probrosum est , neque martyrii honore donantur : *Martyres veros non facit pœna , sed causa.* (5) Ut enim animadvertit D. Augustinus , tres cruces uno in loco erunt : in una latro liberandus , in alia latro damnandus , in media Christus alterum liberaturus , alterum damnaturus. *Quid similis istis crucibus ? quid dissimilis istis pendentibus ?* (6) Improbus latro æque crucifixus ac bonus , et tamen damnatus fuit , quia crucem subiit , non pro Deo nec pro religione , nec in praxi virtutis , sed in pœnam suorum criminum quæ in patibulo suis blasphemias incrementavit. Bonus autem latro Christum recognoscens et confitens , a suis absolutus est criminibus , et dominiæ beatitudinis consors factus : *In hoc felix ille volutatus est latro , qui brevi ponte crucis de patibulo ad regnum , de supplicio ad paradysum translatus est.* (7) Beatus Andreas cruci est affixus , non pro suis criminibus , sed pro fide Jesu Christi , et Domini inhærens vestigiis , et passionum ejus societatem quærens , æternam invenit hæreditatem.

3. *Martyrii felicitatem* (8) prædicat Tertullianus ; quia Deus immortalis gloria remunerat eos , qui pro ejus nomine vitam amit-

tunt temporalem. Nam si alias Romani athletas in arena victores coronabant , et eis objectat Tertullianus : *Ecce enim et tormentorum certamina coronantur a vobis* (1) , quanto magis Deus coronat martyres qui strenue pro ejus gloria decertant , et gloriose de suis inimicis triumphant ! Unde sic Gentiles alloquuntur : *Prælium est nobis , quod provocamur ad tribunalia , ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria autem , pro quo certaveris , obtinere. Ea victoria habet et gloriam placendi Deo , et prædam vivendi in æternum.* His verbis ad unguem describitur et pugna , et victoria , et corona beati Andreæ. Pugna quidem , nam provocatus ab Ægæo proconsule , tanquam bonus Christi miles fortiter dimicavit. Victoria etiam , quia suis rationibus et miraculis ejus sævitiam superavit ; tandem corona , nam patibulatus Deo placuit , et de ejus manu coronam immarcescibilem accepit. Sic fantur primiceri Christiani : *Sic ita nos ad Deum expansos unguæ fodiant , cruces suspendant , ignes lambant , gladii guttura detruncant , bestię insiliant , paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* (2) Ipsa natura nostra crucem visibiliter repræsentat. Ut enim ait Anastasius Sinaita : *Homo ad formam crucis figuratam habet imaginem , ut qui sit ad imaginem Christi crucifixi.* (3) Homo ex anima et corpore componitur ; secundum animam est ad imaginem , non Christi crucifixi , sed Dei ; secundum vero corpus est ad imaginem Christi crucifixi. *Corpus solum quod in modum crucis est.* (4) Corpus expansis manibus Christum crucifixum repræsentat : hic est habitus orantis Christiani , ad supplicium crucis parati. *Licet nunc sarmenticios et semaxios appelletis , quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ : tali curru triumphamus.* (5) Christiani deferentes in suo corpore imaginem Christi crucifixi : Christiani orantes manibus expansis , brachia in modum crucis habentes , parati sunt ad cruces , quia crux est habitus victoriæ ipsorum , et dum cruci affiguntur , in cruce velut in curru triumphant. In cruce suspensus beatus Andreas detulit imaginem Christi crucifixi , victoriæ habitu indutus fuit , gloriosum triumphum egit , tanquam victor a Deo coronatus fuit , et cœli hæreditatem sibi comparavit. Christianos nuncupat D. Cyprianus *hæredes crucifixi* : maxime qui pro illo martyrium patiuntur ; cum Christo

(1) D. Bern. — (2) Cant. — (3) 2. In Psal. 44. — (4) Tert. Scorpi. 12. — (5) D. Aug. Ep. 167. ad Festum. — (6) Epist. 48. ad Vincent. — (7) Pet. Dam. Serm. 69. — (8) Tert. Scorpi. 13.

(1) Tert. Apol. 50. — (2) Tert. Apol. 50. — (3) L. 1. Anag. Contemp. in Gen. — (4) Tert. L. de Idol. 12. — (5) Tert. Apol. 50.

namque patientes, cum eo glorificantur. *Quod si filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes vero Christi: siquidem compatimur.* (1) Passiones sunt dispositiones præviæ ad consecutionem gloriæ cœlestis. Quod denotatum vult D. Bernardus in dedicatione Ecclesiæ. Dum Ecclesia aliqua consecratur, supra parietes pinguntur cruce coronatæ: *Tolle crucem, si vis auferre coronam* (2); quia crux est medium ad comparandam cœli coronam. Imo, ut vult D. Chrysostomus, crux est ipsamet corona gloriæ, *coronas merebimur, cruce*. Has coronas meruit et accepit merito beatus Andreas, quia sollicite quæsit crucem, et per crucem cœlo natus est; et ob hanc causam Petrus Damianus Andream et Petrum filios crucis nuncupat: *Qui enim hic sunt filii Joannis, illic sunt filii crucis.* (3) Quasi dicat: Petrus et Andreas in hac vita mortali sunt filii Joannis. « Eorum namque pater Joannes vocabatur; » at in cœlesti gloria sunt filii crucis. Sicut enim mater filios suos non occidit, sed generat, lucem eis non eripit, sed tribuit, non affert mortem, sed dat vitam, sic crux quasi Andree mater, illum cœlo parturivit. Bina est Andree nativitas: una, qua nascitur terræ; altera, qua nascitur cœlo. Illam habet a suis parentibus, istam habet a cruce. De qua sic eloquenter fatur Chrysologus: *Beatus Andreas merito natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex utero, sed conceptu fidei, martyrii partu, cœlestem nascitur generatus ad gloriam: quando non eum materna cunabula susceperunt vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt: quando non infirmum lactus pastum genitricis trahit ex pectore, sed pro rege suo devotissimus miles virtutis sanguinem fudit. Vivit, quia mortem cœlestis militiæ bellator occidit.* (4) Hoc autem est discrimen inter terrenam et cœlestem nativitatem; quod in illa vivit ut moriatur, in ista moritur ut vivat; in illa suum non præbuit ascensum, quem parentes sine ipso operati sunt: ad ipsam ipse sine suis parentibus cucurrit; non enim cœlo natus est nisi postquam crucem desideravit, quæsit, invenit, et inventam ardentem amavit.

III. PARS. Andree dilectio magnanimis est (5): tum quia germani sui Petri adæquat generositatem: *Nec eum cursus faciat dispari fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsum perfecerat.* (6) Tum quia prompte vocanti Christo obsecu-

tus est, non secus ac Simon. *Ad unam vocem Domini sicut ille patrem, patriam, censum reliquit, laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis Christi indefesse germani societate donaret.* Tum quia Christi imitatus virtutes, contumelias et passiones: *Sequitur rite moriendo Dominum æstuans et anhelans, ac toto virtutis gradu dominicis incumbit hæcere vestigiis.* Tum quia crucis supplicium ardentem passus est in quo fratri æquatur. *Nam crucem conjunctis viribus ardentem invadunt.* Quando autem ardore crucem amaverit et sustinuerit Andreas, declarat Bernardus: hanc enim passus est, *non modo, 1. Libenter, 2. sed et Patienter; 3. verum et Ardentem.*

1. Nobis est voluntas et arbitrium eligendi. (1) Licet autem timor voluntatem aliquo modo cogat, tollatque arbitrium eligendi, quæ enim metu fiunt, libenti non fiunt animo; perfecta tamen charitas nullam voluntati infert violentiam: *Perfecta enim dilectio foras abjicit timorem.* (2) Beatus Andreas perfecto Dei sufflammatus amore, non coacte, sed libenter ascendit crucem; quia ab ejus corde omnem penitus amor excusserat timorem: *Ego, aiebat, crucis Christi servus sum, et crucis trophæum optare potius debeo quam timere.* Deinde paratam sibi alloquebatur crucem: *Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti, modo vero amorem cœlestem obtinens pro voto susciperis.* Cum ex devotæ plebis aethicæ instantia et ipsiusmet tyranni imperio crucem dimittere, seseque a tanti supplicii tormento posset eximere, attamen ob Christi summe dilecti amorem nequaquam voluit e cruce dissolvi: nam, ut referunt Aethicæ presbyteri, « mittentes manus ad crucem artifices non poterant penitus contingere eum; et subinde alii e alii ingredientes ut solverent eum, non poterant penitus dimovere eum: » tanta dilectione cruci erat adstrictus. Voluntas circa bonum fertur desiderio, gaudio et amore. Desiderio circa bonum absens, gaudio circa bonum præsens, amore vero circa bonum, sive absens, sive præsens. Crux fuit objectum voluntatis Andree, cujus bonitatem prædicat: *O bona crux!* Hanc absentem diu desideravit. Quam libenter crucem amaverit constat tum ex ejus gaudio, unde aiebat: *Securus et gaudens venio;* tum ex ejus devotione et pietate in Deum. *Ne interficias hominem Deo charum, piûm et mansuetum;* sic loquuntur fideles Aegæo proconsuli; tum

(1) Tert. Scorp. 15. — (2) Serm. de Cruce et Lalron. — (3) Serm. 1. de S. Andree. — (4) Serm. 155. — (5) Tert. L. de Pat. 12. — (6) D. Chrys. Serm. 155.

(1) Tert. L. de Exhort. Cast. 2. — (2) Tert. Scorp. 12.

ex invicta patientia qua suum sustinuit supplicium.

2. *Dilectio patientiæ disciplinis eruditur.* (1) Ex passione D. Cyprianus colligit charitatem: sic enim Apostolum legit: *Charitas omnia suffert, omnia diligit.* Itaque ex mente D. Cypriani idem est diligere ac sufferre: et econverso. Verum, ut bene animadvertit Tertullianus, *ideo dilectio sustinet, omnia tolerat, utique quia patiens.* (2) Ex cruciatibus pro Deo toleratis dilectionis veritas comprobatur, et ex patientia, qua tolerantur tormenta, perfectio dilectionis demonstratur. Qualis fuerit Andreae dilectio constat tum ex supplicio crucis quod patitur, tum ex admirabili patientia qua tam acerbum supplicium per duos dies integros patitur. Christum sub nomine tauri prodit Abacue Propheta. (3) Tauri robur in cornibus situm est, fortitudo vero Christi in manibus cruci affixis. Sic acute Tertullianus Prophetæ expendit mentem a quo *Christus significabatur, ejus cornua essent crucis extrema: nam et in antenna navis, quæ crucis pars est, cornu extremities vocantur. Hoc more cornutus* (4) dicitur B. Andreas in cruce suspensus. Etiam taurus et cornutus potest nuncupari ratione invictæ fortitudinis quam ostendit in cruce. *Fortem facit vis amoris; nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil lethale computat amor verus.* (5) Andreae fortitudo ejus nomine denotatur: etenim Andreas idem est quod *virilis, fortis et robustus.* Fortitudinem mutuatus est *ex virtute crucis* (6), et virtutem ostendit in cruce quam sustinuit ardentem.

3. *Dilectio Deum diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat* (7), ardentissima est. Ea fuit Andreae dilectio, qua crucem ardentem amans, in ea pro totis viribus decertavit. *Qui initiatur a timore crucem Christi sustinet patienter: qui proficit in spe, portat libenter: qui vero consummatur in charitate, amplectitur jam ardentem.* (8) In charitate consummatus beatus Andreas, crucem ardentem amplexus est, et Dei amore *totus ignescens*, ait Bernardus, dilectionis qua cor ejus æstuabat, scintillas per os et verba emittebat. Quas cum stupore admiratur Bernardus. *Quales scintillæ sunt istæ? Nec mirum si ex ore Andreae scintillæ exsiliunt: illum enim Deus posuit ut adamantem et ut silicem* (9): primo ut adamantem, deinde ut silicem. Andreas adamas, seu Deum amans, silex efficitur; quia ex igne

divini amoris quo intus ardet, scintillæ per verba erumpunt; et, ut fatur Bernardus, *ab interiori incendio emicant, æstuans intus divini amoris, crucifixus crucifixum prædicabat.*

(1) A quibusdam nuncupatur Andreas *os lampadis*; sed lampadis lucentis et ardentis: lucentis veritatis splendore; ardentis dilectionis ardore. Veritatis luce ethnicos illuminavit, charitatis ardore ad divinum sufflamavit amorem; et tum lucis splendore, tum dilectionis ardore, cruci affixus Andreas viginti millia hominum ad christianam deduxit religionem.

Basiliius Magnus Christianorum vitam vocitat *vitam crucifixorum.* (2) Quia, ut docet Apostolus, *qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis suis.* (3) Veri Christiani, non solum carnem corruptam quasi fontem concupiscentiarum crucifigunt et castigant per jejunia, cilicia, labores, pœnitentias, sed ipsam concupiscentiam et naturam corruptam cum suis habitualibus vitis, depravatis moribus crucifigunt et comprimunt, etiam cum dolore ad instar Christi crucifixi qui in cruce summum persensit dolorem. Christus ob hominum amorem cruci fuit affixus, Christiani vero Christum ardenti amore diligentes, dicunt cum Sancto Ignatio martyre: *Amor meus crucifixus est; et ut dominico amori aliquatenus respondere valeant, concupiscentias cum vitis crucifigunt.* Christiane, *si nemo te crucifigit, ipse te crucifige.* (4) Christus crucifixus est exemplar martyrum quos tyranni affligunt cruci, et Christianorum qui semetipsos crucifigunt. Christiane, Christo Domino *non sufficit crux sua sine tua.* (5) Christiani Christum diligentes, cruci dominicæ suam annectunt crucem; semetipsos crucifigentes amore perfecto, ait D. Augustinus, *caventes offendere illum quem toto corde, anima et mente diligunt.* Scelerosi vero Christiani concupiscentias suas minime crucifigunt, quia neque crucem, neque crucifixum diligunt: etenim *si crucem amarent, vitam crucifixam agerent.* (6) Quantum distant ab Apostolorum perfectione patet, quia neque crucifixi sunt ligno ut Andreas, neque crucifixi mundo, ut Paulus qui de se affirmat: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (7) Christiane, nolo ut cum Christo et Andrea crucis sustineas supplicium, sed ut ad Pauli imitationem sis mundo crucifixus, et vicissim mundus tibi sit crucifixus. *Tu autem mortuus es, et toti mundo crucifixus.* (8) Mortuus vitæ mundia-

(1) Tert. L. de Pat. 12. — (2) Ibid. — (3) Cap. 3. — (4) Tert. L. adv. Jud. 11. — (5) Chrysol. Serm. 40. — (6) Ibid. — (7) Tert. Scorp. 6. — (8) D. Bern. Serm. 2. de S. Andrea. — (9) Ezech. 3.

(1) D. Chrys. — (2) De Constit. Monac. c. 21. — (3) Galat. 5. — (4) D. Chrys. — (5) D. Chrys. — (6) D. Chrys. — (7) Galat. 6. — (8) Basil. Mag. Ibid.

li; vitæ concupiscentiæ, vitæ vitiorum, quæ vigent in mundo: ut autem ratiocinatur Angelicus Doctor, qui moritur alicui vitæ, ab illis operibus decidit, quæ illi vitæ congruunt. (1) Christianus mundo mortuus debet desistere ab operibus quæ vitæ mundiâli competunt, scilicet a superbia, avaritia, impudicitia, gula, aliisque vitiis quæ vitam mundi sapiunt. Nam ut addit Angelicus Doctor, qui incipit vivere aliqua vita, illa opera facit quæ illi vitæ competunt. Christianus mundo mortuus et Christo vivens, vitam agat Christo conformem, nimirum vitam mortificationis, pœnitentiæ, crucis, ut valeat dicere cum Paulo: *Christo confixus sum cruci* (2); vel cum Ignatio martyre: *Christo conerueifixus sum*; ad instar Petri et Andrea, qui Christi amore sufflammati, crucifixi sunt. *Petrus namque crucem, arborem conscendit Andreas: ut qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram; formamque ipsius exprimerent passionis: et redempti ligno consummarentur ad palmam: sic Andreas noster, etsi cedit ordini, primo tamen non cedit, et labori* (3); passio namque, seu crux Andrea æterno munerata est præmio.

•••••

CONCIO SEXTA.

BEATUM JOANNEM omnia jam, ut ex omnium defloratione constructum (4), quem ideo Bonaventura nuncupat *microcosmum sanctitatis*, scilicet mundum perfectionis abbreviatum, seu integrum mundum perfectionis in uno Joanne conclusum: *Homo græco sermone dicitur microcosmos, hoc est, minor mundus* (5); quia est velut quoddam cunctarum creaturarum compendium: et ut ait Greg. Nazianzenus, *in parvo magnus mundus constituitur* (6); quia universus orbis tam late diffusus et tot creaturis coadunatus abbreviatur in homine: idcirco *omnis creaturæ nomine significatur homo: omnis creaturæ aliquid habet homo*. (7) Esse scilicet cum elementis et sideribus, vivere cum arboribus, sentire cum animantibus, intelligere cum supernis spiritibus. Non absimiliter beatus Joannes est *microcosmos sanctitatis*, quia in eo sunt coacervatæ cunctæ prærogativæ sanctitatis, in aliis gradibus qui Ecclesiam componunt, distinctæ et late diffusæ: *Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias et honores, quos per alios domus suæ famulos sparsim divisit Deus, in*

hoc uno plenius accumulavit et acervavit. Hic Apostolus, Propheta, Evangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor (1); et ob hanc causam Joannem manna comparat Petrus Damianus. Nam sicut manna omne saporis referebat delectamentum, ita Joannes velut manna Sanctorum cunctorum virtutes et perfectiones sapit. Idem Cardinalis postquam fusius Joannis commendavit laudes, eas velut breviori compendio complexus, ait: *Merito dicitur os Dei, linguæ Spiritus Sancti, cedrus Paradisi, lux Ecclesiæ, decus orbis, præco cæli, lumen mundi, sidus hominum, specimen Angelorum, lapis vivus, speculum lucis, logotheca Divinitatis, forma fidei, columna cæli, architectus veri tabernaculi, quod fixit Deus, et non homo*. (2) Tot conglobata encomia Joannem mire prædicant, quæ libens prætereo tria duntaxat asserendo, scilicet quod Joannes est, 1. Inter Apostolos Domino charior; 2. Inter Evangelistas sublimior; 3. Inter martyres constantior.

Dei dignatio suas præmittit prærogativas. (3) Si nullus unquam Sanctus fuit a Deo privilegiis commendatus et prærogativis opulenter dotatus, maxime D. Joannes, quem in Benjamin figuratum vult Polycarpus martyr, qui ad Victorem Summum Pontificem scribens, asseverat Joannem easdem habere supra cæteros Apostolos prærogativas quas Benjamin supra suos fratres. (4) Joseph enim cunctis volens suam demonstrare benevolentiam, singulis duas præbuit stolas; et quia Benjamin præ aliis diligebat, dedit ei quinque stolas, et trecentos nummos argenteos. Duodecim filii Jacob duodecim repræsentant Apostolos: et quia *Joannem Dominus præceteris diligebat* (5), plures ei largitus est prærogativas, ut divina munificentia Joannis nomini responderet: siquidem *Joannes cui donatum est interpretatur*. (6) Inter Christi discipulos quidem neque Apostoli, neque Evangelistæ, neque Martyres fuerunt, ut Josephus et Nicodemus: nonnulli Evangelistæ sunt, sed non Apostoli, ut Marcus et Lucas; alii Apostoli sunt, sed non Evangelistæ, ut Jacobus et Andreas; alii Martyres sunt, sed non Virgines, ut Petrus; alii Virgines, sed non Evangelistæ, ut Paulus. At Joannes est *cui donatum est*: Deus etenim illi contulit cunctos ejusmodi honoris titulos: nam est discipulus uti Nicodemus et Josephus; Evangelista, quemadmodum Lucas et Marcus; Apostolus, ut Jacobus et Andreas; Martyr,

(1) Opusc. 19. cap. 2. — (2) Galat. 2. Epist. ad Rom. — (3) Chrysol. Serm. 155. — (4) Tert. L. adv. Valent. 12. — (5) Pet. Dam. Opusc. 11. c. 12. — (6) Oral. 2. de Paschl. — (7) Greg. Mag. Hom. 29. in Evang.

(1) B. Thom. a Villa Nov. Serm. 2. de S. Joan. — (2) Ibid. — (3) Tert. L. de Bapt. 18. — (4) Euseb. L. 5. Histor. Eccl. 25. — (5) D. Aug. Tract. 6. in Joan. — (6) Hom. 1. ex variis in Evang.

sicut Petrus ; virgo æque ac Paulus. Nec mirum : nam *Joannes gratia Dei interpretatur*. (1) Qualis et quanta sit gratia quam Deus Joanni contulit , colligendum est ex , 1. Divina dilectione ; 2. Dominica similitudine ; 3. Mariana donatione.

I. PARS. *Joannem dilectissimum Domino* (2) nuncupat Tertullianus, imo ipsemet Apostolus plerumque se sub titulo dilecti discipuli indicat. Legite et relegite Joannis evangelium, et nunquam Joannem proprio nomine vocitatum invenietis, sed semper dilectum discipulum nuncupatum ; hoc loquendi modo innuens se plus cæteris discipulis amari a Christo, talemque honoris titulum esse in illo singularem et præcipuum : etenim in ordine tum naturæ, tum gratiæ, dum quis excellit aliqua prærogativa, hac præ aliis decoratur. Sic Aristoteles vocitatur philosophus, Salomon Sapiens, Tullius Orator, Joannes Dilectus. Nam licet multi sint philosophi, eos tamen longe Aristoteles superat ; licet multi sint sapientes, illis tamen Salomon antistat ; licet multi sint oratores, Tullianæ tamen eloquentiæ non æquantur. Sic antonomastice et per excellentiam Joannes dilectus appellatur discipulus. Sic namque *tacito nomine discernitur Joannes a cæteris, non quod solum eum, sed quod plus cæteris diligeret Dominus eum*. (3)

Scriptura sacra Samuelis prophetæ consummavit elogium. Quomodo ? non prædicando quod Judæorum regimen de aristocratiâ in monarchiam transtulerit, neque quod duos reges, Salomonem et Davidem unxerit et consecraverit ; neque quod de Tyriis et Philisthæis gloriosas victorias reportaverit ; neque quod populum tanta integritate gubernavit, ut nullum unquam munus acceperit ; neque quod multa prodigia et miracula patriverit ; neque quod post mortem prædicaverit, apparens Saulo, eique et regni et vitæ finem annuntians, sed quod fuerit *dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta*. (4) Ex divina namque dilectione manarunt cunctæ Samuelis dotes. Idcirco ut cognoscatur quod Samuel fuerit dux populi integerrimus, homo justus et sanctissimus, propheta virtutibus et miraculis famosissimus, sat fuit dixisse : *Dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta*. Eodem modo cum Joannes se dicit *Discipulum quem diligebat Jesus* (5), omnis in se boni fontem aperit, causamque demonstrat. Quidquid in eo majus et illustrius est, dicitur,

cum a Deo diligi dicitur. Scite quondam et vere pronuntiavit Plato *amorem Dei unicuique mundi beneficium esse, et causam bonorum omnium*. (1) Amore siquidem Deus produxit mundum, simulque contulit quidquid boni in eo reperitur ; in Deo namque idem est amare ac benefacere. Idcirco Deus multas prærogativas Joanni largitus est, quia Joannem amavit. Magnum sane est discrimen inter divinum et humanum amorem. Humanum amor est ut plurimum otiosus et omni bono vacuus ; Dei vero amor est negotians quodammodo et omnis boni ferax. Hominum amor supponit bonum amabile in objecto, sed illud non præstat, imo neque sæpe sæpius præstare potest, quia impotens est. 2. Dei autem amor non supponit bonum in objecto, sed ponit, facitque bonum amabile, quia omnipotens est. Divina namque voluntas ejus est omnipotentia : *Quod autem voluit et potuit et ostendit*. (2) In Deo duplex considerandus est amor : unus beneficentiæ, alter complacentiæ. Amore beneficentiæ bona largitur, queis creaturas facit amabiles ; amore complacentiæ sibi complacet in bonis creaturis a sua libera voluntate præstitis. Utrouque amore Deus Joannem amavit : amore beneficentiæ, tot ei largiendo prærogativas quæ eum amabilem præstiterunt ; amore complacentiæ, amans bonum quod Joanni contulit, in eoque complacens. Divinum amorem complacentiæ insinuat Joannes, dum sese nominat *Discipulum quem diligebat Deus*.

Nec mirum si Joannes tanti æstimat dilecti vocabulum, de eoque tantopere gloriatur ; cum specialiter Christo tribuatur, neque Sponsa sacra aliud habeat nomen quo divinum nuncupet Sponsum. Etenim si amorem quo ardet ostentare desiderat : *Nuntiate dilecto quia amore langueo*. (3) Si innocuas quas habuit cum Sponso vult enarrare delicias : *Dilectus meus descendit in hortum suum*. Si Sponsum sollicitat ut egrediatur in agrum : *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum* : in aliisque plurimis locis Sponsa sacra Christum Sponsum suum semper appellat dilectum. Quantus igitur Joannis honor, quanta discipuli dignitas, quod velut alter Christus, Domini et Magistri nomine donetur ! *Vide quantum dignitatis Joanni accrescat, quod unigeniti Filii Dei titulum quodammodo meruit obtinere : Sponsus enim in Canticis dilectus sæpissime nuncupatur*. (4) Neque Sponsa duntaxat Christum dilectum nuncupat, sed

(1) D. Aug. Hom. 1. in Apocal. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 22. — (3) D. Aug. Tract. 16. in Joan. — (4) Eccl. 46. — (5) Matt. 21.

(1) In Conviv. Socrat. — (2) Tert. L. adv. Prax. 10. — (3) Caut. 2. — (4) D. Thom. a Villa Nov. Serm. de S. Joan.

etiam vas electionis Paulus illum tali encomio laudat : *Gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Imo ipsemet æternus Pater , ut Unigeniti perfectiones notas faciat, nihil aliud decantat , nisi : *Ecce Filius meus quem elegi, dilectus meus in quo bene sensi.* (1)

Quælibet persona divina habet speciale teneritudinis objectum. Filius est objectum dilectionis Patris : *Hic est Filius meus dilectus* (2) ; Maria Virgo est objectum amoris Spiritus Sancti , quam ideo amicam et columbam vocitat ; et Joannes est objectum teneritudinis Filii. *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus.* Bina est Christi nativitas : divina una, humana altera. *In nativitate divina est dilectus ex dilecto ; in nativitate humana, factus dilectus ex dilecta.* (3) In nativitate divina Christus est dilectus ex dilecto , quia Filius est Patris dilectus, et Pater vicissim Filii dilectus , quia Pater diligit Filium , et Filius diligit Patrem. Ideo Regius Vates dilecti nomen ingeminat : *Rex virtutum dilecti dilecti.* (4) In nativitate humana , Christus est dilectus ex dilecta, quia est dilectus a Maria, ejus matre ; Maria autem est dilecta Spiritus Sancti ; quæ, ut addit Gilibertus , *effecta est dilecta per ipsum.* Joannes uti Christus, semel et iterum est dilectus : dilectus ex dilecto , et dilectus ex dilecta : dilectus ex dilecto , quia amatur a Filio qui est Patris dilectus ; dilectus ex dilecta , quia amatur a Deipara , quæ est dilecta Spiritus Sancti. Quælibet persona divina diligens , dilecto bona largitur tanquam veræ dilectionis indicia : *Pater diligit Filium, et omnia tradidit in manu ejus* (5) ; Spiritus Sanctus Mariam diligit, et dat illi *sanctitatis thesaurum* (6) ; ut enim ait D. Thomas, *Virgo sancta totam sibi hauserat Spiritus Sancti gratiam* (7) ; Filius diligit Joannem , et eum beneficiis et privilegiis cumulat.

At cur Christus Joannem adeo ardentem dilexit ? 1. Ob magnas perfectiones quas in eo posuit, velut pictor, qui diligit in imagine colores quos ipsemet posuit. Ex D. namque Thoma , *Deus semper diligit meliora* (8) : siquidem divina bonitas est causa efficiens bonitatis , quæ in creatura relucet : unde Deus plus diligit Sanctum , cui majorem contulit bonitatem ; et ita mensura majoris bonitatis est amor, sicut signum majoris amoris, est major bonitas. Quapropter Christus Joannem magis diligens , majorem Joannis ostentat bonitatem. 2. Ob virginalem Joannis puritatem, quia ut fatur D. Hieronymus, *hinc*

specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione eum fecerat dignum. (1) *A Mariæ solius virginitate præceditur Joannes virginitas.* (2) 3. Ob amoris magnitudinem quo Joannes dilexit Christum : *Unde divinitus illi concessum est , ut tanta cor ejus etiam circa fratres , charitatis gratia repletur , ut sacrosanctum pectoris ejus templum , velut caminus quidam divini videretur incendii. Quod in scripturis ejus patenter agnoscitur, in quibus utique per omnem fere paginam , quasi per rimas , charitatis vapores effundere , charitatis videtur ardoribus æstuare.* (3)

Oritur hic difficultas , an Joannes plus quam Petrus dilexit Christum. Ut autem hæc resolvatur quæstio , r. memini Alexandrum Magnum habuisse duos sibi familiares et amicos : Craterum scilicet et Hephestionem, qui diverso erga eum ferebantur amore : Craterus namque diligebat regem , et Hephestion amabat Alexandrum. Quare Alexander eorum amori probe respondens , primum locum in consilio dedit Cratero , qui amabat regem ; primum vero locum in suo corde dedit Hephestioni , qui diligebat Alexandrum. Non absimiliter concludit D. Thomas : *Petrus plus dilexit Christum in membris , et sic etiam a Christo fuit plus dilectus : unde ei Ecclesiam commendavit : Joannes vero plus dilexit Christum seipso : et sic etiam ab eo plus fuit dilectus : unde ei commendavit Mariam.* Petrus plus amavit Christum in membris suis , quia cum futurus esset Ecclesie visibile caput , Deus illi contulit singularissimum erga fideles affectum : Joannes vero plus amavit Christi personam , quæ cum sit nobilior Ecclesia , ejus amor est nobilior amore Petri , et quia Deus diligentes se diligit , fuit *Joannes plus dilectus quantum ad quædam familiaritatis indicia, quæ Christus ei magis demonstrabat.* (4) At cur Petro et non Joanni, « quem teneriori amore diligebat, » Christus commisit Ecclesie claves ? Hanc quæstionem proponit et resolvit acute hic Rupertus (5) ; nec illud prætereundum , quia cum tali amoris privilegio diligeret eum , non tamen huic , sed Petro specialiter : Tu es Petrus. *Dominus noster cum omnes discipulos , et præcipue Petrum , amore spiritus vel mentis diligeret , hunc Joannem quodam cordis amore velut hominem diligens , non tamen cæteris in Apostolatu præferre voluit, quippe qui in omnibus divinam voluntatem attendens quodam loco dicit : Quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quid venus-

(1) Tert. L. adv. Prax. 11. — (2) Tert. L. adv. Prax. 19. — (3) Gilibert. Serm. 47. in Cant. — (4) Psal. 67. — (5) Tert. L. adv. Prax. 16. — (6) Joan. Damascen. Orat. 1. de Dormit. Virg. — (7) In Caten. ad c. 1. Luc. — (8) P. Quæst. 20. Art. 4.

(1) D. Hieron. in c. 21. Joan. — (2) Pet. Dam. Serm. 1. de S. Joan. — (3) Petr. Dam. Serm. 64. — (4) D. Thom. — (5) L. 4. de Operib. Spir. Sancti. c. 1.

tius, et pro Joanne sublimius potest dici? Præter dilectionem spiritalem qua pariter Joannem cum aliis discipulis diligebat Christus, amoris teneritudine, cordisque blanditiis ita eum amabat, ut audeat meditari Rupertus, voluntatem Christi ut hominis adeo amore fervido in Joannem ferri, quod ei facile committeret Ecclesiæ principatum, nisi voluntati Dei se subiceret: *Quid huic beatitudini par?* (1) et quis post hæc de prærogativa amoris dominici in Joannem audeat dubitare, de ejus excellentia sciscitari, quæ magis adhuc fulgebit ex singulari quam habet cum Dei Filio similitudine?

2. *Idque quo facilius intelligas, recognosce ex similitudine Dei quam habet.* (2) Septuplex autem est similitudo, eaque peculiaris, quæ inter Joannem et Dei Filium reperitur. Nam, 1. Dei Filius dictione generatur: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum* (3); Joannes vero, Christi verbo, Mariæ efficitur Filius. Hominum verba inefficacia sunt, dicendo res, eas non producant: verbum autem Dei est efficax, res dicendo producit: *Utique enim omnia quod vocantur hoc erunt, et quod erunt hoc vocabuntur* (4); ut patet in Eucharistiæ sacramento, quod Christus efficit per verba consecrationis, quæ substantiam panis et vini commutant in corpus et sanguinem illius. Qua comparatione utitur Petrus Damianus, ut ostendat Christum sua dilectione vere Joannem effecisse filium beatissimæ Virginis: *Non enim illa verba quæ Salvator noster in cruce positus protulit: Mulier, ecce filius tuus, sic simpliciter sunt accipienda, ut humano tantum more videantur prolata; sed prorsus efficacia sunt, et divinis virtutibus fulta, atque inevitabili veritatis auctore subnixæ. Sicut enim dixit Matri: Hic est filius tuus, sic ita dixit discipulis: Hoc est corpus meum, et tantus fuit in illis verbis effectus, ut ille panis quem dabat, dominicum fieret corpus.* (5) Hoc autem intercedit discrimen inter verba quibus Christus confecit altaris sacramentum, et illa quæ Joannem constituit Deiparæ filium, quod in sacramento, substantia panis et vini destruitur, Joannes vero ita Virginis constituitur filius, ut Salome filius non desinat esse: *Non desinat esse Joannes filius corruptæ matris, quia imperio Christi filius factus est Virginis: nec potest non esse filius Virginis, quia fuit ante filius corruptæ matris.* (6) 2. Filius a Patre dictione generatus, est vera parentis imago. *Ut et filius*

representator Patris haberetur. (1) Joannes vero Christi sermone factus est *filius Virginis, et frater est Salvatoris* (2), quem ita representat, ut Jesus esse videatur. Cum Sisigambis Darii Persarum regis mater Hephestionem pro Alexandro salutasset, errorisque a Macedone veniam postulasset: Non est cur dolas, Regina, ait Macedo, quia *hic Alexander est.* (3) Potiori jure Joannes filius Mariæ constitutus, velut Jesus haberi potest. Quod non subterfugit Origenis acumen: Etenim cum *acceperit a Jesu Mariam; quæ etiam ipsius mater fiat, adeo talem tantumque esse necesse est, qui Joannes alius sit futurus, ut quemadmodum Joannes itidem et iste a Jesu, Jesus existere ostendatur. Nam dum dicit Jesus Matri: Mulier, ecce filius tuus: perinde est ac si dixisset: Ecce hic est Jesus quem genuisti.* (4) 3. Filius simul cum Patre producit Spiritum Sanctum: *Cæterum, de meo sumet, inquit, sicut ipse de Patris.* (5) In productione autem Spiritus Sancti, tria consideranda sunt: scilicet principium, origo, terminus: 1. Principium est Pater et Filius, qui sunt unus spirator, quia eadem voluntate fecunda producant tertiam in Trinitate personam. 2. Origo, dicitur processio, quæ a productione Filii distinguitur, quæ generatio nuncupatur; 3. Terminus productus est Spiritus Sanctus, qui *Genitoris Genitricisque amor* (6) dicitur. Productio Joannis in filium Deiparæ, Spiritus Sancti originem æmulatur in principio, productione et termino, 1. In principio; nam sicut Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, ita Joannes a Christo et Maria producitur. A Christo quidem, cujus sermone *beatus Joannes, non solum filii potitus est nomine, sed propter verba dominica quoddam majus necessitudinis sacramentum, apud beatam Virginem meruit obtinere.* (7) A Maria etiam, quæ illum si non hominem, virginem tamen generavit: *Quodammodo Joannes virginis Matris in virginitate filius fuit: cujus illa si non carnem, carnis tamen integritatem edidit, et illum si non hominem, tamen virginem genuit.* (8) Duplex est Deiparæ filius: naturalis unus, adoptatus alter: Christus est filius naturalis, Joannes est filius adoptatus: naturalem filium Maria genuit, et ut hominem, et ut virginem; adoptatum filium, non quidem ut hominem, sed ut virginem generavit: nam si Maria Mater virginum in communi nuncupatur, quanto a fortiori,

(1) D. Chrys. Hom. 32. in Joan. — (2) Tert. L. adv. Prax. 5. — (3) Tert. Apol. 21. — (4) Tert. L. adv. Prax. 9. — (5) Serm. 64. c. 3. — (6) D. Bern. Sen. Tom. 1. Serm. 55. Art. 1. c. 3.

(1) Tert. L. adv. Prax. 24. — (2) Pet. Dam. Serm. 64. c. 3. — (3) Curt. — (4) Præfat. in Ev. Joan. — (5) Tert. L. adv. Prax. 25. — (6) D. Ambr. Præfat. in Symb. Apost. c. 1. — (7) Pet. Dam. Ibid. — (8) Galfrid. apud Tilman. in Allegor.

mater virginis Joannis, cujus spiritualis generatio, productionis Spiritus Sancti æmula dicitur? 2. In processione. *Christus in cruce pendens, ipsam Virginem virgini discipulo commendavit, indicendo novam filiationem atque maternitatem; non alterando naturam, sed præferendo gratiam, cujus nova processio agebatur sub cruce.* (1) Tandem Spiritus Sanctus, qui est processionis divinæ terminus, dicitur Amor personalis, et ut nihil desit ad complementum et consummationem processionis Joannis, ipse vocitatur Amor: filius namque græco idiomate idem sonat ac amor. *Filius in græco nomen amoris est. Omnis enim Christi amor, in amorem Virginis transit, ut merito filius, id est, amor virginis nuncupetur, magisque Virginem habeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccato damnatum mundo, suscepto semine generavit.* (2) 4. Dei Filius est in sinu Patris: *Apud Deum erat sermo, unigenitus scilicet Filius in sinu Patris.* (3) Ex D. Ambrosio, *in triplici sinu Christus requievit: in sinu Patris in cælo; in sinu Matris et Joannis in terra.* (4) Multum est quod Christus requieverit in sinu discipuli, hoc magnum magistri ostendat amorem, sed absque comparatione majus, et omni stupore dignum, cernere Joannem pectori Domini incubantem. (5) Tale privilegium, tantam familiaritatem merito miratur Archiepiscopus Valentinus: *O miram audaciam! Non audet Baptista sacrum Domini verticem contingere, Magdalena cum timore et tremore pedes tangit; Thomas nisi jussus manum non mittit in latus, Joannes dilectus non jussus, non petita venia, confidens recumbit supra Dominicum pectus.* (6) Marcus Aurelius Imperator Heliogabulum tanto prosequabatur amore, ut in convivio supra suum pectus ei requiescere permiserit (7): quanto magis Christus cunctos reges terræ superat, tanto major est gratia Joanni concessa, qui in sinu Regis regum, et Domini dominantium requiescit. Quod attente considerans D. Bernardus exclamat: *Felix discipulus ille, qui sic familiaris erat Auctori vitæ, quæ nunc est et futuræ. Nimis honoratus Discipulus ille, qui sui capitis habuit reclinatorium tam venerabile, pectus scilicet Jesu Christi creatoris cunctorum.* (8) 5. Filius Dei in sinu Patris existens, cuncta quæ scit Pater cognovit: *Filius Patrem novit, et sinum Patris ipse exposuit, et omnia apud*

Patrem audivit et vidit. (1) Ut autem asseverat Bernardus: *Hausit Joannes de sinu Unigeniti, quod de paterno hauserat ille.* (2) Tanta fuit in illa quiete notitia illustratus Apostolus, ut postea nihil eum ignorasse velit Tertullianus. *Latuit et Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem præmonstravit?* (3) Plus audet Rupertus, et Joannem in illo somno, clara Dei visione potitum per modum transeuntis existimat. Et ut ait Cæsarius Arelatensis (4), de Verbo verbum hausit. *Neque alius quisquam incarnati Dei et Verbi ausus attingere illud formidabile pectus, super quo hic Joannes velut filius super patrem recubuit, inde de Verbo verbum hausit.* (5) Trinam Verbi divini, quod est divina veritas, invenio generationem: unam in memoria Patris; aliam in utero Virginis; tertiam in anima Joannis. In memoria Patris generatur et accipit esse divinum; in utero Virginis incorporatur et accipit esse humanum; in anima et mente Joannis velut de novo incarnatur, ut Verbum illud quod in sinu Patris et in utero Matris est inintelligibile et ineffabile, per os Joannis intelligibile et audibile sit. Sic expendit Rupertus istud Davidicum: *Veritas quæ de terra orta est, carnem de Virgine assumens, eadem de virginalis Joannis anima generatur, vocem corpoream induens, ut pro nobis contra omnem hæreticam pravitatem dimicet. Qui enim de corde suo Verbum bonum eructavit in uterum Virginis, ut Deus invisibilis visibilis, et verus homo fieret; ipse castis complexibus suis ascitam dilecti Joannis animam, eodem Verbo imprægnavit; ut Verbum ineffabile per vocem litteramque ejus, audibile et intelligibile procederet.* (6) Divinum Verbum invisibile in sinu Patris, factum est visibile per humanationem in utero Matris: quia tamen Verbum illud sive ab æterno generatum, sive in utero humanatum, incomprehensibile et ineffabile erat hominibus, in mente Joannis velut incarnatur, ut fiat cognoscibile, tum per prædicationem, tum per Evangelium dilecti Discipuli, in quo æterna et temporalis, divina et humana Verbi nativitas declaratur. *Ille fons generis Adam, ante ebibit soporem, quam sitiit quietem.* (7) In hoc autem sapore exstasim passus Adam, interfuit cælo et cognoscens futurum incarnationis mysterium prophetat. « Exstasis intelligitur immissa, ut meus Adæ particeps angelicæ curiæ intrans sanctuarium, Dei no-

(1) Simon de Cassia L. 2. de B. Mart. 27. — (2) D. Bern. Serm. Tom. 1. Serm. 65. Art. 1. c. 5. — (3) Tert. L. adv. Prax. 15. — (4) Serm. 1. de Epiph. — (5) Tert. L. de Præse. Hæret. 22. — (6) Serm. 2. de S. Joan. — (7) Xiphilin. — (8) Serm. 5. de Cæn. Dom.

(1) Tert. L. adv. Prax. 8. — (2) Serm. 8. in Cant. — (3) — Tert. L. de Præse. Hæret. 22. — (4) Inc. 1. Apoc. — (5) Dialog. 35. — (6) L. 1. Joan. — (7) Tert. L. de An. 43.

vissima intelligeret, unde evigilans prophetiæ spiritu eructavit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » (1) Soporatus Adamus ut de latere ejus formaretur malier, humanationem Verbi vaticinatur: supra pectus Domini soporem sumens Joannes, ineffabile illud sapit mysterium, et sicut *Pater ipse testatur: Eructavit cor meum sermonem optimum* (2), ita Joannes a somno evigilans, divinum Verbum in suo Evangelio eructat: *In illo namque extatico somno, quando supra pectus ejus in cena recubuit, mira de illius divinitate secreta cognovit: a quo evigilans stupendum illud Evangelii sui exordium: In principio erat Verbum, mirabiliter eructavit.* (3) 6. Filius mysteria quæ in sinu Patris novit, discipulis suis manifestat: *Nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit.* (4) Joannes quoque mysteria quæ supra pectus Domini a Christo didicerat, revelat Ecclesiæ: « Videte qualis fuit Joannes Apostolus, ait D. Augustinus: supra pectus Domini discumbebat, de alto illo fonte sapientiæ secreta bibebat: inde enim bibit quod in Evangelio eructavit. » (5) Alexander Magnus dilecto Hephestioni intima cordis detegebat, et etiam secreta in epistolis maternis contenta manifestabat; verum statim sigillum suum supra os Hephestionis apponebat, ne cui sibi manifestata propalaret (6); Christus e contra dilecto sublimiora quæque aperit mysteria, non ut in seipso occultata conservet, sed ut de illis erudiat fideles. Fidelitas Joannis erga Christum, quem neque in vita, neque in morte deseruit, et obsequium Deiparæ præstitum, meruerunt illi quodammodo divinatorum mysteriorum notitiam. *Qui etiam quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ Matris; mysteria quoque divinitatis, et arcana Verbi incorruptibilis sibi corde promeruit.* (7) Fidelem hunc Discipulum, et Mariæ filium obsequentissimum elegit Christus, velut suæ divinitatis et humanitatis interpretatorem: *Nec mirum si Redemptor noster beato Joanni vicem suam ad declarandum divinitatis suæ mysterium delegavit, quem et ad custodiendam venerabilem Matrem suam, perpetuam videlicet Virginem, velut alterum filium, sui loco supposuit.* (8) Verbum est mentis interpres, ad divinum pertinet Verbum paternam declarare majestatem: attamen pro magno quo discipulum diligit amore, ad de-

clarandam suæ Divinitatis essentiam quoddam quasi organum fecit. (1) Interpretis officium est explicare quæ alii aut nesciunt, aut nolunt propalare: Legatus Turca linguæ gallicæ nescius indiget interprete, ut Gallis manifestet secreta, quæ non nisi Ottomanico idiomate potest declarare: Galliarum Rex Cancellario mandat munus suam manifestandi Parlamento voluntatem, non ex inscitia, sed ex auctoritate, qua illi ejusmodi committit officium: quapropter Cancellarius perorans personam repræsentat Regis; qui eum voluntatis suæ quoddam quasi organum fecit. Eodem modo Joannes est interpres Verbi, non quod illo indigeat Verbum, sed quia eum ad hoc munus elegit. Verbi etiam personam repræsentat discipulus: siquidem Joanni vicem suam ad declarandum Divinitatis suæ mysterium demandavit. Humanatum Verbum binam habet generationem: divinam unam, humanam alteram, estque imago Patris a quo ab æterno generatur, et imago Matris a qua in tempore producitur. Ut imago Patris *totum exprimit Genitorem*, (2) quia Patris declarat magnitudinem. Ut imago Matris, Mariæ repræsentat perfectiones: at Joanni vicem suam demandavit, ut et paternas et maternas declararet perfectiones. Dilectus ille discipulus magistri et Domini vicem gerens, notam facit divinitatem quam Verbum divinum accepit a Patre in sua æterna generatione: *Theologus Joannes Dei verbum ante secula apud Patrem esse, et Deum esse, non solum inenarrabiliter vidit, sed et profunda sublimitate descripsit.* (3) Manifestat adhuc humanitatem quam Verbum a Matre accepit in tempore. *Quidquid est quod Maria genuit, Joannes evangelizando suo commendat eloquio.* (4) Tandem, 7. Pater Filio dedit quod majus omnibus est: ut ipsemet testatur Filius: *Pater enim quod mihi dedit majus est omnibus:* (5) nempe divinitatem suam quam Filio Pater dedit. Similiter filius Joanni dedit quod inter puras creaturas majus est omnibus, scilicet Mariam matrem suam.

3. Joannem loco suo filium Mariæ demandavit (6) Christus ad recipiendam Deiparam in matrem. Multis beneficiis præparatus est Joannes. *Intelligendum sic distributum esse huic discipulo, quod opus erat, ut illic etiam beatæ Mariæ tanquam matris ejus portio poneretur.* (7) Ut Deiparæ dignus existeret Joannes, multiplicem in illo præviam dispositionem requirunt Patres. Prima dispositio

(1) D. Aug. in Gloss. (2) Tert. L. adv. Prax. 7. — (3) B. Thom. a Villa Nov. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 21. — (5) L. 5. Hom. Hom. 19. — (6) Plutar. — (7) Gregoric. Sermon. 4. de Assump. Viig. — (8) Pet. Dam. Sermon. 64.

(1) Pet. Dam. — (2) Greg. Nyss. — (3) Pet. Dam. Sermon. 64. — (4) D. Hier. Sermon. de Assump. — (5) Tert. L. adv. Prax. 22. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 22. — (7) D. Amb. Sermon. 15. In Psal. 128.

Joannis fuit gratia sanctificans, qua abunde ornatus fuit: conveniens namque erat ut Maria, quæ est gratia plena, Joanni committeretur, qui in suo etiam nomine redolet gratiam: *Neque enim Mater Domini migraret nisi ad possessionem gratiæ.* (1) Virginalis, puritas qua insignitus est Joannes, fuit secunda dispositio ad receptionem Mariæ. *Non enim pudicissima virginitas alicui discipulorum rectius quam virgini commendaretur, ut esset ad invicem, gratia, societas, et floridus aspectus.* (2) Jugis cum Christo societas et inseparabile contubernium fuit tertia præparatio ad receptionem Mariæ in matrem; et sicut Eliam *velut ex latere meritum attigit Elizæi, videlicet quia perseverando cum illo quasi hæreditario jure spiritum perciperet Magistri* (3): ita Joannes inseparabiliter perseverans in comitatu Christi, quasi hæreditario jure Deiparam in matrem recepit. Requies supra pectus humanati Verbi, fuit quarta præparatio ad susceptionem Matris quæ illud in suo sinu conceperat, *Discipulus qui in cæna dominica cervical sibi in pectore Magistri aptavit, ecce iterum alio privilegio honoratur, et post illud reclinatorium, officina illa in qua Verbum caro factum est, diligenter ei a Filio commendatur.* (4) Joannes in cæna supra pectus Domini recumbens, præparatus est, ut ei commendaretur Maria: ut dignus esset famulari Deiparæ, debuit præparari, requiescens supra pectus quod in utero Virginis conceptum fuerat. Neque Joanni commendavit Christus suam Matrem, nisi postquam illum secum ad Thaboris glorias, siquidem assumitur *Joannes cui committitur Mater.* (5) Qui Dei gloriam non videt, vix potest digne cum Maria familiariter conversari: et quia Joannes conversaturus erat cum ea, eam familiariter allocuturus, ad beatas Thaboris glorias assumitur, ut a gloria Filii erudiat, qualiter cum Maria tractare debeat.

His dispositionibus præparatus Joannes, *testabatur de cruce Dominus Jesus, et paulisper publicam salutem differt, ne Matrem inhonoratam relinquat.* (6) In cruce testamentum suum condidit Christus suaque bona distribuit. Suis namque inimicis injuriarum dedit condonationem, vestem suam militibus, gratiam peccatoribus, hono latroni gloriam, fidelibus virtutum exempla, Ecclesiæ sacramenta, Petro Ecclesiam, Patri Spiritum, sepulcro corpus, Joanni Mariam, velut existimationis monumentum et tesse-

ram amoris. *Illa quæ potiora credimus, ad conservandum melioribus damus.* (1) Inde sapienter colligit Cassiodorus, quanti Artemidorum faciebat Theodorus rex, cui Romam custodiendam commiserat. *Nemo amplius videtur erigi, quam cui potuit Roma committi.* Quanto major est Maria non solum Roma, sed etiam universo orbe, tanto major est honor, quem ex illa commissione mutuatur Joannes. Nam, ut ait supra memoratus D. Ambrosius, *legatur Matri defensor pudoris, testimonium integritatis.* Quid est hoc? Maria, quæ solo aspectu puritatis amorem ingerebat cordibus, Maria, quæ solis radiis purior existit, indiget Joanne ad pudoris sui defensionem et testimonium. Adeo dilecti discipuli protectio proficua est Mariæ, ut licet de ejus virginitate nihil vaticinati fuissent prophetæ, nihil retulissent evangelistæ, sufficiebat ad illam suadendam, Joannis solius auctoritas; et ob hanc causam ait Chrysologus: *Dominus ex cruce Virginem virgini praudit, ut inter tales cura sola sacramenti, sola societas religionis habere-tur; nec mundanæ sollicitudini discipulus tantus iste serviret, sed prædicaturus Virginis partum domi haberet, unde hoc dubitantiis approbaret.* (2) Tale munus regium superat quod regna gubernat, angelorum officium excellit, qui stellas volvunt, dum Joannem Christus *vicarium sibi elegit.* (3) Spiritus Sanctus est *Christi vicarius.* (4) Christus sublimatus in cælum, misit Spiritum Sanctum velut sui vicarium ad regendam Ecclesiam, et Christus adhuc morti proximus, Joannem constituit suum vicarium, eique suam Matrem committit. *O magnum dilectionis indicium! suo loco apud Matrem substituit eum, et pro se in filium Virginis reliquit eum: huic gratiæ quid amplius aucti potest?* (5)

Verum, ut bene animadvertit D. Ambrosius, *testabatur de cruce Christus, et inter Matrem atque Discipulum dividebat pietatis officia, condebat Dominus, non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum, et hoc ejus testamentum signabat Joannes, dignus tanto testatore testis.* (6) Publico testamento amicis et inimicis, bonis et malis bona sua largitus est Christus. Privato testamento Mariam Joanni, et Joannem Mariæ dedit: *Mulier, ecce filius tuus.* (7) Eodem fere modo Scriptura refert et generationem filii ex Virgine, et generationem Joannis ex Maria, in utraque generatione idem servatur stylus. Angelus etenim annuntians Virgini in-

(1) D. Amb. Exhort. ad Virg. — (2) D. Hier. Serm. de Assump. — (3) Rupert. L. 5. in L. Reg. 18 — (4) Arnold. Carnot. Tract. 7. de Verbis. — (5) D. Ambr. in c. 9. Luc. — (6) D. Amb. L. de Instit. Virg. c. 7.

(1) Cassiod. Ep. 42. — (2) Serm. 49. — (3) Petr. Dam. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 28 — (5) Thom. a Vill. Nov. Serm. 2. de S. Joan. — (6) L. 10. — Ep. 82. ad Eccles. Versel. — (7) Joan. 19.

carnationem Verbi, ait: *Ecce concipies*; et statim addit: *Quod ex te nascetur*, ut inuatur ex sola Virgine, absque viro nasciturum Christum. Christus etiam Mariæ Joannis filiationem declarans, dixit: *Mulier, ecce Filius tuus. Ecce etenim et tuus est signum virginæ conceptus*, ut Joannes totus appareat matris. *Hoc ideo figuratum est per pronomen te, quod est discretivum, ubi sequitur: Quod nascetur ex te, id est, ex te sola, non ex te et viro: ad hoc inuendum dicit ei Jesus: Mulier, ecce Filius tuus, totus tuus.*

(1) In Christo duplex est filiatio: est etenim filius Patris æterni, et adhuc filius est Mariæ. Utriusque filiationis, divinæ scilicet et humanæ, Christus Joannem efficit participem: divinæ quidem, dum illi largitur gratiam, qua adoptatur ab æterno Patre; humanæ etiam, dum Joannem testamento suo constituit filium Mariæ. In filiatione Joannis, 1. Maria concipit de Spiritu Sancto; 2. Concipiendo suam conservat virginitatem, quia se sola absque viro concipit; 3. Totus Christus est Virginis filius, quia ab ea sola totam accepit humanitatem. In filiatione Joannis, 1. Maria illum concipit virtute sermonis Christi; 2. Servat suam virginitatem, quia se sola concipit. 3. Joannes totus est Mariæ filius: *Una est Mariæ et Christi caro, unus spiritus.* (2) Una caro, quia, ut ait D. Augustinus, *caro Christi caro est Mariæ. Unus spiritus, quia inter illos erat cor unum et anima una. Hujus unitatis æmula est unitas quæ inter Joannem et Mariam intervenit. Unitas carnis, quia uterque est virgo, et ut ait D. Hieronymus, una siquidem virtus virginitatis erat in ambobus.* (3) Unitas spiritus: Christus etenim Mariam et Joannem *amore videlicet et charitate non minus illos conjungi voluit quam si naturæ maxima propinquitate conjuncti essent.* (4) Christus erga Deiparam semper optimi filii præstitit officium, quam maximo venerabatur honore, et cui submisso obsequabatur. Maria quoque Christo maternam exhibuit teneritudinem. Salvator Mariam Joanni commendans, et Joannem in filium Mariæ adoptans, hortatur illum ad honorem et obsequium quod tantæ Matri debet filius: nam, ut addit Cyrillus Alexandrinus, *commendavit matrem Christus discipulo, ut officium filii in eam servaret: matrem similiter admonuit, ut parentis in discipulum auctoritatem haberet* (5): et ut illud officium erga Deiparam probe exhiberet, *vices filii naturalis filius accepit adop-*

tivus. (1) Suo loco Joannem substituit Christus, ut vices suas ageret Joannes non minus in honore filii Virginis, quam in debito pietatis. *Adoptio fortunæ remedium est.* (2) Leges viris adoptandi filios concedunt licentiam. Hanc permissionem denegant mulieribus nisi earum filius naturalis pro reipublicæ aut regni servitio occubuerit. Jesus est filius Mariæ naturalis, qui pro Dei gloria et hominum salute sustinuit mortem; ut de sua passione matrem consolaretur, Joannem in filium ejus adoptat, et ut hæc adoptio solemnior esset, de cruce tanquam de regali solio, ait: *« Mulier, ecce filius tuus. »* Quasi dicat, ut animadvertit Georgius Nicomediensis: *Huic tu velut filius, meum in eam repende debitum: nam cum loco filii ejus naturalis sis positus, æquissimum est ut ei eadem præstes officia quæ præstitisset filius ejus naturalis, si diutius vixisset: Concedit discipulo præfecturam Matris: jam papæ! quomodo honorat discipulum, fratrem suum illum faciens!* (3) Talis honor desumendus est ex dignitate Mariæ quam Dominus discipulo commendavit, et ex dignitate Christi cujus frater Joannes effectus est, et ex dignitate filii Deiparæ ad quam Joannes assumptus fuit. Sic suo Cæsari fatur Seneca: *Uterque mensuram implevimus, tu quantum princeps tribuere amico possis, et ego quantum amicus a principe accipere.* (4) Quanto a fortiori his verbis potest Christum alloqui Joannes? Cui Dominus dedit Mariam cœli et terræ Reginam, thesaurum sanctitatis, gratiarum pelagus, perfectionis abyssum: *quam accepit discipulus in sua, seu, ut legit Pagninus, in propria: et virtute cœlestis hujus filiationis et dominici testamenti, Virginem partu felicem, convictricem habuit discipulus intra domum suam* (5), in qua remansit quasi mater honorificata. (6)

Animadvertit autem Origenes quod Christus morti proximus dicens Joanni: *Ecce mater tua*, omnes admonet debitum Mariæ tanquam Christi Matri debere nos exhibere honorem. Deinde dicens Virgini: *Mulier, ecce filius*, nos omnes per Joannem representatos, Mariæ commendasse velut suos filios et Christi fratres. *Christus dicens: Mulier, ecce filius tuus, perinde est ac si dixisset: Ecce hic est Jesus quam genuisti.* Cujus egregiam subministrat rationem. *Nam quisquis perfectus est, amplius non vivit ipse, sed in ipso vivit Christus; cumque in eo vivat Christus, dicitur de eo Mariæ: Ecce filius tuus Christus.* (7) Demus operam ut in nobis vivat Christus. Sic enim erimus

(1) Richard a S. Laur. l. 4. pag. 271. — (2) Arnold. Carnot. Tract. de Laud. Mari. — (3) Serm. de Assump. Vng. cap. 5. (4) Serm. de Assump. — (5) Cyril. Alex. l. 12. in Joan. 34.

(1) Arnold. Carnot. Tract. de 7. Verbis. — (2) Senec. — (3) Theophylact. — (4) Tacit. l. 14. — (5) Ven. Beda. — (6) Eccles. 15. — (7) Prælat. in S. Joann.

Christi, et filii beatissimæ Virginis ad instar Joannis, qui cum sit titulo filii Deiparæ honoratus, ad Mariam et Christum nobis præbet accessum. Ut enim belle ait Arnoldus Carnotensis supra memoratus, *intueor quadrigam, qua currendum est ad Patrem, sic debere distingui: Ut per te ad Matrem, per Matrem ad Filium, per Filium vero attingere possit affectus ad Patrem: et in hoc serculo tu sis columna argentea, Mater ascensus purpureus, Filius media charitas, reclinatorium aureum, visio pacis in decore suo, et æternæ pacis jucunda tranquillitas.* Ad beatitudinem in qua Sancti intuitiva Dei visione fruuntur, per quatuor ascenditur gradus, in primo, per Joannem habetur recursus ad Mariam; in secundo, per Mariam ad Christum; in tertio, per Christum ad Patrem; in quarto, tranquilla habetur jucundæ felicitatis possessio. Diaphanus, Themistoclis filius, se universam gubernare Græciam jactitabat. Quod hac probabat ratione: Mater mea mihi obsequitur, pater obtemperat matri, Græcia patri obedit, et consequenter Græcia a me regitur. Non absimiliter Christus potentissimus est apud Patrem: Maria apud Christum multum potens est, ego quoque apud Mariam matrem meam, ideoque Joannem nuncupat: *Beatum Joannem Dominus quodammodo cæli clavicularium constituit, cum beatæ Genitricis suæ decrevit esse custodem.* (1) Beatissima virgo cælum est animatum, quæ valde potens est sua dignitate et suffragio ad aperiendum inanimum cælum: illius autem cæli animati, Joannes est clavicularius. Duos Apostolos loco sui substituit Christus, Petrum scilicet et Joannem. Petro commisit Ecclesiam, Joanni commendavit Matrem. Petrus, cui commissa est Ecclesia, vices gerit Christi, et velut ejus vicarius, est cæli inanimati clavicularius. Joannes cui Christus suam commendavit Matrem, vices gerit Salvatoris, estque clavicularius animati cæli, et media Maria, quæ auctoritatem habet aperiendi cælum inanimum, est adhuc hujus cæli clavicularius. Imo ipsemet Petrus cum aliquod secretum nosse desiderat, Joannis patrocinium implorat. *Tacent cuncti Apostoli, tacet et Petrus, tacet cæli clavicularius: tandem Joannis patrocinium ab omnibus queritur, et sic ad rei dubiæ notitiam pervenitur.* (2) Inde concludit Petrus Damianus: *Quantum apud justum judicem pro peccatoribus poterit, qui et pro ipsis cælestis curiæ senatoribus intervenit? et qui advocatus factus est summis, quam humiliter*

implorandus est a minimis! Divina dignatio quæ effecit illum inter discipulos chariorem, adhuc eum fecit inter Evangelistas sublimiorem.

II. PARS. *Solem noctuæ nesciunt oculi; aquilæ ita sustinent ut natorum suorum generositatem de pupillarum audacia judicent, alioqui non educabunt, ut degenerem, quem solis radius averterit.* (1) De aquila tria fantur passim auctores: unum, quod inter aves primum tenet nobilitatis locum: *Ut leo inter bestias, ita aquila inter aves regnum tenet.* (2) Aliud, quod tanta visus acie polleat, ut irreverberatis oculis Solem contempletur: quare aquilam *ab acumine visus,* (3) et oculorum perspicacitate dictam vult Isidorus. Tertium, quod nubes et aera transcendens, altius cæteris avibus suum volatum extollit: *nulla quippe altius avis volare perhibetur.* (4) Hæc tria beato Joanni optime congruunt, qui, ut addit D. Augustinus, *propterea aquilæ merito comparatur.* Nam, 1. ut aquila cæteras aves, sic Joannes *in speculanda summæ Divinitatis essentia præcedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, Apostolos superat.* (5) 2. Majori pollet visus acumine, et *velut aquila lucem veritatis fumioribus oculis intuetur.* (6) 3. Nostra aquila altius volat: *Joannes volatu quodammodo æthereo supereminet terris, et gaudet luce Solis justitiæ* (7); et ut aliorum ait D. Augustinus: « Joannes Evangelista supra cælum et terram volans, dicit de Filio Dei: *Transcendit et cogitavit supra cæli militiam, et exercitum Angelorum: cogitavit et transcendit universa. Sicut aquila nubes, sic ipse universam creaturam transcendit, superavitque omnia, et pervenit ad illud quod majus est omnibus.* » (8) Ex his constat Joannem merito aquilam nuncupari, quia est, 1. Prophetis doctior et sapientior; 2. Apostolis perspicacior; 3. Cæteris Evangelistis sublimior.

1. *Quid sapientius sermone Dei* (9), qui per excellentiam appellatur sapientia? Auctores canonici divinæ hujus sapientiæ participes effecti, sacros condiderunt libros, in quibus cælestis splendescit doctrina. Verum, etsi Prophetæ miram ostendant in suis scriptis doctrinam, Joannes nihilominus et quantum ad discipulos quos erudit, et quantum ad ecclesias quas gubernavit, et quantum ad materias quas tractavit, præcedit Prophetas;

(1) Tert. L. de An. 8. — (2) D. Hieron. in c. 7. Daniel. — (3) L. 1. Ethymol. — (4) D. Aug. Serm. 50. de Serm. Dom. in Monte. — (5) Joan. Damas. Orat. 25. — (6) D. Aug. Tract. 15. in Joan. — (7) D. Aug. Hom. 4. de Consens. Evangel. 10. — (8) Tract. 47. in Joan. — (9) Tert. L. adv. Prax. 6.

(1) Petr. Dam. Serm. 63. — (2) Petr. Dam. Serm. 1.

per discipulos magister innotescit. (1) Qualis doctor Joannes, qui Ignatios, Polycarpus et Irenæos erudit! qualis Doctor, qui sua doctrina eruditissimos Platonis discipulos ad Christi scholam adduxit! Asseverat namque D. Augustinus plures discipulos Plotini insignis Platonici (2), ex sola lectione Evangelii Joannis, christianam suscepisse disciplinam: addit Sanctus Augustinus « quod initium sancti Evangelii, cui nomen est secundum Joannem, quidam Platonius (3), sicut a sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedet Episcopus, solebamur audire, aureis litteris conscribendum, et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. » Qualis doctor Joannes qui ipsos etiam erudit Angelos! Nam, ut ait D. Chrysostomus, *Angeli plura mysteria didicerunt a Joanne, impletumque est illud Apostoli: Ut innotescat principatibus et potestatibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* (4) D. etiam Ambrosius Pauli expendens locum concludit: *Ab Ecclesia ergo multa mysteria edocti sunt Angeli, scilicet a Maria et Joanne qui ab ea didicerat.* Neque ex discipulis duntaxat colligenda est Joannis sapientia: verum, 2. etiam ex Ecclesiis quas gubernavit. *Habemus et Joannis alumnas Ecclesias.* (5) Cunctæ asiaticæ Ecclesiæ sunt Joannis alumnæ, quas vel per se, vel per suos discipulos erudiebat. Romana quoque est Joannis alumna: de qua sic fatur Tertullianus: *Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicæ adequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* (6) Ubi Joannes eo quod christianam prædicasset doctrinam, in oleum igniens projicitur. Gallicana etiam Ecclesia est Joannis alumna: Joannis namque consilio Dionysius Areopagita Romani venit ad Clementem Summum Pontificem, qui eum misit ad Galliam ut eam ab idololatria revocaret, et ad veritatem christianam adduceret: tandem cunctæ orbis Ecclesiæ sunt Joannis alumnæ; quas omnes Evangelii sui luce illustravit. *Ut omnes Ecclesiæ per orbem terrarum circumquaque diffusæ, non dubitent communem se habere doctorem.* (7) Cunctis Ecclesiis invigilat: quapropter nuncupatur a Petro Damiano, *Joannes Argus universalis Ecclesiæ.* (8) Materie autem quas tractavit Joannes, et documenta quæ universali dedit Ecclesiæ; 3. magis adhuc cœlestem ejus commendant sapientiam. *Videamus quid didicerit, quid*

docuerit. Unum Deum novit, creatorem universitatis, et Christum Jesum ex Virgine Maria Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem; Legem et Prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et inde potat fidem: eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrium exhortatur. (1)

Nec mirum si cuncta religionis mysteria et sacramenta docet Joannes. « Erant in pectore Jesu omnes sapientiæ et scientiæ thesauri absconditi; ex illo cœlesti gazophylacio summam traxit: unde nostræ paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditavit; ex illo nobis ærario divitiarum copias attulit, et in communem totius mundi salutem bene prodigus erogavit; ex illo velut perenni vitæ fonte, manantia flumina divinæ doctrinæ hausit, et eadem postmodum nobis erogavit. » (2) Quatuor documentorum genera dedit nobis Joannes, quæ scilicet concernunt divina mysteria, ordinem et regimen Ecclesiarum, hæreses et bonos mores. Etenim, 1. *Divinitatis et humanitatis sacramenta conscribit* (3); 2. In sua Apocalypsi Ecclesiarum numerum et ordinem distinguit. *Nam etsi Apocalypsim ejus Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recenset, in Joannem stabit auctorem.* (4) 3. Præbet arma quibus Ecclesia adversus hæreticos catholicas propugnet veritates, eorumque errores impugnet. *Suo namque Evangelio veluti signaculo veritatis, et hæreticorum tergiversationibus metam figit, et Catholicorum fidem perpetua ex tunc et deinceps certitudine roborat.* (5) 4. Probos docet mores: nam prætereundo quod amorem Dei et proximi (in quo sita est christiana perfectio), suadere sollicite curat, documenta ejus adeo sunt *altioris sapientiæ et profundæ intelligentiæ*, ait D. Augustinus, *ut omnes turbent, qui perverso sunt corde; et omnes exerceant, qui recto sunt corde.* (6)

Spiritu Dei inspirati locuti sunt Prophetæ ex Tertulliano. Etenim *apparet retro semper in speculo, et ænigmate, et visione, et somnio, Deum visum Prophetis* (7): at Joannes Prophetæ munus exercet in Apocalypsi, in qua *quidquid loquitur mysterium est.* (8) Ita mysteriis repleta est Apocalypsis, quod ex D. Hieronymo *tot habet sacramenta quot verba.* (9) Apocalypsim autem composuit *Joannes in Spiritu Dei factus* (10); quod ipsemet testatur: *Fui in spiritu.* (11) In quo au-

(1) Greg. Naz. — (2) L. 19. Civ. 29. — (3) L. 10. Civ. 29. — (4) Hom. 82. Sup. Joan. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 5. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 53. — (7) Petr. Dam. Serm. 2. de S. Joan. — (8) Ibid. Serm. 65.

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 56. — (2) Petr. Dam. Serm. 2. de S. Joan. — (3) Petr. Dam. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 5. — (5) Petr. Dam. — (6) Tract. 19. in Joan. — (7) Tert. L. adv. Prax. 14. — (8) D. Ambr. L. 3. Sacr. 2. — (9) Epist. 103. ad Paulin. (10) Tert. L. de An. 8. — (11) Apocal. 1.

tem fuerit spiritu, vel in suo spiritu, vel in diabolico spiritu, vel in Spiritu Sancto. Non in suo spiritu; nam ut ratiocinatur Rupertus: *Si in suo tantum fuit spiritu, indiguitas visionis consequitur.* (1) Neque in spiritu diabolico, qui cum sit spiritus mendacii et erroris, inspirat mendacium, et non veritatem: *Igitur cum dicit: Fui in spiritu, Sancto subintelligamus Spiritu: quemadmodum et illic: Ductus est Jesus in desertum a spiritu,* Sanctus utique Spiritus intelligendus est: idcirco *Joannes theologorum altissimus, ubertim in Spiritu subsistens* (2), quasi subsistentia Joannis sit Spiritus Sanctus, qui cum sit spiritus veritatis, docuit Joannem mysteria in Apocalypsi contenta, multo perfectius quam alios docuerit Prophetas. Prophetæ namque mysteria eis in ænigmata inspirata clare non propalabant: verum, *hæc quomodo dicta sint, evangelizator et utique tam clarus discipulus Joannes noverat,* (3) multaque futura, plura etiam præsentia vel jam facta declarat. *Prophetæ de officio præfandi vocantur* (4): at quod Prophetæ futurum vaticinati sunt, factum demonstrat Joannes: *Quod enim lex et Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Evangelium.* (5) Humanatum Verbum quod est *signaculum omnium Prophetarum* (6) a B. Joanne visum, auditum et contrectatum fuit: *Quod vidimus, inquit Joannes, quod audivimus, oculis nostris vidimus, et manus nostræ contrectaverunt, de sermone vitæ. Sermo enim vitæ caro factus, et auditus, et visus, et contrectatus, quia caro, qui ante carnem sermo tantum in primordio apud Deum Patrem.* (7) Inde colligit D. Chrysostomus idem esse discrimen inter Joannem et Moysem quod inter pædagogum et præceptorem, inter grammaticum prima rudimenti elementa docentem, et metaphysicæ seu theologiæ professorem. « Quemadmodum magistri ludi, pueris qui a matribus suis commendantur erudiendi, tradunt elementa, quos, qui ab illis postea suscipiunt, sublimioribus et perfectioribus doctrinis imbuunt: ita beatus Moyses et Doctor gentium et Filius tonitruum fecerunt: nam Moyses quidem cum primum instruendam suscepisset humanam naturam, docuit auditores prima elementa, Joannes et Paulus iis quos a Moyse acceperunt, postea perfectura tradidere. » (8) In hoc adhuc munere Joannes Paulo aliisque Apostolis antistat.

2. *Apostoli prophetæ* (9): at inter Apos-

tolos Petrus et Paulus majori luce illustrati videntur. Verum *Joannes sublimium prædicator et lucis æternæ contemplator* (1), majori oculorum potitur acie. « Sol iste, quo vere nihil inter visibilia pulchrius invenitur, nostros sauciat et obtenebrat oculos, aquilinos vero vegetat inspectus. » (2) Sol quidem noctuæ debilitat oculos, *non tamen præjudicat aquilæ.* (3) Ex D. autem Augustino. *Aquila est Joannes lucis internæ et æternæ finis oculis contemplator.* (4) Siquidem « ad tantum gratiæ proventus est privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illud acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quispiam ab ipso primordio cognoscatur in carne positus aspirasse. » (5) Hujus aquilæ perspicaciam eloquenti stylo declarat Origenes. « Vox spiritalis aquilæ auditum pulsat Ecclesiæ: vox altivoli volatilis, non aerem corporeum, vel æthera, vel totius mundi sensibilis auditum supervolitantis, sed ultra omnia quæ sunt, et quæ non sunt, altivolis intimæ theologiæ penus, clarissimæ supernæque contemplationis obtutibus transcendentis supervolat: itaque beatus Joannes Theologus, non solum quæ intelligi ac dici possunt, verum etiam quæ superant omnem intellectum supervelitur, extraque omnia, ineffabili mentis volatu, in arcana unius omnium principii exaltatur, » (6) intueturque mysteria quæ aliorum fugiunt oculos, secreta propalat, quæ alii nequeunt explanare.

In veteri Testamento nullus Propheta adeo illustratus videtur ac Esaias, qui idcirco a D. Hieronymo Evangelicus nuncupatur: verum quantumvis splendentibus fuerit irradiatus luminibus, divini Verbi generationem cum stupore contemplatur, eam admirando ineffabilem testatur. « Generationem ejus quis enarrabit? » At Joannes manifestat Ecclesiæ mysterium quod Esaias tantummodo miratur, et generationem æternam et temporalem Verbi declarat. *Æternam quidem: Ipsa statim præfatio Joannis Evangelizatoris demonstrat, quod retro fuerit, qui caro fieri habebat: In principio erat sermo, et sermo erat apud Deum, et Deus erat sermo. Ille erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* (7) Temporalem etiam: nam Sermo qui est apud Deum, *factus est caro. Hujus gloria visa est, tanquam unicus a Patre.* (8) Aquila ad sublimia ascendit, et statim ad ima descendit: spiritualis aquila Joannes,

(1) Rupert. — (2) Dion. Cart. L. 2. de Dignit. Mari. art. 8. — (3) Tert. L. adv. Prax. 25. — (4) Tert. Apol. 18. — (5) D. Aug. Prol. sup. Joan. — (6) Tert. L. adv. Jud. 8. — (7) Tert. L. adv. Prax. 15. — (8) Hom. 2. in Gen. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 24.

(1) D. Chrys. in Joan. — (2) D. Aug. L. 2. de Morib. Manich. 250. — (3) Tert. L. de An. 8. — (4) D. Aug. — (5) Petr. Dam. Serm. 1. — (6) Hom. 2. de Diversis. — (7) Tert. L. adv. Prax. 21. — (8) Tert. Ibid.

aliquando divinitatis alta, aliquando humanitatis infirma descripsit. (1) Illa quidem, dum in capite sui libri deificum illud ac singulare posuit exordium: In principio erat Verbum. Hæc vero, quando in inum submissa descendit, extulitque istud: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: Ecce utriusque nature fidelis minister, qui et divinitatis et humanitatis sacramenta describit, et quasi ex evangelicæ lectionis pulpito, modo humanum prouinciat, modo divina.

Paulus est absque dubio Esaia doctior. Verum Joannis non attingit sublimitatem: *Cui permissum est eloqui, quæ Paulo nutire non licuit. (2) Joannis excellentiam super Paulum sic declarat Origenes: Paulus raptus fuit usque ad tertium cælum, Joannes autem super omnes cælos; Paulus audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, sed Joannes unicum Verbum audivit, quod ei loqui licuit. (3) Idem adhuc prosequitur Origenes argumentum, Paulum alloquens. « Paule, non es raptus super omne cælum et paradysum; Joannes omne cælum conditum, omnemque creatum paradysum, hoc est omnem humanam angelicamque transgreditur naturam. In tertium cælum raptus vas electionis, magister gentium, audisti verba quæ non licet loqui; Joannis intimæ veritatis inspector, ultra omne cælum, in paradiso paradysorum, audivit unum Verbum per quod facta sunt omnia. Non ergo Joannes erat homo, sed plusquam homo, quando et seipsum, et omnia quæ sunt superavit, et ineffabili sapientiæ virtute, purissimoque mentis acuminis subvectus, in ea quæ sunt superiora secreta, videlicet unius essentiæ in tribus substantiis, et trium substantiarum in una essentia ingressus. » Sumit ibi tres substantias pro tribus subsistentiis, vel personis divinis. Exaggeratione utitur dum dicit quod Joannes non est homo, eo quod Petrum principem Apostolorum in notitia superet.*

Christum Petrus agnoverat Dei Filium. (4) Hanc cognitionem et confessionem mire commendat Salvator, Petrum beatum affirmans, cui non caro, neque sanguis revelasset, sed Pater qui in cælis est. Verum neque Petrus solus Filium Dei cognovit, neque primus cognovit: Martha namque ante Petrum dixit Christo: « Quia tu es Filius Dei vivi qui in hunc mundum venisti; » Joannes solus est qui hæc eructavit verba: In principio erat Verbum. (5) Hæc supra re audiamus belle

disserentem Petrum Damianum: « Plane quod uterque discipulus protulit de sacramento dominicæ fidei, quanquam profundissimum sit atque omnino divinum, nec videatur in excellentiæ dignitate diversum, quod eodem est Spiritu dictante prolatum; illud tamen beati Joannis singularitas locum sibi vindicare conspicitur, quia nec ante illum, nec post illum hoc idem scripsisse aliquis invenitur: nam illam beati Petri Apostoli sententiam, et Martham sororem Lazari eidem fere verbis legimus protulisse. » Prosequitur Petrus Damianus: « Quid mirum si Joannem de Divinitate loquentem beato Petro præferimus cum illud Evangelii sui singulare principium, ipsa etiam verba dominica (si dici liceat) excedere videamus? Nec injuria sit Redemptori nostro, si dicatur ipse sublimius aliquid depromere per discipulum quam per semetipsum, et per illius linguam manifeste proferre, quod per semetipsum liquido noluit aperire. » Mystera quoque quæ docet Joannes, sublimem ejus sapientiam supra Petrum demonstrant. Nam ut belle ad propositum philosophatur D. Augustinus: quod Petrus scripsit de Domino, scripserunt et alii; sed scriptura eorum magis circa Dei humanitatem est occupata. Dominus autem Christus est Deus et homo, sed de divinitate Christi in litteris beati Petri modicum, in Evangelio Joannis multum sonat. (1) Transcendit sidera, transcendit Angelos, transcendit Evangelistas alios, quibus est sublimior.

3. Constituimus imprimis evangelicum instrumentum Apostolos habere auctores, quibus hoc munus Evangelii promulgandi, ab ipso Domino sit impositum. (2) Ut autem docet D. Basilius, Evangelistæ longe Prophetas in dignitate et cognitione superant: nam prophetæ futura duntaxat annuntiant, quæ obscure et in caligine denotant: at Evangelistæ res gestas et quæ ipsi viderunt vel ab oculatis testibus audierunt clare et perspicue declarant, et tanquam Salvatoris secretarii, ejus nativitatem, vitam, mortem, doctrinam, mores, virtutes, miracula, fideliter produnt (3): Nobis fidem ex Apostolis Joannes et Matthæus insinuant, ex Apostolicis Lucas et Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantum ad unicum Deum attinet Creatorem, et Christum, ejus natum ex Virgine. (4) Evangelistæ sunt numero quatuor, quos denotatos vult D. Augustinus (5) per quatuor illa mystica animalia, quæ erant circa thro-

(1) Petr. Dam. Serm. 1. — (2) Tert. L. de Præsc. Heret. 24. — (3) Hom. 21. ex Diversis. — (4) Tert. L. adv. Præx. 21. — (5) Joan.

(1) Serm. 149. de Temp. — (2) Tert. 4. adv. Marc. 2. — (3) Hom. 6. ex Variis. — (4) Tert. L. adv. Marc. 2. — (5) D. Aug. Tract. 26. in Joan.

num Dei, et ejusdem Spiritus impetu ferebantur; quia Evangelistarum mentes, linguæ, manus et pennæ Spiritus Sancti operatione dirigebantur et movebantur, ad hoc ut integram humanati Verbi perficerent historiam, consignarentque posteritati cœlestem Christi doctrinam, portentosa ejus opera, innocuam vitam, crudelem, ignominiosamque mortem, et licet sacri illi historici, ejusdem Salvatoris composuerint historiam, attamen ut nihil ei deesset, perfectamque possent tradere Domini notitiam, de eo diversimode locuti sunt, illiusque acta sunt velut divisa ut ea illustriora et angustiora redderent. Matthæus tanquam homo loquitur, Christumque uti Mariæ filium humanitate indutum, et humanis infirmitatibus obnoxium repræsentat; Marcus ut leo rugit, proditque Christum tanquam qui tempore pacis subditos suos suaviter gubernat, bellicue tempore fortiter defensat; Lucas mugit tanquam bos, Christumque repræsentat ut victimam in ara crucis, pro hominum salute mactatam Deoque oblatam; at *altius Joannes* (1) ut aquila volat, Matthæo tractandam reliquit Christi humanitatem, Marco regiam dignitatem, Lucæ cruentum crucis sacrificium, et ipse ejus Divinitatem potissimum contemplatur. Quod belle, licet fuse, D. declarat Augustinus: « Omnibus divinæ Scripturæ paginis excellit Evangelium, quod enim Lex et Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Evangelium. Inter ipsos autem Evangeliorum scriptores, Joannes cminet in divinorum mysteriorum profunditate. Qui a tempore Ascensionis per annos LXV. Verbum Dei absque adminiculo scribendi, usque ad ultima Domitiani tempora prædicavit; sed occiso Domitiano a Senatu romano, cum permittente Nerva de exilio rediisset Ephesum, compulsus ab episcopis Asiæ, de cœterna Patri divinitate Filii scripsit hoc Evangelium adversus hæreticos, qui eo absente in ejus ecclesias irruerant, et Christum ante Mariam fuisse negabant. Unde merito in figura quatuor animalium, quæ vidit Ezechiel, aquilæ volanti comparatur, quæ volat altius cæteris avibus, et solis radios irreverberatis luminibus aspicit. Cæteri Evangelistæ quasi animalia gressibilia cum Domino ambulant in terra, hic autem divinitatis potentiam sublimius contemplans, cum Domino ad cœlum volat: qui etiam supra pectus Domini in cœna recubuit, et cœlestis haustum sapientiæ cæteris excellentius de ipso dominici pectoris fonte potavit. Le-

gerat siquidem trium Evangelistarum Evangelia, et approbaverat fidem eorum et veritatem; in quibus vidit deesse aliqua gestarum rerum historiæ, et ea maxime quæ Dominus gessit primo suæ prædicationis tempore, id est, antequam Joannes Baptista clauderetur in carcere. Hæc ergo quasi ab illis, scribit Joannes, quæ fecit Jesus antequam Joannes clauderetur: sed maxime divinitatem Christi, et mysterium Trinitatis commendare curavit. Tres siquidem alii Evangelistæ dicta et facta Domini temporalia, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valent, copiosius prosecuti, circa activam vitam versati sunt, in qua laboratur, ut cor mundet ad videndum Deum: Joannes vero pauca Domini facta dicit; verba vero Domini quæ unitatis Trinitatem, et vitæ æternæ felicitatem insinuant, diligentius conscripsit, et sic in contemplativa vita, virtute commendanda, intentionem suam, et prædicationem tenuit: in qua contemplativa vacatur, ut Dominus videatur. » (1)

Ex mente igitur D. Augustini quadruplici de causa suum Joannes scripsit Evangelium: 1. Ut hæreticorum confutaret errores; 2. Ut quod tribus aliorum Evangeliiis deerat, suppleret; 3. Ut nos contemplativam vitam doceret; 4. Maxime Verbi generationem et divinitatem manifestaret. Alii namque Evangelistæ plura de Christi humanitate, pauca de ejus divinitate conscripserunt. At *dilectum Domini Joannem Theologum de humanis et corporalibus actibus pauca dixisse, et multa de natura divinitatis, ejus potentia et majestate dixisse et scripsisse cognoscimus.* (2) Ildephonso facem præbuit D. Augustinus acute animadvertens, ideo Joannem aquilam nuncupatum: « In quatuor Evangelistis Joannes Apostolus merito secundum intelligentiam spiritualem, aquilæ comparatus, multo sublimius aliis tribus erexit prædicationem suam, et ita corda erigi voluit. Nam cæteri Evangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulabant, de divinitate ejus pauca dixerunt. » (3) Joannes maxime divinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit: eam præcipue suo Evangelio, quantum sufficere credidit, commendare curavit. Ita longe a tribus aliis superius fertur, ita ut hos videas quodammodo in terra cum Christo homine conversari; illum autem transcendisse nebulam qua tegitur omnis terra, et pervenisse ad liquidum cœlum: unde acie mentis acutissima atque firmissima videret in principio

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 10.

(1) In Prolog. supra Evang. Joan. — (2) S. Ildeph. Serm. 5. de Assumpt. — (3) Tract. 36. in Joan.

Verbum Deum, apud Deum, per quod facta sunt omnia, et ipsum agnosceret carnem factum, ut habitaret in nobis, et quod acceperit carnem, non quod mutatum fuerit in carnem. » (1)

At unde Joannes præ cæteris Verbi divini et humanati, adeo sublimem mutuatus est notitiam, quæ ei aquilæ titulum obtinuit? *In principio, inquit, erat Verbum. Ecce aquila Dei ad cæli verticem sublimior evolat.* (2) 1. Alcuinus Verbi notitiam Joanni ob virginæ puritatem concessam existimat. « Hoc virgini Joanni privilegium recte reservabatur, ut ad scrutanda Verbi incorruptibilis sacramenta incorruptio ipsa, non solum corde, sed et corpore procederet. (3) » Corde et corpore virgo Joannes, incorruptum Verbum pura mente concepit, et ore incorrupto propalavit: *Mundus enim Deus a mundo oculo conspicitur.* (4) 2. Richardus Victorinus vult Joannem adeo sublimi cognitione præditum, ob ardentem quo Christum diligebat amorem: *Amor vehemens non potest non videre quem amat: quia amor oculus est, et amare, videre est.* (5) 3. Origenes tale privilegium Joanni censet collatum ratione gratiæ singularis, quæ illum supra naturam extollens, divinitatis participem effecit. *Non enim aliter potuit ascendere in Deum nisi prius fieret Deus.* (6) « Ut enim radius, nostrorum oculorum, species rerum sensibilium, coloresque non prius potest sentire, quam se solaribus radiis immisceat, unumque cum ipsis et in ipsis fiat; ita animus Sanctorum puram rerum spiritualium, omnemque intellectum superantium, cogitationem non sufficit accipere, nisi prius incomprehensibilem veritatis participationem dignus efficiatur habere. » Hoc supposito fundamento de Joanne, concludit Origenes: *Sanctus itaque Theologus in Deum transmutatur, veritatis particeps, Domini Verbum subsistere in Deo principio, hoc est Deum Filium in Deo Patre, pronuntiat.* 4. Rupertus sublimem illam sapientiam a Verbo et Spiritu Sancto mutuam prædicat: *Hic autem discipulus velut ille dilectus Joseph, partem unam extra fratres suos consecutus est de thesauro Patris, de Spiritu intellectus.* (7) Sapientia est thesaurus Patris, quæ abscondita est in Filio; intellectus est donum Spiritus Sancti. A Filio sapientiam, a Spiritu Sancto donum intellectus accepit Joannes. 5. Sublimem illam Verbi cognitionem, suo erga Deiparam obsequio conse-

cutum Joannem existimat Guerrius: *Qui etiam quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ Matris: mysteria quoque divinitatis, et arcana Verbi incorruptibilis sibi corde promeruit.* (1) 6. Elias Cretensis vult Joannem cælesti scientia donatum, ut suo probe responderet nomini: *Ob Theologiæ cælestem quamdam sublimitatem, tonitruum filium in Evangelio nominavit, cum quo scilicet hunc, ut tonet, adhortatur, nihil humile de Deo sonans, sed altum ac sublime, Deum nempe, ac Deum verum ex vero Patre Verbum illud agnoscens.* (2) Tonitruum Dei majestas cognoscitur: Joannes a Christo nuncupatur Boanerges, filius tonitruum, seu filius tonantis (3), ut Dei majestatem sonet. Filius Tonantis et filius tonitruum Joannes, *qui quasi ex nubium concussione prolatus est, inter vos visibiliter apparens, et quæ super nos erant, terribiliter sonuit.* (4) Joannes filius tonitruum et ut Dei filius, et ut Mariæ filius: ut Dei filius quia est *filius Tonantis*; ut filius Virginis, siquidem nubes virginea, Verbi genitrix, Joannem, Verbi tonantem genuit. Nubes et fulmine, et tonitruum, quod est fulminis index et præco, gravidatur: nubes levis est Maria: Dominus super hanc nubem levem ascendit, quæ gemina prole gravidata fuit: igne scilicet splendente et tonitruum sonante: divino Verbo, quod est lux et splendor Patris; beato Joanne, sonitu vocali, qui divinum Verbum, per universum orbem tonando divulget. Vero Maria virgo quæ Joannem filium tonitruum genuit in splendoribus et fulgoribus, illum adhuc tanquam Benoni, id est, filium dolorum, parturivit, quos constanti martyrio pertulit.

III. PARS. *Testimonium sui militem* (5) Joannem Christus potest appellare. Semel autem et iterum de Christo Joannes tulit testimonium: semel, Evangelium conscribendo, in quo Christi divinitatem et humanitatem testatur. « Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus, quia verum est testimonium ejus; » (6) *Occulte insinuans causam ex qua ad scribendum processit, et fide dignum faciens hunc sermonem ex sua dignitate. Omnibus enim aderat, neque cum crucifigeretur defuit, et Mater ei commissa est, quod sunt signa amoris, et quod cum certitudine sciat omnia.* (7) Iterum de Christo, suo scilicet martyrio, testimonium tulit Joannes: ut enim ait D. Augustinus, *Martyr græce,*

(1) D. Aug. de Confes. Evang. c. 4. — (2) Pet. Dam. Serm. 1. de S. Joan. — (3) L. 7. in Joan. — (4) D. Hier. in c. 5. Matth. — (5) Part. 1. cap. 3. de Charit. — (6) Hom. 2. Diversis. — (7) L. 4. de Operat. Spir. Sancti. c. 10.

(1) Serm. 4. de Assump. Virg. — (2) In Orat. 24. Naz. — (3) Marc. 3. Euthym. — (4) Greg. Mag. — (5) Tert. L. de Res. 9. — (6) Joan. 19. — (7) D. Chrysos. Hom. 87. in Joan.

latine testis dicitur. (1) Joannes autem martyr fuit, et inter martyres constantior, ut patet ex martyrii ipsius, 1. Diuturnitate; 2. Diversitate; 3. Acerbitate.

1. *Dilectio hominem martyrem excudit.* (2) Commendavit antiquitas ardentem Piladis et Orestis amicitiam, quos calamitatis societas nobilitavit. (3) Neque minus illustris Basilii Magni in amicum dilectio: cum enim hic in vincula conjectus esset, ei adfuit Basilius etiam cum discrimine vitæ, cumque ei periculum cui sese exponerat alii objectassent amici, respondit: *Aliter amare non didici, nisi ut vitam meam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum liberare opus est.* (4) Joannes aliter Christum amare non didicerat, nisi ut pro eo omni se periculo exponeret. Ligatur Christus, hunc vinculis onustum sequitur Joannes; ducitur ad domum Pontificis Salvator, cum eo illuc ingreditur Joannes; sistit ante Pilatum Dominus, coram Præsidente stat et Joannes; trahitur in Calvarium Jesus, in eundem locum vadit Joannes; crucifigitur Dei Filius, juxta crucem cum Deipara remanet Joannes, paratus cum magistro in eam attolli. Ex cunctis discipulis unicus est Joannes qui sese exponit Judæorum iniquitati, carnificum crudelitati, mortis periculo, et sic amoris veritatem et magnitudinem ostendit: hæc namque est vera amicitia, *quam non spes, non timor, non utilitatis suæ cura, ab amato divellit, et cum qua homines moriuntur, et pro qua moriuntur.* (5) Aquila a puero nutrita et educata, adeo illum diligebat ut eum ubique comitaretur, cumque nutritus ejus fato functus esset, corpusque (secundum hujus temporis consuetudinem combureretur), aquila sese in rogam injecit, deserere non valens in morte quem in vita ubique sequebatur. Aquila Joannes a Christo discipulorum collegio sociatus magistrum usque ad crucis patibulum comitatur: *Astat in palatio, astitit in prætorio, adest in patibulo, lacrymatur, gemit, dolet. Mira utique amoris dispensatio fuit, ut terribilibus Domini sui cruciatibus dilectus adesset, et calicem cum Domino potaret.* (6) Joannem et Jacobum fratrem ejus interrogavit Dominus: « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? » (7) Ut autem animadvertit D. Chrysostomus, *ex modo interrogationis eos attrahit.* (8) Trinum invenio calicem, in quo ex amore bibit Christus: 1. Calicem cœnæ eucharisticæ, in quo sum bibit sanguinem, et bibendum

tradidit discipulis: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine* (1); 2. Calicem mœroris et tristitiæ, quem bibit in horto Gethsemani: *Transeat a me calix iste* (2); 3. Calicem amaritudinis et doloris in quo Christus jam cruci affixus bibit. Ex D. autem Hieronymo, *calicem in Scripturis divinis passionem intelligimus.* (3) Joannes erat cum Christo dum in his tribus calicibus bibit, nam interfuit in domo in qua altaris mysterium instituit Dominus; in horto etiam ubi factus est sudor ejus tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram; tandem in Calvario ubi potavit acetum cum felle mixtum. Quare interrogat germanos Dominus: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? ut faceret eos participes, et calicis Eucharistiæ quem in cœna instituit; et calicis passionis quem in horto et cruce gustavit: quomodo hæc Salvatoris verba intelligit D. Hilarius: Transeat a me calix iste, id est, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur.* (4) Bibit Dominus calicem eucharisticum, quasi in memoriam revocans cruentum crucis sacrificium; bibit adhuc calicem passionis, ut hominibus ardentem quo æstnabat ostentaret amorem; calix autem in quo bibit Christus transivit ad Joannem, qui quoties adorandum missæ offerebat mysterium, passionem dominicam revocabat in memoriam, et adhuc ex magna dilectione qua amabat Christum, in calice passionis ejus bibebat: et quo longior fuit Joannis vita, eo longius passus est martyrrium. Quare Petrus Damianus martyrrium Joannis ex his Christi verbis colligit: « Calicem meum bibetis. » *Ecce hic verbis dominicis patenter ostenditur quia Joannes martyr fuit; dum constat quia calicem Domini biberit.* Deinde quam longum fuerit Joannis martyrrium declarat. *Et revera martyr fuit, quia crucem Domini per sui corporis afflictionem, et proximorum compassionem diu vivendo potavit, et quo cæteris Apostolis in carne prolixius mansit, eo durioris martyrii tormenta sustinuit; ejusque constantia eluxit tum in martyrii diuturnitate, tum in martyrii diversitate.*

2. *Romæ Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.* (5) In oleum fervidum jussit mitti Joannem *Domitianus, portio Neronis de crudelitate.* (6) Et quia, ut docet D. Augustinus, « non martyrrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum: pervenitur enim, non solum occasu, sed etiam contemptu carnis, ad coronam: » (7) licet Joannes non effu-

(1) Serm. 32. de Sanct. — (2) Tert. Scorp. 6. — (3) Greg. Naz. Oral. pro Basil. — (4) D. Chrysost. l. 2. de Sacerd. — (5) Senec. Ep. 6. Ælian. — (6) Thom. a Vél. Nov. — (7) Matth. 20. — (8) In Caten.

(1) Luc. 22. — (2) Matth. 26. — (3) In cap. 20. Matth. — (4) Can. 51. in Matth. — (5) Tert. L. de Persc. Hæret. 36. — (6) Tert. Apol. 5. — (7) Serm. 46. de Sanctis.

derit sanguinem, martyrii tamen meruit coronam; quod et ipse propter martyrimum sit missus in ferventis olei dolium, et inde ad suscipiendum coronam athleta Christi processerit. (1) Tres pueros qui pro vera religione a Babylonico Rege missi sunt in fornacem, etsi nihil ab igne læsos, Martyres nuncupat Tertullianus: *Jesus erat visus Babylonio regi in fornace cum martyribus suis quartus, tanquam filius hominis.* (2) Hoc exemplo D. Hieronymus veritatem martyrii Joannis comprobat: *Videbimus martyrimum animo non defuisse, et bibere Joannem calicem confessionis quem et tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.* (3) Eodem fere D. August. utitur argumento: « Non enim Joanni apostolo, quia passio defuit, ideo patiendi animus deesse potuit. Non est passus, sed paratus pati, preparationem ejus Deus noverat, quemadmodum tres pueri arsure missi sunt in fornacem, tanquam non victuri: an negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, passi non sunt: interroga voluntatem, coronati sunt.» (4) Ultra hoc supplicii genus a quo miraculose liberatus est Joannes, in insulam Pathmos relegatus est. Ut autem ait Liranus: *Exsiliium quædam mors est.* Multi sunt exsules qui in ignominiosa exilii vastitate (5) non cruciantur; verum Joannes, ut habetur in Historia ecclesiastica, « fuit in Pathmos insulam relegatus, et metallo damnatus. » Quantum autem patiantur ad metalla damnati, belle declarat Tertullianus: *Terra scilicet plane gloriosior, quoniam in maledictorum metallorum ferulis officinis pœnali opere deplorata nomen terræ in igne reliquit.* (6) Maledicta metalla, quia ad illa rei damnabantur; ferules officinæ, quia in eos omnis exercebatur crudelitas; neque de fodinis metalla nisi pœnali opere eruebantur. In quatuor potissimum locis martyrimum passus est Joannes: 1. In cœnaculo: cum enim dixisset Christus: « Unus vestrum me traditurus est, » omnes discipuli (solo proditore excepto) *contristati sunt valde.* (7) Maxime Joannes qui tanta fuit tristitia afflictus, ut ad ejus levandam angustiam Christus permiserit, ne dicam præceperit, supra suum pectus reclinare caput. (8) Addit Euthymius quod Dominus summam Joannis quæ in vultu

apparebat, conspiciebat angustiam, ad consolandum eum, supra suum pectus ipsemet reclinavit. Cajetanus existimat Joannem præ mœrore passum animi deliquium, cecidisse supra pectus Domini, præ luctu et condolentia corpus rectum non valens sustinere. 2. Romæ martyrimum sustinuit Joannes: ubi, ut ex Tertulliano refert D. Hieronymus, *missus in ferventis olei dolium, puriore et vegetiore exiit, quam intraverit.* 3. In insula Pathmos martyrimum passus est Joannes, in quam relegatus metallo datur. (1) 4. In Calvario juxta crucem Salvatoris martyrii acerbiter passus est dilectus et diligens discipulus.

3. *Martyrimum siue passione perfectum.* (2) Trinum invenio martyrii genus: unum affectivum duntaxat; aliud affectivum et effectivum simul; tertium compassivum. Primum est, vel dum quis ardentem martyrimum desiderat quomodo strenuus ille miles qui coronam floribus contextam de manu Imperatoris recusavit, dicitur a Tertulliano *russatus sanguinis sui spe* (3); vel quando Christianus ad supplicium paratus, et *de martyrii candida coronandus* (4), miraculose a tormentis quæ ultro pro religione suscepturus erat liberatur. Ut enim ait D. Augustinus, *duo sunt genera martyrii: unum in mente, aliud in mente simul et in actione.* (5) Secundum, dum quis pro fidei veritate, voluntarie de facto patitur supplicia: etenim *martyr pœna sua armatur* (6); et ut ait D. Chrysostomus, *martyres dum beatos vocamus, ex vulneribus beatificamus.* Tertium est, quando amicus ardentem amans compatitur dilecto, et supplicia quæ hic tolerat in corpore, ipse per compassionem persentit in corde. Nam, ut ait non nemo, « incredibilis virtus amoris est, et eadem qua is qui diligitur, passione afficitur: » (7) et hoc martyrii genus acerbissimum est.

Disputarunt alias plures de Academia Philosophi, quoniam supplicio mulctandus esset amator. Nonnulli excœcandum existimarunt, ut in oculis per quos intraverat amor, puniretur; alii velut mancipium vinculis onerare voluerunt, in pœnam amissæ libertatis; alii cor, quod est sedes amoris, avellendum judicaverunt; alii tandem ceuserunt amantem, tunc acerbissimum pati supplicium, vel dum longam ducit vitam, vel dum ab objecto amato separatur, vel dum persona, quam

(1) D. Hier. in c. 10. Matth. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 10. — (3) D. Hier. — (4) Serm. 106. de Diversis. — Tert. L. adv. Valent. 20. — (5) Tert. L. 1. de Cult. Fem. (5) 4. — (6) Matth. 26. D. — (7) Chrys. Hom. 71. in Joan.

(1) Tert. L. de Pall. 3. — (2) Tert. Scorp. 8. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (4) Tert. Ibid. — (5) Serm. de S. Steph. — (6) D. Cypr. Ep. 6. — (7) Aiphons. Paleot. de Chr. Corp. c. 3.

ardeater diligit, coram oculis suis crudele patitur supplicium. Ex his colligi potest quam acerbum fuerit Joannis martyrium, qui, 1. Usque ad ultimam pervenit senectutem, et vixit sexaginta et octo annis post passionem Domini; 2. et toto illo longo tempore a Christo, quem ardentissime diligebat, separatus fuit; 3. fuitque præsens supplicio crucis, quod dilectus pertulit Salvator: quapropter amans discipulus *plusquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris quem mœroris fuit* (1): quanto major erat amor, tanto mœror erat acerbior. Deus experiri volens Abrahami obsequium, præcepit ei ut sibi unigenitum filium Isaac immolaret, *ut in filio quoque pater mactaretur* (2), ait D. Ambros. et sacrificans magis quam ipsa victima pateretur. Nam ut belle ad propositum Chrysologus, *Abraham maturus ad innocentiam, grandævus ad fidem, perfectus ad hostiam, paratus ad holocaustum, offerebat filium suum, imo se immolabat in filio; sanctificabat mentem suam, lætificans fidem suam, ut esset ilem victima et pontifex, sacerdos et sacrificium: patris ibi erat passio tota, ubi filius immolabatur; ignavus filius sistebatur, nescius filius aptabatur vincetus, ut tolleretur de passione martyrium, præmium de pœna patris, de conflictu patris repeteret coronam.* (3) Ex passione Abrahami inferri potest Joannis compassio: magna sane fuit Abrahæ pœna, dum immolandi Isaac mandatum accepit, sed Patriarchæ dolor solatium, imo finem invenit; Deus namque ejus obedientia contentus, impedivit ne dilectum sacrificaret filium. *Denique patris suspensa est dextera, patris gladius est remotus: quia non quærebatur mors filii, sed patris charitas probabatur: nec expetebatur sanguis filii, ubi tota victima in patris dilectione constabat.* (4) At Joannis nullum mœroris sui accepit levamen, quia Christus quem magis quam semetipsum amabat ante illius oculos acerbum crucis passus est supplicium. Discipuli martyrium bene concipi et explicari non potest, nisi ex martyrio Matris quæ plusquam martyr vocitatur; *quia mente passa est plusquam martyr fuit: nimirum et ejus dilectio amplius fortis quam mors fuit: quia mortem Christi suam fecit.* (5) Virginis dolorem pro compassione Christi crucifixi, sic declarat Anselmus, seu, ut volunt alii, Damascenus: *Dolores partus quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum lacerata reparturiens.* (6)

B. Virgo Christum absque dolore parturivit, quia absque viri concursu et absque voluptate conceperat; at juxta crucem præ nimio dolore et laceratione viscerum, moriturum filium reparturit, quia dolores partus quos in nativitate filii non senserat, in ejus morte acerbissimæ sentit: *quia spiritualiter et atrocius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Unde constat quia plus omnibus dilexit, propterea et plus doluit, in tantum ut animam ejus totam pertransiret et possideret vis doloris, ad testimonium eximie dilectionis.* (1) Virgo martyr fuit amoris, cujus dolor conformis fuit ejus amori. Idcirco plusquam martyr prædicanda est, quia plus cunctis martyribus doluit; plus vero doluit, quia plus Christum dilexit. Joannes Deiparæ æmulatur amorem et dolorem, et sicut post Mariam nullus Christum magis dilexit, ita præ compassione Christi crucifixi nullus magis doluit, neque acerbius martyrium pertulit. Christi cruciatus circulariter existimat Anselmus (2): incipiebant enim in ejus humanitate, quæ acerbissimi supplicii sentiebat sævitiam, deinde intrabant in animam beatissimæ Virginis, quam gladius doloris pertransibat: inde velut sagittæ acutissimæ, dilecti discipuli cor vulnerabant, ut in calice passionis sibi a Magistro propinato abunde biberet. *Annon calicem Domini bibit, qui in hora qua Dominus ipse bibebat, juxta crucem cum Matre ejus stetit? Si non Matris Domini animam gladius pertransivit, nec ipse dilectus ejus calicem bibit.* (3) Utrumque verissimum est et Mariæ anima fuit gladio doloris transfixa juxta Simeonis vaticinium, et Joannes in calice passionis bibit secundum infallibile Christi oraculum: ubi mira apparet divinæ Providentiæ dispensatio, et amoris dominici dignatio; volens ut crucis supplicio adesset Joannes, et discipulus persentiret in corde omnes cruciatus quos Magister patiebatur in corpore, amorque ardentissimus quo diligebat Dominum cordi suo infligeret spinas, clavos, lanceam, aliaque ejusmodi, quæ sævitia carnicum infligebat corpori Salvatoris: quapropter vere dixit D. Chrysostomus, *multoties mortuus est Joannes* (4); toties scilicet quoties Christus passus est supplicia quæ ei poterant afferre mortem.

Ter Joannes martyr fuit: voluntate, corpore et amore: 1. Martyr voluntate, ob ardens quo sufflammatus fuit patiendi pro Christo desiderium. Quia, ut ait D. Cypria-

(1) S. Hdeph. — (2) L. de Abrah. — (3) Serm. 10. — (4) Chrysol. — (5) D. Hier. Serm. de Assump. — (6) L. l. c. 15.

(1) D. Hier. Serm. de Assump. — (2) Serm. de Pass. — (3) Rupert. — (4) Hom. 53. ad Pop.

nus, *martyrium sine sanguinis effusione voluntas prompta deputatur*. Hac voluntate premium martyrii meruit et obtinuit. Ex D. namque Hieronymo, *Joanni defuit martyrium; sed Joannes non defuit martyrio; ideoque nec Joanni defuit premium martyrii*. 2. Fuit martyr corpore, quia, ut fatur Rupertus, « de Epheso ductus est Romam ligatus, et ibi flagellatus, et tunsus ante Portam latinam, missus fuit in dolium ardentis olei; propter quod tanquam de ipsius martyrio festum facit Ecclesia, die sexta maii, licet de dolio sanus exierit et illæsus. » 3. Martyr amore, et hæc martyrii species fuit acerbissima.

Non absque mysterio ex cunctis Christi Apostolis Joannes solus morte naturali obiit, et non tyrannorum crudelitate vitam finivit: in quo Deiparæ adæquatus fuit, ut sicut Mater, ita discipulus, esset martyr amoris; et hoc martyrii genus est multo cæteris credulius: tum quia amans magis in objecto amato quam in semetipso vivens; pœnæ quas persona dilecta tolerat, sunt propriis cruciatibus acerbiores: tum quia ejusmodi martyrium est diuturnius; quo autem aliquod supplicium est longius, eo est gravius: tum quia dolores multiplicat, totque infligit tormenta, quot persona amata varios patitur cruciatus. Omnes hæc circumstantiæ in martyrio amoris dilecti Discipuli adunantur, ejusque gravitatem et acerbiteratem demonstrant.

Joannes suo martyrio de Christo perhibuit testimonium, *quotiescunque bonis actibus mandatum Christi facimus, toties de Christo testimonium perhibemus*. (1) Joannes perhibuit de Christo testimonium, scripto, verbo et exemplo: et nos perhibeamus de Christo testimonium, credentes quæ de illo Joannes scripsit, discentes quæ docuit, et virtutis

exempla præbentes. Joannes fuit vere martyr absque effusione sanguinis: *ut intelligas crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ, virtutisque propositum*. (1) Joannes trina ratione fuit martyr, voluntate, corpore et amore. Simus martyres voluntate, desiderantes pro Deo pati; simus martyres corpore, patienter tolerantes vim nobis ab inimicis, a persecutoribus et tyrannis illatam; simus martyres amore, compatientes Christo crucifixo, et adhuc miseris pauperum, in quibus attendendus est Christus. Joannes longum sustinuit martyrium toto vitæ decursu; libenti animo feramus cruces: *Crux Domini non tantum illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur, sed illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus cooperatur*. (2) Amior Joannem martyrem excudit amore Christi semper accensus fuit: ad ejus imitationem Christum tanto ardore amemus ut valeamus dicere cum Seraphino Francisco: *Jesus amor meus, et nihil aliud*. (3) Si modo cum D. Augustino unumquemque interrogem an diligat Deum, respondebit: *Diligo Deum, bene. Utinam sit in re quod promisisti in sermone*. (4) Duo autem sunt indicia amoris Dei, unum, observatio mandatorum ejus; nam ut addit D. Augustinus, *dilectionis Dei probatio, mandatorum ejus est completio*. Quod ipsemet asseverat Salvator apud Joannem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. (5) Aliud, proximi dilectio, nam, ut ait dilectus Discipulus, *hoc mandatum accepimus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum*. (6) Mandata Dei observemus, proximum amemus, et vere habebimus Dei amorem: sic diligentes Deum, erimus a Deo dilecti, in tempore et in æternitate.

(1) D. Aug. Ibid. — (2) D. Aug. Ibid. — (3) D. Bonav. in Vita S. Franc. — (4) L. 1. de Visit. infirmor. — (5) Cap. 14. — (6) 1. Ep. 4.

(1) D. Aug. Serm. 32. de Sanctis.



FESTIVITATES SACRÆ.

SCHOLIUM.

In hoc tractatu , 1. Josephus Virgini desponsatur ; 2. Præcursor Messie magnus demonstratur ; 3. Joannes Herodis sævitia decollatur ; 4. Stephanus coronatur ; 5. Crux inventa discriminatur ; 6. Crux exaltatur.



CONCIO PRIMA.

JOSEPH fuit de genere Sanctorum , junior inter cæteros fratres , sed excelsior. (1) Patriarcha Joseph fuit figura Josephi , cujus sublimis celsitudo desumenda est ex singulari societate quam habet cum tribus illustrissimis personis , scilicet cum persona Patris , cum persona Spiritus Sancti , et cum persona Deiparæ Virginis. 1. Cum Patre titulum patris Dei partitur ; 2. Cum Spiritu Sancto dignitatem Sponsi Virginis partitur ; 3. Cum Maria imperium et auctoritatem in Deum partitur.

I. PARS. Judæi ut Christum deprimerent , eum fabri filium vocitabant : *Hic est ille fabri filius.* (2) Verum Josephum nuncupantes fabrum , sublimi eum afficiebant honore , sic enim præter intentionem æterno sociabant Patri qui est et mundi faber , et verbi divini principium. *Est autem Christi faber Deus , qui totius mundi opera fabricatus est.* (3) Eodem modo Josephus conditione faber , est Christi pater , non solum in opinione hominum , sed vere pater Christi adoptivus , legalis et legitimus , ratione conjugii rati , licet non consummati , cum beatissima Virgine. Ut enim animadvertit Rupertus , *virum Mariæ cum dicit , magnum et verum nomen Joseph attribuit , quia si est vir Mariæ , est pater Domini.* (4) Etenim per verum matrimonium cum virgine initum , corporis ejus quodammodo effectus est dominus , dicente Apostolo : *Mulier corporis sui potestatem non habet , sed vir* (5) ; et ob hanc causam

fructus corporis virginis quodammodo ad Josephum pertinet. Ut enim dicitur in jure : *Quod in alieno solo nascitur , vel ædificatur , sub illius dominium cadit cujus est solum.* (1) Unde si in horto alicujus fons miraculosus nasceretur , illius esset cujus est hortus : ideoque cum terra virginea de benedictione Domini conceperit , ad Josephum cujus est terra , fructus ille benedictionis pertinet , filiusque Mariæ est filius Joseph : quo nomine eum appellat Evangelista : *Erant pater ejus , et mater mirantes super his quæ dicebantur.* (2) Imo ipsamet Deipara Christo Josephum suum patrem declarat : *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.* (3) Christus quoque Josephum patrem suum vocitabat , ut fatur Bernardinus Senensis : *O quanta dulcedine , audiebat Joseph balbutientem parvulum , se patrem vocare !* (4) At neque Evangelista , neque Deipara , neque veritas humanata Josephum appellarent Christi patrem , nisi vere talis fuisset. Ut autem ratiocinatur Tertullianus , *habeat necesse est pater filium , ut pater sit , et filius patrem , ut filius sit* (5) ; est siquidem mutua relatio inter patrem et filium. Christus ad Josephum ut ad patrem refertur , et vicissim Josephus ad Christum refertur tanquam ad filium. Cum Josepho autem æternus Pater velut dividere voluit paternam , 1. Dignitatem ; 2. Singularitatem ; 3. Charitatem.

1. Josephus Patriarcha tanto in honore erat apud Ægyptios ut eum velut Deum venerati sint : *Parum est si etiam hominem consecraverunt. Illum dico , quem non jam*

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (2) Tert. L. de Spect. 30. — (3) D. Aug. Serm. de Nat. — (4) In c. 1. Matth. — (5) 1. Cor. 7.

(1) Instit. de Rerum. divis. §. cum in suo solo — (2) Luc. 2. — (3) Luc. 2. — (4) Tom. 5. Serm. de S. Joseph. Art. 2. c. 2. — (5) Tert. L. adv. Prax. 10.

Ægyptus, aut Græcia, verum totus orbis (1) veneratur. Josephus noster tanto majori veneratione est dignus, quanto digniori pollet dignitate. Honoris causa Cicero nuncupatus fuit pater patriæ; Julius Cæsar, pater populi; Augustus imperator, pater senatus; Abraham Patriarcha, pater multarum nationum; primus Josephus regis Pharaonis pater; at secundus Josephus, gloriosius pater Dei nuncupatur. Ad magnam sane dignitatem sublimatus est Discipulus, quem sui loco constituit Christus, et filium Virginis effecit; at multo excellentior est patris Christi, quam filii Virginis, appellatio: non solum quia patris appellatio majorem auctoritatem præ se fert, sed etiam quia Christi dignitas infinite excedit Mariæ dignitatem; etenim si ex Cyrillo Hierosolymitano nomen patris est gloriosius primæ personæ Trinitatis, quam nomen Dei (2): quia patris nomen refertur ad Filium sibi consubstantialem, coequalem, eundemque cum eo Deum infinitum; nomen vero Dei refertur ad creaturas ab eo infinite distantes; eodem modo titulus patris Christi gloriosior est Josepho, quam titulus dei, quem largitur gratia; tum ob excellentiam, tum ob singularitatem. Quot sunt justi, tot sunt dii per participationem, quorum multitudo, quodammodo divinam illam depretiat dignitatem: at paterna Christi dignitas, eminentem Josepho contulit sanctitatem et singulariter ei competit.

Propheta Evangelicus de Christo vaticinans ait: *Vocabitur pater futuri seculi.* (3) At licet ex parte subjecti hic titulus sit nobilior, tamen ex parte objecti titulus patris Dei majorem importat perfectionem: quia quantum est discrimen inter mundum et Christum, tanta est differentia inter patrem futuri seculi, et patrem Christi. Hæc autem paternitas ita est Josepho peculiaris, ut nulli creaturæ competat: et licet Angeli divinam representaverint majestatem, Dei nomen sibi arrogaverint, et nomine Dei locuti sint Patriarchis et Prophetis: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob* (4): nunquam tamen patris Dei usurparunt nomen, neque sub hoc titulo locuti sunt mortalibus. Ipsemet æternus Pater et super Jordanis aquas, et supra Thaboris montem intonuit, et dum Christus baptizatus, et dum transfiguratus fuit, hæc verba propalavit: « Hic est Filius meus dilectus. » Non est usus ministerio Angelorum ut ejus notitiam proderet, sed proprio ore filium suum declaravit. *Pater Deus ut probaret generis fidem,*

ut sui testis Filius, ipse assertor assistit. (1) Talis ac tantus Filius prædicari habebat ab eodem ore a quo prolatus est. Solus Pater Filium perfecte cognoscens, perfectam Filii poterat præstare notitiam, dicendo: *Hic est Filius meus dilectus, quia alterum qui testimonium diceret non habebat: arcanum Patris arbitrium non habebat, testem generatio nescit divina, divinitas externam non recipit notionem, Filio dicente: Nemo novit Filium nisi Pater.* (2) Attamen quod denegatum est Angelis, concessum est Josepho qui Christum vere suum vocitabat filium. *Nomine paternitatis neque Angelus, licet brevi temporis spatio potuit nuncupari. Hoc unus Joseph insignitur* (3), cui æternus Pater filii demandarat notionem, ut eum proprio nomine nuncuparet.

Ad parentes spectat nomina imponere filiis: *Sive mater, sive pater, nomen imposturus erat.* (4) Æternus pater qui suæ paternitatis Josephum effecerat participem, voluit ut paternam demonstraret dignitatem imponendo nomen Filio. *Vocabis nomen ejus Jesum.* (5) Deus divisit cum Josepho auctoritatem in Filium, sicut dividerat cum Adamo potentiam supra creaturas. Creatio ad solum Deum spectat; quæ cum sit productio entis ex nihilo, supponit in agente infinitam potentiam quæ valeat separare distantiam quasi infinitam quæ reperitur inter ens et non ens: solus autem Deus habet potentiam infinitam: ideo solus Deus creaturas de nihilo produxit: voluit tamen Deus mundi productionem cum Adamo partiri, productas, adducens ad eum creaturas ut eis nomina imponeret: *Esto Adam nominum artifex, quando rerum esse non potes; formentur a me, nominentur a te quæ procreata sunt: me cognoscant artificem naturæ lege, te dominum intelligant appellationis nomine.* (6) Deus quasi concreatorum efficit Adamum, cum illo opus creationis velut dividens ob auctoritatem quam ei largitur creatis rebus imponendi nomen. Non aliter æternus Pater agit cum Josepho, cum quo dividere voluit nomen et officium patris, ut ipse sit pater ob generationem filii, Josephus vero ob nominis impositionem: sane *nihil præterea dici potest.* (7)

Orator olim Philippi elogium peroraturus, ubi se laudum copia obrui animadvertit, ad Regem conversus, dixit: *Tacebo, Philippe, illustrem majorum tuorum prosapiam; silebo*

(1) Tert. l. 2. ad Nat. 8. — (2) Catech. 7. — (3) Basil. 9. — (4) Exod. 3.

(1) Chrysol. Scrm. 160. — (2) Chrysol. — (3) Basil. Mag. — (4) D. Chrys. Hom. 6. in Gen. — (5) Luc. 1. — (6) Basil. Sclenc. Orat. 2. in Adam. — (7) Joan. Damas. Orat. 3. de Nativ.

regiam qua polles dignitatem, præteribo invictam fortitudinem, nihil dicam de tua magnificentia, corporis præstantia, animi magnitudine; non adducam tot victorias de hostibus reportatas, tot provincias imperio tuo subditas: *Hoc unum dixisse sufficiat, filium te habere Alexandrum.* (1) Sancte Joseph, mirum in modum commendaris a tuis prædecessoribus, qui pontificia et regia dignitate decorati sunt a tuis virtutibus, quibus ut sol splendescis; a sanctitate et gratia quam adeo abunde recepisti; verum hoc unum dixisse sufficiat: filium te habere non criminatum, sed sanctissimum; non vitium denigratum, sed virtutibus famosissimum; non regulum, sed Regem regum, et Dominum dominantium; non Alexandrum, sed Christum; non purum hominem, sed hominem Deum: *Conjice ex hac appellatione qua meruit honorari adeo ut pater Dei et dictus et creditus sit, quis et qualis homo fuerit ille Joseph* (2); et ejusmodi dignitas eo est excellentior quo est magis singularis.

2. Josephus est merito *de singularitate famosus.* (3) Hoc de phœnice fatur Tertullianus: verum Josepho aptari potest, qui *florebit sicut phœnix* (4), ob singularem quæ illi soli competit dignitatem. Ingens profecto angelica nobilitas at innumerabilis est fere supernorum spirituum multitudo: *Millia millium ministrabant ei.* (5) Apostolorum dignitas est valde sublimis, verum in duodecim reperitur: *Elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* (6) At Josephi excellentia est absque ulla comparatione major, quia est singularis. Dei unitas, quæ est rerum creaturarum origo, est cujusvis creaturæ perfectionis mensura; Deus autem *solitudinem quandam de singularitate præstantiæ suæ possidens, unicus est.* (7) Eodem modo justi eo sunt digniores quo perfectiones singulariores possident. Quanta beati Josephi perfectio, qui est *de singularitate famosus*? Nam titulus patris Dei quem cum æterno dividit Patre, adeo est illi peculiaris ut nullo modo competat neque Personis productis in Trinitate, neque aliis hominibus. Non quidem Personis divinis productis; etenim Filius nequit esse suiipsius pater, alias esset seipso origine prior, et distingueretur realiter a semetipso, quod implicat. Neque etiam Spiritus Sanctus, qui cum producat a Filio in Trinitate, nequit esse principium filii, et licet operatus sit Incarnationis mysterium in utero Virginis, attamen non est pater Christi: solus Joseph

florebit ut phœnix, et patris Christi honorabitur nomine, quod nullis aliis competit hominibus.

Et licet Matthæus in genealogia Salvatoris nuncupet eum filium Abraham et David, hoc debet intelligi, ait Rupertus, de Christo in quantum homine et rege, non in quantum Deo (1): in Christo tria sunt attendenda: scilicet humanitas, regia dignitas et divina majestas; et ob hæc tria in Evangelio Matthæi, tres homines titulo patris Christi honorantur. Abraham est pater Christi in quantum hominis; David est pater Christi in quantum Regis; Joseph vero est pater Christi in quantum Dei. Quod evidenter constat ex promissionibus ejusmodi hominibus factis. Humanitas Christi patet in promissione Abrahæ facta, quod in ejus semine benedicentur nationes terræ; semen etenim hominem denotat. Regia Christi dignitas manifestatur in promissione Davidi facta, quod ejus progenies sedebit supra thronum: thronus namque regiam indicat dignitatem. Divina autem majestas elucet in promissione Josepho facta, scilicet quod Maria ejus uxor conceperat de Spiritu Sancto, eratque paritura filium qui liberabit populum a peccatis eorum: ad Deum autem pertinet dimittere peccatum et largiri gratiam. Christo ut homini, Abraham homo pollicetur pater; Christo ut regi, David rex pollicetur pater; Christo ut Deo, Josephus pollicetur pater: qui hunc titulum velut dividit cum Patre æterno: seu, ut vult Joannes Damascenus, æterni Patris gerit personam. *Deus voluit ut Joseph habeat vicem patris per respectum ad Christum.* (2) Audiamus Rupertum hac supra re belle disserentem: « Verum hæc nominatio magna propria sit beati Josephi, qui sponsus custoque esse beatæ Virginis, et nati ex ea regis Filii Dei, filii David, optimo nomine pater dici meruit. Ecce enim in hoc generationis libro, tres isti sunt patres insignes Jesu Christi hominis, regis et Dei: et secundum hæc tria ternarium avertimus incrementum promissionis Christi, quæ ad ipsos spiritualiter facta est; scilicet Abraham, David et Joseph: denique homo tantum intelligitur in promissione, quæ ad Abraham hoc modo facta est: In semine tuo benedicentur omnes gentes: jam autem rex ea promissione nuncupatur quæ facta est David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Porro B. Joseph promittitur tanquam Deus, dum ei dicitur: Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet po-

(1) Sabellic. — (2) D. Bern. Serm. 2. super Missus. — (3) Tert. L. de Res. 13. — (4) Tert. Ibid. — (5) Daniel. 7. — (6) Luc. 6. — (7) Tert. L. 1. adv. Marc. 4.

(1) In 4. Evang. L. 1. c. 6. — (2) Serm. 48.

palum suum a peccatis eorum. » Quanta Josephi gloria, cui supra Abraham et David sublimato, Christus promittitur tanquam Deus, quia in divinæ paternitatis admittitur consortium, sitque particeps paternæ dignitatis, quæ multum commendatur ex charitate Christi, quam ab æterno mutuatur Patre.

3. *Unigenitus ex Deo genitus: proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et pater ipse testatur: Eructavit cor meum sermonem optimum.* (1) Cor interdum sumitur pro intellectu, a quo procedunt cogitationes: quo sensu ait Apostolus: *De corde exeunt cogitationes male.* Interdum sumitur pro voluntate, quæ est principium; amoris quomodo intelligendus est Deus, dicens: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Quando autem æternus Pater apud Vatem Regium ait: *Eructavit cor meum verbum bonum; cor ibi sumitur pro intellectu, et non pro voluntate: intellectus enim, et non voluntas, est principium generationis filii.* Quia tamen verbum illud cordis intellectus, est bonum et optimum, corde voluntatis diligitur a patre, ideo Pater dicit: *Eructavit cor meum Verbum quod est notitia ab intellectu genita.* Deinde addit bonum: quia cum sit infinite perfectum, est objectum voluntatis, et infinite a paterna voluntate diligitur. Hac distinctione facile solvitur Achilles Arianorum qui sic ratiocinantur apud Gregorium Nazianzenum (2): Aut Pater produxit Filium nolens, aut volens: si nolens, coactus fuit; si coactus fuit, est vim passus, neque resistere potuit; si resistere non valuit, non est Deus: si vero volens Filium produxit, ergo libere; si libere, ergo esse Filii est contingens, quia potuit non produci; si potuit non produci, est creatura. Verum, ut fatur D. Athanasius, *aliud est dicere voluntate genitum, aliud vero quod proprium jam ex natura constitutum, amat et vult.* (3) Pater produxit Filium volens, non tamen illum producit per voluntatem; voluntas comitatur generationem Verbi, et tamen non est principium generationis Verbi. Intellectus et non voluntas Filium generat; per memoriam fecundam generatum Filium, voluntas diligit et amat. Pater autem eructavit in sinum Virginis Verbum illud bonum, quod per memoriam generat, ut verbum, et per voluntatem diligit ut bonum, ut illud Maria generet ut filium, et amet ut filium: *Imo hic maxime in vulvam Virginis, verbum bonum cor Patris eructavit* (4): et post electam Virginem in

Matrem, ut Filium Dei generaret, et generatum tenerrime diligeret, elegit adhuc Josephum virginem, in filii patrem, non quidem ut eum generaret (hoc est privilegium solius Deiparæ), sed ut eum ad instar Virginis tenerrime amaret, *ut esset infantulo pater optimus.* (1)

Æternus Pater dividere voluit cum Maria et fecunditatem intellectus, et ardorem voluntatis; nam Verbum illud quod Pater generat ab æterno per intellectum, in tempore Maria genuit de suo sanguine, et filium quem Pater infinite diligit, Maria tenerrime amat; et ita Maria est quasi bis mater Filii Dei: et quia illum generat, et quia illum amat. Æternus Pater quæsivit sibi adhuc virum secundum cor suum, nempe Sanctum Josephum, cum quo dividere voluit, non fecunditatem qua filium generat, sed amorem qua filium amat: ideoque Josephus est vere pater Christi, non bis ut Maria, semel per generationem et iterum per dilectionem, sed semel per dilectionem: *Sicut Maria Mater Jesu dicitur propter generationem, ita Joseph pater Jesu propter dilectionem.* (2)

Christus eligens Joannem in filium Virginis ut suas ageret vices, inflammavit cor ejus amore convenienti, et amabilitati Deiparæ, et dignitati Christi, cujus tenebat locum. Æternus Pater dividens cum Josepho cor suum, ut esset pater Christi, dedit illi amorem congruentem et amoris patris cujus personam referebat et amabilitati Christi: *Paternum viro huic Joseph, infantis amorem penitus infudit* (3); nam, ut ratiocinatur Bernardinus Senensis: « Quando divina Providentia aliquem ad singularem gratiam, vel sublimem aliquem statum eligit, omnia charismata donat quæ huic personæ sic electæ, et ejus officio necessaria sunt, illamque copiose decorant, ut patet ex Moise, Josue, Isaac, Abraham, Jacob, David, et sic de aliis Prophetis. Patet etiam in novo Testamento, in Virgine benedicta, in Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, quod maxime verificatum est in Sancto Josepho, qui ab æterno Patre electus est. » (4) Quanta vero fuerit Josephi dilectio neque concipi, neque enarrari potest, sed aliquatenus conjici, 1. Ex electione Patris, etenim: *Quæsivit sibi Dominus virum secundum cor suum* (5); 2. Ex infinita filii amabilitate. Ut autem animadvertit Isolanus, *ut Jesus egressus est ex utero Virginis, Josephi cor vulneravit æterni amoris indesitura cicatrice* (6); 3. Ex effusione Spiritus

(1) Tert. L. adv. Prax. 7. — (2) Orat. 55. — (3) Orat. 4. Cont. Arian. — (4) Rupert. L. 1. de Operat. Spirit. Sancti. 12.

(1) Rupert. L. 1. in Matth. de Glor. Filii. — (2) D. Cyril. Hierosol. Catech. 7. — (3) Rupert. L. 1. in Matth. de Glor. Filii. — (4) Tom. 5. Serm. de S. Jos. — (5) L. 1. Reg. 13. — (6) Part. 2. cap. 15.

Sancti, nam, *charitas Dei nostri diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* (1) Abundanter autem Spiritus Sanctus charitatem diffudit in corde Josephi, quo cum dividere voluit titulum Sponsi beatissimæ Virginis.

II. PARS. Josephum esse Mariæ sponsum Evangelii testimonio comprobatur. Etenim *Matthæus originem Domini decurrens ab Abraham usque ad Mariam: Jacob, inquit, generavit Joseph, virum Mariæ, ex qua nascitur Christus.* (2) Eadem ratione qua initum est conjugium inter Josephum et Mariam, Joseph Mariæ sponsum asseverandus est; et quia Spiritui Sancto *desponsata est Maria quodammodo nupta* (3), Spiritus Sanctus Mariæ quoque sponsum nuncupatur. Duos illos Virginis sponsum insinuat Angelus: *Josephum quidem, dum eum sic alloquitur: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* (4) Sanctum adhuc Spiritum dum addit: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* (5) Chrysologus, Gabrielis attendens legationem, eloquenter suo more loquitur: *Pervolat ad Sponsam festinus interpres.* Pervolat ad sponsam Josephi, cui Maria est per verum matrimonium conjuncta; pervolat ad sponsam Spiritus Sancti, cui est in utero pignorata cum fieret. Licet enim verum cum Spiritu Sancto Maria in conceptione non contraxerit conjugium, tamen *desponsatæ adæquatur* (6): tum quia est promissa et pignorata, tum quia deinceps est fecundata a Spiritu Sancto; quare a Chrysologo *Dei sponsa* vocitatur: ideoque dum Spiritus Sanctus Mariam Josepho desponsat, a sua sponsa non se separat, *nec separationem facit, quando suam sibi totam jungit in uno corpore creaturam* (7); et dum in incarnatione suam assumit sponsam, non aufert eam a Joseph: *Neque aufert a Joseph Virginem.* Absque injuria Spiritus Sancti, Joseph dicitur Mariæ sponsum, et absque injuria Josephi, Spiritus Sanctus Virginis prædicatur sponsum: etenim *suam sponsam recipit, non præripit alienam.* (8) Spiritus Sanctus et Joseph, ambo Mariæ sponsum; 1. Ambo sponsæ virginitatem obumbrant; 2. Ambo sibi Christum arrogant; 3. Ambo Matrem et Filium sollicitè curant.

1. *Ex Virgine natus est Christus, licet desponsata, tamen integra.* (9) Magna attentione consideranda sunt, magno velut mysterio gravida, verba Evangelistæ, Gabrielis Archangeli et Mariæ. Lucas Evangelista,

(1) Rom. 5. — (2) Tert. L. de Carn. Christ. 20. — (3) Tert. L. de Vel. Virg. 6. — (4) Matth. 1. 20. — (5) Ser. 140. — (6) Tert. L. de Vel. Virg. 6. — (7) Chrysol. — (8) Chrysol. — (9) Tert. L. de Vel. Virg. 6.

in sui Evangelii exordio, Josephi meminit tanquam sponsi Virginis: *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Gabriel Archangelus suam incipiens legationem, de Spiritu Sancto, velut de sponso Virginis loquitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Maria vero velut medium tenens inter hæc duo extrema, suam testatur virginitatem: *Quoniam virum non cognosco,* declarans cum dispendio puritatis nolle desponsari neque Josepho, neque Spiritui Sancto, quantumvis possit ei esse gloriosa ejusmodi affinitas. Ne timeas, Maria, virginitas liis non contrariatur affinitatibus, imo ad eas præparat, et velut medium conduit. Eris Josephi sponsa, et remanebis Virgo; eris sponsa Spiritus Sancti, nec patieris ullam puritatis jacturam. Tua virginitas erit sacer nexus qui Spiritum Sanctum Josepho sponso, et Josephum Spiritui Sancto inseparabiliter conjunget: Maria est Virgo, quia est sponsa Spiritus Sancti, qui est virgo. *Virgo est quæ Deo nubit.* (1) Personalis amor cui appropriatur puritas, Virgini duntaxat fecunditatem largiri debebat: Maria est virgo, quia est sponsa Josephi virginis: et Evangelista *quando justum docuit Joseph, satis declaravit, quod Sancti Spiritus templum, uterum mysterii, matrem Domini violare non potuit.* (2) Maria est virgo, ejus namque puritas est vinculum cœlestem Sponsum cum terrestri conjungens, non secus ac Spiritus Sanctus fuit unio conjugii inter Josephum et Mariam initi: *Conjunctio tota fuit cœlestis et Spiritus Sanctus amborum conjugalior, in ambobus præsidens.* (3)

Merito D. Hieronymus insurgit in Hevidium virginitatem Mariæ denegantem, eo quod fuisset Josepho desponsata: *Tu dicis Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio, virgo Filius nasceretur.* Deus qui Josephum Mariæ destinavit in sponsum, et vice versa, Mariam Josepho in sponsam, similes eos effecit in integritate animi et corporis; et Maria, quæ virginitatem suam Deo consecraverat, Josephum ad simile votum induxit. Maria igitur est virgo, quia Sponsa Spiritus Sancti virginis, et sponsa adhuc Josephi virginis, virgo ante desponsationem, et virgo post desponsationem: *Ecce enim Virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo ante sponsum, virgo cum sponso* (4); et quod est multo mirabilius, *ipsa quoque genitrix, sponsa, mater, virgo.* (5) Mater est Verbi, et

(1) D. Amb. L. de Virg. — (2) D. Ambr. — (3) Rupert. L. 1. de Glorific. Filii. — (4) D. Hildeph. L. de Virginit. Mar. cap. 1. — (5) Chrysolog. Serm. 175.

est virgo; semel et iterum est sponsa, sponsa Josephi, sponsa Spiritus Sancti. Tantum abest ut duo illi sponsi Mariæ virginitatem ædimant, quin imo eam mirabiliter conservant: *Sed neminem turbet, nullum moveat, quod in thalamo ipso sponsa ipsa cernitur peperisse: talis non est de crimine, sed de virginitate conceptus; quando in tali germine cælestis partus est, non humans.* (1) Verbi humanatio nequit adimpleri in utero Mariæ nisi ad eam concurrant Josephus, Spiritus Sanctus, et Mariana puritas, quæ Josephum cum Spiritu Sancto connectit. Ad temporalem Verbi divini nativitatem tria erant necessaria: nimirum terra benedictionis, in qua nasciturum erat; pluvia ad terram benedictionis fecundandam; nubes ad ejusmodi terram benedictionis tegendam: 1. Maria est terra benedictionis, quod denotat Gabriel Angelus, *dum benedixit illam: Benedicta tu in mulieribus* (2); 2. Spiritus Sanctus pluvia est quæ Mariam fecundavit: *Clibanus est Virgo in Josephi desponsatione, thalamus in Spiritus imprægnatione, templum in Filii nativitate. Quasi plebeia quidem desponsatur, sed tanquam cælestis virgo, virtute divina imprægnatur.* (3) 3. Josephus est nubes terram illam tegens: *Ut obseretur os loquentium iniqua; quia matrimonium illud dispensationi divinæ, non copulæ carnali servierat.* (4)

Antiquitus nuptis præbebatur velamen, inde originem duxit nubere, id est, tegere, adumbrare, velut nube occultare: Spiritus Sanctus et Josephus Mariam adumbrarunt, sed diversimode: Spiritus Sanctus illam fecundando, Josephus fecunditatem ejus velamine conjugali, nube matrimoniali tegendo: *Inventus est itaque Joseph, qualem quærebat ratio.* (5) Dei Filius, non Verbum, sed ratio nuncupatur a Tertulliano (6): Quæsitus et inventus est a ratione Joseph ad mysterium Virginis, et incarnationis sacramentum, cui et honestas mysterii, et Mariæ fama crederetur. Tanti ponderis erat Josephi testimonium, ut sua auctoritate et incarnationis mysterium, et Virginis puritatem vindicaret ad humana suspitione et maledicentia: *Et ideo Evangelista qui incarnationis incorruptæ suscepit probare mysterium, non putavit uberius persequendum virginitatis Mariæ testimonium, ne defensor magis Virginis quam assertor mysterii crederetur.* (7) Utrumque præstitit Josephus, etenim et fuit incarnationis, et virginitatis defensor, quam a maledicentium

linguarum veneno liberavit. Tanta fuit Josephi auctoritas ut ejus testimonium omnem non bonæ famæ suspitionem fugaverit. *Nec ullus est hic sinistrae suspitioni locus, ubi ipse sponsus sponsæ suæ testis habetur et custos.* (1) Porro mariti nuper suspiciosi suffragium in re uxorii pudoris auctoritatissimum est, ut constat ex Josepho, de quo sic eloquenter fatur Chrysologus: *Æstuebat animus sanctus, rei novitate percussus, stabat sponsa prægnans, sed virgo; stabat plena pignore, sed non vacua pudore; stabat de conceptu sollicita, sed de integritate secunda; stabat vestita materno munere, sed non honore virginitatis exclusa. Sponsus quid faceret ad ista? accusaret de crimine? sed erat ipse innocentis testis. Culpam diceret? sed erat ipse custos pudoris. Urgeret adulterium? sed erat ipse virginitatis assertor.* (2) Belle nuncupatur Josephus Marianæ virginitatis assertor; quasi ad hoc natus sit, ad hoc destinatus sit, ad hoc Mariæ desponsatus sit, ut ejus pudorem defensaret, pudicitiam inculpatam et insuspectam servaret, et illibatam assereret virginitatem: et quia est omnimoda connexio inter Virginis integritatem et incarnationis mysterium, Josephus belle vocitatur ab Ambrosio *mysterii assertor*, quia nequit esse Marianæ virginitatis assertor, quin sit humanationis Verbi assertor. Utriusque fuit scutum inexpugnabile, *ut ab infamia defendat.* Scutum fuit Filii. *Legitimam Christi nativitatem ab æterno Patre, Angeli beati soli cognoscebant; Joseph vero ex matre temporali ortus legitimi scutum fuit.* (3) Matris adhuc scutum: nam, ut addit Isidorus, *Matris virginis pudorem tutatus tanta fide et sapientia, ut etiam intellectum angelicum diaboli obtenebraverit.* Duplici hac de causa convenientissimum fuit, ut Christus de Virgine desponsata nasceretur: tum ob honorem Filii, tum ob famam Matris. Ob honorem Filii, ne devenustaretur ut illegitimus, spurcius et nothus, si de non desponsata nasceretur. (4) Ob Matris famam, ne dedecoraretur ut impudica, et ut infamis puniretur. Quale, quæso, Josephi encomium, qui sua assertione et Matris et Filii conservavit famam! *Videte, et pensate, et considerate quanta auctoritate apud Deum et Angelos Sanctus effulserit Joseph, quia altissimi mysterii scutum fuit inexpugnabile.* (5) Scutum nativitatis Christi ex desponsata; scutum inexpugnabile Virginis desponsatæ. Etenim *sicut manente virginitate Mater est, ita conjux dicitur pudore*

(1) Chrysol. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 6. — (3) Petr. Coll. L. 6. de Panib. c. 21. — (4) Arnoldi. Carnot. Tract. de 7. Verbis — (5) Metaphr. Orat. de Educat. Mar. — (6) Tert. L. 1. adv. Prax. 5. — (7) D. Ambr.

(1) Chrysol. Serm. 175. — (2) Serm. 145. — (3) Strab. Fuld. Isolan. p. 1. cap. 4. — (4) D. Thom. 3. p. Quæst. 9. Ar

permanente. (1) Animadvertit autem acute Origenes Mariam tandiu Josephi sponsam nuncupatam ab Angelo, quandiu sponsus ille fuit necessarius ad honoris et famæ tutamen: at ubi nullum fuit infamæ periculum, Christi vocitata est Mater. *Ante generationem conjugem appellabat Joseph, post generationem, Matrem eam dicit pueri.* (2) Ante Verbi humanationem, Gabriel Mariam appellat Josephi sponsam, ut ineffabile illud mysterium occultaret, tum demonibus, tum incredulis et scelerosis Judæis; at post Christi nativitatem, post decantatas divinas ab Angelis laudes, post pastorum adventum et lætitiā, post agnitionem Jesu ab Anna prophetissa et Simeone sene, post Magorum adorationem, titulus sponsi et sponsæ non erat Mariæ et Josepho necessarius. Nomen Matris erat valde Mariæ gloriosum, et patris vocabulum Josephum ad tantam sublimat dignitatem, ut fructum uteri virginalis cum Spiritu Sancto velut dividat.

2. *Intelligimus ex concubitu nativitatem Domini negatam.* (3) Josephus est Mariæ sponsus, quia *ut maritus sinu, habeam oportet uxorem.* (4) Nihilominus nullum cum Deipara habuit unquam carnale commercium: nam ut belle ait Tertullianus, *non competebat ex semine humano Dei Filium nasci, ne si totus esset filius hominis, non esset et Dei filius, nihilque haberet amplius Salomone, et amplius Jona, et de Hebionis opinione credendus esset.* (5) Christus est Deus et homo: at *non diceretur homo sine carne, sicut nec Deus sine Spiritu Dei.* (6) Verum licet Spiritus Sanctus sit Virginis sponsus, licet Mariam sua virtute fecundaverit, licet operatus sit humanationis mysterium in utero Deiparæ, nunquam tamen Christi *nuncupatur pater.* (7) Est quidem tanti sacramenti auctor, ut docet D. Augustinus (8), sed non est Jesu pater: quod sane paradoxum videtur. At non minus est stupendum quod Josephus nullomodo concurrat ad Christi generationem. *Vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen* (1); et tamen sit verus et legitimus Christi pater. « Quemadmodum, ait Justinus martyr, Joseph vocatus est Heli filius, non autem ex eo genitus, quia divinæ legi ita placitum fuit, ex uxore Heli dare ei filium, ad eundem modum Deo visum est, ex conjugē Joseph filium dare ei Jesum, naturaliter ex eo non genitum: nam id quod ex muliere quapiam absque stupro et forni-

catione progignitur, necessario viri et uxoris filius est. Cujusmodi ratione Deus dare vult filium viro, per copulationem videlicet, vel citra copulationem. » (1) Christus autem est Josephi filius, non per copulationem carnalem, sed, ut ait D. Augustinus, *sine commixtione carnis ipsa copulatione conjugii, et ob hoc etiam Christi pater multo conjunctius, quia ex ejus conjugē natus sit, quam si esset aliunde adoptatus.* (2) Alii conjuges ideo natorum sunt parentes, quia cum uxoribus commixti sunt: at Joseph e contra est Christi pater, quia nullum cum uxore habuit carnale commercium: *Gaude itaque, Joseph, nimirumque congaude virginitati Mariæ, qui solum meruisti virginalē affectum possidere conjugii; quia per meritum virginittatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris.* (3) Inter Marcianum et Pulcheriam multum simile deprehendo negotium: Pulcheria, imperii hæres legitima, Marciano nupsit, hac conditione ut Marcianus renunciaret potestati quam habebat ut sponsus supra Pulcheriæ corpus, quæ remaneret virgo, et Pulcheria Martianum efficeret imperii participem. Itaque Pulcheria virginittatem tenet de condescendentia Marciani, et Marcianus imperium de liberalitate Pulcheriæ. Idem intervenit inter Josephum et Mariam: Josephus renuntiat auctoritati quam connubium ei præbebat supra corpus Mariæ, et Maria ei confert titulum patris Christi. Inde concludendo D. Augustinus alloquitur Josephum, *sit Maria mater Christi virginittate servata, sis et tu pater Christi, cura castitatis et honorificentia virginittatis.*

Et quia Spiritus Sanctus Josephi peregit officium, operatusque est Verbi corporationem, *honoravit eam Spiritus Sanctus patris vocabulo* (4): et ut innuat Josephum esse verum ac legitimum Christi patrem, eodem momento quo æternus Pater declarat Christum quatenus Deum, suum esse filium, Spiritus Sanctus indicat Josephum esse patrem Christi quatenus hominis. Æternus Pater apparet in nube supra Jordanem, intonans: *Hic est Filius meus dilectus.* Spiritus Sanctus apparet in columbæ specie supra Josephi caput, ut ejus paternitatem formet et manifestet. Historia Marianæ nativittatis quæ D. tribuitur Hieronymo, Deiparæ familiam in suis armis deferre columbam existimat: Spiritus Sanctus per columbam repræsentatus supra caput beatæ Virginnis requievit,

(1) Chrysol. Serm. 145. — (2) Hom. 5. c. 2. Matth. (3) Tert. L. de Carn. Christ. 19. — (4) Tert. adv. Prax. 10. — (5) Tert. L. de Carn. Christ. 18. — (6) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (7) Tert. L. 3. adv. Marc. 2. — (8) In Enchir. cap. 38. — (9) Tert. L. de Carn. Christ. 17.

(1) Quæst. 155. — (2) L. 5. Cont. Julian. 9. — (3) D. Aug. Serm. 15. de Nat. Dom. — (4) Orig. Hom. 17. in cap. 2. Luc.

juxta Gabrielis archangeli pollicitationem : Spiritus Sanctus superveniet in te. » *Sic Dei genitrix speciosa prædicatur, quia columba illa eam totam repleverat.* (1) Requievit adhuc in specie columbæ supra Christi Domini caput : *Christum columba demonstrare solita est.* (2) Tandem Spiritus Sanctus requievit super caput Josephi. Sacerdotes quorum erat virgines Deo sacras, et templi obsequiis devotas, matrimonio jungere, cum inter se quæsiissent cui viro in sponsam tradenda esset Maria, nec inter se convenirent, placuit hac supra re consulere oraculum, a quo hoc accipere responsum : Cujus virga de repente floruisset, et in ejus vertice Spiritus Sanctus columbæ forma consedisset, ipsum esse quem cælum Mariæ designasset sponsum. Oraculo respondit eventus, nam virga Joseph, et in germina, et in flores sese expandit, et in Josephum candida devolvit columba. (3) Ut enim refert Sanctus Eustachius : « Simul atque a Sacerdote virgam accepit, ex ea columba volans, capiti Josephi insedit : quare princeps sacerdotum, sacerdotesque omnes qui convenerant, rem admirati, pari voto illi Mariam desponderunt. » (3) Igitur Spiritus Sanctus super capita Christi, Mariæ et Josephi requievit. Supra caput Mariæ, die qua in utero divinum concepit Verbum ; supra caput Christi, die qua a Joanne baptizatus est ; supra caput Josephi, die qua fuit Virgini desponsatus ; supra Mariam tanquam Dei Matrem ; supra Christum tanquam æterni Patris filium ; supra Josephum tanquam sponsum Virginis, et Christi patrem, terrenus sponsus Virginis, a cœlesti sponso manifestandus erat : Christi pater dignoscendus erat per columbam illam divinam quæ fecundaverat Mariam. Maria a sacro Sponso columba vocitatur : *Una est columba mea* (4) ; et statim addit etiam esse Dei electam, ut tribueret Deiparæ fecunditatem : *Una est genitricis suæ electa.* (6) Quænam vero una est genitricis suæ electa : *Non aliam quamdam, sed columbam esse intelligimus,* ait Gregorius Nyssenus : etsi ab illo quæramus quæ sit illa columba, respondit : *Omnia est columba illa quæ de cælo ad Jordanem advolavit.* Columba autem ad Jordanem advolans est Spiritus Sanctus : *Columbæ figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus Sancti declararetur per animal simplicitatis et innocentie : quod etiam corporaliter ipso felie careat columba.* (7) Ecce tibi familia tota Mariana ex columbis composita. Maria est co-

lumba : *Avis non tantum innocua, verum et pudica.* (1) Spiritus Sanctus Mariam fecundans, est columba ; Christus est columba, virtute Spiritus Sancti in utero Virginis conceptus et formatus ; Josephus est columba, dividens cum Spiritu Sancto fructum uteri virginalis : ita ut Spiritus Sanctus sit auctor Christi, et non pater, Josephus autem sit Christi non auctor, sed pater : et ut fatur Basilius Seleucus, *ejus sit possessor cujus non fuerat conditor* (2) Ut Christi pater ab hominibus creditus est Josephi : *Licet propterea abstulerint hæreses ista de Evangelio, quod et creditum patrem ejus Joseph fabrum, et matrem Mariam.* (3) Et ob hanc causam Christus fuit Josepho simillimus, ut facilius crederetur Josephus Christi pater.

Christus *utriusque substantiæ census, hominem et Deum exhibuit.* (4) In quantum Deus æternum repræsentat Patrem, et quia ex illo est, et quia exemplar suum imitando referat. (5) In quantum homo terrenum repræsentat patrem, non quod ab illo generatus sit, sed quia illi est simillimus. Nisi enim Josephi facialis forma, ait Joannes Gerson (6), Jesu formæ fuisset similis, quo pacto pater ejus creditus fuisset ? qualiter omnino matris salvasset honorem ? *Ergo facies erit filii pater.* (7) Æternus Pater est facies Christi, quatenus Dei : in filio namque *sigillum et imago patris evidentissime ostenditur.* (8) Josephus est forma Christi quatenus hominis : *Vere Christus ingenium et proprietates Joseph referebat :* (9) et quia, ut vult Tertullianus, *facies occultorum, ea quæ apparenti ;* (10) ex externa corporis facie qua Josephus et Christus assimilantur, colligenda est interna animi similitudo quæ inter illos reperitur.

Josephi pia et religiosa conversatio, a Sancto Isidoro dicitur, *divina officio* (11) : quia cum tribus divinis personis singulare habet commercium. Cum Patre, *gessit enim personam Dei Patris* (12) ; cum Filio, *dum Verbi incarnati putabatur esse pater ;* cum Spiritu Sancto, quia, ut ait supra memoratus Salmeron, in incarnationis mysterio, *velut vicarias Josephi egit vices.* Nam cum secundum naturæ ordinem filius ex uxore generandus, mariti sit opera procreandus, et Spiritus Sanctus sit supernaturaliter operatus in Maria quod vir ejus Josephi erat naturaliter operaturus, Spiritus Sanctus fuit

(1) D. Hdeph. Serm. 1. de Assump. — (2) Tert. L. adv. Valent. 2. — (3) Novar. Umb. Virg. L. 4. num. 1085. — (4) In Hexam. — (5) Cant. 6. — (6) Cant. — (7) Tert. L. de Bapt. 8.

(1) Tert. L. de Monog. 8. — (2) Orat. 1. — (3) Tert. L. de Carn. Christ. 7. — (4) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (5) Greg. Naz. Orat. 56. — (6) In fine Josephina. — (7) Tert. L. adv. Prax. 14. — (8) D. Athan. Orat. 1. Cont. Arr. — (9) Salmer. tom. 3. Tract. 30. — (10) Tert. L. de An. 18. — (11) Isolan. 1. p. cap. 16. — (12) Isoia.

velut substitutus, et vicarius Josephi operator; ideoque produxit Christum Josepho in corporis lineamenti adeo similem ac fuisset si secundum naturæ cursum fuisset a Josepho genitus, quia cum Deus aliquid supernaturaliter operatur, illud producit non absimile quod ei foret naturaliter producendum. Inde concludit præfatus auctor: *Vere Christus ingenium, et proprietates Josephi referebat; qui tanquam legitimus Christi pater, ejus erat facies, et cum Spiritu Sancto Matris et Filii curam dividebat.*

3. Antiquus Joseph *serviebat in familia regis Ægyptiorum* (1): Joseph vero, Mariæ sponsus, est Christi pater, *Christo vero Deo dies et noctes serviebat.* (2) Incarnationis mysterio virtute Spiritus Sancti operato in utero Virginis Josephus Christi et Deiparæ servitio cœlitus deputatur. *Ut enim non videretur Joseph amplius conjugio non esse necessarius, cum conceptio esset facta sine ejus auxilio, ostendit quod quamvis non sit necessarius conceptui, tamen utilis est procuratori: quia ipsu pariet filium; et tunc Matri et Filio erit necessarius. Matri ut eam ab infamia defendat; Filio, ut eum nutriat.* (3) Sine auxilio Josephi Spiritus Sanctus Verbi peregit humanationem; at Josephi advocat auxilium, ut Mariæ et Christo opem ferat. Mars nolens corporaliter videri in certaminibus, virum qui ejus loco certaret pignora- vit: *Mars in bello fortissimum virum pignora- vit* (4); Spiritus Sanctus, uti Virginis sponsus, et Christi auctor, suo loco Josephum substituit, ut Matris et Filii sollicitam curam gereret. *Ad omnes calamitates et ærumnas, quas ipse Spiritus Sanctus ferre non poterat, pignora- vit sanctissimum Josephum.* (5) Si modo quærat: *Quis adjuvit Spiritum Domini* (6) in cura Mariæ et Jesu? Absque dubio Josephus, *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus magni consilii coadjutorem fidelissimum* (7); seu, ut vult Isolanus, collegam. *De collegiariis ministris* (8) habetur auxilium, quo sensu caro, quæ animæ ministrat, animæ collega nuncupatur a Tertulliano: *Siquidem in carne, et cum carne, et per carnem agitur ab anima, quod geritur in corde.* (9) Quo sensu in præstando officio Mariæ et Christo Josephus est Spiritus Sancti collegiarius minister, seu ut fatur Isolanus, *conjugis suæ collega fuit.* (10)

Æmulatio quædam videbatur inter Josephum et Spiritum Sanctum: quare Septua-

giuta loco horum verborum « Filius accrescens Joseph, filius accrescens, » legunt: *Filius zelotes Joseph, filius zelotes.* Duo sponsi Deiparæ ad invicem certant quis ei meliora præstabit officia: Spiritus Sanctus perficiendo ejus animam per largitionem gratiæ et donorum effusionem; Josephus corpori ejus necessaria subministrando: Spiritus Sanctus absque ullo labore conjugi opitulatur; Josephus laborat quidem ministrando Mariæ, sed grato animo familiæ sustinet pondus. Andreas Gritti, Dux Venetus electus, Atlantem in pictura repræsentavit suis humeris cœlum sustententem, cum hoc lemmate: *Sustinet, non fatiscit.* (1) Eodem modo Josephus non fatiscit: quapropter Rupertus Christum Josepho innixum repræsentat; sic enim expendit scalam Jacob: *Supremus scalæ gradus, cui Dominus innixus est, iste est beatus Joseph, vir Mariæ, de qua Jesus natus est. Quomodo iste Deus et Dominus huic innixus est? Utique tanquam tutori pupillus: quippe qui in hoc mundo sine patre natus est, ita innixus est huic beato Joseph, ut esset infantulo iste pater optimus.* (2)

Tutor pupilli curam gerit, eumque sollicite custodit; Josephus Christi custos, ejus custodiæ diligenter invigilabat: quapropter Isidorus eum confert cum Cherubino ad custodiam paradisi addicto: « Memento sacræ seriem Geneseos, asserentem Deum possuisse Cherubim, qui paradisi terrestris custos foret atque servator. Reminiscere quoque Virginem Mariam paradisi typo signatam, et Christum lignum esse vitæ quod plantatum est secus decursus aquarum. Porro si hæc exploratæ creduntur veritatis, cur non Joseph Cherubim asserendus est, qui et Virginis sanctissimæ, et Christi custos a Deo immortalis positus fuit? » (3) Custodes Angeli tutores hominum nuncupantur: solus Christus Angelum custodem non habuit: etenim cum esset summe sapiens et bonus, Angelorum non indiguit custodia; deinde Josephus fuit Angelus visibilis Christi custos; idcirco vocatur a D. Bernardo, *magni consilii Angelus.*

Probi parentes magis curant filios, quam tutores pupillos. Josephus fuit infantulo pater optimus. Parentes alunt filios, Josephus est Christi pater, *non quod eum genuerit, sed educaverit* (4): ideoque vocatur a Bernardo, *dominicæ carnis nutritius.* Commendatur Joseph Patriarcha, quod tempore famis aluerit Ægyptios: *Prædicare itaque sæpe de reconduendis præsidiis in futuram famem de copia priore.* (5) Quanto magis commen-

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (2) Isolan. 1. p. c. 6. — (3) Strab. Ful. in Gloss. — (4) Ciccr. Philip. 4. — (5) Rupert. — (6) Esa. 40. — (7) D. Bern. — (8) Tert. L. de Spect. 11. — (9) Tert. L. de Res. 15. — (10) 2. P. cap. 4.

(1) Tipot. in Symb. — (2) L. 1. in Matth. — (3) 3. P. cap. 22. — (4) D. Hieron. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 8.

dandus est Josephus noster, qui ipsum aluit qui cuncta viventia nutrit? Petro quem in sui vicarium assumpserat Salvator commisit curam pascendi oves et agnos; quanto gloriosius negotium commissum Josepho, nutriendi scilicet supremum pastorem pastorum? Angeli sese beatos existimant aluisse semel Dominum in deserto; qualis, quæso, Josephi felicitas tot annis suis laboribus et sudoribus nutrivisse Angelorum Regem? Parentes filios protegunt et defensant: Joseph assumptus est ut in persecutione Herodis esset *Matris solatium* (1), et Filii tutamen; quem duxit et detulit in Ægyptum, ut a sævi illius tyranni immanitate liberaret. Josephus Propheta, *illie somnia quibusdam non perperam interpretatus, vim spiritus sui ostendit* (2): noster vero Josephus in somnis per Angelum admonitus, promptum demonstravit obsequium: Accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum: *Mandatur fuga, non profectio, supponitur necessitas, non voluntas: inducit Angelus latentem peregrinationem, non liberum commentum, ut via que est per se molesta, semper esset molestior per timorem.* (3) Quali timore percussus fuit Josephus, tum ex metu Herodis, tum ex vasta solitudine per quam transivit, tum ex itineris diuturnitate? At quantos exantlavit labores? quanta de matre et puerulo sollicitudo? Ovis illa errabunda inventa *humeris Pastoris ipsius refertur: multum enim errando laboraverat.* (4) Christus vero Josephi humeris defertur. Liceat modo *intueri verecundiam Virginis, laborem matris, sexus pudorem, periculum in Joseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus.* (5) Tot incommoda non parum angebant Josephi animum, sed his adhuc durius, mandatum fugiendi in Ægyptum: *Fuge a tuis ad extraneos; ad sacrilegos a Sanctis; a templo tuo, ad demonum fana; ad idolorum patriam, e regione Sanctorum.* (6) In tot angustiis quali fervore Josephus inserviebat Filio, et matrem solabatur? Quem sic hortatur Origenes: *Ministra, servi, intende, et huic qui nascitur, et huic que generat* (7); et omni studio ministerium tuum imple. Tanto ardentius Josephus noster suo incumbebat negotio, quanto majorem ab illo mutuabatur honorem. Qualis, quæso, Josephi dignitas, quale ministerium? siquidem vocatur a Ruperto *Jesu tutor et minister Mariæ*; a Theophylacto, *Curator*; ab Haimone, *Gubernator*; ab Andrea Hierosolymitano, *Procurator*. Christus est sub tutela

illius tutoris constitutus; diligentiae illius curatoris commissus; ab illo gubernatore educatus, et sollicitudine procuratoris illius conservatus. Æternus Pater talem gubernatorem dedit Filio; et Spiritus Sanctus Josephum elegit procuratorem, ut vices suas agens, Mariæ et Jesu suum præberet auxilium. Idcirco per totam Christi adolescentiam nulla fit mentio Spiritus Sancti, quia Christum et Mariam Josephi procuratori penitus commiserat Spiritus Sanctus. Spiritus Sanctus et Joseph alternatim Deiparæ curant familiam, toto tempore vitæ Josephi Spiritus Sanctus non apparet, quia Josephi tutela, curatela, ministerium, gubernatio et procuratio sufficiens erat; at mortuo Josepho, familiæ Mariæ curam gerit Spiritus Sanctus, et supra Christum visibiliter apparet. Josephum Patriarcham *exitus rerum, et prudentem, et sanctum, semper et necessarium probavit* (1); quanto a fortiori Josephus noster probatus necessarius, prudens et sanctus? Necessarius Christo et Mariæ; prudens, quia prudenter cum Virgine conversatus; sanctus tanta sanctitate præditus, ut cum æterno Patre partitus sit titulum patris Dei, cum Spiritu Sancto dignitatem sponsi Virginis, et cum Deipara auctoritatem in Filium Deum.

III. PARS. *Joseph dignitatem et potestatem administravit in ornamento præfecturæ totius Ægypti.* (2) Magna sane Josephi Patriarchæ dignitas, quod Pharaon totius regni curam ei commiserit. *Pharaon universæ Ægypto et frumentariæ et exinde curandæ eum præfecit.* (3) Major quod Josephum domus et familiæ regie principem effecerit: *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ.* (4) Sed maxima, mandans *ut omnes coram eo genuflecterent et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.* (5) Tunc adimpletum est quod vaticinatus fuerat Joseph: qui cum adhuc esset adolescens, vidit in somnis solem et lunam, et stellas undecim sibi inclinari, præstareque reverentiam. Somnio respondit eventus: nam Josephi Ægypti prorex constitutus, a Jacobo patre fratribusque, genibus provolutis adoratus est. At unde tanta Josepho potestas, tam sublimis dignitas? quia erat *pater Regis*: Rex namque eum velut patrem venerabatur, et ei tanquam patri obsequabatur. In Patriarcha Josepho, Josephus noster figuratus est, ut esset familiæ Mariæ præpositus, et Jesus et Maria, ei reverentiam et obsequium præberent. Quod cum stupore contemplatur

(1) D. Bern. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (3) Chrysol. Sermon. 559. — (4) Tert. L. de Pern. 8. — (5) Chrysol. Sermon. 151. — (6) Chrysol. — (7) Hom. 1. c. 1. Matth. 24.

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (2) Tert. L. de Idol. 17. — (3) Tert. L. 2. ad Nat. 8. — (4) Psal. 104. — (5) Gen.

Bernardus : *Quod Deus homini obtemperet, humilitas sine exemplo : quod Deo homo præcipiunt, sublimitas sine socio.* Ad tantam sublimitatem elevatus est Joseph eo quod verus esset Christi pater. Nam, ut ratiocinatur Philosophus, *natura pater filiorum imperium semper obtinet ; quamvis etiam efflagitet dignitas.* (1) Pater jure naturali paternam in filios habet jurisdictionem, in quocumque dignitatis gradu filius existat, semper patri obsequium præstare tenetur. Joseph autem est verus Christi pater, unde quot titulis paternam sibi arrogat dignitatem, tot etiam titulis sibi in filium vindicat auctoritatem : trina autem potissimum ratione est Christi pater et dominus : quia est, 1. æterni Patris vicarius constitutus ; 2. Loco Spiritus Sancti substitutus ; 3. Sponsus Virginis constitutus.

1. *Christus Dominus vicarius Patris in Dei nomine, auditus et visus.* (2) Josephus quoque æterni Patris et vicarius, quia scilicet vices ejus præstat. Prophetas Dei vicarios nuncupat Tertullianus (3), quia divina annuntiant mysteria. Judices sunt Dei vicarii, quia in administranda justitia, justitiam ejus adumbrant. Reges sunt Dei vicarii, quia ejus majestatem repræsentant. Patres terreni sunt vicarii Patris æterni, *a quo omnis paternitas nominatur.* (4) Sed Josephus specialiter est æterni Patris vicarius, quocum nomen Patris Christi voluit habere commune : at ut dignoscatur quantam ei Deus cum patris nomine contulerit dignitatem.

Multis profecto commendatur Moyses. Nam, 1. fuit prophetiæ dono insignitus : *Moyses propheticus pastor.* (5) 2. Oris eloquentia et cœlesti sapientia donatus. *Moysi causato linguæ tarditatem, os repromisit, et sapientiam ipsam, cui nemo resisteret.* (6) 3. Miraculorum operatione famosissimus et Angelus dictus, *ob magnitudinem virtutum quas erat editurus.* (7) 4. Quadraginta diebus Deo pastus ; nam, ut fatur Tertullianus, *Moyses et Elias jejunio functi, solo Deo alebantur.* (8) 5. Cum Dei Filio locutus. *Constat ipsum Dei filium Moysi esse locutum.* (9) 6. In Christi transfiguratione manifestatus. *Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, ubi etiam Moyses.* (10) 7. Cum Deo ita familiariter conversatus ut ejus colloquio, *facies ejusdem in-contemplabili claritate fulgeret.* (11) 8. Tanta auctoritate conspicuus, ut Dei arbiter ha-

beat : *Habes Moysen Dei de proximo arbitrum.* (1) 9. Tanto zelo pollens, ut pro populo Deum exoraverit, ejusque iram mitigaverit ; quare Tertullianus illum vocitat, *Deo deprecatorem, imo et prohibitorum iræ.* Tandem, 10. tanta pietate præditus ut Dei et Domini nomen manifestare conatus sit ; (2) *in quo primo nomen Domini dedicatum est.* Verum Moyses tot privilegiis ornatus, favoribus decoratus, officiis honestatus, habetur duntaxat famulus. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo, tanquam famulus.* (3) Apostoli sunt cunctis prophetis, Moysæ etiam digniores : quos *præcipuos lateri adlegerat Christus.* (4) Verum licet eos Summus Pontifex Christus, velut Cardinales a latere elegerit ; Paulus ex eis unus ex primatibus, eos ministros solummodo vocitat : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* (5) At quanto nobiliter Josephi ministerium, qui Christo imperat tanquam pupillo tutor, filio pater, et subdito dominus ? *Ministerium apostolicum est sub Christo et propter Christum ; ministerium autem Josephi, propter Christum et supra Christum.* (6) Angeli inter puras creaturas naturæ dignitate excellent : tanta sunt etenim nobilitate, ut secundum post Deum locum habere videantur. *Angelos post Deum novimus.* (7) Verum licet eos *secundæ divinitatis* titulo commendet Tertullianus, attamen *omnes sunt administratorii spiritus* (8) : neque ullus unquam angelus, patris Christi vocabulum sibi vindicare tentavit : *Non est qui sibi hoc verbum, Pater, audeat arrogare.* (9) At Josephus a Bernardo magni consilii Angelus vocitatur, et Christi pater, non solum denominatur, sed etiam hoc honoris titulo vere et realiter potitur tanquam æterni Patris vicarius, seu vices gerens.

Et quia *appellatio ista pietatis et potestatis est* (10) : Josephus Christi pater in suum filium pietatem ostentat, et potestatem exercet. *Deum distare a suis vicariis fas est* (11) ; ideo patris dignitas non ex æquo reperitur in æterno Patre et Josepho. In æterno Patre est naturalis, quia Filium ad intra generat, et ad extra producit virtute Spiritus Sancti : Josephi vero paternitas est non secunda et naturalis, sed sterilis et infecunda, nullo enim modo temporalem Christi generationem operatus est. *Itaque sicut nondum natus ex Virgine Patrem Deum habere potuit siue*

(1) L. 8. Elenchor. 11. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 6. — (3) Tert. L. adv. Marc. 55. — (4) Ephes. 5. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 7. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 59. — (7) Tert. L. adv. Jud. 9. — (8) Tert. L. de Res. 61. — (9) Tert. L. adv. Jud. 9. — (10) Tert. L. de Res. 55. — (11) Tert. ibid.

(1) Tert. L. de Monog. 6. — (2) Ibid. — (3) Hebr. 13. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 20. — (5) 1. Cor. 4. — (6) D. Aug. Serm. 5. de Temp. — (7) Tert. L. de Res. 5. — (8) Heb. 1. — (9) D. Cypr. Serm. de Bapt. — (10) Tert. L. de Orat. 2. — (11) Tert. L. 4. adv. Marc. 55.

homine matre : atque cum de Virgine nasceretur , potuit Matrem habere hominem sine homine patre. (1) Verum licet æternus Pater vicario Josepho suam non communicaverit fecunditatem , illum tamen pietatis et potestatis effecit participem. Pietatis , ut Christum tenere diligeret. Idecirco Josephus filius David nuncupatur , quia invenit eum æternus Pater secundum cor suum. *Plane filius David non degenerans a patre suo David : prorsus , inquam , filius David , non tantum carne , sed fide , sed sanctitate , devotione , quem tanquam alterum David invenit secundum cor suum , cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui arcuum* (2) , nempe humanatum Verbum ; quod ut Josephus ardentius amaret , Spiritus Sanctus de carne Virginis hominem formans , paterno viro huic , ejus qui nascebatur infantis , amorem penitus infudit. (3) Josephum adhuc æternus Pater potestatis effecit consortem. Paterna potestas in tribus præsertim sita est : sibi namque vindicat filiorum possessionem , dispositionem et imperium. Hac potestate pollebat Josephus , tum ut vicarius ab æterno Patre institutus , tum ut legalis pater , loco Spiritus Sancti substitutus.

2. *Christus homo et filius hominis.* Christus est filius hominis , tum quia ex Maria virtute Spiritus Sancti conceptus est. *Aliter , non diceretur homo Christus , nec hominis filius sine aliquo parente homine.* (4) Tum quia est filius Josephi , qui loco Spiritus Sancti fuit substitutus : Spiritus Sanctus est Christi auctor , sed non pater ; tum quia filius est de substantia patris , Christus autem ut homo non est de substantia Spiritus Sancti ; tum quia filius est in natura similis Patri ; generatio etenim est origo viventis a vivente in similitudinem naturæ : natura autem humana Christi non est ejusdem naturæ cum natura Spiritus Sancti. Hæ rationes quæ denegant Spiritui Sancto titulum patris Christi , substituunt ejus loco Josephum , qui est verus Christi pater. Etenim Christus est de substantia Mariæ generatus ; caro autem sponsæ pertinet ad sponsum. Tum quia Christus est in natura similis Josepho , uterque enim est homo. Ultra has rationes quæ Josephum Christi patrem ostentant , ejus paternitas fulciri adhuc potest ex lege mosaica (5) , quæ præcipiebat ut si quis uxorem habens sine liberis moreretur , frater ejus aut propinquior viduam defuncti sumeret in uxorem , et primus filius ex hujusmodi conjugio dicebatur

sponsi fatofuncti filius. Illius autem legis observatio ex nostro Josepho comprobatur , quem Matthæus filium Jacob nuncupat : *Jacob autem genuit Joseph , virum Mariæ* (1) : Lucas vero Josephum Heli filium vocitat : *Jesus putabatur filius Joseph , qui fuit Heli* : (2) id est , filius Heli. Joseph autem duos nequit habere patres ; quare si est filius Jacob , non potest esse filius Heli ; et si est Heli filius , quomodo dicitur filius Jacob ? Ex D. Hieronymo Jacob et Heli fuerant fratres uterini : (3) Heli autem sine liberis mortuo Jacob viduam ejus assumpsit sibi in uxorem ex qua generavit Josephum , qui fuit naturalis Jacobi filius , et filius Heli legalis : « Ex diverso patrum genere efficiuntur Jacob et Heli uterini fratres , quorum alter , id est , Jacob , fratris Heli , sine liberis defuncti , uxorem ex mandato legis accipiens , genuit Joseph : natura quidem generis suum filium , propter quod scribitur : *Jacob autem genuit Joseph* ; secundum vero præceptum legis , Heli efficitur filius. » Ex his facile intelligitur Spiritum Sanctum suscitasse Josepho filium : siquidem Josephus erat verus Mariæ sponsus , et quia per votum virginittatis usui matrimonii renuntiaverat ; et quodammodo mortuus civiliter fuerat : nam ut fatur Lyranus de filia Jephthe loquens : *Non fuit sacrificata Domino per mortem corporalem , sed potius per civilem , seu spiritualem , per observantiam perpetuæ virginittatis.* (4) Joseph autem per virginittatis votum mortuo civiliter , Spiritus Sanctus , Virginis sponsus , eam fecundat : Jesus autem a Maria genitus , non est filius Spiritus Sancti , sed filius Josephi , qui est ejus pater legalis. « Hoc enim pacto , ait quidam Neotericus , factus est Jesus a lege filius Joseph ; defunctus erat ille carne , qui voto virginittatis se obstrinxerat , et sic sine filiis decedebat ; sed non ei semen et nomen defecit in Israël : etenim Spiritus Sanctus quasi frater ejus , sponsam illius sibi desponsavit , cujus opera Christus conceptus est , qui Spiritus Sancti filius non dicitur , sed Josephi , licet illum non genuerit. » (5) Quia vero , ut supra dictum est , paterna qualitas est *appellatio potestatis* , Spiritus Sanctus tribuens Josepho paternam Christi qualitatem , tribuit illi paternam supra Christum auctoritatem , quæ fundatur adhuc supra conjugium cum Maria initum , quo Christi constituitur pater.

3. *Agnosco et Angelum Gabrielem ad Virginem missum* (6) , desponsatam viro cui nomen erat Joseph. Tanta est inter virum

(1) Tert. L. de Carn. Christ. 18. — (2) D. Bern. Hom. 2. sup. Miss. — (3) Magil. Sent. — (4) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (5) Gen. 38.

(1) Cap. 1. — (2) Cap. 3. — (3) In Caten. D. Thom. in cap. 1. Matth. — (4) In cap. 11. Judic. — (5) Osor. Cons. 1. de S. Joseph. — (6) Tert. L. de Vel. Virg. 6.

et uxorem unitas, ut eandem carnem, animam, mentem, respirationem, idemque cor habere videantur. Talis et tanta est conjugalis societas, ut omnia conjugibus sint communia, nihil sibi mutuo dare vel accipere possunt, quia fortunæ bona possident in communi; non possunt voto virginitatis sese adstringere absque alterius consensu: quia in eadem voluntate confederantur: et caro viri ad mulierem pertinet, et vicissim uxoris corpus spectat ad sponsum. Nati sunt eis communes, et qui in matrimonio nascitur, hæres legitimus a lege declaratur: *Hic est hæres quem nuptiæ demonstrant.* (1) Ut enim flores et fructus quos solis calor in aliquo producit horto, vere pertinent ad horti dominum, ita filii quos parturit uxor, pertinent ad virum cujus est uxor. Verum fuit inter Josephum et Mariam conjugium; licet consummatum non sit, et uterque conjux in virginitate permanserit. Ut autem docet D. Augustinus, *omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi; proles, fides, sacramentum: prolem, cognoscimus Christum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium.* (2) Quomodo Christus sit sanctissimi hujus matrimonii proles optime declarat Angelicus Doctor: « Proles non dicitur proles matrimonii, solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio suscipitur, et educatur: et sic bonum illius matrimonii fuit proles illa: et non primo modo: non tamen de adulterio natus: nec filius adoptivus qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii, quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quod proles illa susciperetur in eo, et educaretur. » (3) D. Hieronymus Evangelii auctoritate munitus, non magis dubitat de Josephi paternitate, ac de veritate matrimonii cum Virgine: *Magnum et verum nomen attribuit Evangelista, quia si vir Mariæ est, et pater Dei est.* Absque dubio uterque titulus ei competit: *non solum illa mater, verum etiam ille pater, sicut conjux matris ejus* (4): et ob hanc causam, ut aliorum animadvertit D. Augustinus, *Lucas non ejus parentem solum Mariam, sed ambos parentes ejus appellare minime dubitavit.* (5) Cum autem ait Evangelista, *ut putabatur, filius Joseph;* observandum est cum D. Augustino, *propter illos dixisse, qui eum ex Joseph sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur.* Evangelista

autem Josephum Christi patrem non vocitaret, nisi verus esset pater; est autem pater ratione conjugii cum virgine rati. Idcirco *Evangelium illam matrem appellat, et non nutricem: et Josephum quoque patrem vocat cum nullam in ea generatione partem haberet: quoniam Virginis et Joseph sponsorum ac candidatorum arrhabones, ut hoc nomine vocarentur, effecerunt.* (1)

Magnum sane est discrimen inter temporalem Christi generationem et aliorum filiorum conceptionem. Alii filii non nascuntur, nisi per accessum viri ad mulierem: hic ordo naturæ, hic illecebræ mos. Non gignitur proles nisi post conventionem, quia quod generatur, agitur a masculo, nec venit ad foetum, nisi veniatur ad torum, prævius est viri ingressus, egressui proles. Quod in Genesi clare declaratur: *Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt.* (2) Non est æqua conditio generationis Christi: quod in aliis efficit accessus, in hac sortitur recessus; quod in aliis actio, in hac otium; quod in aliis postquam convenerunt conjuges, in hac antequam convenirent. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Quam impudenter et stolidè aberrant qui in dictione *antequam* impingunt, quasi postea convenerint. Nemo non scit D. Hieronymi tritam explanationem: « Antequam convenirent; non sequitur, quod postea convenirent; sed Scriptura quod factum non sit, ostendit. » (3) His enim verbis Evangelista dominicæ conceptionis singularitatem commendat; quia non eodem modo conceptus est Jesus ac cæteræ concipiuntur proles. Sicut prævia viri actio, prævia est ad cæteras generationes, ita generatio Christi prævia requirit actionis negationem: idcirco Evangelista, non quod factum est, sed quod factum non est declarat. « Quod est dicere: cujusque cæterorum generatio sic fuit, ut nullus eorum generetur aliter, nisi convenientibus viro et muliere, sicut naturæ usus est. Christi autem generatio sic erat, ut antequam vir et mulier convenirent, invenitur mulier in utero habens. » (4) In Christi generatione ter invertitur naturæ ordo: 1. Quod Virgo concipiat; 2. Quod concipiat virtute Spiritus Sancti; 3. Quod Josephus qui ingressus non est ad Mariam, sit Christi pater. Cæteri viri ex ingressu sibi patris nomen vindicant; Joseph, vero ex abscessu patris habet nomen: *Iguoravit enim seculum, quia et extra conscientiam*

(1) 1. Cor. 7. — (2) L. 1. de Nupt. et Concupisc. 11. — (3) In 4. dist. 30. Quæst. 2. Art. 2. ad 4. — (4) D. Aug. Julia. — (5) L. 2. de Cons. Evangelist.

(1) S. Ephræm. de Marg. Pret. Col. 15. — (2) Cap. 6. — (3) In c. 1. Matth. — (4) Rupert. L. 1. de Glor. et Hon. Filii.

patris conceptus, et extra ordinem naturæ natus: nam Joseph conceptum suscepit filium quem non genuit: Mariæ partum edidit, quem sexus consuetudine non creavit. (1) Josephus ideo Christum non genuit, quia virgo; ideo Filium suscepit, quia conjux; et quia Filium suscepit ex conjuge, totum patris nomen accepit; et a conjuge paternam in Filium auctoritatem mutuatus est.

Beatissima Virgo nuncupari potest *femina vere* (2), seu ut vult D. Ireneus, *masculo femina*, non quod sit utriusque sexus, sed quia se sola sine viro concepit Christum: et ut fatur Tertull. effecta est *sine masculo mater*; etenim masculi et feminae vicem agens totam Christo contulit humanitatem, et super eum paternam et maternam collegit potestatem. Verum cum illum conceperit sub umbra Josephi, cui erat matrimonio conjuncta, cum sponso dividere voluit suam in filium auctoritatem, et maternam potestatem retinens, illi contulit paternam. Maria, Hungariæ regina, nupsit Sigismundo Caroli quarti imperatoris filio, hac lege, ut illa sola regina vocaretur, regaliaque deferret insignia; sponsus vero privati principis personam ageret. Cum autem quodam die in generalibus regni comitiis, regina sederet in solio diademate coronata, intuens Sigismundum stantem, de throno descendens, sponsumque manu apprehendens, supra solium regium sedere fecit, proprioque diademate coronavit, æquissimum dicens, ut qui socius erat tori, socius quoque esset et throni. Idem fere Maria præstitit Josepho sponso, cum quo dividere voluit auctoritatem quam habebat in filium: qui suam maternæ conformans voluntatem, Matri ejusque sponso reverenter obsecutus est. *Et erat subditus illis.* (3) Græca lectio habet, *subjectus*. Potestne Josephus majori sublimari honore quam ut Christus ei subjiçiat? Constat *Deum nullo minorem, nec subjectiorem, imo omnibus majorem et sublimiorem.* (4) Christus tamen Deus et homo Josepho fuit subditus, licet non ut Deus, attamen ut homo: et ei Josephus imperavit. *Quid autem sublimius est quam imperare ei qui in femore scriptum habet: Rex regum, et Dominus dominantium?* (5) Sublimitas imperantis ex subditorum sublimitate colligenda est: Christus habet in femore, id est, in humanitate scriptum: *Rex regum, et Dominus dominantium*: adhuc *Maria facta est Domina omnium creaturarum cum omnium Conditoris facta est mater* (6): Maria tamen

Josepho subditur ut sponso, et Christus ut patri: *Hic certe dignus erat, qui etiam totius mundi curam haberet: siquidem ei Filius Dei subditus fuit; et eum Mater Dei tenerime dilexit, ut sponsum agnoverit, et ut Dominum coluerit.* (1) Magna profecto consideratione perpendendum, quod Evangelista qui usque ad duodenarium Christi annum de eo multa enarravit; dehinc cuncta quæ egit et dixit Christus, silentio prætermisit. Absque dubio multa dixit, et multa egit Christus per triginta annos, illa tamen hoc gnome conclusit Lucas: *Et erat subditus illis, gesta et dicta Christi viginti et duorum annorum præteriens, totumque illud tempus subjectioni Christi, et Josephi imperio deputans. Vis nosse quid tot annis Christus dixerit et fecerit? Propria subjectione Josephi dignitatem et auctoritatem altius fundavit, et sublimius extulit.*

Obedientia quam Deipara præstitit Josepho, cunctas stimulat mulieres ut suis maritis obtemperent; quia *caput mulieris vir.* (2) Beatissima Virgo non confundebatur *vocare Josephum dominum suum.* (3) Mulieres virtutis studiosæ ad Mariæ exemplum, viros suos honorant, eorumque imperio caput subjiçiant: *Caput maritis subjicite.* (4) Josepho obsequebatur Christus, eumque tanquam patrem venerabatur, quem ideo Isolanus sic loquentem inducit: *Ego conversatus sum cum Josepho in omnibus sicut si essem filius ejus naturalis, et eram per omnia sicut ipse: et obediebam ei in omnibus, nec unquam transgressus sum verbum illius, et eram subditus illi sicut filii parentibus, et diligebam Joseph sicut pupillam oculi mei.* (5) Dominicæ obedientiæ exemplum filii sapientes imitantur, suisque parentibus honorem et obsequium præstant: Verum hac ætate multæ sunt mulieres quæ contra justitiæ ordinem viris suis imperare nituntur: multi adhuc filii qui parentes despiciunt quos Christus condemnat: nam ut ait Bernardus, *non despexit Deus homines, Verbum et sapientia, fabrum et feminam.* (6)

Ex honore quem Christus in terris conversans Josepho reddidit, multi colligunt gloriæ sublimitatem, quam possidet in cælo, eamque commensurant affinitati qua Mariæ et Christo est conjunctus. Et fortasse ob hanc causam, ut vult modernus Auctor, filiis Zebedæi dexteram et sinistram in ejus regno postulantiis respondit Salvator: *Nescitis quid petatis* (7), quia scilicet sedes Ma-

(1) D. Ambr. Serm. 9. de Nat. Christ. — (2) Tert. L. adv. Valent. 10. — (3) Luc. 2. — (4) Tert. L. adv. Hermoz. 7. — (5) Joan. Gers. — (6) S. Joan. Damsc.

(1) Christophor a capite fontium. L. de Virgin. Mar. — (2) 1. Cor. 12. — (3) Gers. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 13. — (5) Part. 4. c. 9. — (6) Serm. 19 in Cant. — (7) ...

riæ et Josepho præparatas posebant. Quasi dicat Dominus : *Si ergo præcepi honorare patrem et matrem, quomodo non honorabo matrem et patrem?* Regnant equidem in cœlo plures *virī sanctitate et præstantia insignes* (1) : quorum gloria est valde sublimis ; verum tres ibi sunt adhuc *sublimitates sublimitatum* (2) : nimirum Jesus, Maria, Joseph, qui eundem occupant locum in Empireo quem tenent in Evangelio, proximus enim beatissimæ Virgini est factus Joseph, et Christo immediate adjungitur Maria.

Quanto major est Josephi cum Maria et Jesu societas, tanto potentior est ejus intercessio : dum Josephus Christi pater imploratur : *In Patre Filius invocatur, nec Mater præteritur, de qua constat et patris et filii nomen.* (3) Christus est Mariæ filius, quia ab ea sumpsit humanitatem, quam ei ut mater dedit ; Josephus est Christi pater, quia desponsatus est Mariæ matri ejus : *siquidem in filio et patre mater recognoscitur.* (4) In sponso igitur invocatur sponsa, in patre filius, in Josepho Maria et Jesus. Quapropter si Christi et Mariæ auxilium vultis obtinere, *ite ad Joseph* ; *siquidem in patre filius invocatur, nec mater præteritur.* (5) Tertullianus agens de precibus, quas in primitiva Ecclesia solemniter pœnitentes faciebant, sic fatur : *Pariter de pœnitentiæ officio sedent in sacco, et cinere inhorrescunt, eodem statu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem.* (6) Christiani ambientes suis precibus obtinere, vel delictorum remissionem, vel gratiæ infusionem, vel gloriæ consecutionem, invocant Mariam Christi Matrem, quæ adeo potens est in suis intercessionibus, ut audeat dicere Arnoldus Carnotensis : *Dividunt coram Patre, inter se Mater et Filius, pietatis officia, et miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium.* (7) Beatissima Virgo divisit in terris cum Josepho auctoritatem maternam in filium, et nunc in cœlo dividit cum sponso pietatis officia. Rex Salomon e regali solio Bethsabæe, matri assurgens : *Pete, mater mea, nec enim fas est ut avertam faciem tuam.* (8) Quasi nefas foret Salomonem non obsequi maternis precibus. Materna namque supplicatio imperium supplex esse videtur. Quare Petrus Damianus sic Mariam alloquitur : *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed etiam imperans, domina, non ancilla.* (9) Quasi oratio

Mariana pro orantis majestate sublimetur, velut ad arcanum quoddam imperii fastum sub habitu supplicantis. Quod de Matre asseverat Cardinalis ; hoc idem de patre prædicat Sorbonæ illustris Cancellarius. *Quanta fiducia Joseph ! quanta in eo vis imperandi ! quia dum vir uxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur.* (1) Neque enim tantum in terris, sed in cœlo etiam paterna auctoritate, et supplici implorat imperio. Idipsum affirmat beata Theresia scribens : « Significare vult Deus omnibus patrocinium Sanctissimi Josephi implorantibus, quod sicut ipse in hoc mundo vivens factus homo, voluit subditus esse Josepho, et ejus obedire mandatis, ita etiam in cœlo ad dexteram Patris gloriosus existens, nihil ei pro nobis interpellanti negat, quin immo libentissime omnia concedit. » (2) Quod experimento didicisse beata Theresia declarat : « Nec memini me aliquid ab eo petiisse, cujus me compotem non fecerit. Aliis Sanctis gratiam Deus dedisse videtur, ut in una necessitate invocantibus se opitulenter, sed hunc gloriosum virum ego experta sum in qualibet necessitate adjuvare et adesse : » Christiani, in quavis necessitate, ite ad Joseph ; cum fiducia ejus implorate auxilium : potens est ejus intercessio apud Mariam, cum qua paternam partitur auctoritatem ; apud Spiritum Sanctum, cum quo partitur sponsi Virginis titulum ; apud Patrem æternum, cum quo partitur dignitatem patris ; apud Christum, cujus fuit tutor nutritus et pater. Quid enim denegare poterit pupillus tutori, filius patri ? Sed ut intercessio sit efficax, postulate præsertim gratiam in seculo, et gloriam in cœlo.

.....

CONCIO SECUNDA.

JOANNES est aliquid *toto homine majus* (3) cunctos mortales, Magnos nuncupatos, longe superans. Apud Romanus *Pompeius Magnus* (4) appellatus est. Verum, quam immerito ! cum fuerit etiam *theatro suo minor.* (5) Græci commendarunt *de sublimitate Alexandrum* (6) : quam futilem fuerit Macedonis magnitudo quem vanitate quam inflatus erat, minorem existimat Tertullianus : *Video ex isto fomite restuantem magnum regem sola gloria minorem* (7) : non enim vere virtus, sed animi tumor Alexandrum ad arma vocavit ; de quo idem debet dici,

(1) Tert. L. adv. Valent. 5. — (2) Tert. L. adv. Valent. 7. — (3) Tert. L. de Orat. 2. — (4) Tert. Ibid. — (5) Gen. 41. — (6) Tert. L. de Pud. 5. — (7) Tract. de Laud. Mar. — (8) L. 5. Reg. 2. — (9) Scrm. 2. de Nat. Virg.

(1) Gers. in Josephina. — (2) In Vita B. Theres. c. 6. — (3) Tert. L. de Fest. An. 1. — (4) Tert. L. de Spect. 10. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. Apol. 11. — (7) Tert. L. de Pall. 4.

quod de Pompeio moralis Philosophus : « Nec Cneo quidem Pompeio externa inire bella, aut domestica virtus, aut ratio suadebat, sed insanus amore magnitudinis falsæ, modo in Hispaniam, et Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas, ac maria paucada vadebat. Ilæ prætexebantur causæ ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septentrionem? quid in Mithridatem, et Armeniam, et omnes Asiæ angulos trahit? Infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi uni parum magnus videretur. » (1) Alexander quoque insanus amore magnitudinis falsæ, æstuans, Thessaliam aggreditur, Græciam devastat, insurgit in Persas. Eodem modo ratiocinatur præfatus Philosophus, de his qui vel dignitatibus, vel divitiis, vel adulatione sibi Magni titulum compararunt : « Nemo istorum, quos divitiæ, honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est : quare ergo magnus videtur, cum basi illum sua metiris? Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. » (2) Joannis magnitudo non est falsa, nec vana, sed solida et vera, quæ illum supra Pompeios et Alexandros multum extollit : nam, ut ait D. Augustinus, *nascitur major homine, par Angelis.* (3)

Patriarchæ et Prophetæ qui exstiterunt vel in lege naturali, vel in lege mosaica, potiori jure de magnitudine commendantur, quam omnes illi quos magnos profana vocitavit gentilitas. Inter quos quatuor elegi, quos Scriptura magnos appellat, scilicet Jobum, Mardochæum, Ananiam et Moysen. Job fuit magnus in Oriente, Mardochæus in aula regis Persarum, Ananias inter Judæos, Moyses apud Ægyptios. Job ob ingentes quas habet divitias, *erat magnus inter Orientales.* (4) Mardochæus ob familiaritatem qua cum Assuero rege conversabatur, habitus est *magnus et inter primos aulae regis.* (5) Asarias ob generis splendorem sibi magni nomen arrogat, qui cum dixisset : *Ego sum Asarias, Ananiæ magni filius,* dixit Tobias : *Ex magno genere es tu.* Moyses obstupenda prodigia, et signa mirabilia, quæ patavit, *fuit magnus in terra Ægypti.* (6) Verum Joannes noster, ut fatur D. Augustinus, *præcellit cunctis, eminent universis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, et quisquis de muliere natus est, inferior est Joanne.* (7) Nec mirum, quia Joannes est *Sanctorum splendor, nobilitas generis, decus hominum, omnis justitiæ principatus.* (8)

Apostoli et Evangelistæ Patriarchis et Pro-

(1) Sen. Ep. 95. — (2) Ep. 96. — (3) Sermon. 21. de Sanctis. — (4) Job. cap. 1. — (5) Esth. 2. — (6) Exod. 11. — (7) Sermon. 21. de Sanctis. — (8) Petr. Dam. Sermon. 23.

phetis longe antistant : verum quantamlibet habeant excellentiæ dignitatem, nihilominus Joannis magnitudinem non attingunt. Magna sane dignitas : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Ingens Christi morientis in Evangelistam Joannem amoris testimonium, « mulier ecce filius tuus : » Joannem tamen dilecto discipulo et Apostolorum principi, præponit Bernardus : *Non opponas mihi Evangelistam cæteris discipulis magis dilectum, non Apostolorum principem, nec apostolicus splendor audeat occurrere Præcursori.* Adsint et occurrant omnes Sancti veteris et novi Testamenti, cuncti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ, Martyres, Confessores, Virgines, et generatim universi (exceptis Deipara et Christo) : *Eleventur omnes, et meritorum prærogativa, ante consistorium majestatis exsultent, non erit tamen qui ad Joannis Baptistæ privilegium audeat aspicerre : unus est, et secundum non habet, qui choris intertextus angelicis, sublimioris coronæ titulis, universitatis humanæ transcendit ascensum.* (1)

Tanta est Angelorum nobilitas, ut eis secundum post Deum dignitatis gradum tribuat Tertullianus : *Angelos post Deum novimus.* (2) Ex D. autem Hieronymo, *quidam, inter quos Origenes, Joannem angelum incarnatum esse putaverunt.* (3) Triplici autem de causa decepti, in hunc inciderunt errorem, 1. ex Scriptura, quæ Joannem futurum Angelum testatur, *et præcursorem Christi Joannem, futurum Angelum appellat per Prophetam Spiritus dicens ex persona Patris : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, id est, Christi, qui præparabit viam tuam ante te. Nec novum est Spiritui Sancto Angelos appellare eos, quos ministros suæ virtutis Deus præfecit.* (4) 2. Ob incredibile jejunium quod servabat in eremo. An non Angelus vita et moribus qui ab Angelis ductus in desertum ab ipsius incunabulis in eremo semper habitavit, non tecto usus, non lecto : non mensam vel aliquid hujusmodi requisivit, sed angelica quadam vita in carne mortali resplenduit? Venit enim, quod Angelis proprium est, neque manducans, neque bibens : *et quia vitæ humanæ possibilitatem transgressus fuerat, non homo, sed Angelus est existimatus.* (5) 3. Ratione virginæ puritatis. Ut enim addit D. Hieronymus, *non fuit ille natura Angelus, sed fuit Angelus vita et castitatis eximie puritate : nam in carne præter carnem vivere, ange-*

(1) Petr. Dam. Sermon. 1. de S. Joan. — (2) Tert. L. de Res. 5. — (3) In c. 3. Agg. — (4) Tert. L. adv. Jud. 9. — (5) D. Chrys. Hom. 10. in Matthi.

lica est vita. Imo his rationibus Joannes major Angelis demonstratur. Non enim difficile est Angelis abstinere a cibo, at neque manducare, neque bibere, humanam transcendere videtur possibilitatem. Puritas quoque est Angelis naturalis; at carnis frænare concupiscentiam, opus est virtutis: et ut fatur Chrysologus: *Angelum esse felicitatis, Virginem vero virtutis.* (1) Tandem Angelorum officia Joannis non æquantur ministerio. *Joannes non tantum Angelus Christi vocatus est, sed et lucerna, lucens ante Christum: Paravi lucernam Christo, David prædicat.* (2) Christus, qui est Sol justitiæ, lucernam lucentem præmisit; Christus, qui est magni consilii Angelus, Angelum præeuntem voluit habere: *Cum Christus Deus nasceretur in carne, Joannes Angelus est generatus in terris: ut ita officia terrena officii se cœlestibus miscerent, sicut humanis se divina miscebant; et in terra Deo Angelus, Domino ordo cœlestis obsequi non deesset.* (3) Et quasi parum sit Joannem prætulisse gentilitatis sublimibus, legis naturalis et mosaicæ Patriarchis et Prophetis, legis evangelicæ Apostolis, Evangelistis et Martyribus, cœlestis Hierusalem supernis spiritibus, plus audet D. Augustinus et audacter pronuntiat: *Quisquis Joanne plus est, non tantum homo, sed et Deus est.* (4) Ut autem cognoscatur quantus sit Joannes, magnitudo ejus mutuanda est ex ejus, 1. Sublimi existimatione; 2. Virtutum perfectione; 3. Officii administratione.

I. PARS. Ad magnam Joanni concilian-
dam existimationem, sat est *Joannem Christo et Christum Joanni convenire.* (5) Plurima inter illos reperitur convenientia, imo et similitudo: nam, 1. Joannes sicut et Christus est a Prophetis pronuntiatus, ab archangelo promissus, et eodem, quo Christus, cum tamen Christus in cubiculo, Joannes in oraculo. (6) Quod Petrus Damianus attente considerans, ait: *Salva reverentia Redemptoris digniori præmonstratione Joannes nuntiatur quam Christus: Christus fortasse in thalamo, Joannes in templo, et non solum in templo, sed etiam ante Sancta Sanctorum, Joannes ab eodem archangelo in loco digniori, tempore sacratori, apertiori miraculo prædicatur.* (7) 2. Uterque miraculo concipitur: Christus a Virgine, Joannes a sterili. *Aspice etiam singulares conceptas et quidem monstruosiores, sterilis et Virginis, quæ vel hoc*

*ipso imperfectos edere potuissent, pro ever-
sione naturæ, ut altera semini stupida, al-
tera intacta.* (1) 3. Maria fuit ab Spiritu Sancto superveniente fecundata, Elizabeth quoque *Spiritu Sancto adimpleta* (2): non quod conceperit ex Spiritu Sancto ut Maria, sed quia gratia Spiritus Sancti fuit repleta, ejusque dono a Zacharia viro suo sene imprægnata. 4. Desuper Christo ejusque Præcursori nomen imponitur: quare Zacharias, pater ejus, linguæ usu orbatus, de cœlo illustratus scripsit: Joannes est nomen ejus. *Zacharias temporali vocis oratione mulctatus, cum animo collocutus linguam irritam transit, manibus suis a corde dictat, et nomen filii sine ore pronuntiat, loquitur in stylo, auditur in cera manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior.* (3) 5. In utriusque nativitate, cœlum et terra lætatur, etenim nato Præcursore, multi gaudent, nato autem Domino, annuntiat Angelus gaudium magnum, quod erit omni populo. (4) 6. Uti Christus, Doctor veritatis, cœpit facere et docere, ita Joannes *Doctor dicto, factoque magister verus, quod verbo asserit, demonstrat exemplo* (5); et tum doctrina cœlesti, tum vita admirabili, tum conformitate cum Christo multiplici, existimationem sibi conciliat, 1. Divinam; 2. Dominicam; 3. Humanam.

1. Asseverat belle Tertullianus *Deum modulari sublimitatem* (6), ad instar citharædi qui citharæ chordas temperat ad concentum; ne si eas, aut remisse laxet, aut nimium contendat, totam confundat harmoniam. Non boni citharædi plerique homines, qui male modulantur sublimitatem; nam ut plurimum humilia sublevant, et sublimia deprimunt: quod procedit tum ex ipsorum inscitia et errore, fallere namque et falli possunt: tum quia magnitudinem ponunt ubi vere non est: videlicet in divitiis, dignitatibus, terrenis potestatibus: at Deus perfecte modulatur sublimitates: tum quia est infinita scientia præditus, nec fallere, nec falli potest: tum quia magnitudinem supra solidum statuit fundamentum, nempe super gratiam et virtutem, idcirco quos magnos vocitat, vere magni sunt. Magnum sane est discrimen inter esse magnum coram hominibus et coram Deo. Criminosi, quantumvis magni habeantur apud homines, apud Deum parvi sunt; Sancti econtra, licet apud homines depre-
tiantur, a Deo tamen existimantur. Tartarorum Kan, et Turcarum Imperator, magni

(1) Serm. 143. — (2) Tert. L. adv. Jud. 9. — (3) Chrysol. Serm. 89. — (4) Serm. 4. de S. Joan. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (6) Guerr. Serm. 2. de S. Joan. — (7) Serm. 140.

(1) Tert. L. de An. 26. — (2) Tert. L. de Carn. Christ. 21. — (3) Tert. L. de Idol. 25. — (4) V. Beda. — (5) Chrysol. Serm. 167. — (6) Tert. L. de Bapt. 8.

suunt, non coram Deo, sed coram hominibus; at de Joanne decantat archangelus Gabriel: *Erit magnus coram Domino* (1); seu, ut habet hebræa lectio, *erit maximus coram Domino*. Magnitudo quæ ex hominum opinione dependet, non est absolute magnitudo, sed respectu illorum qui de eo magna concipiunt; at magnitudo Dei existimatione fulcita, est absolute et simpliciter magnitudo. Joannes est magnus seu maximus simpliciter et absolute, quia est magnus coram Deo. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.* (2) Et Joannes coram Deo magnus, imo maximus existimatur. Adeo est altum Joannis fastigium ut illud non judicium humanum, sed duntaxat divinum perfecte valeat comprehendere: solus Deus, qui ejus virtutem novit, eam quantum est existimanda, existimat. *Ly erit magnus coram Deo*, ita est proprium et peculiare Baptistæ, ut neque de Petro, neque de Paulo, neque de dilecto discipulo dicatur. De Moyse, de Josepho, de Nathan, de Helia dicitur: *Magnificavit eum in conspectu regum*, at de solo Joanne decantatur: *Erit magnus coram Domino*. Hunc titulum dividere videtur cum Salvatore. De Christo Domino asseverat Gabriel: *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* (3) Et idem Archangelus Joanni tribuens idem elogium quod præstiterat Redemptori, ait: *Erit enim magnus coram Domino*. Nec mirum si magnus coram Deo prædicatur Joannes, *virtutum schola, magisterium vite, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitalis speculum, pudicitæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco judicis, Præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis.* (4) Tot perfectiones Joannem coram Deo magnum effecerunt, et dominicam ei conciliarunt existimationem.

2. *Cum Dominus testimonio Joannem extulisset: Nemo, dicens, major inter natos feminarum Joanne baptizatore.* (5) Inde colligit D. August. *dum nemo illo major inter natos mulierum dicitur, datur ergo intelligi quod Joannes, humanorum fuit mensura meritum.* (6) Dum autem dicitur: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, non utique major statura corporis, sed gratia participatæ sapientiæ, gratia participatæ salutis.* (7) Dixit autem inter natos

(1) Luc. 1. — (2) Esa. 40. — (3) Luc. 1. — (4) Chrysost. Serm. 127. — (5) Tert. L. de Bapt. 12. — (6) Serm. 2. de S. Joan. — (7) D. Aug. Serm. 16. de S. Joan.

mulierum *ut signum sit mulierum: nam qui ex Virgine natus est, Redemptor mundi et Dominus est.* (1) Deinde non dixit Christus: Non fuit major, sed non surrexit major: quia Joannes cecidit in Adamo, et per gratiam a morte originalis peccati surrexit, in quo discriminatur a Christo, qui ex Virgine, non ex muliere corrupta, generatus est, neque surrexit anima ejus, quia nullum unquam contraxit peccatum; at inter natos mulierum qui per originale peccatum mortui sunt, non surrexit major Joanne Baptista: tum quia ratio est naturalis perfectio hominis; Joannes autem in utero matris existens, habuit usum rationis, Christumque cognovit. *Tacebit igitur et Elizabeth Prophetam portans, jam Domini sui conscium infantem* (2): tum quia gratia est magnitudo hominis supernaturalis, Joannes autem fuit in utero matris sanctificatus, quem ideo Deus sic alloquitur: *Priusquam exires de vulva, sanctificavi te.* (3)

Alexander nomine magnus felicem appellavit Achillem, quod Homerum laudum suarum habuerit præconem; at quanto felicior Joannes, qui non Homerum, sed ipsum Christum habuit laudatorem? *O magnum præconium! O magnum et fidele testimonium ore veritatis depromptum!* (4) Salomon multis fuit laudibus commendatus; sed quanto magis Christus cunctos superat mortales, tanto majus est quod de Joanne prædicavit elogium. *Salomon, laudent te labia proximi tui; sed quam feliciter et gloriosius cum laudent quem piam labia Dei sui: Deus quippe nec falli potest, nec adulari.* (5) Homines in suis elogiis, vel defectu, vel excessu peccant, vel parum, vel nimium laudant, quod procedit, vel ex inscitia, vel ex passione, vel ex adulatione: quapropter suspecta habetur laudatio, quæ vel ex ignorantia, vel inordinato amore, vel ex adulatione procedit: at *indubitabile eximie virtutis, et magnæ perfectionis est indicium, quoties hominem adhuc corruptioni subditum, suæ suffragio laudis illud irrefragabile Dei dignatur judicium.* (6) Joannem autem laudavit Christus, non coram ejus discipulis, ne Joanni adulari, ejusque gratiam captare videretur. Discipulis namque Joannis miraculorum lingua respondit, quibus abeuntibus adulationem vetans, laudationem advocans, post multa encomia coram populo decantata concludit: « Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. » (7) Ubi Galfridius:

(1) D. Aug. Ser. de Nat. Joan. — (2) Tert. L. de Carn. Christ. 21. — (3) Tert. L. de An. 26. — (4) D. Hieron. in vita S. Hilar. Rupert. L. 1. in Joan. — (5) Guerr. Serm. 5. de Nativ. S. Joan. — (6) Guerr. Ibid. — (7) D. Chrysost.

Quotiescunque se offerebat occasio sermonis, laudibus Joannis delectabatur Dominus immorari: non fucata, non suspecta, sed hæc laus vera et solida, cum videlicet ab ore Dei exierit, qui nec fallere, nec falli potest: (1) et ut nemo Christum posset de adulatione culpæ, in absentia discipulorum Joannis, laudes ejus prædicat, elogia multiplicat, et in eis decantandis diutius immoratur. « Grandis excellentia Joannis, talem suæ virtutis habere præconem, et tali ore non breviter, et in transitu, sed ex proposito, et longo sermone commendari. Plures enim Dominus laudavit in hac vita mortali. » (2) Laudavit Nathanaelem dicens: Ecce vere Israëlita in quo dolus non est; laudavit Petrum dicens: Beatus est Simon Barjona; laudavit Magdalenam dicens: Sinite illam, bonum enim opus operata est in me; laudavit Centurionem dicens: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël; laudavit Chananæam dicens: O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis: sed non sic Joannem, longam in ejus laudem orationem composuit.

Quivis sanctus aliqua peculiari virtute commendatur: et sicut ex mente D. Thomæ quilibet Angelus suam constituit speciem qua ab aliis angelis discriminatur, ita singuli Sancti singulas habent prærogativas, quæ ab aliis distinguuntur. Proprius martyrum character zelus, doctorum lux et sapientia, confessorum dejectio et humilitas, virginum puritas: His dotibus singularibus fulcitur cujuslibet panegyris: at Joannes *omnibus virtutibus repræsentat Christum* (3), et cunctos aliorum Sanctorum characteres in se colligit: quapropter Christus eum laudans, ait Valentinus antistes: « Non unam aut duas, sed multiplices ejus virtutes commendans: constantiam laudat cum ait: Existis videre arundinem vento agitatam; vitæ asperitatem, cum ait: Existis videre hominem mollibus vestitum; prophetiam, cum ait: Ego dico vobis: Propheta est, et plusquam propheta; angelicam puritatem, cum ait: Ecce ego mitto Angelum meum; Præcursoris officium, cum ait: Qui præparabit viam ante me. Et ne quidquam deesset ad plenam et perfectam laudem, adjungit: Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista. Potuitne amplius addi? Si vel leviter a Christo commendari, grandis est honor, sic ab eo exaltari et sublimari, quantæ excellentiæ est? » Thomæ a Villa Nova (4) assentiens D.

Bonaventura, ait: « Tantæ excellentiæ fuit beatus Joannes ut plena lingua dici nequeat. Quis enim sic totus sanctus? sic omni vitæ suæ tempore conversatus? sic a Deo commendatus, ut Præcursor hic maximus? »

Christus se laudantes encomiis prædicat: nam, ut fatur Innocentius Tertius, « laudans Deum, laudatur ab ipso Deo. Petrus dixit de Domino: Tu es Christus; et Christus dixit de Petro: Tu es Petrus; Joannes dixit de Christo: Ecce Agnus Dei; vicissim Christus dixit de Joanne: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. » Verum non tam copiose Joannes Christi decantavit laudes, ac Christus Joannis prædicavit encomia: « Joannes testificatus erat de Christo: Ecce Agnus Dei; sed amplius recepit a Christo quam præstitit: Joannes enim Christum glorificans, humanam illi contulit laudem, Christus autem Joanni divinam contulit gloriam: nam iste illum agnum ostendit, ille autem istum angelum prædicavit: iste minus laudavit in Christo quam erat, nam non solum peccatum mundi abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donavit: ille autem istum supra quam videbatur, erexit, ut qui homo erat Angelus diceretur. » (1)

Encomium Joannis trina ratione incrementatur: 1. Quia ab ipsomet Christo prædicatur. « Porro autem hoc, quod hic est considerandum, quod in aliis quidem Sanctis tractavit alter alterius encomia: ejus autem qui nunc laudatur, ipse Christus Deus, qui est ipsa veritas, tractavit. » (2) Inde Joannis laus maxime commendatur, *qui talem meruit habere laudatorem.* (3) Nam, ut fatur Augustinus, *agnosco magnificentiam laudis ex dignitate laudantis.* (4) 2. Quia relative ad alios Sanctos laudatur: *Commendatio est relativa.* (5) Magnum autem est discrimen inter commendationem absolutam et relativam. Quando aliquis Sanctus absolute laudatur, aliis Sanctis non præponitur; at quando relative ad alios laudatur, de prærogativis quibus aliis antistat, commendatur. Christus nonnullos Sanctos absolute laudavit, non relative. Dixit quidem Petro: Beatus es, sed non cæteris beatior. De Magdalena asseveravit Dominus: Dilexit multum, sed non quod plus cæteris dilexerit. Laudavit quidem Nathanaelis innocentiam, sed aliorum innocentiam non prætulit. Fidem Chananææ commendavit, sed illam aliorum fidei non anteposuit: verum Joannem relative laudat,

(1) Galfrid. apud Tilman. — (2) B. Thom. a Villa Nova. Serm. de Dominic. 2. Adv. — (3) Chrysol. Serm. 88. — (4) Serm. 1. de S. Joan.

(1) Imperf. Hom. 27. in Matth. — (2) Theodoret Orat. de S. Joan. — (3) Imperf. Ibid. — (4) Serm. 1. de Divit. S. Joan. — (5) Cajet.

aliorumque perfectionibus præponit. Prædicat Dominus Joannis prophetiam, et non solum eum Prophetam, sed plusquam Prophetam declarat. Profert Joannis merita, et eum cunctis hominibus præferendum affirmat. Evulgat hominis gloriam, et eum Angelum asseverat. Inde concludit Cajetanus: « Joannes relatus ad Patres veteris Testamenti, non habet majorem; relatus autem ad regnum cælorum, hoc est ad novi temporis Testamenti, habet majorem, scilicet Messiam. » De Imperatore sic fatur Tertullianus: *Sic! omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.* (1) Eodem modo de Joanne philosophatur Chrysost. *Omnibus Sanctis est major cui solus Christus est prior.* Adde Deiparam quæ Joanni tantum antistat, quantum Verbi divini et Messię Mater ejus voci et Præcursori superior existit. Post Christum et Mariam, Joannes *unus est, et secundum non habet. Tria namque fecit Deus sine secundo: Christum, Mariam et Joannem.* (2) Postquam Christus Joannem laudavit, postquam relative ad alios multum commendavit, *inchoat laudes Joannis*, ait Cajetanus. Post tot tantaque Joannis elogia decantata, incipit et quasi inchoat panegyrim, non perficit. 3. Plura de Joanne dixit Dominus; magna prædicavit encomia, sed tot ac tantas tacuit laudes, ut quasi incepisse et inchoasse quodammodo videatur. Panegyrim Joannis considerans Antipater Bostrensis exclamat: « Si Verbum pronuntiavit: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne, quomodo ergo ex verbis contextam ei offeram coronam, qui talem accepit coronam a Domino? » Profecto *vacat humanus sermo, silet prædicatio tractatoris, quando angelico præconio Joannis profertur gloria: virtus intonat, laus collaudatur, nec est quod illi adjiciat homo, cui Deus contulit totum.* (3) Inde colligenda est humana de Joanne existimatio; nam *qui coram Deo magnus est, quantus sit penes homines quis probavit?* (4) et si Deus, et Christus, tanti Joannem existimarunt, dubium non est quin homines magnam habuerint de eo existimationem.

3. Joannes se Messiam esse negat, dum affirmat se Messię *viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat.* (5) Attamen licet se Messiam neget Joannes *fama virtutis cognitus, celebratissimus sanctitate* (6), magnam sibi apud homines conciliavit existi-

mationem: In veteri Testamento) Prophetæ certatim Joannem laudibus cumulant: Esaias (1) eum velut divini Verbi vocem repræsentat; Jeremias uti murum æreum et sagittam ignitam; Malachias uti cælestem spiritum. (2) In novo Testamento, a Patribus pluribus encomiis commendatur Joannes. A D. Augustino nuncupatur *præteritæ dispensationis limes* (3); a D. Thoma vocitatur *terminus legis et initium Evangelii* (4); a D. Paulino appellatur *Evangelii sacra janua, metaque legis* (5); a Chrysologo habetur *legis et gratiæ fibula*: quia, ut ait Apostolus, *lex et Prophetæ usque ad Joannem, terminum in Joanne statuens, inter utrumque ordinem, exinde veterum et incipientium novorum.* (6) Verum, quia hujuscemodi elogia Joannis, vel missionem, vel officium spectant, ejus virtutes adhuc prædicant Doctores. Chrysologus Joannis commendat austeritatem: *Joannes vestitu, victu, loco, totus pœnitentia formatus incedit.* (7) Idem aureus Antistes Joannis dignitatem et sanctitatem propalat, a quo vocatur *Præcursor Verbi, sanctitatis exemplum, Evangelistarum princeps, clausula Prophetarum.* (8) Andreas Cretensis plura elogia accumulat, et ab illo nuncupatur Joannes *Aliptes orbis terrarum, Solis stella, vox Verbi, per se auditor Patris, Baptista Filii, spectator Spiritus Sancti, sequester gratiæ, coronis Prophetiæ, præcursor veritatis, virginitalis ornator, castitatis legislator, improborum frenum, dux eorum qui probe vitam agunt;* (9) verum, ut ait Bernardus, *quanta fuerit sublimitas Joannis non est currenti linguæ volubilitate disserendum, sed evangelicæ dignitatis comprobandum eloquio* (10): etenim Evangelistæ non tacent Præcursoris laudes, sed eas uno ore propalant. « Marcus, Lucas et Joannes, initia librorum ejus prædicarunt, ut videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte prælati totum deinceps commendabilius redderet Evangelium; et lucerna in ipso ingressu ac vestibulo ardens et lucens, perduceret ad lucem quæ lucebat in tenebris, sed nequibat a tenebris comprehendi. Matthæus vero cum nativitas eum Domini tenuit initiis occupatum, mox a Nazareth puerum nutriendum commendavit, ad Præcursorem et Baptistam convertit stylum, ratus imperfectum fere quidquid de Sponso diceret, si de dimidio Sponsi reticeret amico. » (11)

(1) L. ad Scap. 2. — (2) D. Bern. — (3) Chrysol. Ser. 91. — (4) Chrysol. Ser. 88. — (5) Tert. L. de Bapt. 10. — (6) Chrysol. Ser. 127.

(1) Cap. 40. — (2) Cap. 3. — (3) L. 5. Cont. Ep. Pelag. cap. 4. 5. p. q. 58. a. 1. — (4) Serm. de S. Felice. — (5) Serm. 91. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 2. — (7) Serm. 162. — (8) Serm. 86. — (9) Orat. de Decollat. S. Præcurs. — (10) Serm. de Privileg. Joan. — (11) Galfid. apud Til.

Sed nihil ita ostentat æstimationem in qua erat Joannes apud mortales quam quod putatus fuerit Christus, *existimante populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus* (1): non enim simpliciores in populo, sed Scribæ et Pharisæi in lege doctissimi, Joannem Messiam crediderunt, eo quod *divinam quodammodo faciem præ se ferret*. (2) Tanta erat inter Christum et Joannem doctrina, moribus et sanctitate similitudo, ut peritiores quique nescirent quisnam verus esset Messias. *Adeo Joannis erat Christus, et Joannes Christi; ambo creatoris, et ambo de lege et Prophetis, prædicatores et magistri*. (3) Tantis erat Joannes in hominum æstimatione, « quod si Joannes signa fecisset, homines ex æquo Joanni et Christo attendissent, et ideo ut homines principaliter Christo intenderent, non est datum Joanni ut faceret signum. » (4) Angelico Thomæ Thomas Valentinus arridet Antistes. « Miro sapientiæ Dei artificio factum est, ut Joannes sine signo, Christum innumeris signis coruscantem testificaretur populo, ut et signorum claritate, Joannis de Christo testimonium fulciretur, et falsa de Joanne opinio tolleretur. » Addit D. Damascenus in tanta fuisse Joannem existimatione apud populum, ut nisi columba super caput Christi sedisset, arbitrati fuissent ad Joannem spectare vocem illam: *Hic est Filius meus dilectus* (5); et quasi miracula a Christo patrata, sessio Spiritus Sancti super caput ejus, non sufficiant, primates Judæi mittunt ad Joannem solemnem legationem, volentes ex ipsius ore discere an esset Messias necne. Quia, ut ait D. Chrysostomus, *insuspicabile erat ejus testimonium, et majorem gloriam apud homines habebat*. (6) Tanta erat apud Judæos Joannis auctoritas, ut inconcussa et insuspicabilis videretur. « O miram populi legationem, apud eos natus et nutritus fuerat; patre sacerdote notissime generatus, et quæerunt ab eo: Tu quis es? tantus namque omnibus videbatur, ut vix crederetur esse qui erat, sed Christus. » (7) Judæi indubie sciebant Joannem ortum esse ex tribu Levi, Christum vero ex tribu Juda fore nasciturum, et tamen ad Joannem, non ad Christum mittunt legationem et ut fatur Origenes, *Joannem itaque quæerunt cum tanta veneratione; erga Christum autem nihil hujusmodi factum legitur a Judæis*. (8) Tunc Joannes in deserto latebat, Christus vero urbes lustrabat, in

Hierosolyma sæpe versabatur: inde senatus Judæorum rem divinam humano sensu pensitans Joannem in solitudine commorantem quamvis de tribu Levi, Messiam existimat. Ex D. namque Augustino, *tam magnus visus est Joannes ut a nonnullis etiam Christus putaretur*. (1) Nisi eos ab ejusmodi revocasset errore, « potuit credi Christus, imo ab eis qui ejus magnitudine fallebantur, credebatur Christus, et in illo errore morerentur, nisi ab illo confitente corrigerentur. Respondet ergo putantibus, et ait: Non sum ego Christus, tanquam si diceret: In honorem meum ita fallimini, et certe hoc putando magnam additis laudem, sed ego debeo me agnoscere, ut vobis errantibus ille possit ignoscere; si enim quod non erat fallaciter putaretur, ab illo qui erat veraciter amputaretur. » (2)

Trita est theologorum doctrina, Deum esse cognoscendum, non per affirmationem, sed per negationem. Vultis cognoscere quid sit Deus? non est lapis, non arbor, non leo, non homo, non Angelus: *quia de Deo non possumus scire quid sit, sed quid non sit*. (3) Tanta erat Joannis celsitudo, ut multimodam haberet cum Christo conformitatem: et ut ait Gericus Abbas, « omnino Salvatori proximus erat, qui non solum copula sanguinis conjunctus, sed etiam gloria annuntiationis, novitate novitatis, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales alios et proprius accedebat. » (4) De Christo verius dicitur quid non sit quam quid sit. Eodem modo Joannes melius negatione quam affirmatione declaratur. *Visscire quid sit Joannes? non est Deus, non est Christus*. (5) Quapropter, ut acute animadvertit Theophylactus Judæis interrogantibus: *Tu quis es? non dicit quid sit, sed confitetur. Non sum Christus* (6); et hac negatione suam innuit magnitudinem, et simul denotat humilitatem: *Tanta excellentia erat in Joanne ut posset credi Christus; et in eo probatur humilitas ejus, quia dixit se non esse, cum possit credi esse*. (7) Neque enim minor est Joannes virtute quam laude, et sicut magnus est in aliorum existimatione, ita quoque est magnus in virtutum perfectione.

II. PARS. *Unde autem et Joannes venit in medium?* (8) De solitudine venit Joannes: *Omnibus scilicet in solitudinem concurrentibus ad Joannem, potius quam ad Christum*. (9) Venit de deserto ut Messiae testaretur adven-

(1) Luc. 3. — (2) Enseb. L. 9. de Demonst. Evang. 5. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (4) D. Thom. 3. p. Quæst. 38. Art. 2. ad. 2. Serm. 1. de S. Joan. — (5) Serm. de Transfig. — (6) Hom. 28. in Joan. — (7) D. Thom. a Villa Nova. Conc. 1. — (8) In c. 1. Joan.

(1) L. 50. Hom. Hom. 44. — (2) D. Aug. Serm. 25. de Sanct. — (3) D. Thom. 1. p. q. 5. art. 1. — (4) Serm. 3. de S. Joan. — (5) D. Aug. de Laud. Joan. — (6) Joan. 1. — (7) D. Aug. Tract. 4. in Joan. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 18. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 18.

tum, Præcursoris exsequens officium: *Præcursore enim jam functo officio, præparata via Domini, ipse erat intelligendus, cui præcursor ministraverat.* (1) Vates autem Regius Præcursorem viam Christo præparantem, justitiam vocat: *Justitia ante eum ambulabit.* Prætereo nomine justitiæ in abstracto magnam denotari Præcursoris Joannis perfectionem: animadverto justitiam interdum sumi pro gratia sanctificante, quo sensu qui gratia habituali præditi sunt, nuncupantur justii: interdum pro charitate, quomodo apud D. Augustinum inchoata charitas inchoata justitia est; profecta charitas profecta justitia est; consummata charitas consummata justitia est; interdum pro humilitate; quomodo D. Augustinus intelligit Christum dicentem Joanni (qui baptizare Christum renuebat, ratione magis consentaneum judicanti, baptizari a Christo): « Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam: » (2) *Quid est, impleatur omnis justitia? impleatur omnis humilitas.* (3) Trina illa explanata justitia splendescit Joannes magnus in, 1. Sanctitate; 2. Charitate; 3. Humilitate.

1. Tanta est Joannis sanctitas ut integra a Tertulliano nuncupetur: *Sanctitas integra in Joanne Antecursore.* Et a Chrysologo, *tota sanctitas appelletur* (4): et merito, quia etiam Joannis nomen gratiam sapit. Multipliciter autem de causa Joannes in suo nomine sonat gratiam, 1. Quia a sanctis parentibus generatus fuit: *Hinc est quod Evangelista ut extollat Joannis gloriam, Zachariæ patris, Elizabeth matris prædicat sanctitatem.* (5) 2. Quia parentibus sterilibus et senibus, gratia Dei donatus est. *Ergo in Zacharia et Elizabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit, abolescit totum quidquid est, et humani ordinis, et negotii conjugalis, ut divino munere, non partu ex hominibus Angelus nasceretur.* (6) 3. Quia fuit velut horizon legis et gratiæ. *Quasi non et nos limitem quemdam agnoscamus Joannem constitutum, inter vetera et nova, ad quem desineret Judaismus, et a quo inciperet Christianismus.* (7) 4. Quia gratiæ Dei, id est, Evangelii nuntius fuit. *Denique si alia cessassent omnia, solius gratia nominis ejus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur, satis abundeque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur.* (8) *Dignum quippe erat ut gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratiæ prædicaret, et gratia non me-*

diocri emineret, qui gratiæ tempus a tempore legis, velut medius limes disterneret. (1) 5. Quia cunctos Prophetas et Apostolos antecedit: *Licet Spiritus Sanctus largiori munere credentium corda repleverit, hoc tamen Joannes legitur in utero assecutus, quod apostolica celsitudo, tandem longiori promissione meruit obtinere.* (2) 6. Quia in utero matris fuit sanctificatus, et *sanctitate pene originali* (3) donatus, *ad similitudinem Domini sanctificatus antequam natus.* (4)

Alii nascuntur in peccato, at Joannes *ante sanctus quam natus* (5); alii non sanctificantur nisi post nativitatem, verum Joannes *sanctificatus est a peccato, et dominante Spiritu superfusus* (6); alii sunt maligni spiritus mancipium antequam Sancti Spiritus existant templum: at Joannes « Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suæ. » (7) Quia, ut ait D. Ambrosius, *nondum enim erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ.* Et ut eloquenter fatur Chrysologus, *videtis quemadmodum Joannes ante pervenit ad cælum, quam tangeret terram; ante accepit divinum Spiritum, quam haberet humanum; ante suscepit divinum munera, quam corporis membra, ante cœpit vivere Deo, quam sibi.* (8) Aliorum nativitas est infausta, quia criminosa; inde procedit Jobi maledictio: « Pereat dies in qua natus sum! » Joannis nativitas est fausta, quia innocua; et ob hanc causam, Joannes beatus prædicatur a Chrysologo: *Beatus Joannes, qui ante Dei Spiritu meruit intonare quam hominis vagiret in fletu; beatus qui ante divina possidere meruit, quam sortiretur humana; beatus qui ante meruit cælum scire, quam terram; beatus qui antequam videret præsentia, futura meruit nuntiare; beatus qui ante Deum capere potuit, quam suo ipse caperetur a corpore; beatus et singulariter est beatus, qui antequam saperet quærere, meritum conquistavit; beatus qui non pervenit ad gratiam per laborem, sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit.* (9) Aliorum Sanctorum (exceptis Christo et Deipara), nativitatem Ecclesia non celebrat. Cur autem hoc fiat sciscitatur D. Augustinus: « Occurrit quæstio non prætereunda; quare natalem quo est ortus ex utero Joannes, potius celebramus quam cujuslibet Apostoli, vel Martyris, vel Prophetæ, vel Patriarchæ: si interrogemus, quid respondebimus? » (10) Huic quæstioni sic respondet Sanctus Augustinus: « Quantum mihi videtur, quantum mearum virium mediocritati occurrit, hæc causa est. Disci-

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 18. — (2) Matth. 5. — (3) Tract. 4. in Joan. — (4) L. de Mon. Serm. 59. — (5) Chrysol. Serm. 89. — (6) Chrysol. Ibid. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 18. — (8) Guerr. Serm. de S. Joan. Bapt.

(1) D. Bern. — (2) Guerr. Serm. 5. de S. Joan. — (3) D. Aug. Serm. 20. de Sanctis. — (4) Guerr. Ibid. — (5) Guerr. Ibd. — (6) D. Bern. Serm. de S. Joan. — (7) Luc. 1. — (8) Serm. 91. — (9) Serm. 88. — (10) Serm. 25. de Sanct.

puli Domini nati sunt, et per ætatis accessum ad annos capaciores perducti, in discipulatum assumpti sunt: illorum postea fides Domino adhæsit, sed nullius eorum natiuitas Christo militavit. Recordemur et Prophetas, recolamus Patriarchas: nati sunt ut homines, ætatis accessu impleti Spiritu Sancto, prophetarunt Christum; nati sunt, ut postea prophetarent: Joannes autem Dominum Christum ipsa natiuitate sua prophetavit, quem conceptum ex utero salutavit. » Ad quod alludere videtur Chrysologus: *Ipse sine viscera matris exsuscitat; et quia tardabat corpus, solo spiritu implet evangelizantis officium. Joannes antequam Christum præcederet, se præcessit, patris, matris, filii corda, unus atque ilem Spiritus Sanctus implet, ut uno sanctitatis organo resonet natiuitatis Dominicæ cantilena.* (1) Huic quæstioni, et fortasse magis ad propositum, respondet Petrus Damianus: « Nullius hominis natiuitatem, præter solius Dei, ejusque Matris, in auctoritatis arcem recepit Ecclesia, istius exceptione servata. Novit enim quia melior dies mortis die natiuitatis, inde est quod martyrum mortes, non natiuitates solemnitizat Ecclesia, mortem eorum, natalitiorum nomine, nominans, quibus factus est de morte natalis: hujus vero natiuitatem Sponsa Christi, tanto securius benevolentissima dignatione suscipit, quanto singularius eam veritatis evangelicæ irrefragabilis commendat auctoritas. » Et ob hanc causam Joannis natiuitatem cum gaudio celebrat Ecclesia: *In solemnitate præclaram lætatur orbis.* (2) Neque solum Ecclesia militans de Joannis natiuitate gaudet, sed etiam triumphans de ea jubilat, *cujus gloriosa festiuitas ipsis etiam cælis celebris et famosa.* (3) Hanc lætitiã ipse præueniens merito Joannes in utero exsultat, *qui originis suæ libertatem ante nosse quam esse meruit, ante meruit sentire quam vivere.* (4)

Quanta vero fuerit gratia quam Joannes in utero matris accepit, ex gratiæ ipsius causis intuandum est. Trina est gratiæ causa: efficiens et principalis, meritoria et singularis, dispensatoria et ministerialis: Spiritus Sanctus est causa gratiæ efficiens et principalis; Christus meritoria et singularis; Maria dispensatoria et ministerialis. Hæc tres causæ gratiæ ad invicem subordinatæ, concurrunt ad largiendam Joanni uberiorem gratiæ abundantiam. Spiritus Sanctus Joannem implet. *Attende diligenter quam ordinata dispositione Spiritus ille multiplex Hieremium sanctificat,*

implet Joannem, supervenit ad Mariam. (1) Suam mentem expendens Damianus sic prosequitur: *In Hieremia mira res, hominem conceptum in peccato sine peccato nasci. Joannem vero longior virtus implevit, quia et sanctificatus est a peccato, et ita dominante Spiritu superfusus, ut et purgatus exeat et repletus. Ineffabili modo supervenit in Virginem, quam tota Divinitatis plenitudo sine mensuræ discretionem perfudit: ut totum caperet qui fecit totum, ut non solum a peccatis abluta, repleta Spiritu, sed de Spiritu Sancto concepisse dicatur.* Tres eximie sanctitatis in utero collatæ distinguit gradus: in primo Hieremias fuit a peccato originali mundatus et gratia sanctificatus; in secundo Joannes, uti Hieremias, fuit ab originali culpa purgatus, sed abundantiori gratia repletus; Maria fuit ab originali præservata, et majori adhuc gratia superfusa; quod denotatur dum in eam supervenit Spiritus Sanctus. Totis viribus probare nititur Rupertus nomen Spiritus Sancti esse primo auditum, cum Angelus Mariæ incarnationis annuntiat sacramentum: *In cæteris Scripturis legalibus et in prophetis, nusquam absolute Spiritus Sanctus, sed relative scribitur Spiritus Dei, sive Spiritus Domini. Ab hoc loco primum insonuit in auribus nostris hoc reverendum insigne vocabulum, proprium atque absolutum: Spiritus Sanctus superveniet in te; et ad Joseph: Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est.* (2) Verum pace Ruperti: sex mensibus antequam Gabriel annuntiaret humanationis Verbi mysterium, idem archangelus Zachariæ promittens filium asseverat: « Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suæ. » Ecce Spiritus Sancti vocabulum intonuit Zachariæ auribus priusquam Mariæ intonaret. Quod ipsemet fatetur Rupertus. « Joannes amicus sponsi utroque ejusdem Spiritu dato, meruit participare ex utero matris suæ, sicut prædixerat idem Angelus, qui ad B. Mariam locutus est: et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Quod videlicet tunc mater ejus præsensit, quando exclamans voce magna, et ipsa Spiritu Sancto repleta: Ecce enim, inquit, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit infans in utero meo: de plenitudine gratiæ qua dictum est: Ave, gratia plena, primus ille accepit, et de eodem Spiritu sanctificati sunt, et hæc Mater Domini, et ille amicus Sponsi. Et ex tunc qui dicebatur Spiritus Dei, vel Spiritus Domini, Spiritus Sanctus cœpit altius enuntiari: primum ex

(1) Serm. 91. — (2) Petr. Dam. — (3) Petr. Dam. — (4) Chrysol. Serm. 87.

(1) Petr. Dam. Serm. de S. Joan. — (2) In e. 1. Matth.

ore Angeli, et deinde ex omni Evangelio Christi. Neque solum Spiritus Sancti auditur nomen in annuntiata Joannis conceptione, quo denotatur ingens gratiarum effusio qua post Christum et Deiparam superfusus est, verum quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, sicut in gratiam Christi ejusque Præcursoris, Spiritus Sancti auditum est nomen, ita in gratiam Baptistæ et humanati Verbi, Trinitas primario clare propalata est, ut Joanni gratiæ donaret largitatem. Audiat hanc supra re Petrus Damianus, qui de baptismo Salvatoris disserens ait: « A creatione mundi et terræ usque ad hunc locum, nunquam Trinitas hominibus manifeste apparuit, sed rerum et verborum involucris involuta fuit tantæ claritatis æternitas: at in baptismo Christi, Pater auditur in voce; Filius baptizatur in flumine; Spiritus Sanctus in columbæ specie demonstratur. Adest Joannes totius medius Trinitatis, *gloriosumque Baptistam sanctificant indivisæ substantiæ personata vocabula*; et nomen Trinitatis prioribus seculis obvelatum, absque totius velaminis obumbratione relucet. » Bene indivisæ substantiæ Baptistam sanctificant, et abundantiori gratia adimplent.

Christus in utero Virginis existens fuit secundum principium a quo gratiæ abundantiam mutuatus est Joannes. *Hominem concipit Elizabeth, hominem et Maria, sed Elizabeth solum hominem, Maria Deum et hominem.* (1) Ut autem animadvertit Petrus Damianus, *Verbum caro factum, relictâ hominum universitate, Joannem querit, Joannem desiderat, ad Joannem vadit.* Post hæc nemo miretur si Maria tanta cum festinatione properat in montana: *Jesus, qui in utero illius erat, festinabat adhuc in ventre matris Joannem positum sanctificare.* (2) At ubi domum Zachariæ intravit Virgo, ubi vocem Mariæ audivit Elizabeth, exsultavit infans in utero ejus. *Vocem prius mater audivit, sed gratiam prius sensit iste: illa naturæ ordine audivit, iste exsultavit ratione mysterii. Illa Mariæ, iste Domini sensit adventum; istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur* (3): Gratiam intus operatur Christus in anima Joannis. Opera quæ per semetipsum operatus est Christus, speciali excellentia decorantur: oculi quos contulit cæcis, miro coruscabant splendore: inde colligendum est qualis et quanta fuerit gratia quam in corde Joannis produxit Salvator. Sane perfectissima existimanda est cum fuerit ab ipso Domino immediate operata, fueritque prima productio

quam Verbum humanatum operatum est. Primæ causarum operationes nobiliores habentur, earumque effectus digniores existimantur tanquam suscipientes virtutis et influxus primitias. Nunquam reges majorem ostentant munificentiam, quam dum primario ingrediuntur urbes. Christus venit tanquam redemptor et sanctificator: redemptor, ut destruat peccatum; sanctificator, ut largiatur gratiam. Binum illud officium primario erga Joannem exercet, quem per semetipsum ab originali mundat ut redemptor, et abundantia gratia replet ut sanctificator. *Vox itaque Virginis vox erat incarnati in illa Dei, et idcirco etiam Præcursores in utero gratia prosecutus est, et prophetam fecit.* (1) Guerrius Abbas tres distinguit gradus quibus gratiæ communicatur largitas: in primo Christus gratiam Deiparæ communicat; in secundo, per Mariam Joanni gratiam præstat; in tertio, per Joannem gratiam parentibus ejus donat. Vox Mariæ dum auribus Elizabeth intonat, ad cor Joannis penetrat; qui abstrusus intra materna latebat viscera, et cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ plenior infudit prophetiam, adeo ut etiam de plenitudine filii copiose videatur in Matrem refundi. (2) *Vere gratia plena Maria, manifeste totius gratiæ Deus in ea erat: de cujus munificentia tam copiose, tam magnifice, principaliter in Matrem, de Matre in Joannem, de Joanne in parentes gratiæ largitas proflebat.*

Maria est tertia causa a qua Joannes gratiæ suscepit largitatem, ad quam supervenit Spiritus Sanctus ut ex gratiarum affluentia nobis largiatur. *Ad quid putas supervenit, nisi ut etiam superimpleat eam? ad quid nisi ut adveniente jam Spiritu, plena sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena, et supereffluens fiat?* (3) Gratia supereffluentiam abundanter largitur Maria in domo Zachariæ. Ut enim ait Guerrius Abbas, *flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vivæ, et fons vitæ et gratiæ orbatur de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi.* (4) Zacharias, Elizabeth et Joannes erant ligna paradisi quæ irrigabat Maria aquis gratiæ, quibus a superveniente Spiritu Sancto repleta fuerat, quas per vocem Joanni ejusque matri communicat. Nam ut philosophatur Origenes: *Ut enim qui loquitur in Verbo, quod loquitur necessario Spiritum proflat, ita Deus Pater et Filium suum gi-*

(1) D. Aug. Serm. 21. de Sanctis. — (2) Orig. Hom. 7. in Luc. — (3) D. Ambr. in c. 1. Luc.

(1) Theophylact. in c. 1. Luc. — (2) Serm. de S. Joan. — (3) D. Bern. Serm. 3. de Assumpt. — (4) Serm. 3. de S. Joan.

gnit, et Spiritum suum per genitum Filium producit. (1) Spiritus autem Sanctus a Patre et Filio spiratus supervenit in Mariam, ut ipsa loquens per vocem suam, gratiam Spiritus Sancti largiretur. *Obiter observandum est quod illic per vocem salutationis Mariæ, quæ pervenit ad aures Elizabeth, exsilit Joannes infans in utero matris, tum velut sancta Maria sumentis Spiritum Sanctum.* (2)

Quod si ex quo audita est vox salutationis Mariæ uberiores suscepit Joannes gratiam; quantam ei contulit Deipara gratiæ largitatem per tres menses quibus remansit in domo Zachariæ? *Si in una hora tantos profectus habuit, nostræ conjecturæ relinquitur quid in tribus mensibus Joannes profecit, assistente Maria Elizabeth.* (3) Maxime cum ob hunc finem per id spatium in domo Elizabeth remanserit Virgo. « Non sola familiaritas est causa quod Sancta Virgo diu mansit in domo Zachariæ, sed etiam tanti nati profectus: nam si primo ingressu tantus profectus exstitit, ut ad salutationem Mariæ exsultaret infans in utero, repletur Spiritu Sancto mater infantis, quantum putamus tanti temporis Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? » (4) Quia, ut ait Petrus Damianus, *tanto tempore manet cum Elizabeth virginalis integritas, et nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Joannem puerum consecrat et insignit.* (5) Sanctitate consecrat et gratiæ dotibus insignit: et ut aliorum ait idem Cardinalis, *Joannem summæ felicitatis immensitas largius irroravit.* (6)

At quis dicere valeat gratiæ augmentum quod propriis meritis acquisivit ipsemet Joannes, *in quo sanctificationis plenitudo regnabat?* (7) Joannes sanctificatus fuerat in utero matris, deinde in sanctitate confirmatus, toto vitæ tempore virtuti mancipatus, non mediocre acquisivit gratiæ augmentum. « Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit: Satis est, sed semper esurit sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est, justior esse contenderet: non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui juxta istud: « Inclinaui cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum. » (8) Uti peccatores vellent sine fine vivere ut possent sine fine peccare, et hoc perverso peccandi desiderio sua scelera adaugent, ita justî, continuo justiores fieri desiderant. Hoc desiderio accensus beatus Joannes, mirum in modum gratiam et merita

incrementavit. *Justus consummatus in brevi, explevit tempora multa: quia et gratiæ magnitudine et virtutis ardore brevi tempore sibi merita comparavit, quæ frigidi Christiani non nisi longo tempore acquirunt: si quis unquam Sanctus implevit tempora multa, maxime Joannes, tum ob gratiæ abundantiam, tum ob vitam quam duxit, tum ob charitatis qua æstuabat magnitudinem et excellentiam.*

2. Christus Joannis *dilectus* (1) vocitatur a Tertulliano, quia Christum Joannes ardentissime diligebat; et ab eodem amicus sponsi, nempe Christi, nuncupatur, quia vicissim a Christo tenerrime diligebatur: sponsi namque amicus, sponsi est dilectus; quapropter Christo et Joanni probe conveniunt Sponsæ verba: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.* (2) Quem locum sic acute expendit Guerricus Abbas: « Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi. » *Joannes Jesu, et Jesus Joanni; Joannes Jesum prædicat, et Joannem Jesus commendat; par pari redditur, et tam amica quam justa vicissitudine charitas invicem provocatur et remuneratur.* (3) Similitudo fundamentum est amoris. Tanta erat inter Joannem et Christum similitudo ut multi Joannem æquaverint Christo; ideo par pari redditur; quo major est inter illos similitudo, eo major est dilectio. Jesus Joannem diligit, et vicissim Jesum diligit Joannes; utriusque charitas provocatur et remuneratur: provocatur a merito dilecti, remuneratur ab amore dilecti. Tria maxime Joannem ad Christi amorem sufflammabant: unum, infinita Christi amabilitas; aliud, perfecta notitia quam habebat Joannes amabilitatis Christi; tertium præsentia Christi summe amabilis.

Joannes *totus ad amorem Dei natus est.* (4) Hujus autem amoris considerari potest initium, progressus et terminus: initium sumpsit Joannis amor simul cum gratia et cognitione Christi, nimirum in utero Elizabeth; incrementatus est Joannis amor toto vitæ tempore, quo divinæ consecratus est dilectioni; consummatus est in morte quam pro Deo constanter subiit, et ubique ardentissimus Joannis amor. Amoris ardorem ostentavit in utero matris, ad Christi præsentiam exsiliens. « Grande prorsus hoc exstitit dilectionis indicium, ut infans ventris constrictus ergastulo, suum agnosceret Dominum, tenellis lætaretur in membris, Solemque videret in nubilo. » (5) Amoris ardorem

(1) Hom. 2. de Variis. — (2) Orig. Ibid. — (3) Orig. Hom. 9. in c. 1. Luc. — (4) D. Amb. L. de Inst. Virg. 15. — (5) Serm. 23. — (6) Serm. 25. — (7) Enseb. Emiss. — (8) D. Bern. Ep. 253.

(1) Tert. L. adv. Prax. 21. — (2) Cant. 2. — (3) Serm. de 4. S. Joan. — (4) Chrysost. — (5) Laur. Just. Serm. de S. Joan.

demonstravit in progressu, Christi dignitatem prædicans, seseque sponsi amicum declarans. *Amicum se sponsi in præsentia dicit, non ut extollat se, sed ut se verum amicum ostendat.* (1) Tandem suo martyrio amorem consummatum denotat, *quia propter opus Domini natus et occisus est.* (2)

Quam fuerit ardens Joannis charitas ipsemet propalat Christus, dicens ad Judæos: *Ille fuit lucerna ardens et lucens.* (3) Ut autem animadvertit D. Bernardus, *non ait: Lucens et ardens, quia Joannis ex fervore charitatis splendor, non fervor prodiit ex splendore; sunt enim qui non eo lucent, quia fervent; sed magis fervent ut luceant, qui non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis.* (4) Hos suo fervore condemnat Joannes, qui non studio vanitatis, sed spiritu charitatis fervet: et ut prosequitur Bernardus, *ardens erat erga Christum, intimo quodam et pleno fervore charitatis: inter supernos spiritus, Seraphini sacro Divinitatis ardent amore; Joannes tanto Dei erat sufflammatus amore, ut eum Bernardus in Seraphinorum ordine constituat. Sic novem ordinibus Angelorum insertus est, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur* (5); et quasi parum sit Joannem Seraphinorum ardore sufflammari, plus audet D. Augustinus, et Joannem igne Spiritus Sancti succensum existimat. *Ille erat lucerna ardens, id est, Spiritus Sancti igne succensus.* (6) Spiritus Sanctus proprio caractere amor per ignem designatur. Hunc ignem misit Deus in mundum, quo Joannes vehementer accensus, est *vere ardens et vehementer accensus, quem sic præoccupavit flamma cælestis, at jam Christi sentiret adventum, qui necdum sentire poterat vel seipsum; nimirum novus ille ignis, qui recens elapsus e cælo, per os Gabrielis in aurem intraverat Virginis, et per matris aurem introivit ad parvulum.* (7) Quod si ex charitate quam quisque habet, mensurandam vult D. Bernardus ejus perfectionem: *Quantitas cujusque animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet: ut verbi gratia quæ multum habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ vero nihil, nihil; dicente Apostolo (1. Cor. 3.): Si charitatem non habuerit, nihil sum.* (8) Qualis, quæso, Joannis magnitudo, qui igne Spiritus Sancti accensus, ardens erat erga Deum intimo quodam et pleno fervore charitatis, et ut fatur Bernardus, *ardens in seipso vehementi austeritate conversationis?*

(1) D. Chrysost. Hom. 28. in Joan. — (2) D. Ambr. Serm. 63. — (3) Tert. L. adv. Jud. 9. — (4) Serm. 8. de Nat. Joan. — (5) Serm. de Privil. S. Joan. — (6) Serm. 2. de S. Sanct. — (7) D. Bern. — (8) Serm. 27. in Cant.

Joannes Domini vias sternens, pœnitentiæ erat præco (1): ad Messie adventum, homines per pœnitentiæ prædicationem præparabat: *Joannes secundam Esaiam vociferator in solitudinem, et præparator viarum dominicarum, per denuntiationem et laudationem pœnitentiæ* (2), et quia, ut fatur Chrysologus, *Magisterium stat de scientia, sed magisterii auctoritas constat ex vita; docenda faciens obedientem perficit auditorem, docere factis sola est norma doctrinæ: in dictis scientia est, in factis virtus: scientia ergo illa vera est quæ fuerit mixta virtuti, illa divina est, non humana.* (3) Divina, non humana erat Joannis doctrina, quam factis commendabilem reddidit; nam pœnitentiam quam prædicavit, pœnitentiæ exemplo solidavit, et ut pœnitentiæ præconis rite fungeretur officio, *Joannes vestitu, victu, loco, totus pœnitentia formatus incedit.* (4) Vestitu: nam asperis camelorum pilis induitur; victu, locustæ sunt eibus quo utitur; loco, siquidem in solitudine conversatur cum Angelis. Pilus camelorum non sunt propria hominum indumenta, neque locustæ naturalis hominum eibus: at *vestis aspera, eibus tenuis, mens devota, profecto perfectum consecrant Patriarcham.* (5) Victum et vestitum habentes, *Apostolica perfectio ista est,* ait Bernardus; *sed etiam Joannes hæc contempsit.* Venit Joannes, non manducans, non bibens. Homo qui est animal sociale natura, et vitæ civili velut natus, cum aliis conversatur hominibus; at Joannes in eremo et solitudine vitam ducit, ubi *carnem tenerrimam immatura districtio disciplinæ feritate coarctat, teneros artus, et sacratori spiritu superfusos, continue quassat longitudo martyrii.* (6)

Joannis austeritatem et pœnitentiam attenta mente contemplandam desiderat Bernardus. *Considera hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in utero, et novum in novo homine pœnitentiæ mirare fervorem.* Ad quid tam serio considerandam vult Bernardus Joannis pœnitentiam? 1. Ut nostram pœnitentiam cum Joannis pœnitentia conferentes, eam parvi faciamus. *Quis ex nobis est, fratres, qui Joannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicujus saltem momenti reputare præsumat?* (7) 2. Ut rigores quos in semetipsum Joannes exercebat intuentes, non murmuremus in laboribus et passionibus quas toleramus. *Quis audeat*

(1) Tert. L. de Pud. 10. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (3) Serm. 167. — (4) Chrysost. — (5) D. Bern. de Privil. S. Joan. — (6) Petr. Dam. — (7) D. Bernar.

murmurare in laboribus suis, et dicere: Satis est quod patior ne dum nimis? 3. Ut ex consideratione pœnitentiæ Joannis, ad pœnitentiæ accendamus amorem. *Accendamus ad pœnitentiam, fratres, interrogemus conscientias nostras, et animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum possimus evadere judicium Dei viventis.* Maxime quia tantam egit pœnitentiam Joannes, ut nos suo exemplo ad pœnitentiam induceret. « *Acceptit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris; quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit servituti: tali pœnitentiæ magister indui debuit vestimento, ut qui a recti detorserant disciplina, et deformes se totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, adducerentur duris satisfactionum angoribus, suspiria compunctionis laboriosa portarent; ut directi et attenuati in modum acus, per angustum pœnitentiæ foramen ampla remissionis intrarent, et impleretur dominicum dictum: Camelum per foramen acus posse transire.* » (1) Ad eundem finem ordinatur adhuc esus locustarum: hoc enim cibo usus est Joannes, ut nos suo ad pœnitentiam provocaret exemplo. « *Locusta castigandis peccatoribus attributa, merito pœnitentiæ figuratur in pastum, ut de peccati loco exsiliens, in pœnitentiæ locum ad cœlum possit pennis veniæ pervolare.* » (2) Huc tendit adhuc Joannis solitudo: difficile namque est hominem stare inter acies criminum, obsideri vitiorum catervis (3), et animi servare innocentiam.

At, proh dolor! quam pauci sunt hac ætate, qui et Joannis præconio, et Joannis exemplo inducantur ad pœnitentiam! Joannes sanctissimus confirmatus in gratia ex utero matris suæ, et adeo innocuam ducens vitam, ut ex quorundam mente ne quidem venialiter peccaverit, rigidæ vacat pœnitentiæ, et scelerosi peccatores criminibus onusti neque pœnitentiæ volunt audire nomen: Joannes ab omni vitio defæcatus atque exemptus voluptatum incendiis, viuum nescit, ignorat siceram (4), et criminosi Christiani gulæ indulgent; vino sese ingurgitant, nec attendunt quod ingluvies et ebrietas sunt vitia, quæ tota dissipant morum decora, ornamenta virtutum. (5) Joannes non tenebatur ad illos pœnitentiæ rigores; rudis namque pœnitentia gravia supponit peccata. *Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia sic puniebat Joannes*

in semetipso? (1) At blasphemi, impii, libidinosi, ebriosi, et alii ejusmodi, post atrocissima patrata facinora, nullam in semetipsis sustinent pœnam, imo delicias continuo quærunt in cibo, potu, et vestium luxu. « *Hic ergo Joannes, quo nullus major in natis mulierum, innocentissimum illud corpus sic extenuat, sic affligit: vos indui festinatis bysso et purpura, et splendide epulari:* » (2) et quod est desflendum magis, « *in his nempe tota versatur hæc vestra celebras, in gloria vestium, in voluptate ciborum.* » Quos sic adhuc insequitur Bernardus: « *Cujus memoriam agitis, delicati cultores, cujus celebratis natalem, nonne illius qui in eremo fuit hirsutus veste, confectus inedia, qui vobis exprobrat delicias et voluptates vestras?* »

Tantus erat Joannis ardor ut Helias fuerit existimatus. *Helias jam venit, et non cognoverunt eum* (3); nonnulli quoque hæretici, eo quod Helias in Joanne repræsentetur, metempsychosim defensare nituntur. *Spero hujusmodi hæreticos Helicæ quoque invadere exemplum in Joanne repræsentati, ut metempsychosi patrocinentur prænuntio Domini.* Hic error fundatur in Judæorum sermonibus qui Joannem Heliam, palam et publice vocitabant. *Et si vultis audire, hic est Helias qui venturus est.* (4) Verum hic locus metempsychosi non patrocinator, quia ut philosophiatur Tertullianus, *sed enim metempsychosis illorum, revocatio est animæ jam pridem morte functæ, et in aliud corpus iteratæ. Helias autem non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est; nec corpori restituendus, de quo non est exemptus; sed mundo reddendus, de quo est translatus; non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ: idem et ipse, et sui nominis, et sui hominis.* (5) Idcirco dum Judæi Joannem nuncupant Heliam, Pythagoræ non favent opinioni, sed ita fantur Scripturæ veritate edocti: *Nunquid ergo et Judæi ex opinione Pythagorica consulebant Joannem: Tu es Helias? et non ex prædicatione divina: Et ecce mittam vobis Heliam Thesbiten.* (6) At quomodo Joannes Helias dicitur? Hanc quæstionem proponit, et ex voce Angeli belle resolvit Tertullianus. *Sed quomodo Helias Joannes? Habes Angeli vocem. Et ipse, inquit, præcedit coram populo in virtute et spiritu Helicæ, non in anima ejus, nec in carne.* Quisnam autem fuit Helicæ spiritus? Spiritus ardoris; ut denotatum fuit ejus patri, qui in somnis vidit Heliam adhuc infantem funibus ignitis ligatum, et igne non

(1) Chrysol. Serm. 162. — (2) Chrysol. Ibid. — (3) Chrysol. Serm. 90. — (4) Chrysol. Serm. 88. — (5) Chrysol. Ibid.

(1) D. Bern. — (2) D. Bern. — (3) Tert. L. de An. 55. — (4) Tert. Ibid. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. Ibid. —

lacte nutritum, quia venit Helias tanquam ignis, quia scilicet igne charitatis accensus, Deum ardentem diligebat, austeram et pœnitentem vitam ducebat, et delinquentes etiam reges zeli ardore increpabat. Joannes venit in spiritu Helie, ex quo intellexerunt quod Helie spiritus in eum sit repræsentatus (1): quia igne charitatis æstuans, ardebat erga Deum intimo fervore charitatis; erga seipsum fervore rigida austeritatis, et ut fatur D. Bern. *ardens erat erga peccantes proximos constantia libera increpationis.* (2) Cujus tria exempla prodit Bern. Primum, quo redarguit Judæos: « De quando mentis fervore procedere putas scintillas istas; imo carbonem desolatorios, genimina viperarum? » Secundum, quo increpat Scribas, Pharizæos, Judæorum Doctores, Sacerdotes, et Primates. « Sic neque Pharizæis parcens: Nolite dicere, quia patrem habemus Abraham. » Tertium, « quo Herodem regem cum uxore fratris sui lascivientem » aggreditur. « Sed minus hoc videatur, si vel ipsum veretur potentis vultum, et non tota libertate spiritus, arguit peccantem regem crudelem atque superbum: sacra quadam vehementia ad hoc ipsum prodiens de deserto » Joannis zelus urget potissimum prædicatores, ut in suis concionibus peccatores scandalosos libere redarguant. Quos Præcursoris exemplo hortatur Bernardus: « Ferveat etiam in nobis zelus iste, charissimi, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet, peccata dissimulet. Nemo dicat: Nunquid fratris mei custos sum ego? Nemo quod in se est æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam: est enim consentire, cum arguere possis, et scinus quia similis pœna facientes maneat et consentientes. » Hæc longiuscule dicta ad commendandam Joannis charitatem, modo ejus humilitas consideranda est.

3. Christus minor Joanne habebatur, omnibus scilicet in solitudinem concurrentibus ad Joannem potius quam ad Christum. (3) Quem multi Messiam et Christum existimaverunt. In hac sententia videntur fuisse Pontifices et Magistratus Judæorum, mittentes ad Jerosolymis Sacerdotes et Levitas, ut interrogarent eum: Tu quis es? (4) Translato a Juda ad idumæum Herodem sceptrum, completis etiam septuaginta hebdomadibus Danielis, scientes Judæi tempus adventus Messie imminere, mittunt legatos ad Joannem ut quærant ab eo quisnam esset. *Tam magnus visus est Joannes ut a nonnullis etiam Chris-*

tus putaretur: nec in superbiam elatus alienum secutus est errorem. (1) Censet D. Chrysostomus Sacerdotes et Levitas ex invidia et odio Jesu, Joannem interrogasse. Ut enim ostenderent Jesum non esse Messiam, titulum Messie ad Joannem transferre conati sunt: illorum tamen voluntati non acquiescens Joannes se Messiam esse negat. « Nihil est humilior isto præcone, fratres mei, nullum tantum meritum Joannes habuit quam de ista ipsa humilitate quod cum posset fallere homines, et putari Christus, et haberi pro Christo, tantæ enim gratiæ, tantæque excellentiæ fuit, confessus est tamen aperte et dixit: Non sum ego Christus. » (2)

Quam vere dixit D. Augustinus! *Facile est laudem non cupere cum negatur, difficile ea non delectari cum offertur.* (3) Tanta fuit tamen Joannis virtus ut oblatam sibi a Pontificibus Messie dignitatem noluerit acceptare. Magna sane Præcursoris humilitas, recusasse dignitatem solemniter sibi oblatam. « Joannes Baptista dans gloriam magistro suo, cum Christus putaretur, et ex eo superbire posset et se extendere, non enim ipse se dixerat Christum, sed poterat accipere hominum errorem hoc putantium, ultro istum honorem deferre volentium: sed respuit falsum honorem, ut inveniret veram gratiam. » (4) Magna equidem fuit Joannis humilitas, respuisse oblatum sibi honorem, sed major adhuc, Christo sibi oblatum deferens honorem: « Quod enim est majus testimonium veritatis quam se humiliando eum cognoscere cui æmulando poterat invidere? putari Christus potuit et noluit: dixerunt homines, cum fallerentur in eo: Num forte hic est Christus? Respondit ille quod non erat, ut maneret quod erat. » (5) Tandem maxima Joannis apparet humilitas, sese indignum judicantis solvere corrigiam calceamenti Redemptoris: sic enim supremam testabatur Christi majestatem. « Cum enim maximus inter natos mulierum, natum Virginis testabatur tam longe magnitudinem suam vincere, ut indignum se confiteretur ejus calceamenta portare: quid aliud dabatur intelligi, nisi quia ille erat magnus Dominus ejus magnitudinis non est finis? » (6) Omnis Christi caro unita est hypostatice Verbo divino, et per hanc unionem supra cunctas creaturas longe sublimata: ita dominica planta, Joannis superat magnitudinem, etsi inter natos mulierum illo non surrexerit major, quia tamen vel ex inscitia hominum, vel ex Judæorum malitia

(1) Tert. l. 4. adv. Marc. 18. — (2) D. Bernar. — (3) Tert. l. 4. adv. Marc. 18. — (4) Joan. 1.

(1) D. Aug. L. 50. Hom. Hom. 44. — (2) D. Aug. Tract. 4. in Joan. — (3) Ep. 64. — (4) D. Aug. — (5) D. Aug. Scrm. 3. de Sanctis. — (6) Guer. Scrm. 3. de S. Joan.

dominica non agnosebatur sublimitas, Joannes sub pedibus ejus dejicitur, ut Christi notam faciat magnitudinem. « Breviter commendando charitati vestræ magnum sacramentum: quoniam multi futuri erant, qui putarent Christum non esse hominem: imo magnus homo quo major in hominibus non fuit, perhibuit ei testimonium subditus, inclinatus, humiliatus » (1), et ad pedes usque provolutus. Ecclesia est corpus mysticum ex Christianis compositum; Christus est caput, Christiani sunt membra. Ut autem corporis naturalis membra eandem non habent dignitatem, ita membra corporis mystici non sunt ejusdem perfectionis, et quemadmodum pedes in corpore naturali infimum tenent locum, non absimiliter in corpore mystico: quapropter Joannes dicens: *Qui post me venit ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, in infimo se collocat loco.* (2)

D. Bernardus tres humilitatis distinguit gradus: primus est *subdere se majori*; secundus, *subdere se æquali*; tertius, *subdere se minori*. (3) Primus humilitatis gradus magnam non denotat perfectionem, quia inferior subdere se superiori tenetur, obligatio autem minuit meritum. Secundus humilitatis gradus majorem importat perfectionem; nam cum minuatur obligatio, augetur meritum. Tertius humilitatis gradus omnium excellentissimus, maximam insinuat perfectionem: subdicere namque majorem minori, absque ulla obligatione, est supremus humilitatis terminus ultra quem hæc virtus nequit attingere. Illos tres humilitatis gradus denotatos video per trinum « Domine, non sum dignus », in Scriptura relatam. Primum protulit Centurio, sic Christo loquens: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Christum etenim superiorem agnoscit, cui se velut inferiorem subjicit; secundum propalavit Paulus dicens: *Non sum dignus vocari Apostolus.* Æque erat Apostolus ac cæteri, et tamen æqualibus se postponit. Tertium Joannes ad praxim redegit; qui dicens: *Non sum dignus ejus corrigiam calceamenti solvere, se dejicit infra minorem qui ad corpus Christi mysticum pertinet.*

Tanta Joannis humilitas ad humilitatem nos allicit. ut enim ratiocinatur D. Chrysostomus, « solvere calceamenta vilissimi servi officium est: quod si Joannes indignus qui corrigiam solveret: Joannes, inquam, quo major inter natos mulierum non surrexit, quo nos loco ponemus? Si is qui terrarum orbi æquipa-

ratur, imo qui major est, ne inter ultimos quidem ministros connumerari se dignum dicit: quid nos qui tanto Joanne sumus inferiores, quanto terra minor est cælo? » (1) At Joannes tantus se dejicit et nos pusilli erigimur: Joannes *se agnovit, ut ad pedes Domini, et ad corrigiam calceamenti servus humiliaretur, ne vento superbiæ lucerna extingueretur* (2): et nos nostri notitiam non habentes, sed superbia inflati, nolumus nos subdere, ne dicam inferioribus, æqualibus, sed neque superioribus? Joannes quanto major, tanto humilior; quo humilior eo Christi efficitur discipulus. *Vide Joannem confitentem se Christi discipulum: vide illum inter discipulos, et tanto certiore, quanto humiliorem; tanto humiliorem, quanto majorem.*

(3) Nos econtra quanto sumus minores, tanto sumus superbiores: et nostra superbia Christi nos negamus discipulos, qui humilitatem docuit, et semper in humilitate fuit. Joannes cunctas virtutes suas humilitate cumulavit. « Hæc utique illa magnitudo Joannis fuit, qua inter magnos tam magnus excrevit, qua videlicet virtutes suas magnas et innumeras, quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtute, humilitate cumulavit. » (4) Et nos superbia qua tumemus, vitia nostra cumulamus? Tandem Joannes humilitate fuit sublimatus, et nos superbia dejicimur.

Humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur (5); ut patet in Lucifero et Joanne. Lucifer neque semetipsum, neque Dei Filium agnoscere voluit; Joannes vero et semetipsum et Christum agnovit: Lucifer Dei Filium adorare nolens, a sublimi gratiæ statu decidit; Joannes ad Christi pedes sese provolvens, supra Christi caput manum attollere meruit: nam, ut fatur Chrysostomus, *Christus etenim manum quæ se indignam calceamenti esse dicebat, a pedum obsequio ad caput suum sublevavit, dum tremendum caput baptismi aquis perfudit.* (6) Lucifer superbia inflatus velut fulgor a cælo ad tartara descendit: Joannes humilitate prostratus, in cælum ad replendam Luciferi sedem ascendit. Ut enim ait illustris Sorbonæ Cancellarius, *videtur Baptista primus post Mariam positus in ordine Seraphinorum loco Luciferi* (7), ut omnium humillimus assequeretur sedem, quam omnium superbissimus amisit.

Inde Christianos hortatur D. Chrysostomus: *Amplectamur itaque humilitatem, si*

(1) D. August. L. 50. Hom. Hom. 44. — (2) Joan. 1. — (3) Sermon. 4. de Epiphân.

(1) Hom. 11. in c. 1. Joan. — (2) D. Aug. L. 50. Hom. Hom. 44. — (3) D. Aug. Sermon. 25. de Sanctis. — (4) Guerr. Sermon. 5. de S. Joan. — (5) Tert. Apol. 20. — (6) Hom. 5. in Matth. — (7) Tract. 4. in Cant. Deipar.

sublimes fieri desideramus (1) : sola humilitas ad sublimitatem evehit. Helias popularem aversatus auram, in cælum curru igneo evectus est : ex D. autem Chrysostomo hic currus non est alius quam humilitas : *Sedebis in curru humilitatis qui te in cælum sustollet, qui equos habet alatos.* (2) Joannes se solvere corrigiam calceamenti Christi reputat indignum, et munus quam calceamento dicit indignam, super caput suum Christus attraxit. (3) Et qui, ut fatur Job, *qui humiliatus fuerit, erit in gloria*; Christus postquam Joannem cunctis hominibus prætulit, post Mariam, supra cunctos in gloria sublimavit. *Cui nullum præposuit in præconio Christus, an ullum ei prælaturus est in præmio?* (4) Celsitudinis origo vera humilitas est; quantitas sublimitatis quantitate humilitatis mensuratur : *Mensura humilitatis, in mensuram ipsius magnitudinis data est.* (5) Æterna lege sancitum est ut omnis qui se humiliat exaltetur, et qui se exultat humilietur. Christiane, *magnus esse vis? a minimo incipe; cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.* (6) Imitare Joannem, qui sua humilitate fuit sublimatus; humilitate diem ejus natalem rite celebrabis. Magnum agnoscit D. August. discrimen inter Joannis et Christi nativitatem : « Ut humiliaretur homo, hodie natus est Joannes, quo incipiunt decrescere dies; ut exaltetur Deus, eo die natus est Christus, quo incipiunt crescere dies. Ideo celebramus natalem Joannis, sicut et Christi, quia ipsa nativitas plena est mysterio. Quo mysterio nisi humilitatis nostræ, sicut nativitas Christi plena est mysterio altitudinis nostræ? Ergo in nobis humiliemur, ut in illo exaltemur: » (7) ad instar Joannis, qui fuit exaltatus, tum magnitudine virtutum quibus splenduit, tum magnitudine ministerii, ad quod assumptus fuit.

III. PARS. *Sed omnia Joannis Christo præstruebantur.* (8) Belle ait Tertullianus, quæ ideo præmittuntur ut venienti Christo deserviant : siquidem Joannes *per omnia plane advenienti Christo, tramitem vitæ suæ composuit et direxit.* (9) Ut autem aliorum fatur D. Augustinus, *præmissus est Joannes ante Christum, velut vox ante verbum, præco ante sponsum, servus ante Dominum.* (10) 1. Vox autem, ut verbum declaret; 2. Præco, ut illum magnum demonstret; 3. Servus, ut Dominum baptizet.

(1) Hom. 66. in Matth. — (2) Hom. 70. in 1. Cor. — (3) Chrysol. 22. — (4) D. Hilar. Arclat. Hom. 6. de S. Joan. — (5) D. Aug. de S. Virginit. Cap. 3. — (6) D. Aug. Serm. 10. de Verb. Dom. — (7) Serm. 22. de Sanct. — (8) Tert. L. de Orat. 1. — (9) D. Aug. Serm. 7. de Decollat. Joan. — (10) Serm. 21. de Sanctis.

1. *Unde autem et Joannes venit in medium, (1) et tanquam vox verbum præcessit?* (2) Scilicet ut verbum declaret : quod innuere videtur Evangelista. Nam postquam de æterno Verbo disseruit, statim de Baptista loquitur. De trina nativitate fatur dilectus discipulus in Evangelii sui exordio : 1. De nativitate Verbi ab æterno Patre per memoriam secundam generati : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum » 2. De nativitate Joannis : « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. » 3. De temporali Christi nativitate : « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » In relatione tamen triæ illius nativitatis debitum ordinem non videtur servasse Evangelista. Primus quidem locus debebatur æternæ Verbi generationi, quam merito aliis duabus anteponit : at temporalis Christi nativitas secundum sibi locum vindicare videtur, etenim cum digniora sint præferenda, et Christi nativitas sit multo dignior et excellentior Joannis nativitate, rationi consentaneum erat ut secundum obtineret locum; et immediate post æternam generationem poneretur : huic tamen Joannis præponitur nativitas, et antequam Evangelista de Christi adventu ejusque nativitate loquatur, de Joanne ejusque missione agit. Nec mirum, quia Joannes est vox Verbi. Quemadmodum autem verbum mentis in intellectu loquentis præcedit vocem, vox vero audientis aurem ingreditur antequam ejus mens rem per vocem significatam percipiat, sic Verbum divinum in mente Patris præcedit Joannem, qui est ejus vox; Joannes vero vox Verbi auditur ab hominibus, priusquam Verbum humanatum percipiant. *Sicut sermo, vocis quodammodo ministerio ac vehiculo, ad audientem a loquente transmittitur, ita Joannes Christum sonans, Verbi erat minister et portitor.* (3)

Mirabilis sane inter Verbum ejusque vocem reperitur connexio, 1. « Verbum caro factum est » (4), ait dilectus Discipulus; at ex Luca, « Factum est Verbum Domini super Joannem. » (5) Ut autem animadvertit Rupertus : « Quod aliud verbum Domini factum fuerat, ut Lucas meminit, super Joannem Zachariæ filium in deserto : » (6) nisi ipsum quod caro factum fuerat ex Mariæ Virginis utero? Non quod rursus in Joanne humanatum sit, sed quia Joannes singulariter a Verbo electus est, ut Verbum carnem factum ostenderet, et Judæis manifestaret. 2. Verbum in incarnatione humanitatem assumpsit,

Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (2) D. Aug. Serm. 20. de S. Joan. — (3) D. Aug. Serm. 22. de Sanct. (4) Joan. 1. — (5) Luc. 3. — (6) L. 2. de Glorific. Filii.

et æternus Pater *beatum Joannem quasi vocem per quam ad nos Verbum suum proferret, assumpsit.* (1) Eodem verbo quo theologi hypostaticam expendunt unionem, unitur D. Augustinus ad denotandum illustre Joannis ministerium. 3. Divinum Verbum fuit a Patre missum ad humanam operandam salutem; Joannes quoque fuit missus a Deo, ad præparandam viam hominum Redemptori. *Magna, quantum advertit sanctitas vestra, apparere et eminere causa cœpit, qua fuit Christus a Patre mittendus, et Joannes a Patre præmittendus.* (2) 4. In Verbi humanatione plura concurrunt miracula: plura etiam prodigia in Joannis conceptione reperiuntur, *Joannes et Christus ambo mirabiliter nati, vox et Verbum, servus et Dominus, de sterili servus, de Virgine Dominus.* (3) 5. Verbum divinum est unicum idque perfectum, quia omnem continet veritatem; humana verba sunt imperfecta, ideo multiplicantur, ut numerus suppleat creatæ cognitionis defectum: at Verbum divinum cum sit infinitum omniaque contineat, unicum est: *Tanquam seipsum dicens Pater, genuit Verbum sibi æquale per omnia: non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso: ideo quidquid in ea scientia de qua genitus est, et in ipso est.* (4) Joannes autem Verbum quod omne est, sua voce declarat: unde postquam Evangelista de Verbo præmisit, per quod omnia facta sunt, quasi omne nuncupasset Verbum; illico subdit de Baptista: Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine: *Quoniam Joannes venit testimonii causa, hoc intelligendum est, Joannem vocem esse solem, quæ pro dignitate Verbum quod nuntiatur, capere posset.* (5) 6. Dei Filius non electione seu arbitrio, sed proprietate naturæ Verbum est, et ideo quidquid est, Verbum est: Joannes est vox Verbi, non pro libero impulsu linguæ, non pro verberati aeris sonitu, sed, ut fatur Andreas Cretensis, *ut quæ vere sit vox Verbi quod est secundum naturam.* (6) Vox Verbi quod est secundum naturam, propemodum secundum naturam debet esse, non volubili labiorum et linguæ motu formata, non contingenti aeris percussione resonans, non illico ac ex ore exierit in vento peritura, sed stabilis, naturalis, ut solum vox sit, et tamen in rationali natura subsistat, quasi vocis natura in Joannis transierit naturam. *Quemadmodum is qui*

proprie est Dei Filius, quoniam non aliud est quam Verbum, verbo utitur: sic Joannes Verbi illius minister, quoniam non differt a voce, quæ Verbum declarat, ea utitur. (1) Joannes est verus homo humana constans natura, præter vocis officium, quia tamen venit ut Verbi vocis fungeretur officio, nihil a voce differre videtur, quasi in Joanne humana natura sit in vocis ministerium conversa. Quare quis sit interrogatus, suam non prodit prosapiam, substantiam, essentiam, « Non dixit: Ego sum homo, vel Joannes, vel filius Zachariæ. Non considerat humanam substantiam, vel generationem; sed ultra hæc omnia exaltatus, deserit omnia, quæ intra mundum continentur. Ascendit in altum factus vox Verbi. Nullam in se substantiam fatetur præter abundantiam gratiæ, quæ excedit omnem creaturam, ut sit vox Verbi. Vox est interpretis animi, animus autem, id est, intellectus omnium, est Filius Dei. » (2) Quid augustius potest dici de Joanne? scilicet quod tota ejus natura in voce sita sit. Quo sensu dicit Chrysologus de Joannis agens nativitate: *Vox nascitur, vox generatur. O quanto silentio vox nascitur! o quanta taciturnitate tuba seculi inclamatura generatur!* (3) Silentio vox nascitur, quia a Zacharia muto generatur Joannes: *Magnum hoc est præconium Joannis, quia est vox. Non dicitur vocalis, sive vocem habens, sed vox. Et utique alterius vox est. Cujus ergo Joannes est vox? Utique clamantis.* (4) Si ulterius inquiramus cujus clamantis, respondet Haimo: *Clamantis Christi, quia Christus loquebatur per os Joannis.* (5)

Vox internum animi declarat sermonem, estque cogitationis intellectus interpret, et ut fatur D. Augustinus, *vox index est cogitationis; verbum vero ipsa cogitatio.* (6) Divinum Verbum est notitia a Patre genita, Joannes vero est *vox quasi quoddam vehiculum Verbi* (7); Joannes autem est *sententiosa vox.* (8) Vox quidem declarativa, quia per illam Verbum innotescit. *Vox adhortatoria adhortans ad hæreditatem cælorum* (9) per pœnitentiæ baptismum et gratiæ susceptionem. *Vox præparativa auditus hominum cordis tollens obdurationem, et ad Christi fidem inducens. Tandem vox demonstrativa, Agnum etiam digito designans.*

2. *Sic Joannes ante Præcursor Domini fuit, præparans vias ejus.* (10) Joannes, Messias Præcursor, vias ejus sua prædicatione

(1) D. Aug. Serm. 20. de Sanct. — (2) D. Aug. Serm. 23. de Sanct. — (3) D. Aug. L. 50. Hom. Hom. 44. — (4) D. Aug. L. 15. de Trin. 14. — (5) Orig. in c. 1. Joan. — (6) Orat. de Decollat. Joan.

(1) Orig. in c. 1. Joan. — (2) Gloss. in cap. Joan. — (3) Serm. 42. — (4) Rupert. in cap. 2. Matth. — (5) In cap. 1. Joan. — (6) Serm. 20 de Sanct. — (7) D. Aug. Serm. 21. S. Joan. — (8) Clem. Alexand. Adhort. ad Gent. — (9) Epiph. Hæc. 69. — (10) Tert. L. de Bapt. 6.

præparavit, et quasi parum sit Verbum a voce fuisse declaratum, Messiam a cœlesti illo præcone annuntiatum, Christum Joannis encomio commendatum: *idem et Agnus Dei ab Joanne designatur.* (1) In quo multum ab aliis Prophetis discriminatur. 1. Alii Prophetæ nati sunt ut postea prophetarent: at Joannes autem nativitate prophetat, exultans in utero matris. « Recordemur Prophetas, recolamus Patriarchas, nati sunt homines; retatis accessu pleni Spiritu Sancto, Christum prophetarunt: nati sunt ut postea prophetarent: Joannis autem Dominum Christum ipsa nativitas prophetavit, quem conceptum ex utero salutavit. » (2) 2. Alii Prophetæ Messiam duntaxat obscure, ænigmatice, et figuris veteris Testamenti adumbratum cognoverunt: at Joannes Dei *consecratis* (3) Christi perfectam habuit notitiam: et ut fatur Antipater Bostrensis antistes, « saliens in ventre ea dicebat, quæ Moysi cum consenuisset Deus significavit. » (4) 3. Prophetæ Messiam venturum annuntiant; at Joannes Christum præsentem digito ostendit: quare Propheta et plusquam Propheta merito declaratur. (5) Tum ob perfectiorem Christi agnitionem, « quis enim ex Prophetis ex utero matris, narravit mysterium? » (6) Tum quia non dicebat: Veniet Christus, et non tardabit, sed eum jam venisse affirmabat. *Qui non tantum vias ejus parabat in eremo, sed et Agnum Dei demonstrando, illuminabat mentes hominum præconio suo, ut eum esse intelligerent Agnum, quem Moyses passurum nuntiabat.* (7) Tum quia Christum, non solum verbo, sed etiam digito demonstravit: « Joannes Propheta et plusquam Propheta, qui venientem ad baptismum Dominum ostendit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: » (8) Tum quia Christum baptizare meruit. « Merito inter cæteros Prophetas major appellatur Joannes, qui non solum Christum prophetavit et manifestavit, sed etiam baptizavit: » (9) quo nihil augustius de Joanne potest prædicari.

3. Completum non fuisset Joannis elogium, *si non etiam Christum inter cæteros tinxisset:* (10) at in baptismo Salvatoris, Joannis consummatur encomium. Sublimem illam Baptistæ gloriam admirans D. Augustinus præ stupore ait: *Baptizat ergo Joannes Christum, servus Dominum, creatura Creatorem;*

(1) Tert. L. adv. Prax. 21. — (2) D. August. Serm. 23. de Sanctis. — (3) Rupert. L. 1. in Joan. — (4) Orat. de Bapt. — (5) D. Bern. — (6) Antip. — (7) Tert. L. adv. Jud. 9. — (8) Greg. Mag. Hom. 6. in Evang. — (9) D. Aug. Serm. 1. de S. Joan. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 11.

(1) et ob tantum ac tale ministerium plusquam Prophetam et Marianæ quodammodo dignitatis consortem, illum prædicat Tertullianus: *Plus præferens quam Prophetam, scilicet eum qui non tantum prædicaverit, aut demonstraverit coram, verum etiam baptizaverit Christum. Quis enim corpus Domini dignius initiaret quam ejusmodi caro, qualis et concepit illud, et peperit?* (2) Caro quæ Christum concepit et peperit, fuit caro virgo: ut autem Joannes, baptistæ Christi fungeretur officio, carnem beatissimæ Virginis carni in puritate persimilem, habere debuit: Quid dignius de Joanne potest dici? Quare non immerito inter cætera Joannis elogia maximum recenset Tertullianus, dignum fuisse qui Christum tangeret et baptizaret. Licet enim Christus sub manu baptizantis, baptizante major semper exstiterit, Joannes tamen super caput Domini manum elevans, lustralemque fundens aquam, toto vertice superior eminebat.

At cur Christus sanctissimus, ab omni peccati labe immunis Joannis baptismum suscipere voluit? Hujus plures accipe rationes: 1. Ut Joannis auctoraret disciplinam: *Nec Joannis rejecit disciplinam, sed magis concessit, tempori Joannis eam præstans, ut tempori suo eam destinans.* (3) 2. Ut doceret pœnitentiam adultis necessariam ante baptismum. *Præire intinctionem pœnitentiæ jussit, ut quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per pœnitentiæ subsignationem ante componeret.* (4) Intinctionem pœnitentiæ, vocat pœnitentiæ baptismum, deinde pœnitentiæ subsignatam dicit, qua quis se apud Deum proposito vitæ sanctioris obligavit, adhibito intinctionis seu baptismi sacramento, tanquam signaculo; per baptismum autem homines componit, id est, de inimicis amicos efficit. 3. Quia baptismi sacramentum per Joannis baptismum adumbrabatur. Idcirco Joannes profitemur *in sola se pœnitentiâ tinguere, venturum mox qui tingeret in Spiritu et igni.* (5) 4. Quia baptismus pœnitentiæ Joannis qui remittebat solum peccata ex opere operantis, denotabat efficaciam sacramenti Baptismi, et sacramenti pœnitentiæ quod etiam ex opere operato remittit peccata et largitur gratiam: *Joannes Domino præministrans, pœnitentiâ destinabat purgandis mentibus propositam: uti quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentiâ verrens et radens, et foras*

(1) Serm. 25. de Sanctis. — (2) L. de Mon. 8. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (4) Tert. L. de Pen. 2. — (5) Tert. L. de Bapt. 10.

abjiciens, mundam pectoris domum super-venturo Spiritui Sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat. (1) 5. Ad denotandum legis mosaicæ finem; cujus umbræ, prophetiæ et figuræ omnes in Christo adimpletæ sunt. *Et merito Evangelista: Lex et Prophetæ usque ad Joannem baptizatorem. Baptizato autem Christo, id est, sanctificante aquas in suo baptizate, omnis plenitudo spiritualium retro charismatum in Christo cesserunt, signante visiones et prophetias omnes, quas adventu suo adimplevit.* (2) 6. Quia Joanne Christo baptismum administrante, Christo baptizata de manu Joannis suscipiente; tunc omnis justitia adimpleta est. Quod quomodo factum sit declarat D. Ambrosius: « Scimus quod Joannes Baptista typum legis gerebat: justum ergo erat ut ipse baptizaret Dominum; scilicet ut quem admodum secundum carnem de Judæis Salvator est genitus, ita et secundum Spiritum de lege Evangelium nasceretur: ut unde successionem ducebat originis, exinde et traditionem consecrationis acciperet. Hoc est igitur quod ait: « Sic enim decet nos implere omnem justitiam. » (3) Quasi Evangelium sit vetustæ legis generosa soboles, de qua nascens secundum Spiritum, ejus auctoritate consecratur; idcirco Joannes in typo legis Christum baptizans denotat spirituales Evangelii nativitatem, legisque evangelicæ consecrationem. Christus trigesimum ætatis suæ annum agere incipiens, ad Joannem ut lavacro baptismatis tingeretur, se contulit: eodemque tempore Evangelii inchoavit prædicationem: *Ideo et a Joanne baptizari voluit, quia in hominibus verbum consecratur voce doctoris.* (4) Bina habetur a Joanne consecratio: una legis evangelicæ quæ per legem mosaicam in Joanne figuratam consecratur; altera prædicationis dominicæ, quæ voce Doctoris consecratur: quasi Joannes sit Christi Doctor. *Totus adstupeo baptizanti, hominemque Dei Magistrum revereor, dignitatem admiror, veneror dignationem.* (5) Verat Christus ullum hominem in terris vocari magistrum (6), eo quod unus sit magister in cœlis. Apostoli quoque non magistri, nedum discipuli, sed discipuli duntaxat a Tertuliano nuncupantur (7); et Petrus Damianus Joannem Dei magistrum vocitare non veretur. Tale elogium paradoxo persimile produxit Cardinalis; vel quia ad baptizantis suspexit munus: qui baptizat magister fit baptizati,

et dum sacra abluit unda et chrismate linit, doctrinæ christianæ infundit illi elementa. Christus, qui est ipsamet Dei sapientia, nequivit erudiri a Joanne, sed a Joanne baptismata suscipiens, discipulis effigiem portavit. Vel ideo Dei magistrum Joannem appellavit Damianus, quoniam Deitatis Christi docuit sacramentum, quæ in ejus baptismo maxime eluxit; disrupti namque cœli, nubes delapsa, tonans Pater, apparens Spiritus Sanctus sub columbæ specie, Christi testantur divinitatem: quam adhuc Joannes verbo, exemplo et digito demonstravit. Post hæc quis de Joannis magnitudine audeat dubitare?

Joannes fuit magnus in aliorum existimatione, virtutis perfectione, et officii administratione. Existimatio nostrum efflagitat honorem, perfectio imitationem, ministerium admirationem. Honorandus semper est Joannes, sed præsertim die qua Ecclesia ejus celebrat nativitatem. *Celebremus ergo hunc diem, non profanis ritibus Paganorum, sed tranquilla devotione fidelium.* (1) Imitandus est Joannes, et uti ipse fervens fuit, *gaudeamus in fervore ejus ad imitationem.* (2) Multa in eo imitanda sunt, potissimum charitas et humilitas; ardeamus charitate Dei et proximi, dejiciamus nos ante magnitudinem Dei. « Illum oportet crescere, me autem minui: ille enim crevit in ligno, hic autem diminutus est in ferro. Locutæ sunt hic passiones, hic etiam mysterium loquuntur et dies. Nascitur Christus et dies augetur; nascitur Joannes et dies minuitur. Minuatur ergo honor hominis, ut augeatur honor Dei, ut honor hominis inveniatur in honore Dei. » (3) Tandem admirandus est Joannes in ministerio: etenim et Christum baptizavit, et Redemptorem digito demonstravit, et divinum verbum declaravit, et pœnitentiam prædicavit. *Non tacet Joannes: Pœnitentiam innotate, dicens: Jam enim salus nationibus appropinquabit, Dominus scilicet afferens, secundum Dei promissum* (4), novas tabulas, novum fœdus, novum Testamentum; Evangelium quod Christus et legis observatione, et verbi Dei prædicatione consecravit. Præbeamus auditum, non solum clamori vocis Verbi, sed clamori ipsiusmet Verbi, quod in Evangelio hortatur nos ad pœnitentiam, ad legis observationem, ad virtutem, ad salutem, quam mereri valebimus Joannis intercessionibus, et gratia Christi.

(1) Tert. L. de Bapt. 10. — (2) Tert. L. adv. Jud. 8. — (3) 41. Serm. — (4) D. Ambr. L. 2. in Luc. — (5) Petr. Dam. — (6) Matth. 23. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 20.

(1) D. Aug. Serm. 20. de S. Joan. — (2) D. Bern. — (3) D. Aug. S. 16. de Nat. Joan. — (4) Tert. L. de Pern. 2.

CONCIO TERTIA.

ROME *Paulus Joannis exitu coronatur.* (1) Inter Pauli et Joannis mortem trinam invenio similitudinem. Primo uterque vere martyr fuit. *Tunc Paulus civitatis Romæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii reascitur generositate.* (2) Joannes quoque tyranni sævitia mortem sustinuit, *et ideo sanctus, ideo martyr* (3), ait D. Augustinus. Secundo, uterque idem martyrii genus sustinuit; uti enim Paulus fuit Romæ decollatus, ita Joannes fuit Hierosolymis capite truncatus, ideo *Ecclesia Christi non ambigit, quod martyr sit Joannes, quia decollatus est.* (4) Tertio, quia uterque pro eadem causa passus est. *Non enim facit martyrem pœna, sed causa.* (5) Paulus decollatus est eo quod divinam defensaret auctoritatem, dominicam propugnaret veritatem, et christianam tueretur castitatem. Eadem de causa martyrium passus est Joannes, faitque martyr Patris, Filii et Spiritus Sancti. Auctoritas tribuitur Patri, quia est impro ductus, et divinarum processionum origo; veritas appropriatur Filio, quia est perfectio intellectus; intellectus autem est in Patre principium Filii; castitas Spiritui Sancto accommodatur, eo quod ejus processio nullam sapiat corruptionis umbram. Joannes autem subiit mortem defendendo Dei auctoritatem, veritatem et castitatem; quapropter est, 1. Martyr Patris, ejus propugnavit auctoritatem; 2. Martyr Filii, ejus defensavit veritatem; 3. Martyr Spiritus Sancti, ejus tuitus est castitatem.

I. PARS. 1. *Dicendo Patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista potestatis est.* (6) Deus autem potestatem et auctoritatem suam potissimum ostendit dando homini legem: quapropter ad legis observationem nihil validius existimat Tertullianus quam considerationem divinæ potestatis et auctoritatis. *Ad exhibitionem obsequii, prior est majestas divinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis.* (7) Divina majestas est a cunctis mortalibus recognoscenda, ejusque lex observanda: neque ullus est homo cujusvis sit conditionis, qui licite divinum valeat violare mandatum. Ut enim profunde ratiocinatur Tertullianus, *nusquam et nunquam excusatur quod Deus damnat. Nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non*

licet. (1) Divina mandata alia sunt affirmativa, quibus Deus bonum præcipit; alia negativa, quibus Deus malum prohibet. Illa obligant semper, sed non pro semper: homo obligatur quidem ad cultum Dei aliquo tempore, sed non omni tempore et quovis momento tenetur elicere actus adorationis et amoris Dei. Hæc obligant semper et pro semper: nullum enim est momentum, in quo liceat facere malum quod Deus vetat. Quapropter Tertullianus loco supra memorato redarguit, tum peccatores mala a Deo prohibita perpetrantes, quia *nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non licet;* tum vitiorum fautores, præsertim non boni concionatores qui principum excusant vitia, quantumvis scandalosa, vel ex adulatione et fortunæ profectu, vel ex humano respectu, vel ex persecutionis metu. Multi profecto inveniuntur præcones qui redarguunt plebeios, adversus artifices clamitant, mercatores increpant, at perpauca sunt qui antistitum et regum scelera audeant redarguere: canes muti non valentes latrare, nec Joannis imitantes zelam: *Beatus Joannes plena et perfecta libertate, maluit injusta sustinere quam justa non dicere.* (2) Videns enim quod Herodes rex in legis contemptum, uxorem fratris sui libidinose assumpserat, divinam auctoritatem propugnare volens, libere et constanter etiam cum discrimine vitæ multis criminibus famosum redarguit Herodem. « At Herodes ipse est qui profanavit templum, sacerdotium sustulit, confudit ordinem, temeravit regnum, corripit quidquid erat religionis, quod vitæ, quod legis, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ, perdidit et confudit. Herodes sicarius in cives, in nobiles latro, populator in socios, in domesticos prædo, interemptor plebis, occisor filiorum, homicida in extraneos, in proprios parricida, inebrians cruore terram, in siti sanguinis permanebat. Hinc est quod Joannis sanguinem pium, ingenti piaculo crudelitatis absorbit. » (3)

Tot criminibus reum, tot modis legem divinam violantem, et ut prosequitur Chrysologus, « Herodem Joannes monitis, non accusatione pulsabat: corrigere voluit, non perire; sed Herodes facibus libidinis ardens, perire maluit quam redire, et uxorem fratris illicite non possidere » contra Dei præceptum, legis obsequium. *Joannes enim retundens Herodem, quod adversus legem uxorem fratris sui defuncti duxisset, habentis filiam*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 56. — (2) Tert. Scorp. 15. — (3) In Ps. 140. — (4) D. Aug. Serm. 1. de Decollat. Joan. — (5) D. Aug. Ibid. — (6) Tert. L. de Orat. 2. — (7) Tert. L. de Pœn. 4.

(1) Tert. de L. Spect. 20. — (2) D. Aug. Serm. 2. de Nat. Joao. — (3) Chrysol. Serm. 127.

ex illa (non alias hoc permittente, immo et præcipiente lege, quam si frater illiberis decesserit, ut a fratre ipsius et ex costa ipsius supparetur semen illi), conjectus in carcerem fuerat, ab eodem Herode postmodum et occisus. (1)

« Captivis criminum, innocentiae inimicis, odiosa fit semper libertas, virtus contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis, corruptis integritas pœna, luxuriosis adversa frugalitas, crudelibus misericordia, pietas impiis, injustis justitia non ferenda. » (2) Quod Joannis exemplo comprobatur: quem Herodes crudeliter damnavit ad mortem eo quod diceret: Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui. « Ecce unde Joannes offendit, ecce unde Herodes furit: malos qui monet offendit, incurrit odium qui arguit criminosos. Dicebat Joannes quod erat legis, quod justitiæ, quod salutis: certe quod erat non odii, sed amoris: ecce qualem consecutus est ab impio pro pietate mercedem. » (3) Nam carcere fuit mancipatus, et injusto tandem supplicio mulctatus. *A primordio enim justitia vim patitur.* (4) Non modo justorum; verum et Prophetarum sanguis effusus est. *Multi passi sunt Prophetæ propter divinam religionem.* (5) Impii siquidem *alios lapidaverunt, alios fugaverunt, plures vero ad mortis necem tradiderunt.* (6) Quod ab enumeratione demonstrat Tertullianus. Nam *David exagitur, Helias fugatur, Jeremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare et ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans* (7): et plusquam Prophetæ Joannes decollatur, quod legis violatorem et divinæ auctoritatis contemptorem redargueret. Joannes in eremo versans, audita Herodis nefanda libidine, solitudinem deserens, ad regiam urbem properat, et ipsimet regi buccinat: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. (8) « Baptista, Prophetarum apex, legis perfectio, veteris simul ac novi Testamenti sequester, eremi civis, temperantiæ opifex, videns reginam libidinis administram, contra dignitatis et naturæ rationem debacchantem, confusos justitiæ terminos, naturam in theatrum iniquitatis versam; hæc, inquam, videns, quas olim voces in eremo jecerat, repetebat. » (9) Verum si attentius Evangelistæ legantur, nusquam in eremi concionibus reperietur mentio regiae libidinis a Joanne reprehensæ. In eremo Præcursoris agens officium Joannes, moribus, verbis, exemplis, digitis

totus erat in Christo prædicando, anuntians, demonstrando; in urbe duntaxat metropoli, et in ipso regis palatio prophetica licentia hanc vibrat vocem: Non licet tibi habere uxorem fratris tui; Basilius tamen serio asseverat quod Joannes in regis palatio *quas olim voces in eremo jecerat, repetebat.* Verum ommissa ratione qua hoc dixerit Basilius, hac ætate Joannes quas voces adversus Herodem jecerat, repetit: dixit enim prædconi: Non licet tibi alienum furari bonum; injusto judici: Non licet tibi venditare justitiam; potenti: Non licet tibi opprimere viduam et pupillum; adultero: Non licet tibi abuti uxore proximi tui; et cuivis sceleroso: Non licet tibi facere malum quod Deus sua lege prohibet. Sic loquitur Baptista decollatus defensans Patris auctoritatem, et Filii veritatem.

2. Æquissimum sane, ut *testimonium veritatis ubique occupet principatum* (1): maxime dum a teste veraci perhibetur. Inter omnes Sanctos qui testimonium præstarunt veritati, culmen profecto tenet Baptista, qui ad hoc specialiter missus est; et ut fatur Evangelista: Hic venit in testimonium. Animadvertendum est autem cum Cajetano quod Evangelista « describit quod ex intentione specialis officii venit ad testandum ad differentiam aliorum Sanctorum: qui quamvis vita, operibus, scriptura et verbo testimonium reddant divinæ luci, ut glorificetur Deus, non tamen specialiter missi sunt a Deo ut proprium eorum officium sit testari; sed ad hoc ut bene vivant et doceant, communi ratione electi sunt a Deo: Joannes autem ad hoc missus significatur a Deo, ut veniat testis. » (2) Quapropter Rupertus Joannis testimonium legitimum vocat, tum quia missus est ad testandum, tum quia perfecte functus est officio testis. (3)

Dei Filius proprio caractere est lux et veritas; et Joannes testimonium perhibuit de Filii lumine, de Filii veritate, et testimonium suum proprio confirmavit sanguine: Dei Filius procedit a Patre, *ut lumen de lumine.* (4) Joannes autem de lumine reddidit testimonium. Quod aperte denotat Evangelista: postquam enim asseveravit quod divinum Verbum erat lux vera, statim addit quod Joannes non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Duo hic animadvertenda sunt: unum, quod græca lectio habet: *Non erat ille lumen illud, sed ut testimonium perhiberet de lumine;* quod singulariter Verbo competit. Alterum, quod de Filio Dei ait Evangelista: Erat lux

(1) Tert. l. 4. adv. Marc. 34. — (2) Chrysol. Ser. 127. — (3) Chrysol. Ibid. — (4) Tert. Scorp. 8. — (5) Tert. l. adv. Jud. 13. — (6) Tert. Ibid. — (7) Tert. Scorp. 8. — (8) Matth. 19. — (9) Basil. Scenc. Orat. 18.

(1) Tert. l. de Præsc. Hæret. 55. — (2) Cajet. in c. 2. Joan. — (3) Prolog. in Joan. — (4) Tert. Apol. 21.

vera. Ut autem acute animadvertit Cajetanus, « non ideo addit vera, ut excluderet suspicionem falsitatis aut defectum aliquem, sed ad explicandum apertius, quod de summa luce intelligibili loquitur. Verum enim proprium est objectum intellectus; proindeque dictum est quod lux a Joanne testata, erat illa lux vera, ac si dictum fuisset quod erat summa lux, summe intelligibilis. »

Et quia Dei Filius est *veritas sempiterna* (1); Filii adhuc veritatem testatus est Joannes. Dei Filius se natum profitetur ad testandam veritatem: « Ad hoc natus sum, et veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati. » Ad eundem finem missus est Joannes a Filio: *Ascito secum teste alio idoneo, scilicet Joanne Baptista, ut sint testes duo.* (2) Etenim in ore duorum testium stabit omne verbum; et ob hoc testimonium quod Joannes reddidit de Filii veritate vocitatur a Ruperto *præcentor veritatis*. (3) Meditatur Rupertus veritatem velut harmonicum chorum in quo variæ resonant voces, ad melodiam concinne temperatæ. Quædam enim alte modulatæ sublimius personant, aliquæ infimum musicæ gradum tenent, aliæ medium servant tenorem. Non absimiliter veritatem quidam infima voce, nonnulli mediana, alii altiore decantant: at Joannes post Christum, superius sapit, tanquam *præcentor veritatis*.

Joannem Christus *testimonii sui militem* (4) merito valet nuncupare, *quod ad mortem pro veritate certavit; et ut etiam ad inferos Christum præcurreret, ante passionem Christi, martyr Christi fuit* (5), ejus defensans veritatem martyrium subiit. Legimus *Joannem passum martyrium pro veritate. Nunquid non pro Christo? Non pro Christo, si non est veritas Christus.* (6) Veritas ad Dei Filium peculiariter spectat; Christus autem est Dei Filius, inde pro Christo mortuum Joannem concludit D. August. *Audis quia Joannes martyrium tulit vera dicendo? et si verum consideras; pro Christo mortuus est, qui est veritas. Si Christus est veritas, pro Christo patitur quisquis pro veritate damnatur, et legitime coronatur.* (7) Multimode Christum testatus est Joannes, lætitia et exultatione quam adhuc in utero matris existens ostendit, voce et verbo quo eum Messiam prædicavit; digito quo mundi Redemptorem demonstravit: at tot testimonia de Christo lata martyrii signaculo conclusit. « Merito memoriam illius cum spirituali gaudio veneramus, qui dum testimonium Deo perhibuit,

martyrii signaculo conclusit. Neque enim dubitandum est quia beatus Joannes pro Redemptoris nostri quem præcurrebat testimonio, carcerem et vincula sustinuerit, et pro ipso animam posuerit, cui non est dictum a persecutore, ut Christum negaret, sed ut veritatem reticeret; et tamen pro Christo occubuit, quia Christus est veritas. Ideo utique pro Christo, quia pro veritate sanguinem fudit: et qui nascituro et baptizatur, prius nascendo, prædicando, baptizando, testimonium perhibebat, hunc etiam passurum prior ipse signavit. » (1) Joannes considerari potest in nativitate, vita et morte, et ubique est mirabilis. Admirabilis sane Joannis nativitas, tot miraculis decorata; admirabilis deinceps ejus vita, angelicam reverberans naturam; tandem mors ejus admirabilis quam pro defensione veritatis sustinuit. « In sancti et beatissimi Joannis laudibus, quid potissimum prædicem nescio. Utrum quod mirabiliter natus sit, an quod mirabiliter sit occisus: natus est enim in prophetia, in veritate peremptus est. Nascendo annuntiavit Salvatoris adventum, moriendo condemnavit Herodis incestum. Vir enim sanctus et justus, et qui præter communem hominum nativitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc ideo meruit ne communi morte cum cæteris de seculo discederet, sed corpus quod Deo donante susceperat, Deo consecrando deponeret. » (2) Joannes totus Christo consecratus vitam et mortem suam Christi consecravit honori: *Sed omnia Joannis, Christo præstruebantur, donec ipso aucto, sicut idem Joannes prænuntiabat, illum augeri oportere, se vero diminui.* (3) Diminutus est autem Joannes per martyrem quod pro Christi veritate constanter pertulit. « Unde discimus eum martyrem esse, quia offendit potentem mulierem. Quæ de re Aug. Dicendo verum, veritate odium meruit, et odium merendo ad passionem coronamque pervenit. » (4) Uti autem Joannes vera dicendo, aversatus est et supplicio damnatus, ita boni concionatores vera dicendo, si non hodierna die sustinent mortem, odium tamen incurrunt. « Hi sunt fructus sæculi: saltat luxuria et damnatur innocentia: sed ab hominibus malis, a Deo autem coronatur. » (5) Ab impio et incestuoso rege damnatus Joannes, a Deo coronatus fuit in martyrii remunerationem quod pertulit, defendendo Patris auctoritatem, Filii veritatem, et Spiritus Sancti castitatem.

3. *Non aliud fuit Helias quam Joannes.* (6)

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (2) Rupert. Prol. in Evang. Joan. — (3) In c. 1. Joan. — (4) Tert. L. de Res. 9. — (5) Guerr. Serm. 5. — (6) D. Aug. Serm. 16. de Nat. Joan. — (7) Serm. 1. de Decollat. Joan.

(1) D. Aug. Serm. 5. de Decollat. Joan. — (2) D. Aug. Serm. 4. Nat. Joan. — (3) Tert. L. de Grat. 1. — (4) D. Aug. Serm. 1. de Decollat. Joan. — (5) D. Aug. Ibid. — (6) Tert. L. de Monog. 8.

Helias perpetuo virginitatem servavit, et ob hanc causam, ut animadvertit Tertullianus, Christus *in revelatione gloriæ suæ, de tot Sanctis et Prophetis, Heliam spadonem secum mavult.* (1) Joannes quoque fuit virgo, et ideo Angelus dictus. *Et præcursorem Domini Joannem futurum Angelum appellat per Prophetam Spiritus.* (2) Fuit autem Joannes nuncupatus Angelus, non quod naturam non habuerit humanam, sed quia puritatem reverberabat angelicam. Quare vocitatur ab Andrea Cretensi *virginitatis ornator.* (3) Ut autem angelicum illud servaret decus, et castitatis osores valeret suo loco et tempore redarguere, Joannes in solitudinem se recepit. *Tunc audita est vox clamantis in deserto, ubi solitarius et Helicæ similis, vitam alnerat, qualem decebat esse legitimi et immaculati testis.* (4) Joannes castitatis legislator (5) et acerrimus propugnator debebat adversus libidinosos ferre testimonium.

Quare puritatem servavit in deserto angelicam qualem decebat esse legitimi et immaculati testis? Ne impudici ab ipso damnati, ejus possent infirmare testimonium: *Hoc est Martyrum officium, quia testimonia græce martyria nuncupantur.* (6) Joannes, qui de Patris auctoritate, Filii veritate tulerat testimonium, de castitate etiam Spiritus Sancti testimonium tulit, et sicut suo martyrio propugnauerat Patris auctoritatem et Filii veritatem, sic *dominante Spiritu superfusus* (7), pro castitate ad mortem usque decertavit.

Symbolum innocentiae et pudicitiae, columba: *avis non tantum innocua, sed et pudica* (8); et quia puritas Spiritui Sancto appropriatur, *columbæ figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus Sancti declararetur.* (9) Ut autem aliorum docet Tertullianus, sanctitas seu castitas *propria natura est ejus* (10): et licet sit communis tribus divinis personis, tamen specialiter tribuitur Spiritui Sancto, qui in suo nomine nullam redolet corruptionis umbram. Licet enim Pater et Filius purissimi sint, nostro tamen concipiendi modo, non videntur ab omni corruptione immunes: in creatis etenim neque Pater generat, neque Filius generatur, nisi caro quamdam patiatur puritatis jacturam; et quia Patrem et Filium in divinis ex analogia Patris et Filii, in creatis, nostro imperfecto concipiendi modo cognoscimus, quamdam velut corruptionis concipimus umbram: at nomen Spiritus Sancti nullam

denotat corruptionem, sed omnimodam sapit puritatem: ideoque Joannes *spectator Spiritus Sancti* (1), ejusque puritatis propugnator acerrimus, suam Herodi exprobravit impudicitiam et incestum, quem publice cum uxore fratris sui perpetrabat. *Facta igitur mentione Joannis Dominus, et atique successus exitus ejus, illicitorum matrimoniorum; et adulterii figuras jaculatus est in Herodem: adulterum pronuntians, etiam qui dimissam a viro duxerit: et hoc fratre habente ex illa filiam, et vel eo nomine illicite; ex libidinis, non ex legis instinctu; ac propterea prophetem quoque assertorem legis occiderat.* (2)

Joannes *in spiritu et virtute venit Helicæ:* (3) et sic, ait D. Augustinus, « impletum videmus in Joanne quod et de illo Angelus Zachariæ, priusquam nasceretur, prædixit: quia præcedet ante Dominum in spiritu et virtute Helicæ. Ambo namque in abstinentia viventes; ambo habitu inculti; ambo in solitudine degentes; ambo præcoques veritatis; ambo regis et reginæ propter justitiam, persecutionem perpessi sunt. Ille Achab et Jezabel, iste Herodiadis; ille, ne occideretur, est igneo curru raptus in cælum; iste, ne ab impiis vinceretur, perfecto martyrii certamine, spiritu cœlestia regna petivit, Angelorum utique subvectus auxilio. » (4) Ille Achab redarguit propter usurpatam alienam hæreditatem, iste Herodem increpat ob violatam thori conjugalis castitatem. Joseph fuit incarceratus pro castitate nolens consentire adulteræ voluntati; Joannes quoque mittitur in carcerem et decollatur ob pudicitiae defensionem, et incestuosi et scandalosi adulterii increpationem. Et ut eloquenter fatur Chrysologus: « Vestimentum Joseph cum adulteram fugeret, dereliquit; Joannes, ne videret adulteram, ipsum projecit et corpus; Joseph, ne adulterium faceret, libens carcerem suscepit; Joannes, ut argueret adulterium, eremum carcere commutavit; Joseph somnia dum revelat, evasit ex morte; Joannes ut Dei Filium revelaret, suscepit et mortem; Joseph dum panem præparat temporalem, ex auro torquem meruit, et honorem; Joannes, ut ostenderet cœlestem credentibus panem, martyrii torquem meruit ex cruore. Merito in natis mulierum major est hic Joannes, qui non solum adulteras arguit, sed et licita mulierum consortia virginitatis amore calcavit. (5) »

In Baptistæ martyrio, 1. Apparet Joannis fortitudo et constantia; 2. Herodis iniquitas

(1) Tert. L. de Monog. — (2) Tert. L. adv. Jud. 9. — (3) Orat. de Decollat. Joan. — (4) Rup. L. 1. in Joan. — (5) Andr. Cret. — (6) D. Aug. in Psal. 118. — (7) D. Bern. Serm. de Exultat. Joan. — (8) Tert. L. de Monog. 8. — (9) Tert. L. de Bapt. 8. — (10) Tert. L. de Monog. 3.

(1) Andr. Cret. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 54. — (3) Tert. L. de Monog. 8. — (4) Serm. 5. de Decollat. Joan. — (5) Serm. 174.

et injustitia; 3. Furens Herodiadis lascivia; 4. Astuta dæmonis malitia; 5. Innata saltatricis impudentia; 6. Evidens Dei justitia. 1. Joannis fortitudo et constantia tum regem libere increpans, tum audacter adulterium et incestum damuans: tum pro castitatis defensione generose martyrium tolerans. « Hic est Joannes qui impietatem regis Herodis, qui uxorem fratris invaserat, publica auctoritate condemnans, propter justitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam. » (1) Multum commendatur Joannes quod fuerit sanctificatus antequam natus, rationis usu etiam in utero matris præditus; Verbi vox, Messie præcursor, pœnitentiæ præco, Christi baptizator, et Angelus conversatione effectus: at non minorem sibi comparavit gloriam, martyrium patiendo, castitatem defensans et adversus adulterium clamitans. Sicut enim Herodes decollans Joannem decoratus est, ita Joannes a libidinoso rege occisus, magnum sibi conciliavit honorem. Quapropter acute et ironice Chrysologus: *Iste rex sapiens, egregius judex, censor morum, disciplinæ custos, vindex innocentie, criminum pœna, quod decollaverit Joannem tacet: ne potestatem regiam tanti facti confunderet turpitudine: sed Evangelista prodit, ut interfectoris dedecus, interfecti producat ad gloriam.* (2) Gloria Joannis emicat eo quod pro justitia, pro virtute, pro castitate, mortem subierit; Herodis splendet infamia, morti damnasse sibi vera dicentem, turpitudinem et impudicitiam exprobrantem. Quo erat eminentior Joannis virtus, et Herodis crimen enormius, eo Joannis major est existimatio apud homines, et turpior Herodis ignominia. *Herodes te causa petit, te arguunt vincula, te carcer accusat, te divulgat producta in publicum Joannis injuria: causam custodiæ qui requirit, invenit in te quod puniat, et in Joanne quod doleat. Joannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratissimus sanctitate, dum trahit ad se suæ inquisitores injuriæ, facit ut tuus cunctis innotescat incestus; agit ut te habeat confusio publica; quem corrigere non potuit correctio secreta.* (3) Merito Herodes ignominia mulctatur, a quo Joannes inique et injuste decollatur.

Magna sane Herodis iniquitas: tum quia Dei contemnit majestatem, Patris auctoritatem, Filii veritatem, Spiritus Sancti sanctitatem. *Rogo, ubi rerum facies? ubi fama? ubi pudor? ubi existimatio publici cognitoris? Certe ubi Deus? ubi homo? ubi fas?*

(1) D. Aug. Serm. 36. de Sanctis. — (2) Serm. 173. — (3) Chrysol. Serm. 127.

ubi lex? ubi ipsius jurâ naturæ? Simul omnia sunt, Herodes te agente, te judicante, te jubente, confusa. (1) Tum quia Herodiadem contra naturam, contra religionem, contra legem, contra justitiam, sibi assumpserat in uxorem, ut essent sicut nominis, ita criminis consortio similes. *Herodias, quæ uxor esset duorum fratrum sceleris amore contendit, ut affectione violaret affectum, et sociaretur Herodi Herodias, ne essent vel nomine dissimiles qui erant scelere, moribus, vitæque consimiles, et jungerentur vocabulo, quos criminum junxerat turpitudine.* (2) Tum quia criminosus innocentis judicium usurpat, adulter virginem carceri mancipat, peccator sanctum Prophetam vinculis ligat. *Herodes, tu adulterium facis, et in carcerem vadit Joannes? sic judicas sedens in loco judicis reus, in loco vindicis innocentie persecutor.* (3) Tum quia innocuum certo cognoscens Joannem, ut incestuosæ placeret reginæ diu illum in ergastulo detinuit. *Herodias insidiabatur Joanni. Herodes adulteræ non vincebat animum, nefas tamen adulteræ differebat: illa ne esset arguens, arguentis tendebat ad mortem; ille ut placeret incestæ; captivus ipse justum tantum tenuit, vinxit inclusum quia innocentem reus facile non poterat dictare sententiam.* (4) Tum quia temulentus et vino inebriatus Prophetam audet condemnare, et ad mortis damnare supplicium. *Sic judicat mens oppressa crapulis, soluta vino, et toto quodammodo ebrietatis demersa naufragio.* (5) Tum quia Joannis fudit sanguinem, die natali filii sui, ipso convivii tempore, quo cum primis Galilææ et principibus epulabatur. *Mensa migrat in caveam, fiunt de pransoribus spectatores, furore mutatur convivium: fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem, finis opponitur natali, in ortu exhibetur occasus, convivium in homicidium commutatur, organa tragædiam personant secularem.* (6) Inexcusabilis semper visus est Flaminius eo quod ut pellici placeret, sontis fuderit sanguinem: *Occisus est, qui? damnatus: ubi? in prætorio, quo tempore? est enim ullum tempus quo nocens perire non debeat* (7): at quanto magis excusatione indignus videtur Herodes, qui ut placeret adulteræ insontis effudit sanguinem, non in prætorio, sed in palatio; non tempore quo puniuntur scelerosi, sed tempore convivii; non privatim absque testibus, sed coram Judææ primatibus. *Quid egit incauta*

(1) Chrysol. Serm. 127. — (2) Chrysol. Serm. 173. — (3) Chrysol. Serm. 127. — (4) Chrysol. Serm. 173. — (5) Chrysol. Serm. 173. — (6) Chrysol. Serm. 127. — (7) Ser. Controv.

et cæca semper impietas? Omnes evocat potestates, ut non tam multos convivii sui socios, quam innumeros criminis sui testes assumat, et tot habeat facinoris sui arbitros, quot habuit præsides disciplinæ. (1) Verum si Herodes iniquus de injustitia et crudelitate culpatur, lasciviens Herodias furivæ personam agens, Joannis sanguine cruentatur.

Libidinum furias impias insequitur Tertullianus, quia non sunt delicta, sed monstra. (2) Cujusmodi erat Herodialis lascivia, adulterio, incestu, scandalo publico dehonestata, quam ferre non valens, Joannes etiam cum discrimine vitæ increpavit. Potuit tacere, nisi indecorum sibi judicasset, mortis metu verum non dicere. Sciebat utique moriturum se esse, quia regi adversabatur, sed honestatem saluti prætulit. (3) Nam, Herodias impiæ libidinis ardore accensa, et vindictæ furore exasperata, Joannis procurat necem, sicque perdidit virtutum magnitudinem criminum magnitudo. (4) Inter vitia sicut inter virtutes reperitur supremus dignitatis gradus. Nam, ut fatur Tertullianus, est et mali dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur. (5) Adulterium, supremum inter crimina sibi vindicat dignitatis gradum: non quidem quod in summo pessimorum, sed quod in medio pessimorum collocetur. Idololatria in summo pessimorum, mœchia vero in medio pessimorum ponitur. Nam, ut prosequitur Tertullianus, pompam quamdam atque suggestum aspicio mœchiæ; hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii insequentis. Et quia medium participat de extremis mœchia inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digna consedit, et per medium eorum, quasi vacantem locum, pari criminis auctoritate complevit. (6) Imo mœchia ut plurimum ad idololatriam et impietatem conducit, et homicidium efficit, quod ut tragædias omittam, (7) Joannis martyrio evidentissime comprobatur: et quia, ut vult Tertullianus, est inseparabilis societas inter Venerem et Bacchum, inter ebrietatem et libidinem: Sed Veneri ac Libero convenit, duo ista dæmonia conspirata et conjurata inter se sunt, ebrietatis et libidinis. (8) Ebrietas et libido sanguinem fundunt; et duo illa dæmonia inter se conjurata, in Joannis conspirarunt necem. Jacebat in Herode caro oppressa crapulis, ebrietate captiva, quæ titillante luxuria, et non tam ludente quam illudente lascivia, promitteret quidquid turpitudine peteret se da-

turam. (1) Verum Joannis cædes jaculatur, non in Herodem tantum, sed etiam in Herodiadem. (2) Uti enim in Herode lascivia et ebrietas, ad Joannis consenserunt mortem, ita libido et impietas in Herodiade adversum illius conspirarunt vitam. Quemadmodum Eva morti dominicæ ansam præbuit, ut illi exprobrat Tertullianus: Propter tuum meritum etiam Filius Dei mori habuit (3), sic Herodias Præcursori Messicæ necem meditata est, et filia impudenter postulante, obtinuit. Quid peteret luxuria nisi castitatis interitum, pudicitie necem, mortem semper sibi contrariæ castitatis? (4)

Impudens filia juxta voluntatem matris caput Joannis postulans: Ipse clausula legis et Prophetarum; nec Prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellæ psalticæ lucar. (5) Inter omnes tragædias sanguine purpuratas, crudelior est sane quam celebrat hodierna festivitas. Supra theatrum ejusmodi quatuor potissimum actores vel actrices apparent: scilicet Herodias filia, quæ coram rege et convivis saltat; Rex, qui saltatrici promittit quidquid postulare se daturum; Herodias, quæ consulit filiæ ut petat caput Joannis in disco, tandem ipsemet Joannes, qui crudeliter et injuste decollatur. Herodiadis filia « intrat bestia, non puella; quærit amputare, non saltare; discurret fera, non femina; spargit jubar per cervicem, non capillos; membra dilatat, anfractibus sævitæ crescit augmentis; sit grandis crudelitate, non corpore; et singularis fera usque dum rapiat prædam, fremit ore, dentibus frendit, ferrum non suspicit, sed producit. » (6) Nam saltando placens Herodi, ferrum acuit, quo amputet Joannis caput. « Respondit suo turpi generi, dum patri complacet turpiori: de adulterio namque non nisi turpis debuit procreari: quæ fractis gressibus, corpore dissoluto, disjuncta compage membrorum, fluentibus ex arte visceribus, tota patri fieret deformitate formosior. Et revera suam credit tunc Herodes, cum talem vidit: nam putasset alienam si pudicam vel aliquantulum pervidisset. » (7) Ecce tibi prima actrix, quæ saltatricis personam agens Regi placuit. Rex est secundus actor super theatrum apparens et saltatrici jurejurando promittens se daturum quidquid postularet, etiamsi regni peteret dimidium. Jurat miser, dum quidquid honestatis est, et virtutis abjurat. (8) Quam fuerit imprudens et inconsiderata Regis pollicitatio, ironice declarat

(1) Chrysol. Serm. 174. — (2) Tert. L. de Pud. 4. — (3) D. Ambr. L. 3. Offic. — (4) Chrysol. Serm. 129. — (5) Tert. L. de Pud. 5. — (6) Tert. Ibid. — (7) Tert. Ibid. — (8) Tert. L. de Spect. 10.

(1) Chrysol. Serm. 74. — (2) Chrysol. Serm. 127. — (3) Tert. L. de Cult. Fem. 1. — (4) Chrysol. Serm. 174. — (5) Tert. Scorp. 8. — (6) Chrysol. Serm. 127. — (7) Chrysol. Serm. 174. — (8) Chrysol. Serm. 174.

Chrysologus : « Ingratus , inhumanus Rex , qui virtuti tantæ , tam glorioso labori , tam memorabili facto , non totum regnum , sed dimidium dedit ; et quare sibi vel pro parte servavit , qui post tantam domus suæ gloriam , post tale castitatis exemplum , esse , videri , vivere , non debebat ? » Audita regis pollicitatione , *illa ergo criminis filia non nature , non tum ad matrem quam ad ipsam sententiam sui sceleris currit ut quæ fluida tota , tota icrat resoluta , saeva et truculenta revolarret , et ut de ipsis artibus loquar , ut tragœdiam nefandam caneret , quæ impleverat turpissime comœdiam.* (1) Herodias tertia supra theatrum apparet , et rapiens occasionem perdendi Joannem , quam a longo tempore quærebat , dat puellæ consilium , ut incarcerati Joannis postulet necem : Filia sua natura ad inhumanitatem prona , et matris exemplo , et sermonibus in furorem versa , petit a rege ut sibi protinus det caput Joannis in disco. *De matris pectore dans rugitum nova bellua , contempta corporis præda , caput ipsum truncatura pervadit.* (2) Caput Joannis postulat et obtinet in saltationis præmium , et maternæ crudelitatis complementum : *Audistis , fratres , quanta sit nata de voluptate crudelitas , de libidine impietas.* (3) Nam allatum est caput Joannis in disco , ut inhumano hoc facinore crudelis terminaretur tragœdia , quo nihil nefandius ullo unquam tempore perpetratum est , sanctissimum scilicet inter filios mulierum a scelerosis cruento mulctatum supplicio. Nam « quis nostrum dicere audeat beatum Joannem actu , vel scitu , vel habitu , vel motu peccasse ; cujus austeritatem indumenti , cujus parcimoniam alimenti , evangelica laudat historia : cujus omne quod loquitur , aut veritati testimonium reddit , aut eos qui contradicunt redarguit : cujus opera justitiæ qui non amabant , venerationi habebant ? Quis in ejus præcordiis peccato poterat esse locus , quem et ante nativitatem Spiritus Sancti consecravit adventus , quando saltem humanæ conversationis intuitu , non valuit a virtutis via , vel ad modicum deflecti : qui totam a pueritia vitam solitariam peregit ? Et tamen talis ac tantus vir , præsentis vitæ terminum post longam vinculorum afflictionem , sanguinis effusione suscepit. Ille qui libertatem supernæ pacis evangelizabat , ab impiis in vincula conjicitur , clauditur obscuritate carceris , qui venit testimoniam perhibere de lumine , quique ab ipsa luce quæ Christus est , lucerna ardens et lucens appellari me-

ruit , quo in natis mulierum major nemo est , ad petitionem mulierum turpissimarum capite plectitur , et ipso proprio cruore baptizatur , cui Redemptorem mundi baptizare , cui vocem Patris super illum audire , cui Spiritus Sancti gratiam in eum descendentis videre donatum est. » (1) Joannes tanta sanctitate donatus , tot virtutibus exornatus , tot privilegiis commendatus , mulieris incestuosæ non evasit insidias , sed ejus sævitia et rabie decollatus fuit. *Et si Joannes tantus , Joannes talis , tanta eremo separatus a feminis , feminarum pericula non evasit , quis est qui inter feminas videns evasurum se sine labore maximo , maxima sine cautione confidit ?* (2) Præsertim cum sciat de Eva traxisse ignominiam primi delicti , et invidiam perditionis humane. (3) Nam « hæc est mulieris antiquæ malitia , quæ Adam ejecit de paradisi deliciis ; hæc cœlestes homines fecit esse terrenos ; hæc vitam abstulit mundo propter unius arboris pomum ; hæc humanum genus misit in infernum ; hoc malum quod homines ducit ad mortem ; hoc malum fugit Helias Propheta , et cujus lingua clavis facta est cœli , tanquam reus fugit a facie mulieris. Hæc invenit verum laborem et presuram , quæ nunc occidit Joannem Baptistam , dejicit pueritiam , perdit juventutem , illicit et inquietat emortuam senectutem. » (4) Hæc aliaque multa mala mulier operatur , cujus ministerio utitur diabolus , ut suam erga homines malitiam demonstret.

Quare Tertullianus mulierem sic alloquitur : *Tu es diaboli janua , tu es arboris illius resignatrix , tu es divinæ legis prima desertrix , tu es quæ eum persuasisti quem diabolus aggredi non valuit.* (5) Sicut autem ministerio primæ mulieris Adamum aggressus est diabolus , ejusque animam interfecit , sic Herodialis utitur astutia , ut Herodem ad Joannis necem inducat. *Cum diabolus a Christo victoriam desperasset , in Joannem vertit arma , et Herodialis pro armis affectibus usus , viam aperit ad Baptistæ mortem.* (6) Astutus dæmon ut hominem mortis subjiceret imperio , serpentis formam assumit , et sub hac figura feminam alloquitur , suæque malitiæ effecit administram. Eodem modo ut Herodi Joannis persuaderet necem : *Serpens tunc latebat in femina* (7) , quæ reptans gressibus flexuosis , lethale toto corpore virus effudit : ut discumbentium mentes furor , venenum corpora sauciaret : homines

(1) Chrysol. Serm. 174. — (2) Chrysol. Serm. 127. — (3) Chrysol. Ibid.

(1) D. Aug. Serm. 3. de Decollat. Joan. — (2) Chrysol. Serm. 174. — (3) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (4) Chrysol. Serm. 127. — (5) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (6) Basil. Seleuc. Orat. 18. — (7) Chrysol. Serm. 147.

verterentur in bestias, nec vino jam tales, sed sanguine potarentur: nec pane rabidi, sed carnibus vescerentur humanis. « Tales utique, tales reddidit, quibus adhuc fumante sanguine caput intulit tunc Joannis. » (1) Sed præ cæteris, crudelis Herodias Joannis potat cruorem, « in illo quidem tunc ferali antro, non aula regis, rabies tunc fera pastum suum credidit, cum caput martyris vidit: totum suum sensit, cum liquorem sacri sanguinis sitiens, aspexit: ferculum crudelitatis suæ toto ore, totis faucibus contendit, et conatur absorbere. » (2) Serpens tartareus in illa latens, eam ad postulandum caput Joannis induxerat: tum ut supplicium, quod erat passurus, Joannes pateretur: femine namque semen conculcaturum erat caput serpentis. *Serpentis germen caput hominis petit, cui suum caput sententia principali sciebat addictum.* (3) Tum ut Christo afferret injuriam, in voce enim patitur Verbum, in præcursore Messias, in Joanne Christus: *In suis ipse patitur Christus: et sicut honor capitis ad membra pertendit, ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat injuriam.* Tum ut Christi sanguinem sitiens, illum in Præcursoris sanguine prægustaret: nam, *si caput viri est Christus, jam tunc novello ore antiquissimus serpens, Christi Domini tendebat ad mortem: jam tunc avidus draco, in servi capite Domini degustabat sitiens passionem.* (4) In decollatione Joannis grande agnoscit D. Augustinus mysterium. « Joannes enim typum legis gerebat: viri caput Christus est: ergo cum a Joannis corpore caput aufertur, Christus quodammodo a Judæis legis cultoribus separatur: remansit enim illis sine Salvatore lex inanis et truncata; nam ex eo utique Judæi divina non sapiunt, ex quo sine capite esse cœperunt. » (5) Ut autem Deus suam exercet justitiam erga Judæos Christi peremptores, ita erga Herodem, Herodiadem ejusque filiam, suam demonstravit vindictam: Judæi namque *dispersi, palabundi, et cœli et soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* (6) Herodes quoque multiplex fuit pœna multatus eo quod decollaverit Joannem. « Semper febricit impietas; a phrænesi semper crudelitas obtinetur; carere dementia furor nescit: in se namque sævit, quoties in alterum tendit; se punit dum percellit insontem; sibi lethalis est totus, cum erga justum cru-

delis existit. » (1) Quod ex Hero le comprobatur, qui in Joannem crudelis existens, sibi totus fuit lethalis, et varia pœnarum sustinuit genera.

Inter supplicia quæ leges adversus criminosos tulerunt, Orator romanus præsertim dinumerat « exsilium, ignominiam, servitutem, vincula, verbera, talionem, mortem et damnum. (2) Cuncta ejusmodi supplicia passus est Herodes. 1. Exsilium: nam a romano senatu damnatus exsilio mulctatus, cum Herodiade criminis socia vagus et profugus peragravit terram. 2. Ignominiam: scelus etenim Herodem *ejecit de domo, exemit patria, spoliavit fama.* (3) 3. Talionem, nam Herodiadis filia sustinuit eum Joanne supplicii parilitatem: ambulans namque supra stagnum congelatum, et sub pedibus ejus dissolutum, a fracta et concussa glacie decollata fuit. 4. Servitutem: tum quia peccans est peccati servus; tum quia de regio deturbatus solio, servilem egit vitam. 5. Vincula: tum delictorum quibus erat constrictus; tum tormentorum, quæ patitur in inferno ligatus. 6. Verbera, non quæ dilacerent corpus, sed quæ dilacerent animam: sicut enim Theodoricus rex semper auxiliabatur visu capitis Boetii quem decollarat, ita Herodes cruciabatur ex conspectu Joannis, cujus caput absciderat. *Venit Joannes in sublimi positus: venit Joannes in tribunali resplendens; ut qui arguit adulterium, expoueret et damnaret homicidam.* (4) 7. Mortem, non solum corporis, sed et animæ; non temporalem duntaxat, sed etiam æternam: *Scire tamen nos convenit quia et Joannes morte sua natus est, et de natali suo mortuus est Herodes.* (5) 8. Damnum idque multiplex, fortunæ, nam terrenis bonis denudatus est; famæ, nam infamia mulctatus est; naturæ, nam continua tristitia angustiatus est; gratiæ, nam impœnitens mortuus est. *Quam, quæso, meretur veniam qui in morte Joannis, ipsam pœnitentiam tam crudeliter interemit?* (6) Tandem damnum gloriæ: nam a cœlo exsul, inferno mancipatus, in æternum sustinebit ignis ardores, Dei visione privabitur, et interminabilem, tum sensus, tum damni patietur pœnam.

Verum ne quis ex consideratione *Joannis male tractati, et Herodis male meritati* (7), Dei culpet providentiam, occurrit Christus *utriusque exitum deformans, Herodis tormenta, et Joannis refrigeria.* (8) Ne quæramus amplius « cur Deus sacrilegæ sanetum, adul-

(1) Chrysol. Serm. 174. — (2) Chrysol. Ibid. — (3) Chrysol. Serm. 173. — (4) Chrysol. Serm. 174. — (5) Serm. 7. de Decoll. Joan. — (6) Tert. Apol. 21.

(1) Chrysol. Serm. 174. — (2) D. Aug. L. 21. Civ. 11. — (3) Chrysol. Serm. 1. — (4) Chrysol. Serm. 174. — (5) Chrysol. Serm. 127. — (6) Chrysol. Serm. 174. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 34. — (8) Tert. Ibid.

men ejus Isaac quod interpretatur risus. Sic Jacob, qui in utero cœpit ante luctari quam vivere, ante viribus superare quam membris, etiam inter viscera materna ipsa, supplantatoris est vocabulum consecutus, eo quod antequam nasceretur, noscitur divinitus reprobatum supplantasse germanum. »

Eadem veritas ex novo adhuc Testamento comprobatur : nam Christus Jesu nomen accepit, quod Salvatorem significat, quia hominum salutem operaturus erat in ara crucis. Præcursor fuit nuncupatus Joannes, id est, gratia, quia abundantior gratiæ suscepturus erat largitatem. « Petrus a petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare » (1) Gregorius Nazianzenus Meletium laudat, eo quod habens nomen velut ex melle confectum, miram in colloquio, moribus, vita et conversatione ostentaverit suavitatem. D. Ambrosius in Panegyri Sanctæ Agnetis, in ea agni innocentiam et puritatem præsertim contemplatur; D. Hieronymus Pammachium commendat, quod vir fuerit sui nominis : nam Pammachius certantem denotat : et ille cum carne, mundo et diabolo fortiter pugnavit : et, ut ait D. Augustinus, *Stephanus græce, latine Corona appellatur* (2), quia coronatus est trinamque obtinuit coronam. Ob, 1. Angelicam puritatem; 2. Christianam charitatem; 3. Martyrii dignitatem.

I. PARS. *Stephanus angelicum jam fastigium induerat.* (3) Tria potissimum sunt : quæ Angelos commendant, scilicet puritas et nitor, lux et splendor, pulchritudo et decor : *Stephanus angelicum jam fastigium induerat*, quia induerat Angelorum puritatem et nitorem, lucem et splendorem, pulchritudinem et decorem. Puritatem, ratione castitatis virginæ; lucem, ratione cœlestis prædicationis et doctrinæ; decorem, ratione sanctitatis et gratiæ. Quare Stephanus *levites coronatus* (4) est, ob virginitatem qua nitet, prædicationem qua splendet, sanctitatem qua eninet, 1. Ut virgo liliis coronatur; 2. Ut doctor stellis coronatur; 3. Ut Sanctus gemmis coronatur.

1. Virgines *de familia angelica deputantur*, (5) quia angelicam æmulantur puritatem; hac pollent Angeli naturæ privilegio, Virgines gratiæ et virtutis auxilio. Sanctus Stephanus de familia angelica deputatur, quia virginali fuit puritate decoratus. *In hoc quod præpositus est feminis, testimonium meruit sinceris-*

simæ castitatis. (1) Angeli in cœlo semper vident faciem Patris; virgines etiam divinam intuentur essentiam. Ut enim ait Tertullianus, *integritas solida, et tota sanctitas de proximo visura est faciem Dei.* (2) At Stephanus adhuc in terra degens, inter mortales videtur frui gloria qua Angeli et virgines in cœlo potiuntur. Uti enim Angeli et Virgines divinam contemplantur essentiam, *intendens in cœlum vidit gloriam Dei.* (3) Quod quomodo factum sit, non eodem modo explicant Auctores. Cajetanus per gloriam Dei quam vidit Stephanus, claritatem corporalem, eximiam et augustam intelligit, Dei majestatem et præsentiam testantem et præ se ferentem : nulla enim est qualitas quæ magis Dei majestatem et gloriam repræsentet quam lux, claritas et fulgor insolitus : quomodo Moyses (4) vidisse gloriam Dei dicitur, quia quamdam cœlestem vidit lucem, Dei majestatem repræsentantem. Alii censent Stephanum vidisse Dei gloriam repræsentatam, non in se, sed in imagine aliqua nimirum, seu phantasmate a Deo in ejus phantasia efformato. Quomodo Isaias (5) vidit Deitatem et Triunitatem per quamdam speciem corpoream : Dionysius Carthusianus censet hanc Stephani visionem non fuisse imaginariam, sed pure intellectualem in apice mentis, per splendidissimam quamdam irradiationem increatæ lucis æternæ, qualis solet esse contemplantium et exstaticorum. Tandem nonnulli apud Lyranum existimant Stephanum divinam vidisse essentiam. Huic opinioni favet Gregorius Nyssenensis asseverans Stephanum *vidisse ipsum lumen in lumine Dei plane mentis comprehensione.* (6) Eidem sententiæ patrocinari videtur D. Augustinus, docens *eum vidisse revelata facie Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.* (7) Augustino Hilarius Arelatensis (8) arridet, affirmans Stephanum jam tunc accepisse præmium, et vidisse Deum. Verum cum Deus *Moysi servat conspectum facie ad faciem in futurum, apparet retro semper in speculo et ænigmate, et visione, et somnio Deum visum tam Prophetis et Patriarchis, quam ipsi adhuc Moysi.* (9) Quomodo Dei gloriam vidit Stephanus, quomodo intelligendi sunt Patres, asseverantes Stephanum facie ad faciem vidisse Deum, non in sua essentia, sed in imagine vel specie sua, partim corporea, quia est lux et claritas, partim incorporea, qualis est visio mentalis et phantasma? Quoquo modo Dei gloriam viderit Stephanus, vult V. Beda Stephanum

(1) Chrysol. — (2) Serm. 2. de Sanctis. — (3) Tert. L. de Res. 55. — (4) Tert. L. de Cor. Mil. 9. — (5) Tert. L. 1. ad Uxor. 4.

(1) D. Aug. Serm. 65. de S. Stephan. — (2) Tert. L. 1. ad Uxor. 8. — (3) Actor. 7. — (4) Exod. 24. — (5) Cap. 6. — (6) Orat. de S. Stephan. — (7) Serm. 96. — (8) Hom. de S. Stephan. — (9) Tert. L. adv. Prax. 14.

Deum esse speculatum eo modo quo Paulus dum ad tertium cælum raptus est. Inde Stephani visionem commendat Petrus Damianus: *Si vidit oculis corporalibus, certum est hunc omne hominum genus disparitate gloria prætercolasse, et pennis fidei et virtutum, incorporea corporeis, etsi non comprehendisse, apprehendisse tamen luminibus.* (1)

Corona castitatis symbolum est; quapropter veteres pudicitiae victoriam et triumphum notare volentes, sponsos in solemnibus nuptiarum pompa coronabant, *coronant et nuptiæ sponso* (2) in servatæ pudicitiae argumentum: *Ideo coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ signa sint, quod videlicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur.* (3) Verum quia in cubiculo virginalem perdebant puritatem, coronæ hujusmodi erant fluxæ, marcidæ et foetidæ, sola virginalis castitas, *angelica corona.* (4) Puritate angelica decoratus *Stephanus corona dicitur* (5): et merito liliis coronatus incedit. Lilia sunt verum Angelorum symbolum, quia non laborant, neque nent: per lilia adhuc virgines denotantur. *Potest lili nomine unaquæque virgo significari.* (6) Stephanus virgo angelicam reverberans puritatem, non solum significatur per lilium, sed et liliis coronatur. Gloriose Stephane, ut angelica valeas nuncupari corona, necesse est ut *liliis coroneris.* (7) Quia ad instar Stephani castitatem servat incontaminatam, beatus a D. Augustino prædicatur. *Beatus quicumque hunc sectatus et imitatus fuerit: pudicitiae etiam palmam, et martyrii consequitur coronam.* (8) In carne enim præter carnem vivere, est species martyrii, quod virgines ad angelicum extollit fastigium. *Castitas Angelos facit: qui eam servavit, Angelus est; qui perdidit, diabolus.* (9) Non Angeli, sed diaboli, libidinosi, ex adverso imitantes Stephanum, qui ob angelicam puritatem fuit liliis coronatus, et ob doctrinam cælestem stellis coronatus.

Cælum luminibus floret. (10) Trinum est cælum luminibus florens, empyreum scilicet, firmamentum, et mysticum Ecclesiæ cælum. Empyreum floret *angelicorum luminum* (11) splendore; firmamentum stellarum fulgore, cælum Ecclesiæ mysticum; tum Christianorum exemplo et virtute; tum Doctorum et Prædicatorum illustratione: quos

(1) Serm. de S. Stephan. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 15. — (3) D. Chrysost. Hom. 9. in 1. ad Timoth. — (4) Cyril. Alex. Catech. 1. — (5) D. Aug. Serm. in Ps. 58. — (6) Aug. Serm. 1. de Assumpt. — (7) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (8) Serm. 1. de S. Stephan. — (9) D. Ambr. L. 1. de Virg. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 42. — (11) Tert. L. adv. Valent. 17.

lucere in mundo oportebat, ut filios lucis, lumen mundi unum et Deum et Dominum colentes, et nominantes. (1) Angeli nuncupantur a Sophonio illuminatores et viæ duces; quia scilicet inferiores Angelos illuminant, et hominibus sibi commissis viæ ducatum præstant, eodem encomio prædicandi sunt Doctores, qui a Christo *lux mundi* (2) nuncupantur, quia Ecclesiam vite et doctrinæ suæ radiis illustrant. *Omni Ecclesiæ beatus Stephanus datus est ad profectum: adhuc laicus diaconii meruit electionem* (3): electus quidem a populo Stephanus, sed ut docet D. Augustinus, *Diaconus ab Apostolis ordinatus est* (4), et inter Diaconos primus, *ut inter Apostolos Petrus.* (5) Quem ideo D. Damascenus primum Diaconum, Lucianus primicerium aliorum et Archidiaconum nominat. Addit Nicetas apud Metaphrastem: Stephanus « erat inter Apostolos Apostolus; Propheta inter Prophetas; Doctor inter Doctores. » (6) Cui Deus miram prædicandi gratiam, et disputandi contulerat efficaciam. Ut enim ait D. Augustinus, « pulcher erat ubique Stephanus, in corde et in corpore: et pulchritudo corporis, et flos ætatis, et eloquentia sermocinantis, et sapientia sanctissimæ mentis, et operatio Divinitatis, invidia magna erant Judæis, ob christianæ causam professionis. » (7) Nam Judæi invidia tabescentes ob Stephani præstantiam, linguæ facundiam, prædicationis gratiam, miraculorum evidentiam, eorumque qui fidem christianam amplexabantur, affluentiam, « surrexerunt quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano. » (8) De cunctis Judæorum Synagogis peritiores, qui tunc Hierosolymis aderant, congregantur, ut disputent cum Stephano: *Surrexerunt quidam de Synagoga Satanæ, et undique conglobantur, vel ad convincendum, vel ad occidendum* (9): rationes queis Stephanum aggrediantur, sibi communicant: *Sibilant sibi serpentes ad invicem: verum neque Stephanum respondentem poterant convincere, neque arguenti Stephano valebant resistere.* « Et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui Sancto, qui loquebatur. » (10) Nam divina qua plenus erat sapientia Stephanus, confundebat Judæos, et multis Scripturæ locis Christum, Messiam in lege promissum evidenter demonstrabat; quare *velit, nolit,*

(1) Tert. L. adv. Prax. 13. — (2) Matth. 5. — (3) D. Aug. Serm. 5. de S. Stephan. — (4) D. Aug. Serm. 94. de Diver. — (5) L. 4. de Fid. 16. — (6) Ep. de Invent. S. Stephan. — (7) Serm. 6. de Sanct. — (8) Actor. 6. — (9) Petr. Dam. — (10) Actor. 6.

cedit impietas pietati, veritati error, stultitia sapientiæ, Spiritui Sancto præsumptio et vanitas spiritus humani. (1) Et licet multi disputantes Judæi in sua obstinatione permanserint, multo tamen plures Stephani prædicatione, et miraculorum operatione, ad Christum sunt conversi, componentes coronam stellatam qua fuit coronatus. *Etiam cælum sideribus coronatum.* (2) Hoc de firmamento asseverat Tertullianus. At Gregorius Magnus, per cælos Apostolos et apostolicos viros intelligit. Quot enim virtutes prædicantium, tot sunt ornamenta cælorum, seu coronæ sideræ quæ eos coronant, juxta Danielis vaticinium: *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* (3) Doctores fidei et Prædicatores verbi Dei, suo officio probe fungentes in Ecclesia nitent et micant ut stellæ in firmamento. Imo, ut docet Angelicus Doctor, corona stella coronantur, habentes *in capite coronam stellarum duodecim.* (4) Scio per mulierem illam stellis coronatam de qua fatur dilectus Discipulus, nonnullos intelligere beatissimam Virginem, alios Ecclesiam triumphantem, quosdam Ecclesiam militantem, istos animam sanctam; verum melius ratiocinari videntur qui Doctores intelligunt, qui ob lumen quo radiant stella coronantur corona. Hac coronatus fuit Sanctus Stephanus, qui, ut fatur celeberrimus concionator Jacobus a Voragine Episcopus Genuensis: « habuit coronam argenteam, in quantum fuit virgo incorruptus; stellatam, in quantum fuit prædicator lucidus; et gemmeam, in quantum fuit Sanctus perfectus. » (5)

3. In homine sancto *gratia coronatur* (6); corona autem qua redimitur, est *expressa signo sanctitatis.* (7) Quia scilicet corona sanctitatis, gratiam supponit, quam consummat in cælo, estque nota et index eximie sanctitatis: Video et *ipsum Christum coronatum* (8); et quia Christus coronatus, est Christiani caput, inde concludit Tertullianus: *Igitur et homo ipse a Deo coronandus est.* (9) Christum repræsentat Vates Regius velut Nazareum sanctificatione coronatum: *Super ipsum efflorescit sanctificatio mea.* (10) Hebræa lectio habet: « Super ipsum efflorescit Nazareus meus. » D. vero Hieronymus vertit: *Super ipsum efflorescit corona mea.* Quasi in Christo idem sit sanctificatio et corona. Et licet in Sancto Stephano corona non

sit ipsa sanctificatio, attamen corona quam etiam in suo defert nomine, ejus sanctificationem indicat. Non immerito corona et sanctificatione floret Christus. *Super quem tota divini Spiritus gratia requievit.* Sanctus quoque Stephanus, *plenus gratia* (1), merito corona dicitur, et sanctitate coronata floret, et alius iridis ambitu ornatur, *cælesti prato.*

(2) In iride tres sunt colores: albus, viridis et rubeus. Color albus fidei candorem significat; viridis spem denotat; rubeus charitatem repræsentat. Iride coronatur Sanctus Stephanus, tribus virtutibus theologalibus ornatus et resplendens: fuit enim cælesti illustratus lumine, cum tanta perfectione ut ab Scriptura sacra *plenus fide* (3) prædicetur. Spe etiam altissima sublimatus, supra omne quod humanum, quod terrenum est, ad cælestia et divina, cordis desiderium extulit: nam *qui spiritu Divinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cælestibus inhiat et æternis.* (4) Tandem fuit ardeuti charitate sufflammatus. De qua sic fatur S. Fulgentius: *Charitas quæ de cælo ad terras deposuit Christum, ipsa Stephanum de terra levavit ad cælum; charitas quæ præcessit in rege, ipsa subsequenter refulsit in milite* (5): et quia ubi est gratia sanctificans, ibi sunt cunctæ virtutes velut ejus filiæ, aut comites, aut pedissequæ; Stephanus plenus Spiritu Sancto, seu, ut habet syriaca lectio, *plenus spiritu sanctitatis*, cunctas in se complexus est virtutes: Theologales, nempe Fidem, Spem, Charitatem; Cardinales, scilicet Justitiam, Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem; Morales, nimirum Religionem, Obedientiam, Humilitatem, Castitatem, aliasque ejusmodi: ex quibus contexta est corona Stephani, *cujus caput coronatum est a Charitibus.* (6) Quam autem pretiosa sit Stephani corona constat, quia est *ex Indicis gemmis* (7) composita; juxta istud Regii Vatis: *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* (8) Non solum in cælo fuit de lapide pretioso coronatus Stephanus, sed adhuc in terra conversans, fuit *gemmis* (9) virtutum ornatus; et tantæ gratiæ plenitudine superflusus, ut ejus decor in vultu etiam appareret, et faciem angelicam demonstraret ipsis etiam Judæis: *Nam inter lupos coruscabat* (10), scilicet inter suos persecutores, *et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* (11) Stephanus erat naturali specie, vultu-

(1) Petr. Dam. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 13. — (3) Cap. 5. — (4) Apoc. 12. — (5) Serm. 3. de S. Stephan. — (6) Tert. L. 1. ad Uxor. 8. — (7) Eccles. 45. — (8) Tert. L. de Cor. Mil. 9. — (9) Tert. L. de Cor. Mil. 13. — (10) Ps. 131.

(1) Act. 6. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (3) Act. 6. — (4) D. Aug. Serm. de S. Stephan. — (5) Serm. de S. Stephan. — (6) Tert. L. de Cor. Mil. 7. — (7) Tert. Ibid. — (8) Psal. 20. — (9) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (10) D. Aug. Serm. 99. de Divers. — (11) Act. 6.

que decorus; huic autem naturali decori addita est supernaturalis quædam pulchritudo; angelica namque species quam præ se ferebat, denotat quid augustum, cœleste angelicum et divinum.

Verum ad quid majestatem angelicam Stephano contulit Deus? 1. Ut ostenderet Stephanum angelis esse persimilem in innocentia, puritate, benignitate, decore, amabilitate. *In amico Angelorum, angelica similitudo apparuit.* (1) 2. Ut gloria sui corporis, resurrectionem Christi jam factam, et nostram futuram repræsentaret. Disputabat Stephanus cum Judæis et Saducæis mortuorum resurrectionem negantibus: quapropter *ad confusionem illorum resurrectionis annuntiabat sacramentum* (2); tum verbo, tum miro corporis fulgore. Sicut enim Deus contulit Moysi velut dotes corporis gloriosi, nam *mutatur facies ejusdem in contemptibili claritate* (3): sic S. Stephanus tanto coruscabat splendore, ut asseveret D. Augustinus *faciem Stephani radiasse instar solis.* (4) 3. Quemadmodum Christus in ultimo judicio apparebit *aliis ferus ut julex, aliis mansuetus ut salvator* (5), sic Stephani facies Judæis visa est formidabilis, Christianis vero amabilis et admirabilis. *Facies Stephani assumpsit speciem resurgentis, adversariis ad pœnam peccati, et tormentum invidiæ, et exprobrationem impietatis, et testimonium criminis.* (6) Angelici vultus splendore puniuntur Judæi, et Stephani gloria pœnalissimum est illorum cruciamentum. Quos sic pungit Petrus Damianus: *Ut vibranti splendore Stephanus serenatur, reverberantur oculi vestri, et tamen invidiæ magnitudo visionis majestatem occludit.* (7) Splendor angelicus, qui in faciem Stephani reverberat majestatem, æstuantem Judæorum torquet invidiam. « Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli: quamquam non fuit hoc illis gratia meriti, sed pœna peccati: nam dum morientis proditur gloria, persequentis torquetur invidia: impietatem suam in illius decore perspiciunt: aspectu Angeli facies impiorum cæduntur. » (8) In angelico Stephani vultu, cœleste quid micantius spirante, descriptam suam impietatem, et illius innocentiam legunt, et ejusdem gloria mire cæduntur, et invidie discruciantur. 4. Ut exterior faciei fulgor internum mentis ostentaret fulgorem, et mira corporis pulchritudo gratiæ abundantiam qua

decoratur anima, denotaret. Homo gratia sanctificatus, divini vultus nitore insignitur, divinisque illustratur fulgoribus: quomodo istud Davidicum: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (1), intelligit Hugo Victorinus (2): Stephanus autem in corpore faciem habet angelicam. Nec mirum: anima ejus erat Dei lumine insignita. Ut enim ait supra memoratus Petrus Damianus, *lumine vultus Dei insignitur gloriosus Levita.* (3) Hunc gratiæ splendorem qui de anima Stephani exundat in faciem ejus corpoream, eloquenter declarat Hilarius Arelatensis: *Abundantia cordis transierat in decus corporis, et in faciei pulchritudinem candor splendorque animi exundabant: ac abscondita pectoris ornamenta in speculo frontis irradiabant, atque cum haberet in se Spiritum Sanctum, os præ se ferebat angelicum.* (4) Habebat autem in se Spiritum Sanctum ratione gratiæ qua repletus erat: quæ divinam animæ conferebat pulchritudinem, vultui corporeo angelicum decorem. Mediante autem gratia Stephanus obtinuit coronam ex gemmis confectam. Si ita fari liceat, Stephanus coronatus fuit corona liliata, stellata et gemmea, ratione puritatis angelicæ, cœlestis doctrinæ, sanctitatis et gratiæ. *Sic et tu coronare* (5), Christiane, esto pudicitia Angelus, virtutis exemplo fulgidus, gratia sanctificatus, et ad instar Stephani, trinam illam obtinebis coronam. Verum quam pauci sunt qui has ambient coronas, qui velint castitate nitere, virtutis exemplo fulgere, et sanctitatis gratia splendescere. Multo plures sunt qui fallaces mundi perquirant coronas, potissimum tres a D. Thoma dinumeratas. « Prima qua coronatur lascivia, dicitur florea, et hæc texitur putida carnis voluptate, quam sibi assumunt carnis ac ventris mancipia, dum dicunt sic apud Sapientem: Coronemus nos rosis, antequam marcescant. (6) Secunda qua coronatur avaritia, est aurichalca, et hæc implexa et contexta est divitiis secularibus, quæ veræ divitiæ non sunt, sed apparentes, uti nec aurichalcum, verum est aurum. Tertia qua coronatur superbia, est frondea, colligiturque ex mundi vanitatibus, cui Isaias intentat mœstum illud ac fatale maledictum: « Væ coronæ superbiæ. » (7) Neque solum superbi maledictione plectuntur, sed etiam avari et impudici. Et merito, quia superbia, avaritia et luxuria, ad æternam ducunt damnationem. Christiane, si de numero præscitorum esse desideras, quære tibi trinam

(1) D. Chrysost. Hom. 11. in Acta. — (2) D. Aug. Serm. 6. de S. Stephan. — (3) Tert. L. de Res. 55. — (4) Ser. 99. de Divers. — (5) Tert. L. adv. Jud. 11. — (6) D. Hilarius Arel. Hom. de S. Stephan. — (7) Serm. 62. — (8) Euseb. Emis. Hom. de S. Stephan.

(1) Psal. 4. — (2) L. 4. de Allegor. 12. — (3) Serm. 62. — (4) Hom. de S. Stephan. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 9. — (6) Cap. 2. — (7) Serm. de S. Stephan.

illam seculi infaustam coronam : si vero cum electis annumerari exoptas, a tui coronas quibus coronatus fuit Stephanus : a tua electione dependet vita vel mors interminabilis. Si impuditiæ vacas, avaritia æstuas, superbia tumes, eris quidem coronatus, sed fallaciter, sed culpabiliter, sed damnabiliter. Si vero castitatem servas, virtutis exempla præstas, sanctitate coruscas, eris coronatus, sed vere, sed sancte, sed fauste. *Quid tibi cum flore morituro? Habes florem ex virga Jesse, florem incorruptum, immarcescibilem, sempiternum : quem et bonus miles eligendo, in cœlesti orinatione, dignatione profecit.* (1) Christus est flos de virga Jesse virginitate florens, cœlesti doctrina et virtutis exemplo splendens, sanctitate fulgens : hunc florem eligens et imitans Stephanus, liliis, stellis et gemmis coronatus fuit, et adhuc auream sibi comparavit coronam, ratione fraternæ charitatis.

II. PARS. *Etiam tunc aurum ignis est.* (2) aurum non solum charitatem significat, sed etiam ejus perfectionem denotat. Aurum est inter metalla pretiosissimum, charitas est inter virtutes præstantissima et pretiosissima: auro emuntur omnia, cœlum charitate comparatur. Charitatis autem aurum est ignitum, quia eos in quibus inhabitat, in Dei et proximi amorem accendit. Pretioso illo auro opulenter fuit ditatus Stephanus, cœlesti illo igne ardens sufflammatus : unde postquam B. Fulgentius fuse Stephani commendavit charitatem, concludit : *Stephanus ut nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat.* (3) Victoribus tribuebatur corona : *sertum ex auro* (4) contextum accepit Stephanus tanquam victor, *eodemque auro et ipse Filius hominis* (5) coronatus fuit, ob ardentem qua inimicos suos dilexit, charitatem. Nam, *dum fel ori, clavi manibus, lancea lateri appouerentur ab inimicis : os et manus, et latus agebant pro inimicis.* (6) Stephanus, perfectus Christi imitator, totus dilectioni inimicorum occupatur, corde, ore et oratione : 1. corde, eos ardens amans ; 2. ore, pro eis ferventer orans ; 3. efficaci corpore, flexibus genibus pro lapidantibus, Deum deprecans.

2. *Causas ipsas coronarias inspicere superest* (7), imprimis cor Stephani igne charitatis sufflammatum, infensissimos diligens inimicos. *Audivimus linguam clamantem,*

probemus animam diligentem. (1) Inimicorum dilectio est sane perfectior fraternæ charitatis gradus. *Perfectio dilectionis, ultra dilectionem inimicorum non potest procedere.* Homo propensione quadam naturæ fertur ad injuriarum ultionem ; qui autem non vindicat injurias illatas, sibi quodammodo adulatur. *Quid adulantius quam delicta non exsequi?* (2) Adulatio est laudis exaggeratio, injurias non exsequens, sese de summa charitatis perfectione commendat. « Plenitudo legis est dilectio. » (3) Fraternæ autem dilectionis, in qua sita est legis plenitudo, tres invenio gradus. Primus est amicorum dilectio, et hic non magnam importat perfectionem : ex justitia namque et gratitudine diligendus est amicus. Secundus majorem importans perfectionem, est dilectio extraneorum, a quibus nullum est acceptum amicitiae pignus. *Hæc est principalis et perfecta bonitas, cum sine ullo debito familiaritatis, in extraneos voluntaria et libera effunditur.* (4) Tertius omnium perfectissimus est inimicorum dilectio : *Abundans et perfecta justitia sit, etiam inimicos diligere.* (5) Primus et secundus fraternæ dilectionis gradus reperiuntur apud Gentiles : at tertius Christianorum videtur proprius. *Ita enim disciplina jubemur diligere inimicos quoque, ut hæc sit perfecta et propria bonitas nostrum, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem, solum Christianorum.* (6) Stephanus fraternæ dilectionis attigit complementum, infensissimos diligens inimicos, sese verum Christi demonstravit discipulum, *majus aliquid morte Deo offerens, nempe animi moderationem, et inimicorum dilectionem.* (7) Dum Judæos increpabat, eisque videbatur irasci Stephanus, tunc persecutores suos ardens diligebat : *Quasi enim sæviebat Stephanus, sæviebat ore ; corde diligebat, et non est victa ipsa charitas in eo* (8) ; imo vicit omnem appetitum vindictæ, et meruit ornari *de coronæ decore.* (9) Magnum agnoscit discrimen D. Chrysostomus inter eos qui decertant in stadio diaboli et in stadio Christi. « In olympicis certaminibus diabolo consecratis lex est, malefaciendo vincere : in stadio Christi omnino lex est contraria. » (10) Nam, *hoc principali præcepto universa patientiæ disciplina succincta est, quando ne digne quidem maleficere concessum est.* (10) In olympicis certaminibus non qui percutitur, sed qui percutit corona-

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (2) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 13. — (3) Serm. de S. Stephan. — (4) Tert. L. de Cor. Mil. 13. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (6) Petr. Dam. Serm. 54. — (7) Tert. L. de Cor. Mil. 10.

(1) S. Remig. in Caten. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (3) Rom. 13. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (5) D. Ambr. in cap. 15. Rom. — (6) Tert. Lib. ad Scap. 1. — (7) Greg. Naz. Oral. 19. — (8) D. Aug. in psal. 151. — (9) Tert. L. de Cor. Mil. 10. — (10) Inc. 12. Rom. — (11) Tert. L. de Pal. 6.

tur : at in stadio Christi, non eum qui percutit, sed qui percutitur coronari decretum est. (1) Sic coronatus fuit lapidatus Stephanus, quia venientibus in se lapidibus non victa est charitas (2), lapidantes diligens corde et ore.

2. Scito præceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis orare. (3) Quasi parum sit corde interius inimicos amare, debet adhuc Christianus mentam perfectionis attingere desiderans, pro eis Deum orare. Hunc dilectionis gradum, benignitatis redundantiam vocitat Tertullianus, quia superabundantia charitatis et velut excessus quidam videtur dilectionis. Hanc charitatis superabundantiam suis inimicis demonstravit Stephanus pro eis orans. *Per charitatem Dei sævientibus Judæis non cessit; per charitatem arguebat errantes ut corrigerentur, et pro lapidantibus orabat, ne punirentur.* (4) At unde Stephano talis charitatis excessus? Quia « audierat ab ipso capite (5): Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos persequuntur; audierat ab ipso capite pendente in cruce et dicente: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Magnam inter Christum et Stephanum video dilectionis conformitatem: 1. Christus in cruce positus (6) pro suis interfecto-ribus orat, et Stephanus cum lapidaretur, flexo genu ait: *Domine, ne statuas eis hoc peccatum.* (7) 2. Christus patiens non tam dolebat sua vulnera quam crucifigentium peccata: quapropter mulieribus præ tristitia plorantibus dixit: Nolite flere super me, sed super vos et super filios vestros, Stephanus quoque « plus dolebat illorum peccata quam sua vulnera: plus illorum impietatem quam suam mortem. Et recte plus: in illorum quippe impietate erant multa quæ plangi potuissent; in illius autem morte, non erat quid debuisset doleri: illorum impietatem mors sequebatur æterna, hujus autem mortem vita perpetua. » (8) 3. Christus in sua passione admirandam ostentavit patientiam. *Hinc vel maxime Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* (9) Stephanus etiam lapidibus undique percussus, mira de patientia commendatur. *Cum tanta esset in docendo constantia, videte qualis existerit in morte patientia.* (10) 4. Christus dum persecutores habet ante conspectum suum, in ipso quo illum crucifigunt

tempore, pro eis orat: *Mira res! Judæi clamant: Crucifige! ille clamat: Ignosce* (1); Stephanus quoque eodem momento quo lapidatur a Judæis, et dum super eum torti lapidum vertices deciderent, et rotati aggres-tes torquerentur, pro sævientibus sic orabat: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* (2) 5. Christus in cruce patibulatus, dolorum quos patiebatur immemor, nihil magis curat quam sicariorum salutem, qui flagellis cæsus, clavis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor, inquit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (3) Non absimiliter Sanctus Stephanus, dum Judæi ictibus lapidum corpus ejus quatiebant, pro eis orabat: *contundebatur homo exterior, et supplicabat interior* (4), illorum conversionem desiderans. *Ipsa sancta et indefessa charitas desideravit orando acquirere quos nequit moriendo convertere.* (5) 6. Christus crucifigentium proponit ignorantiam, ut saltem vel hoc prætextu ab æterno Patre eorum facilius obtineret veniam: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Eodem fere orandi modo utitur Sanctus Stephanus: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* (6) Non orat ut Deus Judæorum peccatum et homicidium non æstimet peccatum et homicidium; hoc enim est impossibile Deoque injuriosum; etenim si Deus Judæorum peccatum non æstimaret peccatum, perverse judicaret, non esse peccatum existimans quod vere est peccatum. Hæc autem Stephani verba: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, sic debent intelligi: Ne ponderes in rigida justitiæ tuæ lance hoc scelus, sed excusa quasi per ignorantiam et passionem commissum, ut eis clemens veniam concedas. 7. Christus cum clamore valido, et lacrymis (7) pro suis crucifixoribus oravit; Sanctus quoque Stephanus, lapidantium postulans veniam, *clamavit voce magna.* (8) D. Augustinus addit beatum Stephanum clamori miscuisse lacrymas. 8. Christus pro persecutoribus oravit *prece misericordissima et potentissima* (9), ideoque exauditus est; Sancti quoque Stephani oratio efficacissima fuit: *Erant supplices coronati apud veteres:* (10) supplex Stephanus coronatus fuit ob orationis efficaciam.

3. *Perstruxerim et ad cæteras coronarum causas.* (11) Efficacia orationis qua Saulum

(1) D. Chrysost. — (2) D. Aug. Ibid. — (3) Tert. Apol. 51. — (4) D. Fulg. Serm. de S. Stephan. — (5) D. Aug. in Psal. 115. — (6) D. Ambr. L. 10. in Luc. — (7) D. Aug. in Psal. 115. — (8) D. Aug. Serm. de S. Stephan. — (9) Tert. L. de Pat. 3. — (10) D. Aug. Serm. 4. de S. Stephan.

(1) D. Bern. Serm. Fer. 4. Passi. — (2) D. Aug. Ser. 4. de S. Stephan. — (3) D. Bern. Serm. 50. in Cant. — (4) D. Aug. Serm. 4. de S. Stephan. — (5) D. Fulg. Ibid. — (6) Act. 7. — (7) Hebr. 5. — (8) Act. 7. (9) Serm. 92. de Diversis. — (10) D. Aug. Tract. 1. in 1. Epist. Joan. — (11) Tit. Liv. L. 33.

aliosque Judæos convertit, Stephanus merito coronatus est : *ut ipsam causam coronæ militaris aggrediar.* (1) Si etenim apud Romanos, qui civem in prælio a morte liberaverat, civica donabatur corona, *corona civica militaris virtutis insigne clarissimum* (2), nonne coronam accepit Stephanus, qui voce, exemplo, constantia, martyrio, oratione, Paulum innumerosque alios supernæ Jerusalem cives effecit? *Nunc manent tria : verbum, exemplum, oratio : ea namque voci et operi, gratiam et efficaciam promerentur.* (3) Nonnullos sua prædicatione converterat Stephanus, sed multo plures sua oratione ad Christi fidem convertit.

Efficacissima apudque Deum potentissima est ardens oratio quæ funditur pro inimicis : tum quia est actus difficillimæ et eminentissimæ charitatis ; nullus enim hic se miscet amor sui, vel amor naturæ, quia contra naturam sua benevolentia tendit in hostes naturæ, pro quibus a Deo veniam et beneficentiam implorat ; tum quia Dei gloriam procurat ; Deus enim glorificatur dum peccator convertitur ; de ejus inimico, amicus et filius efficitur, quapropter poscenti concedit Deus quod ad suam spectat gloriam ; tum quia orationem pro inimicis consulit, imo imperat Deus (4) ; non autem imperasset, nisi orantes vellet exaudire ; tum quia homo ab inimico læsus, injuriam non ulciscens, sed jus suum et actionem suam contra lædentem remittens, imo orans, ut et Deus remittat, cogit quasi Deum ad remittendum : Deus enim homine longe clementior est, et videri vult. Hujusmodi autem fuit Stephani oratio, quam fecit flexis genibus, ut efficacior esset ad divinam flectendam misericordiam. Quare D. Augustinus Sanctum sic alloquitur Stephanum : « Quæso te, beate Stephane, expone nobis quare pro te stans orasti, et pro inimicis genu flexisti. Fortasse responderet : Pro me stans oravi, quia pro me qui recte Deo servivi, orando et impetrando non laboravi ; quia qui pro justo orat, non laborat ; ideo pro se stans oravit. Ventum est ut oraret pro Judæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus Sanctorum, pro lapidatoribus suis, attendit tam multam et magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficillime condonari posset, genu flexit, et ait : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » (5) Quam autem potens apud Deum et efficax fuerit oratio Stephani declarat D. Augustinus : « Denique ut noveritis quantum valuerit oratio

sancti martyris : perdi debuerat Saulus, qui omnium vestimenta servabat, et tanquam manibus omnium lapidabat ; sed pro eo oravit Stephanus. Unde elisus est sæviens, erectus est credens ; elisus est lupus, erectus est agnus ; elisus est persecutor, erectus est prædicator. Dicam planius, dicam apertius : elisus est filius perditionis, erectus est vas electionis ; elisus est Saulus, erectus est Paulus. Nam si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum non haberet : sed ideo de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus. » (1) Stephani oratio impetravit, et quasi peperit Paulum, eumque Apostolum orbisque Doctorem effecit.

Neque Saulus duntaxat, Stephani oratione conversus, sed ex ejus lapidatoribus quamplurimi, veniam, gratiam et salutem sunt adepti. Uti autem Sanctus Rochus potens est apud Deum, ejusque intercessio a peste liberat, beata Lucia oculos conservat, beata Apollonia dentium dolorem sublevat, sic beatus Stephanus potentissimus ad molliendam cordis duritiam, estque singularis patronus eorum qui homines scelerosos et obduratos convertere satagunt. « Ab aliis martyribus alia petere consuevimus, et in iis quæ passi sunt ipsi, similia patientium advocati constituti sunt : in peste Rochum, in ophthalmia Luciam, in carcinomate Agatham, in dolore dentium Appolloniam, Stephani autem lapidati martyris munus est duritiam cordis emollire. » (2) Verum ut Stephani precibus propriam valeamus relinquere obstinationem, aliorumque mollire duritiam, imitanda est Stephani charitas, qua inimicos dilexit, pro eis oravit, et quos potenti oratione convertit. *Vide magnum opus : egregium, laudandum multum, et ab omnibus imitandum* : nimirum Stephanum persecutores suos ardentem diligentem. *Hunc sequendo odium de corde excussisti.* (3) Christum imitatus est Stephanus, Stephanum et Christum imitetur Christianus. Utriusque exemplum proponit D. Augustinus, ut ab ejus corde odium et animadversionem ejiciat : « Æstuas, furis, anhelas, festinas de adversario vindicari : attende Christum redemptorem animæ tuæ, medicum ægritudinis tuæ, qui ideo pati voluit ut tibi patientiæ suæ monstraret exemplum. Vide pendentem, et tibi languenti de suo sanguine medicamentum conferentem. Audi deprecantem : Pater, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. » (4)

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (2) Plin. L. 22. c. 5. — (3) D. Bern. Ep. 201. — (4) Matth. 5. — (5) Serm. 2. de Sanctis.

(1) Serm. 4. de Sanctis. — (2) S. Thom. a Vill. Nov. Serm. de S. Stephan. — (3) D. Aug. Serm. 2. de Concordia cum Donat. — (4) Serm. 2. de Sanctis.

« Sed potuit hoc Christus, dicis, non ego: ego enim homo sum, ille Deus est. Deus ergo ut quid homo, si non corrigitur homo? si multum est ad te imitari Dominum tuum, attende Stephanum conservum tuum. Sanctus homo erat, non Christus, qui Deus et homo erat. Homo erat plane Stephanus. » (1) *quapropter si non potes imitari Dominum, imiteris conservum. Potuit hoc Stephanus qui homo erat et dicebat: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* (2) *Poteris et tu si vis cum Dei auxilio: nam quod fecit Stephanus, non fecit nisi illo donante quem tu rogas.* (3)

Stephanus patiendo et inimicos diligendo, æternam consecutus est felicitatem; quare Hilarius Arelatensis ait *nescisse Stephanum iis irasci, per quos sibi videret aulam regni cælestis aperiri, per quos se æternis seculis intelligeret consecrari.* (4) At e converso qui inimicitiam conservat et vindictæ occasionem captat, a cælesti regno ejicitur et æterna morte mulctatur. *Extendam manum meam super te, dabo te desolatam, eo quod fueris inimicus sempiternus.* (5) Sic per Prophetam loquitur Deus homini inimicanti. Hanc maledictionem et desolationem metuere debent qui Stephanum pro inimicis orantem non imitantur, sed potius irrident ad instar Sauli ante suam conversionem. *Putas, verba ista audivit Paulus? Audivit subsannans, sed irrisit.* (6) Qui autem Christum imitantur ad instar Stephani gloriæ merentur coronam, quam sibi comparavit Stephanus, tum ob fraternam charitatem, tum ob martyrii dignitatem.

III. PARS. Belle appellat Tertullianus *synagogas Judæorum, fontes persecutionum, apud quos Apostoli flagella perpessi sunt* (7): apud quos Christus crucifixus, et lapidatus est Stephanus. Ut Christum morti traderent Pontifices et Pharisæi tria præstarunt, 1. Suscitaverunt plebem adversus eum tanquam legis subversorem; 2. Corruerunt falsos testes, qui adversus eum ferrent testimonium; 3. De blasphemia accusaverunt et velut blasphemum morti damnarunt. Eodem fere modo adversus Stephanum egerunt Judæi: « 1. Commoverunt plebem, rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium. 2. Statuerunt falsos testes qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem. 3. Summiserunt viros qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiam in Deum: » (8) et deducentes prope

Calvariæ locum, lapidibus percusserunt. At « magnus ille Stephanus gaudet lapidibus undique petitus, ac veluti suavem quemdam rorem crebros lapidum ictus in modum floccorum nivis incidentium, corpore cupide excipit, ac benedictionibus nefarios homicidas prosequitur: odio dilectionem, malevolentiam benevolentiam, calumniæ veritatis prædicationem opponens: nam orbe lapides undique conjicientium, quasi corona cinctus, ita accepit id quod agebatur, quasi corona victoriæ præmium, in manibus adversariorum neceretur. » (1) Stephanum lapidantes texuerunt martyrii coronam, quam possumus vocitare cum Tertulliano *magnam coronam* (2), qua coronavit, 1. Christum; 2. Ecclesiam; 3. Seipsum.

1. *Coronarii* (3) nuncupantur a Tertulliano qui alios coronant: seu, ut legit interpret, *coronati*. Martyres sunt simul et semel coronati et coronarii: coronati, quia a Christo coronantur, tum quia eis præbuit arma et vires quibus decertarunt et vicerunt. Martyres equidem Christo *reddiderunt vicem, sed non de suo; ut enim hoc possent, ille donavit, et ut fieret quod ab illis fieri potuit, ille donavit* (4); tum quia eis largitur gloriæ coronam: *Qui vicerit dabo ei coronam vitæ.* (5) Idcirco *quotiescunque Sanctorum martyria celebramus, toties laudes Salvatoris edicimus: et quoties asserimus eorum passiones, toties Christi gloriam prædicamus.* (6) Martyres adhuc Christum coronant, tum quia per illos de diabolo triumphant: unde quivis martyr est *operarius victoriæ Dei* (7); tum quia corona quam certando compararunt martyres, Christo ut eorum duci tribuitur. *Semper is dicitur facere cui præministratur.* (8) Sic victoria militum fortitudine comparata, duci exercitus appropriatur. Cuncti Christiani sunt Dei milites: *nam et militia Dei sumus.* (9) Christus est horum militum Dux et Imperator, idcirco illorum victoria ad Christum ducem pertinet. Tum quia per eum vincunt et triumphant. *Victoriam tribuit in quorum corpore triumphavit.* (10) Tum quia eum illis pugnat et vincit. Quapropter martyres sic alloquitur D. Cyprianus: *Scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire: qui non sic est ut servos suos tantum spectet; sed et ipse luctatur in vobis, ipse congregatur, ipse in certamine agonis nostri coronat pariter et coronatur.* (11)

(1) D. Aug. Serm. de Concord. Donat. — (2) D. Aug. Serm. 2. de Sanctis. — (3) D. Aug. L. 2. de Concord. Donat. — (4) Hom. de S. Stephan. — (5) Ezech. 35. — (6) D. Aug. Serm. 94. de Divers. — (7) Tert. Scorp. 10. — (8) Act. 6.

(1) Greg. Nyss. Tract. de Beati. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 7. — (3) Tert. Ibid. — (4) D. Aug. Serm. de Invent. S. Stephan. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (6) D. Aug. Serm. 10. de Sanctis. — (7) Tert. L. de Pat. 14. — (8) Tert. L. de Bapt. 11. — (9) Tert. L. de Orat. 14. — (10) S. Leo. Serm. 12. de Pass. — (11) Epist. 9.

Christus decertantes coronat martyres, quod denotatum vult Tertullianus in Apocalypsi: *ubi accipit et Angelus victoriæ coronam procedens in candido equo, ut vinceret.* (1) Christus adhuc martyrum victoria coronatur, quod in eadem Apocalypsi innuit Joannes Christum representans cum veste aspersa sanguine, *et in capite ejus diademata multa.* (2) Vestis sanguine purpurata est Christi humanitas; diademata quæ caput ejus ornant sunt victoriæ Martyrum quibus coronatur. Apud Romanos triumphatores ipsissima die qua de inimicis triumphabant, capitoliū ascendentes super Jovis caput coronas triumphales ponebant. Martyres de tyrannis triumphantes, non supra caput idoli, sed super caput Christi Dei et hominis ponunt coronas triumphales.

Cuncti Martyres a Christo coronantur, et Christum coronant. Verum, ut belle animadvertit D. Augustinus, *si quid distare inter Martyres potest, præcipuus esse videtur qui primus est.* (3) Stephanus autem est protomartyr, et primus qui pro Christo certamen obiit et mortem passus est. *In ipso juventutis flore, decorem ætatis suæ sanguine purpuravit* (4): annum circiter trigesimum et quartum agens, fuit martyrio coronatus juxta auspiciū sui nominis. *Jam coronæ nomen habebat, et ideo palmam martyrii suo nomine præferebat* (5): Martyrii autem palmam primus prætulit ante cunctos Apostolos et Christi discipulos. *Apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit: ac sic qui erat inferior ordine, primus factus est passione; et qui erat discipulus gradu, magister cæpit esse martyrio.* (6) Martyres nituntur reddere Christo vicem, moriendo pro ipso (7), non quidem ut eum redimant, eique salutem afferant: Christus namque, omnium Redemptor et Salvator, non indiget redemptione et salute. *Si vicem repetit, num et ille salutem de mea nece exspectat?* (8) sed ut sua morte eum honorent ejusque religionem disseminent. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus, *redempti sunt sanguine qui sanguinem pro Redemptore fuderunt; ille fudit ut eorum salus redimeretur, illi fuderunt ut Evangelium illius diffamaretur.* (9) Primus autem qui Christo reddidit vicem moriendo pro ipso, fuit beatus Stephanus: *Retribuere voluit primus ipse Domino, quod cum omni humano genere accepit a Domino: mortem enim quam Salvator dignatus est pro omni-*

bus pati, hanc ille primus reddidit Salvatore (1): primusque omnium in lege evangelica a Christo coronam accepit et Christo coronam dedit, quod eloquenter suo more declarat Chrysologus: *Stephanus vocatus est a corona, quia primus meruit pro Christi nomine subire conflictum; primus meruit sanguine militum Christi martyrium prædicare. Petrus apostolici sui chori vetustum teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cælorum quos potestate vinciat, pœnitentes clementer absolvat.* (2) At Stephanus etiam Apostolorum principem martyrio præcessit.

Apud Romanos trina potissimum corona donabantur generosi victores: murali scilicet, navali et triumphali. Navali, qui primus navem conscendisset, primusque in portum appulisset; murali, qui primus muros obsessæ urbis ascendisset; triumphali, qua ornabatur dux exercitus die qua de inimicis triumphabat. Stephanus, per sanguineos fluctus primus in portum appulit; primus cœlestis Jerusalem muros ascendit; primus triumphi gloriam obtinuit: *triumphavit et coronatus est.* (3) Primus qui de manu Salvatoris coronam accepit, *Stephanus est martyrum primus, Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini sui adhuc calente sanguine, sanguinem suum avidus bellator effudit* (4), et in ipsa sanguinis effusione ad cœlos aspectum attulit, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei vidit, *intendens in cælum ait: Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* (5)

Circa hunc Scripturæ locum, tria transeunter explananda sunt: unum, quomodo cœli fuerint aperti; alterum, cur Jesum Stephanus vocitat non filium Dei, sed filium hominis; tertium, quam ob causam Jesum viderit stantem. Circa primum, cœli fuerunt non scissi, sed aperti Stephano, cujus oculus supernaturali Dei concursu elevatus, cœlos omnes quasi patentes penetravit. Uti nos per apertum aerem videnus lunam, solem, Jovem, aliosque planetas remotissimos, ita Stephanus per cœlos patentes et perspicuos, usque ad cælum empyreum penetravit, et Jesum a dextris Dei conspexit. *Patuit sedes Dei, et sulcato aere, cælorum latera pependerit, hiavit lucidus axis, et cœli omnes.* (6) Circa secundum licet Christus homo Deo, mixtus (7) sit filius Dei et filius hominis, titulusque filii Dei sit nobilior titulo filii hominis, Stephanus tamen Jesum appellat non filium Dei, sed filium hominis: *ut ad con-*

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (2) Apoc. 19. — (3) Serm. 5. de S. Stephan. — (4) D. Aug. Serm. 2. de Sanctis. — (5) D. Aug. — (6) D. Aug. Serm. 5. S. Stephan. — (7) Tert. L. de Res. 8. — (8) Tert. Scorp. 1. — (9) Serm. de Invent. S. Stephan.

(1) D. Aug. Serm. 5. de S. Stephan. — (2) Serm. 154. — (3) D. Aug. Serm. 5. de S. Stephan. — (4) Chrysol. Ibid. — (5) Act. 7. — (6) D. Aug. Serm. 4. de S. Stephan. — (7) Tert. Apol. 21.

sutandam Judæorum incredulitatem, ille martyri ostenderetur in celo, qui a perfidis negabatur in mundo: et illi testimonium cælestis veritas daret, cui fidem terrena impietas denegaret. (1) Judæi confitentes Dei Filium, hominis filium, Verbique humanationem negabant, Stephano naturam Christi humanam credenti, filius hominis *soli apparerat, et alii non videbant, sed invidebant.* (2) Circa tertiam multiplici de causa Christus apparuit Stephano stans: 1. Quia, ut vult Gregorius Magnus, stare est situs naturalis corporis gloriosi. (3) 2. Ut Stephano stanti, patienti, et quasi reo, ipse quoque Christus stans, quasi patiens et reus compateretur. Dei Filius, qui ante triumphos visus est Isaïæ (4) sedens, post triumphos stans Stephano videtur: *quoniam tunc in pace erat causa divinitatis ejus, in Stephano autem Salvatoris causa vim patiebatur: ideo sedente iudice Deo, stans apparuit, quasi qui causam diceret. Omnis enim qui causam dicit, stet necesse est; at quia bona causa ejus est, ad dexteram iudicis stabat.* (5) Alludit D. Augustinus ad veterem Romanorum morem, quo non tantum rei stantes causam dicebant, sed etiam parentes, cognati, amici, cum illis simul stabant sordidati, intonsa barba, ac si cum reo essent rei, ejus sortem in se suscipientes: ita Christus Stephano causam suam agenti, videtur compati, assistere, et quasi reus cum reo stare, ut ejus litem agat et peragat; 3. Stat Christus, ut insigne et jucundum Stephani spectaculum et certamen spectet, eoque se oblectet. Quam gratum fuerit Deo Jobi cum diabolo certamen, belle declarat Tertullianus: *Quid? ridebat Deus cum Job immundam corporis sui redundantiam magna æquanimitate destringeret, cum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus et pastus reformosæ carnis ludendo revocaret.* (6) Quod de Job asseverat Tertullianus, id ipsum de quovis Martyre prædicat Minutius Felix: *O quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congregitur, cum adversus minas, supplicia et tormenta componitur!* (7) Quam gratum fuit Christo spectaculum pro sua confessione lapidati Stephani! Tali spectaculo adfuisse cunctos Angelos asseverat Gregorius Nyssenus. (8) Ad illud oculis mentis et fidei conspiciendum, quemlibet Christianum invitat D. Augustinus: « Respice martyrem, vicinam grandinem inspice, ingentem acervum lapidum intueri, ferventes jam vide manus,

(1) D. Aug. Serm. 5. de Sanctis. — (2) D. Aug. Serm. 92. de Diversis. — (3) Hom. 27. in Evang. (4) Cap. 6. — (5) D. Aug. qu. 88. sup. nov. Test. — (6) Tert. L. de Pat. 14. — (7) In Oct. — (8) Orat. de S. Stephan.

anhelantia ora jam conspice, ignita rabie lumina jam contemplare. Ecce acies funesta appropinquat, jam lapides vibrat. Fremebant impii cordibus suis, et stridebant dentibus adversus eum, sed fortis columna Dei, cum inter lapidiferas manus captatorio forcipe teneretur, fide fundabilis, spe erigibilis, charitate constabilis feriebatur et firmabatur; coustringebatur et augebatur; cædebatur et non vincebatur. Beata fidei officia quæ tantum honorastis Martyrem, ut invisam conspiceret majestatem. » (1) 4. Stat Christus quasi dux pro suo milite et cum suo milite contra Judæos pugnaturus, *cum stante stabat, et cum bellante bellabat.* (2) Stephano adfuit Christus militia cœlesti stipatus; asseverat namque D. Augustinus Stephanum vidisse quoque Angelos, quasi milites Christum ducem suum sequentes, et pro se quasi commilitone suo decertantes. (3) 5. Stat Christus velut sacerdos Stephanum martyrem, quasi victimam Patri oblaturus, et quia Stephanus meruit *tot bravia quot vulnera; quot tormenta, tot præmia; quot victimas, tot coronas.* (4) 6. Stat Christus tanquam Agonothetes, ut animam victoris Stephani excipiat cum triumpho, eique bravium victoriæ consignet, generosumque athletam corona gloriæ coronet. (5) Martyres sic alloquitur Tertullianus: *Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus vivus est; xystarches Spiritus Sanctus; epistates vester Christus Jesus, corona æternitatis.* (6) Bonum agonem subiit Stephanus pro Christo decertans usque ad mortem, suumque spiritum Domino consignans, ut victorem, tanquam agonothetes, Deo Patri, corona gloriæ decorandum sistat. Quasi dicat: *Tibi vixi, tibi morior: quia adjuvisti me, vicit quem suscipis: accipe spiritum meum, de manu eorum qui oderunt tuum.* (7) Hæc Stephani verba « Domine, suscipe spiritum meum (8), » considerans adhuc D. Augustinus, ore Stephani sic alloquitur Christum: *Fecisti me victorem, suscipe me in triumphum; illi persequuntur, tu suscipe; illi ejiciunt, tu intromitte; dic spiritui meo: Intra in gaudium Domini tui.* (9)

Non difficultate carent hæc Isaïæ verba: *Et eris corona gloriæ in manu Domini.* (10) Sicut natura manus ad operandum ordinavit, ita ab eadem natura est *caput diademati destinatum.* (11) Manus equidem pulchris decorantur actionibus, sed frustraneæ et inu-

(1) Serm. 4. de S. Stephan. — (2) Petr. Dam. Orat. de S. Stephan. — (3) Serm. 98. de Diversis. — (4) D. Ambr. L. 3. de Fid. cap. ult. — (5) Chrysol. Serm. 134. — D. Ambr. Ep. 82. — (6) Tert. L. ad Mart. 3. — (7) D. Aug. Serm. 92. de Diversis. — (8) Act. 7. — (9) Serm. 51. de Diversis. — (10) Cap. 62. — (11) Tert. L. de Cor. 14.

tiliter coronantur, *coronamento in manu otioso*. (1) Pervertere autem ordinem a natura institutum, est agere contra naturam: *Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes*. Coronare manus, est naturæ pervertere ordinem, est agere contra naturam, monstruosum quid videtur: et tamen Propheta divinitus inspiratus, vere ait martyrem alloquens: *Et eris corona gloriæ in manu Domini*. (2) Hunc locum varie expendunt auctores, quorum duplicem elegi explanationem. Prima est Forerii, qui in verbis Prophetæ hebraismum agnoscit, ubi manus pro capite sumitur: unde dum asseverat Isaias quod Martyr erit corona gloriæ in manu Domini, idem est ac si diceret quod erit corona gloriæ in capite Domini. Secunda expositio est Cardinalis Hugonis, qui sic Prophetam intelligit: *Et eris corona gloriæ de manu Domini*; quia scilicet accipies coronam gloriæ de manu Domini. Utraque expositio mirum in modum B. Stephano competit, qui est corona gloriæ de manu Domini, quia a Domino coronatur: et adhuc corona gloriæ in capite Domini, quia Dominum coronat. Stephanus de manu Domini coronatur: *Ipsæ hostiæ coronatur*. (3) Stephani autem martyrium est hostia divino honori consecrata. Victores et triumphatores coronantur: Stephanus in stadio victor exstitit, et triumphii honorem sibi comparavit. *Et quia cruore proprio tinctam ipse sibi purpuram conquistavit: merito a rege suo consecutus est post coronam*. (4) Stephanus coronatus a Domino, Dominum pariter coronat. Visus fuit tempore Domitiani Imperatoris, sol corona circumdatus. Tale portentum attente considerans, Appollonius Thyaneus solem a corona eclipsim passurum asseverat, scilicet imperatorem enecandum a milite Stephano nuncupato. Eventus rei probavit veritatem, nam præfatus miles Domitianum interfecit eodem die quo sol corona cinctus apparuerat. Corona cingit Solem justitiæ, non ut illi afferat necem, sed ut illum honoret; et quia inter sponsam et sponsum est honoris consortium (5), Stephanus coronans Christum, coronat quoque Ecclesiam, ejus sponsam.

2. Si sponsus diligit imaginem quoque sponsæ, et servat illam, et honorat, et coronat (6), quanto a fortiori ipsam coronat sponsam? Christus est Ecclesiæ sponsus, qui suam coronavit sponsam, ut ipsamet fatetur:

Circumposuit mihi mitram sicut sponsæ. (1) Ecclesia est aut militans in terra, aut triumphans in cælo: utraque Christianorum martyrio coronatur. Militans quidem, cujus firmitas fuit Martyrum sanguine solidata, amplitudo dilatata, opulentia ditata, gloria comparata, multitudo incrementata. Quapropter belle ait Tertullianus: *Semen est sanguis Christianorum* (2): quoties fuit a persecutoribus effusum, toties seminatæ sunt palmæ, quæ Ecclesiæ decorant pulchritudinem: *Varios Martyrum multiplicisque triumphos persecutoris crudelitas toties illusa cummulavit* (3): in suis autem filiis Ecclesia triumphum agit, eorum gloria decoratur, et coronis ornatur. Ecclesia in cælo triumphans Sanctorum gloria coronatur. *Floribus Ecclesiæ cælestis nec rosæ, nec lilia desunt*: (4) quapropter Ecclesiæ triumphanti aptari possunt verba quæ ad mulierem ironice habet Tertullianus: *Centenariis rosis, utrisque liliis, et omnibus violis, etiam gemmis et auro coroneris, ut et Christi coronam a mulieris*. (5) At inter omnes qui in lege evangelica Ecclesiam coronarunt, principatum profecto tenet Stephanus: tum quia Ecclesiæ suis precibus acquisivit Paulum, qui est præcipuum ejus ornamentum, et corona post Christum lucidior: quod autem est causa causæ est etiam causa causati. Et si Apostolus Philipenses quos ad christianam religionem adduxerat, nuncupat suam coronam: *Fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea* (6), nonne Paulus est Stephani corona qua Ecclesiam coronavit? Tum quia primus fuit qui suum sanguinem pro Ecclesia fudit, suoque exemplo alios ad martyrium stimulavit. *Quando beatus Stephanus pro Christo primus sanguinem fudit, quasi corona processit de cælo, ut eam sumerent sequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio. Impleverunt postmodum terram crebra martyria, quicumque postea sanguinem pro Christi confessione fuderunt, imposuerunt coronam illam capiti, et eam secuturis integram servaverunt*. (7) Coronam illam de cælo procedentem primus omnium accepit Stephanus, qua coronavit Christum, coronavit Ecclesiam, coronavit semetipsum.

3. *Corona erit eis qui toleraverint* (8), et martyrium pro Christi nomine passi fuerint. Sævam pro Christo sustinuit mortem Stephanus; ad quem sic D. Augustinus: « Eia, Sauc-

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (2) Isai. Caput. 62. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 10. — (4) Chrysologus, Serm. 154. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 18. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 18.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (2) Tert. Apol. 50. — (3) Chrysol. Serm. 154. — (4) D. Aug. Serm. 37. de Sanct. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 13. — (6) Phil. 4. — (7) D. Aug. Serm. 4. de Diversis. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 39.

te Stephane, dic aliquid Judæis, ut incipias lapidari, et possis coronari. Jaculare verba, et excipe saxa. Dic aliquid de incircumcisis cordibus, et morieris lapidibus. Dic eis ubi vides vivum, quem irriserunt crucifixum. Dic eis ubi eum vides, et hic non vivis, sed cum illo melius vivis. Dic eis quia nihil est quod fecerunt, vivit quem occiderunt. Dic eis quia vides ad dexteram Patris stantem, quem irriserunt in cruce pendentem. » (1) Dinumerat Augustinus sermones quos pro fide, pro veritate, pro religione, pro Christo, proferebat Stephanus, quibus in iram concitati Judæi, *ad lapides currebant, duri ad duros, et petris lapidabatur, qui pro petra, qui Christus est, moriebatur.* (2) Crudelissimam autem illam mortem Stephanus patienter et constanter sustinuit, *de martyrii candida coronandus.* (3) Trinam autem de manu coronam suscepit Stephanus: 1. De manu lapidantium Judæorum, *cum aliqua atrocitas fidem martyrum coronavit* (4); 2. De manu victores remunerantis Christi: *Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ* (5); 3. De propria manu, nam sustinendo generose grandines lapidum, *quod vocabatur accepit. Stephanus corona dicitur, humiliter lapidatur, sed sublimiter coronatur.* (6)

Ex consideratione martyrii quod passus est Stephanus, aliique adhuc Martyres, concludit Chrysologus: *Ergo martyrum merita, velut Dei dona laudamus, amemus, oremus, subiiferamus voluntatem nostram.* (7) 1. Laudamus Stephanum, eique deferamus honorem suis meritis commensuratum, quem ab initio christianæ religionis semper ei reddit Ecclesia. Ab ejus obitu tanta fuit in veneratione apud fideles, ut Sanctus Clemens scribat Apostolos sauxisse, ut quotannis dies martyrii ejus publice festus celebretur. (8) Deinceps sub titulo Sancti Stephani magnifica templa sunt exstructa; cætera silens, nonne Tholosæ, Bituricis et Lemovicis Cathedralis sub nomine Sancti Stephani sunt Deo sacratæ? Ultimam Sanctus Martialis, Apostolorum discipulus, dedicavit, ut ipsemet testatur epistola ad Burdegalenses. 2. Amemus beatum Stephanum, quem virtutes multum effecerunt amabilem: tanta fuit etenim sanctitate decoratus, ut Gregorius Nysenus (9) neget illum fuisse gratia Apostolis inferiorem, et D. Damascenus affirmet fuisse præstanti indole, in eaque Spiritum Sanctum gratiæ radios fulgentiores effecisse: Step-

nus coronatus fuit liliis ob castitatem, stellis ob doctrinæ veritatem, auro ob ardentem charitatem, gemmis ob martyrii dignitatem. *Certemus nunc, charissimi, amplissimas accipere dignitatum coronas: sive de virginitate candidas, sive de passione purpureas, vel de doctrinis laureas* (1); sive de charitate decoratas, sive de sanctitate gemmeas. 3. Oremus, ad instar Stephani, qui pro suis inimicis et pro se etiam oravit. Pro inimicis oravit voce magna clamans, lacrymas fundens, genua flectens, veniam pro eis a Deo enixe postulans. At cur tanto cum fervore pro inimicis deprecatur? quia intendens in cælum vidit gloriam Dei paratam diligentibus inimicos, et Christum qui pro suis crucifixoribus oraverat. *Dei Filium videt Stephanus cum lapidatur, adhuc stantem ad dexteram Dei.* (2) Pro se etiam oravit Stephanus, non corpus, sed animam curans. Christum quem primus secutus fuerat in passione, imitari voluit in morte, et quem admodum Christus patri suum commendavit spiritum: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, ita beatus Stephanus Christum deprecatur ut suum dignetur suscipere spiritum: Domine Jesu, suscipe spiritum meum; et his verbis fidem, spem et charitatem demonstrat. Fidem confitens Dominum, mundi Creatorem, hominumque Redemptorem, spem Jesus nuncupans, scilicet Salvatorem, qui velit et possit salvare, quapropter de suis meritis diffidens Jesum invocat, et in eo spem suam collocat; charitatem, Jesum ardentem diligens, eique per fervidum amorem, animam spiritumque resignans. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino: quasi mori et quiescere nequiret, nisi prius hostibus bene precatus, veniam a Deo impetrasset, suumque spiritum Christo Jesu commendasset: O somnus pacis, quo inter lapides inimicorum obdormivit. Dormivit securus et quietus in pace, quia spiritum suum Domino commendavit.* (3) Justorum mors somnus vocitatur ob spem futuræ resurrectionis, ideoque Apostolus ait: *Ne contristemini dormitione cujusquam, sicut nationes quæ spe carent.* (4) Corpore in sepulcro dormiente, anima in cælo pace fruitur. Hic fuit finis Stephani, qui obdormivit in Domino. *Felix somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate.* (5) Tandem, 4. voluntatem nostram subiiferamus in cælum, ubi Stephanus corona-

(1) Serm. 1. de Sanctis. — (2) Serm. 29. de Diversis. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (4) Tert. Scorp. 1. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (6) D. Aug. Serm. 1. in Psal. 58. — (7) Serm. 154. — (8) L. 8. Consti 5. — (9) Orat. de S. Stephan.

(1) D. Aug. Serm. 37. de Sanct. — (2) Tert. L. adv. Prax. 30. — (3) D. Aug. Serm. de S. Stephan. — (4) Tert. L. de Pat. 9. — (5) Petr. Dam. Orat. de S. Stephan.

tus triumphat, et ut gloriæ valeamus acquirere coronam, sanctam ducamus vitam : sic obdormiemus in Domino, et coronabimur cum Stephano.

.....

CONCIO QUINTA.

DUAS causas prophetici eloquii cognoscendas desiderat Tertullianus : unam, qua futura interdum pro jam transactis enuntiantur. Nam et divinitati competit, quæcunque decreverit, ut perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam uniformem statum temporum dirigit æternitas ipsa, et divinationi propheticæ magis familiare est id quod prospiciat, dum prospicit jam visum, atque ita jam expunctum, id est, omnimodo futurum demonstrare (1) : sicut per Esaiam Christus dicens : Dorsum meum posui in flagella, maxillas autem meas in palmam, faciem vero non averti ab sputaminibus, ubi nondum factum pro jam transacto sonabat. Alia species eloquii prophetici erit, qua pleraque figurate portenduntur per ænigmata, et allegorias, et parabolas, aliter intelligenda quam scripta sunt : et hunc eloquendi modum nuncupat Tertullianus solemnissimam eloquii prophetici formam. (2) Hac loquendi methodo utitur Clemens Alexandrinus agnosceus jejunii ænigmata. (3) Jejunium namque pulchritudinem minuit, macilentiorum reddit ; Daniel tamen ejusque fratres, leguminum pabulum et aquæ potum ferculis regiis præferentes, exinde formosiores extiterunt. (4) Ænigma in avaro inique aliena rapiente agnoscit Abacuc propheta ; quo plures divitias congregat avarus eo ditior videtur, at econtra pauperior evadit, tum quia majori habendi æstuat cupidine, tum quia criminiosior efficitur. Nihil est autem peccante pauperius : peccatum cunctas animæ devastat gazas. Nunquid omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus : et hoc dicetur : *Væ ei qui multiplicat non sua, et aggravat contra se densum lutum!* (5) Divitias male partas vocitat densum lutum, vel quia aurum terra, quia de terra (6), ut fatur Tertullianus ; vel quia, ut vult OEcumenius, animæ sinceritatem confundunt ; vel quia, ut ait Remigius, pondere iniquitatis aggravant animam. Idcirco ex D. Chrysostomo « nullum inter auri sollicitos collectores, et cœni atque laterum col-

lectores discrimen est. » (1) Passionis dominicæ est ænigma quanto magnificentum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus, gratiam Dei quæreret. (2) Neque duntaxat dominicæ passionis sacramentum est ænigma sub figuris obumbratum, sed etiam crucis occultum mysterium (3) est ænigma, aliud exterius significans, aliud interius sapiens. Nam, ut philosophatur Tertullianus, hæc si non ita accipiuntur quemadmodum pronuntiantur, sine dubio præterquam sonant, sapiunt ; et aliud in vocibus erit, aliud in sensibus : ut allegoriæ, ut parabolæ, ut ænigmata. (4) In præsentem autem festivitatem duplex reperitur ænigma : unum, quia tres cruces, Christi scilicet, boni, et pravi latronis, promiscue occultantur, nec facile discernendæ sunt : aliud discriminatis illis crucibus, sub illis adhuc delitescit ænigma investigandum, quæ ænigmata (5) ut enodare valeamus in trina persona consideranda est crux. In persona justi, in persona scelerosi, in persona reprobi : et ubique est ænigma, 1. In persona justi, crux est ænigma faustum multumque diligendum ; 2. In persona scelerosi, crux est ænigma infaustum et lugendum ; 3. In persona reprobi, crux est ænigma horrendum et extimescendum.

I. PARS. Per ænigmatum nebulas obumbrata (6) est crux. Ænigma nunc facta est miseria nostra (7), exterius miseriam sonans, sed interius nihil minus quam miseriam sapiens. Ad ejusmodi ænigma enodandum duo desiderat Clemens Alexandrinus : Animi fortitudinem in patientibus, et sapientiam in hominibus de cruce judicium ferentibus. Certamen nostrum duabus opus habet virtutibus : audacia quidem, ut adeat pericula ; sapientia autem, ut discernat ænigma. (8) Homines seculo dediti utraque virtute carent : quia neque animi fortitudine pollent ut crucem adeant, neque sapientia sunt præditi ut de crucis ænigmate recte judicent ; exterius enim crucis duntaxat intuentes, quod nihil aliud sonat præter ignominiam, dolorem et horrorem, crucem despiciunt, fugiunt et oderunt, crucisque amatores stultos et miseros existimant : at stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ; quia æmulatur contraria contrariis redarguere. (9) Hominum scilicet sapientiam per ea quæ ab ipsis stulta existimantur. Igitur quia homo in sapientia non cognovit Deum, quem cognos-

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (2) Tert. L. de Res. 19. — (3) L. 7. Strom. — (4) Tert. L. de Jejun. 9. — (5) Abac. 2. — (6) Tert. L. de Res. 6.

(1) Hom. 40. in Matth. — (2) Tert. L. adv. Jud. 10. — (3) D. Aug. L. de Land. Cruc. — (4) Tert. Scorp. 11. — (5) Tert. L. de Res. 20. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 25. — (7) D. Chrysost. Hom. 2. ad Pop. — (8) L. 1. Strom. 4. — (9) Tert. L. 5. adv. Marc. 5.

cere debuerat, et Judæus in sapientia Scripturarum, et omnis gens in sapientia operum: ideo Deus idem, qui in sapientia sua non erat agnitus, statuit sapientiam hominum stultitia repercutere, salvos faciendo credentes quosque in stultam crucis prædicationem. (1) Seculi sapientes crucem non credentes, stulti sunt, Christiani e contra crucem credentes, sapientes sunt: nam *quid est stultum Dei sapientibus hominibus, nisi crux et mors Christi?* (2) Illi stulte crucem, infaustum ænigma existimant; isti crucem ut faustum ænigma experiuntur: nam istis, 1. Crux inhonorata, est honorabilis; 2. Crux dolorosa, delectabilis; 3. Crux odiosa, amabilis.

1. Antiquitus a crucis supplicio inseparabilis erat *contumelia, et turpitudine, et dedecoratio.* (3) Apud Romanos soli servi qui dominos vel enecaverant, vel occidere tentaverant, puniebantur cruce. Cives romani nunquam adeo infamem luebant pœnam; quapropter romanæ eloquentiæ princeps acriter in Verrem Siciliæ præfectum invehit, eo quod romanum civem cruci damnasset. *Facinus est vincire civem romanum; scelus est verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere* (4), et veluti vile mancipium punire? et non contentus sævi illius prætoris exaggerasse crimen, ut Senatores compassione commoveret, eosque ad Verris condemnationem induceret, concludit: *Si moriamur, saltem cum libertate moriamur: ut etiam moriendo a servorum conditione discriminemur.* Crux apud Romanos infamis, ignominiosior adhuc erat apud Judæos; nam hac pœna mulcebantur mancipia, et lex ipsa a Deo data crucis augere videbatur ignominiam, maledictionem vibrans in crucifixos; ideo Christus Dominus cruci affixus, fuit *ignominia hominis, et nullificamen populi.* (5)

Multiplici autem de causa tam infame supplicium pati voluit Dei Filius: 1. Ut sui amoris ostentaret magnitudinem. *Crucifixum audis, ut ex mortis ignominia magnitudinem sentias charitatis.* (6) 2. Ut ignominia nobis compararet gloriam, et *dedecore ejus salus nostra constaret.* (7) 3. Ut crucis ignominiam in gloriam commutaret. *Crucis ignominia, credentium facta est gloria.* (8) Gentilium philosophia gloriam nunquam cum ignominia sociare voluit: at Christus in quo sunt absconditi sapientiæ et scientiæ thesauri, crucis dedecus convertit in honorem: *Crux omnium*

fontis benedictionum, per quam credentibus datur gloria de opprobrio. (1) Hanc crucis benedictionem in Christo et per Christum factam, præfiguratam vult Tertullianus in benedictione quam Jacob manibus cancellatis, et in crucis modum positus contulit Josephi filiis. *Cum nepotes suos ex Joseph, Ephraïm et Manassem, Jacob capitibus impositis, et intermutatis manibus, benedixit, et quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes, jam tum portenderent benedictionem in Christum futuram.* (2) Animadvertit autem acute Lippomanus (3) quod Jacob manus in formam crucis commutans, idem est juxta Hebraismum, ac intelligens, prudenter agens, aspiciens et superponens. Jacob de cœlo afflatus, brachia in modum crucis deformans, felici auspicio crucis vaticinatur sublimitatem. Cœlesti intelligentia præditus Patriarcha absconsam intuetur crucis gloriam sub infamis supplicii dedecore occultatam. Arcanum illud religionis mysterium non percipit mundana prudentia, sed cœlestis duntaxat sapientia. Scelerosis hominibus in pœnam peccati Deus sapientiam abstulit, ut *crux Christi stultitia deputetur* (4): cœlestem sapientiam largitur justis, qua illustrati, ea quæ ad causam crucis pertinent *stultitiæ deputatæ* (5), probe cognoscunt, et non stultitiam, sed sapientiam existimant: divinam namque admirantur sapientiam quæ crucis ignominiam in gloriam commutavit, et sub apparenti crucis dedecore verum occultavit honorem.

Et ob hanc causam ait D. Chrysostomus (6) Christus in Thaboris monte transfigurari voluit, et gloriam sui corporis Moysi, Helix et tribus Apostolis demonstrare: *Ut crucis gloriam ostendat, et tam Petrum quam reliquos, qui passionem formidabant, ad sublimius erigeret. Non enim tacebant, inquit, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Jerusalem, de cruce videlicet et passione: quasi a gloria crucis, et ob gloriam crucis, sint beatæ Thaboris gloriæ; vel quasi idem sit loqui de cruce ac loqui de gloria. Huc alludere videtur Chrysologus (7) explanans Matthæi locum ubi scriba præsumptione inflatus dixit Christo Domino: « Sequar te quocunque ieris: » quasi posset cum Christo subire conflictum, ignominiam crucis subire per gloriam (8): tam gloriosa enim res est crux Christi, ut per gloriam subeunda sit. Et forte ob eandem rationem Christus passioni proximus clarificationem*

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (2) Tert. Ibid. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (4) Orat. in Ver. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (6) Chrysol. Serm. 60. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (8) D. Bern. Serm. 2. de Assumpt.

(1) S. Leo. — (2) Tert. L. de Bapt. 8. — (3) In Cap. 48. Gen. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (5) Tert. Ib. — (6) Ilow. 59. in Matth. — (7) Cap. 8. — (8) Serm. 19.

seu gloriam postulat à Patre. Ubi Chrysostomus opportune ad propositum Christum alloquitur : « Quid dicis ad crucem cum latronibus ac prædonibus ducendus, maledictorumque necem subiturus? deinde conspuendus et virgis percutiendus es atque alapis, et ista vocas gloriam? » (1) Quia scilicet crucis contumeliæ gloriæ militant, et in passionis officina sumptuosior excuditur gloria. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum.* (2) Non agam de qua gloria debeat intelligi, an de gloria divinitatis et filiationis divinæ, an de gloria humanitatis quam nactus est in resurrectione, an de utriusque manifestatione. *Post crucem res Christi clariores futuræ.* (3) Nam et ejus divinitas fuit cognita, humanitas glorificata, majestas cognita et existimata, expendam cum Hilario quod gloriam vocitat horam passionis. *Horam passionis ostendit, namque natus ex virgine, a cunis atque infantia usque ad consummatum venerat virum: per famem, sitim, lassitudinem, lacrymas, hominem egerat, etiamnum conspuendus, flagellandus, crucifigendus, clarificat pater filium: quomodo tandem? suffigitur cruci.* (4)

Inde concludit D. Chrysostomus : *Si gloria illi non in patrio throno, sed in contumelia reputata est, multo magis mihi istud pro gloria ducendum est.* (5) Quod attente considerans Paulus in sola Christi cruce gloriari desiderat : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* (6) Quasi dicat : Absit ut glorier in nobilitate, opibus, deliciis, potentia, aut quavis alia re, quæ vota hominum implet, et qua mundus sui amatores allicere solitat; absit ut glorier in apostolatus dignitate, verbi Dei prædicatione, miraculorum operatione, sublimi mysteriorum cognitione, aliisque prærogativis quas mihi contulit divina dignatio. *Poterat Apostolus gloriari in sapientia Christi, et verum diceret; poterat in majestate, poterat in potestate et verum diceret: sed dixit, in cruce, ubi mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit; ubi humilitas, ibi majestas.* (7) Quid? estne Paulo nefas gloriari in Christi Dei potentia, quæ tot miracula edidit, et tartareas potestates prostravit; aut in majestate, quæ a supernis spiritibus adorata fuit; aut in sapientia, quæ cælestem doctrinam disseminavit? Absit; longe sit a me, ait Apostolus, gloriari in Christi sapientia, majestate, potestate, ac

reliquiis elogiis quæ illum præcelsè sublimant: gloria in cruce præcipua mihi laus est; cæteri Apostoli, et Christiani in Christi Dei virtutibus gloriantur, crux mihi videtur præcipuum Christi elogium, et eximior Christi laus, ideo in Christi duntaxat contumeliis, cruciamentis, passione et cruce gloriabor.

Quod si Paulus tot privilegiis commendatus, de quibus merito poterat gloriari; nihil sibi gloriosius putat quam Christi portare opprobrium: *grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est.* (1) Probi Christiani, Christo grati, in crucis dedecore gloriantur: quos ideo Apostolorum princeps beatos vocitat: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescit.* (2) Tum quia Dei Spiritus adest illis qui pro illo adversa patiuntur; tum quia passionibus Deum glorificant; tum quia cum Christo patientes, cum Christo glorificantur; tum quia crux quæ fuit Christi gloria est Christianorum gloriatio. *Gloriatio sane Ecclesiæ catholicæ, est omnis Christi actio; gloriatio vero gloriatio est crux.* (3) Sumptuosior Christianorum gloriatio est crucis dominicæ contumelia, illius probro nobilitantur, illius dedecore honorantur; in adversis cum illo gloriantur, ut ipsimet fatentur apud Apostolum: *Gloriamur in tribulationibus* (4), quas pro Christo, vitæque christiana patimur, reputantes eas velut Dei dona et beneficia, Christianitatis indicia, futuræ gloriæ semina, et gloriatiois motiva et fundamenta. *Siquidem in tribulatione spes gloriæ, imo et ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine, sic et ipse fructus in semine est.* (5) Gloria in crucis ignominia, et deliciæ in doloribus quæ crucem comitantur, continentur.

2. Crux acerbissimos affert dolores: est etenim *his implexa sævitia* (6); cuncta supplicia dolorem afferunt, sed non æqualiter; at inter graviora, crucis tormentum acerbissimum est; tum quia pedes et manus partes corporis magis sensibiles, utpote magis nervosæ, transfiguntur; tum quia ejusmodi supplicium, *non subita dolorum concussione* (7) fuit vitam, sed longum iulligit dolorem. Ob has rationes vocitatur a Tertulliano *atrocitas crucis.* (8) Tale tormentum passus est patienter Christus, et suo exemplo nos ad tolerandas cruces stimulat, quæ licet dolorem præ

(1) Hom. 8. in Ep. ad Eph. — (2) Joan. 17. — (3) D. Chrysost. Serm. quod Christus sit Deus. — (4) L. 5. de Trin. — (5) Hom. 8. in Ep. ad Ephes. — (6) Gal. 6. — (7) D. Aug. Serm. 20. de Verb. Apost.

(1) D. Bern. Serm. 25. in Cant. — (2) 1. Ep. 4. — (3) D. Cyr. Hieros. Catech. 13. — (4) Rom. 5. — (5) D. Bern. Serm. 17. in ps. 90. — (6) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (8) Tert. L. adv. Jud. 10.

se ferant, si tamen ænigma sapienter intelligatur, iustus lætitiā et consolationem sapit: nam ut ait D. Bernardus: *Cru.x habet exultationem. Ita est, fratres mei, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat charismatum.* (1)

Duæ sunt lætitiæ species: una mundana, altera christiana, utraque ænigmatica: *Ut non possit altera species admittere ænigmata, altera excludere* (2) ejusmodi ænigmata, non eodem modo explicantur. Homines addicti seculo benigne mundanam voluptatem, et sinistre christianam lætitiā interpretantur: quos ironice sic pungit Tertullianus, *quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim, cum aliquid de gaudiis et de fructibus seculi metuit amittere!* (3) Nempe ignorantia humana dolorem, ærumnas atque tristitiā procul arcens, seculi autem gaudium et voluptatem captans sibi sapiens argumentatrix videtur; insipiens tamen vere est, inconsulte, absque prævia cognitione de vera et ementita lætitiā iudicium ferens: homines vero sapientia præditi, lætitiā quæ afflictionem et tristitiā consequitur, veram existimant, et mundanæ præponunt. Exemplum prodit Seneca (4) Canii Julii inter Romanos nobilitate generis, et animi magnanimitate conspicui, qui a Caio Cæsare injuste insecutus, post bona proscripta, filios occisos, diræ morti destinatus, cum ad supplicium duceretur, imperatorem optimum prædicans, ei gratias egit: *Gratias ago, optime Princeps.* At cur injusto et inhumano principi de bonitate gratulatur? Quia *adversa benigne interpretatur.* Ea fuit gentilis hominis quasi christiana prudentia, quæ necessaria est ad interpretandam, tum secundam, tum adversam fortunam: mundi enim et religionis lætitiā, bono indiget interprete, ut utriusque natura probe noscatur. Sic sapienter interpretatus est Moyses seculi voluptatem. *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filie Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem.* (5) Mundana felicitas, et vita quæ tota est in deliciis ab Apostolo peccatum nuncupatur, quia ad peccatum inducit. Ut autem Moyses fide illustratus, afflictionem mundanæ prætulit jucunditati, *maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, inproperium Christi;* sic fucati Christiani, fide destituti, post mundana gaudia semper anhelant. *Quam*

hujus amentie causam detineam, quam fidei imbecillitatem pronam semper in concupiscentiam secularium gaudiorum (1), nec unquam bona quæ christianas cruces comitantur considerantem.

Est omni consideratione dignissimum cur Deus Adamum (2) collocans in paradiso voluptatis, ubi justitia, sapientia, et innocentie candor elucebat, lignum scientie boni et mali posuerit. Arbor quidem scientie boni paradiso congruebat, at arbor scientie mali cum paradisi voluptatibus minime conveniens fuisse videtur. Deus in paradiso voluptatis posuit arborem scientie boni et mali, quia in fructu hujus arboris erat vis *ad sciendum cognoscibile boni et mali* (3): vix posset agnoscere bonum nisi pariter agnosceretur malum. Nam ut belle ad propositum philosophatur Lactantius Firmianus: *Nulla virtus esse poterat, nisi Deus diversa fecisset: neque omnino apparere vis boni potest, nisi ex mali compuratione: adeo malum nihil aliud est, quam boni interpretatio; sublato igitur malo, etiam bonum tolli necesse est.* (4) Sic caligat mortalium scientia, ut mali cognitio sit rei bonæ expositio; ex malo ægritudinis sanitatis commoda metimur; ex ærumnarum iubonitate felicitatis taxamus bonum; ex angore tristitiæ gaudii pensamus utilitates; ex tristitiā quæ mundanam consequitur jucunditatem, criminosa voluptatis explicamus ænigma, et ex lætitiā qua consolantur afflicti, christianam interpretamur tristitiā; quam ideo D. Chrysostomus mundanæ præponit lætitiæ: *Bona est talis tristitia, omni mundana melior lætitiæ.* (5)

Quod ex utriusque comparatione evidenter patebit. Nam, 1. seculi lætitiā falso tale sibi nomen arrogat, quapropter Amos propheta acerbe increpat eos *qui lætantur in nihilo.* Hebræa lectio habet *in non verbo*, id est, in non re; nomen enim est explicatio rei, quod autem non habet nomen, rem quoque non habet. Pagninus legit, *lætantur in eo quod non est aliquid*: res enim, et aliquid convertuntur, quod non est res, aliquid non est. Symmachus vertit, *frustra, sine causa.* Bonum est objectum gaudii: ubi non est res, nec aliquid, nec nomen, sed nihilum, ibi non est bonum; et consequenter qui lætantur in seculo, frustra et sine causa lætantur, quia lætantur in nihilo: at Christiani dum videntur tristes, vere lætantur: unde Jacobus Apostolus: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* (7)

(1) Serm. de S. Andr. — (2) Tert. L. de Res. 32. — (3) Tert. L. de Spect. 2. — (4) L. de Tranquil. vit. c. 14. — (5) Hebr. 11.

(1) Tert. L. 2. ad Uxor. 8. — (2) Gen. 2. — (3) D. Aug. L. 1. Locution. 1. — (4) L. 7. de divin. Præm. 5. — (5) Hom. 65. ad Pop. — (6) Cap. 6. — (7) Cap. 1.

Quasi dicat : In tribulatione situm est omne bonum, et consequenter omnis materia gaudii, tribulati namque gaudent ex Deo, gaudent cum Deo et gaudent de Deo. Gaudent ex Deo, cujus gratia eos lætificat : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (1) Mensura passionis mensura est consolationis, et quo major passio eo major accedit consolatio. *Sicut abundant Christi passiones in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.* (2) Afflicti gaudent cum Deo qui eos sua speciali præsentia consolatur. *Cum ipso sum in tribulatione.* (3) Quapropter ob gratiæ largitionem et divinam quam a Dei præsentia mutuabat lætitiā, se repletum consolatione Apostolus prædicat, et gaudii exuberantia consolatum in tribulatione declarat. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* (4) Tandem Christiani in tribulatione gaudent de Deo, quia Deus est objectum, tum motivum, tum terminativum gaudii illorum; juxta Regii Prophetæ effatum : *Plebs tua lætabitur in te.* (5) Lætitia quæ ex Deo, de Deo et in Deo non est, inanis, fallax et a lætitiæ vocabulo degener est. Inde concludit D. Augustinus : *Nunc ergo quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat, qui non potest perire.* 2. Mundi lætitia est mera illusio: tum quia est somnio similis in momento evanescent. *Profana gaudia somniis sunt simillima : veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priusquam comprehendantur volant:* (6) tum quia est phantasiæ figmentum quod delusa cogitatio fingit. Quare de hominibus pravis mundi voluptatibus deditis Deum deprecatur Propheta : *Decidant a cogitationibus suis* (7); monstra sunt, imaginationis figmentum : mundialem voluptatem mera phantasiæ excogitatio fingit ad placendi gratiam. Nam, ut ait Magnus Basilus, *postquam a veris in paradiso deliciis excidimus, spurias delicias nobis ipsis excogitamus.* (8) Spurias et adulterinas delicias appellat, quas falsatæ cogitationis phantasia adultérato conceptu, et fingendi licentia mentitur. Tum quia sensus præstigiant et concupiscentiam inflammant. *Est enim cupiditas illusio et mendacium. Propterea dicit Propheta : Lumbi mei impleti sunt illusionibus. Non est ea res voluptas, sed umbra voluptatis. Caveamus igitur falsas voluptates quas miseria nostra complectitur.* (9) Voluptuosas delicias illusiones

nuncupat : tum quia iis veritas non est, sed falsum duntaxat voluptatis spectrum; tum maxime quia in eis cupiendis et capiendis homines decipiuntur. Quod innuit Sapiens : *Risum reputari errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ?* Chaldæus vertit : *Risum dixi derisionem*; alii vero legunt : *Lætitia ipso calamitatis tempore, ridicula est.* (1) Sic est risus mera derisio, qui specie voluptatis decipit; promittit enim lætitiā et præstat tristitiā; quapropter aliorum Sapiens ait : *Risus dolore miscebitur*; ubi Galfridus : *Infelix mixtura est, si materia lugubris fallacem sibi induat formam; gaudium, et effectum lætitiæ causa tristis usurpet.* Post hæc nonne ridiculi sunt qui in mundo veram existimant lætitiā? Eosdem in seutos sapienter censet Olympiodorus, « insanire enim videntur, ac esse sui obliti, qui in loco miseræ et lacrymarum, lætandum sibi esse falso existimant. » (2) Quos ne irrideantur hortatur Anselmus ut mundanæ lætitiæ non arrideant : « Si mundus vel aliquid eorum quæ sunt mundi, ridet tibi, noli arridere illi. Certe non ridet tibi, ut in fine risus tu rideas : sed simulat risum ut te irrideat. Esto igitur semper cautus ut anticipes eum, et retorqueas fraudem ejus in eum : et cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum. Et certe nunquam veracius irridebis illum, quam si, cum ipse riserit contra te, tu flevieris contra illum. » (3) D. Chrysostomus postquam luctum mundanæ prætulit lætitiæ : *Lugentem omnibus gaudentibus præpono* : (3) Christianos a vana mundi voluptate avocare nititur. *Neque delicias quæramus, ex quibus multa tribulatio paritur, et angustia, et ad lacrymas et luctum stimulare conatur. Lacrymas fundamus multas seminantes voluptates* : lacrymæ namque seminant peccatorum veniam. *Affligamur tribulatione ex qua venia nascitur* (4) : seminant animi tranquillitatem : *Virtus solatissimo est ingenio*; seminant cordis consolationem juxta istud Davidicum : « Dedisti lætitiā in corde meo. » (5) Ut autem acute animadvertit D. Chrysostomus, *non dixit simpliciter et absolute : Dedisti lætitiā, sed, in corde meo, ostentans quod nulla est in rebus externis lætitiā : hæc enim non est cordis, sed oculorum tantum lætitiā.* Belle oculorum lætitiā; quia oculos duntaxat pascit, et aspectu deforis oblectat, non autem interius intrat nec mollit pectus : lætitiā autem quam Deus largitur Christiano tribulato, est cordis lætitiā. « Mel et lac sub lingua ejus. » Nimirum sub lingua Christi in

(1) Psal. 95. — (2) 2. Cor. 1. — (3) Psal. 90. — (4) 2. Cor. 7. — (5) Psal. 84. — (6) Phil. Jud. 1. de S. Joseph. — (7) Psal. 5. — (8) Hom. 11. in Hexam. — (9) D. Chry. Hom. 5. in Ep. ad Hebr.

(1) Costus. — (2) L. 1. Ep. 1. — (3) Hom. 65. ad Pop. — (4) D. Chrysost. Phil. Jud. L. de Abrah. — (5) Psal. 4.

cruce aceto potati. *Acetum cum felle mixtum quod degustavit prælibans, non bibens, in vini et lactis transiit saporem: hanc et tu fidelis anima tibi commutationem futuram confide.* (1) Christianus virtute præditus, dum tribulatione premitur, aceto ac felle potari videtur; sed vinum, lac et favos medullitus gustat: foris molesta patet amaritudo et acor peracerbus, intus vero in secessu cordis suaviter potatur et deliciatur: *Hoc est manna absconditum quod nemo scit, nisi qui accipit.* (2) Manna omne delectamentum in se occultabat, et Deus in corde timentium se magnam abscondit dulcedinis multitudinem. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti mentibus te!* (3) Dulcedinem intensione magnam, et extensione, et numero, multam abscondit Deus in corde eorum qui eum timent, et patienter tolerant ærumnas. Hanc lætitiæ magnitudinem et multitudinem gustabat ille qui sic apud Vatem Regium fatur: *Secundum multitudinem dolorum, meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (4) Deus lætitiæ amaritudine contemperat; doloris multitudinem, consolationis multitudine sublevat idcirco *nostra culpa est, quod non sapit quæ pro Christo est tribulatio, nec gustamus et nos manna absconditum.* (5) Hoc manna absconditum est deliciosa jucunditas et jucunda lætitia, quæ in mœsta tribulatione justis animitus perfunduntur. Illa fruebantur Apostoli inter injurias quibus cædebantur, verberaque quibus dilaniabantur. « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » (6) O novam gaudendi causam! *Non dixit, quod non dolebant, sed quod dolentes gaudebant,* (7) Dolor fuit illis gaudendi occasio. Non erant insensibiles ad doloris acerbiteriam, sed e converso ex doloribus eorum gaudium mutatum est, quod tanto fuit majus quo contumeliarum et dolorum sensus fuit acerbior. Ad quod alludere videtur princeps Apostolorum cunctos adhortans Christianos: *Communicantes Christi, passionibus gaudeate.* (8) Non negat Petrus tristitiam esse velut appendicem et sequelam calamitatis: sed asseverat ut commentatur D. Thomas, quod veris Christianis *tristitia est eis materia gaudii.* Lætitia e tristitia materiata tristitiam evacuat, et mirrissima metamorphosi ita in spirituale gaudium refingit, ut non pati pro Christo existiment lætitiæ detrimentum. *Non detrimentum ducentes pati, sed non pati.* (9)

(1) Gilb. Abb. Serm. 40. in Cant. — (2) Apoc. 2. — (3) Psal. 50. — (4) Psal. 39. — (5) D. Bern. Serm. de S. Andr. — (6) Act. 5. — (7) D. Chrysost. Hom. 34. in Act. — (8) 1. Petr. 1. — (9) Greg. Naz. Orat. 2. de Pace.

Homines seculo addicti in ærumnis tristantur, non vero Christiani qui scelerosis mundi renuntiarunt voluptatibus. *Contristetur illic, qui fructum seculi suspirat.* (1) Tantum abest ut ærumnis tristentur, quin imo pro Deo non pati tristantur, et dum patiuntur lætantur: quapropter non lætemur *gaudio inutili quod est mundi, quod statim extinguitur, et infinitos parit mœrores. Tristemur potius tristitia gaudii genitrice, non autem lætitia tristitiæ parente.* (2) Et hæc est quarta comparatio quæ lætitiæ mundialis, et tribulationis christianæ explicat ænigma. Nam lætitia mundialis æternum parturit dolorem, tribulatio christiana interminabilem generat jucunditatem. De criminosa mundi voluptate intelligendus est Sapiens, « extrema gaudii luctus occupat »: ubi Galfridus: *Et luctus sane non mixtus, mixtus occupabit extrema: quod vero extremum fuerit, erit æternum.* (3) Duplex est peccatoris luctus: unus mixtus, alter non mixtus. Ille est mixtus cum aliqua voluptatis umbra, et ob hanc causam voluptates seculi tristes voluptates appellat Philosophus moralis: *Sunt quædam tristes voluptates.* (4) Non mixtus nullam gaudii admittit mixturam. Ille est temporalis, hic æternus: fletu mixto flet criminiosus in hoc mundo; fletu vero non mixto in inferno. Ex adverso duplex est justis lætitia: una viæ, altera patriæ: illa habet admixtum luctum, sed qui eum delectat; nam ut fatur D. Macharius, *habent Christiani consolationem spiritus, lacrymas, luctum et planctum; suntque illis et lacrymæ deliciarum loco.* (5) Eodem modo disserit D. Chrysostomus: *Nulla res est æque jucunda atque luctus, qui ex Deo est.* (6) Ista est defœcata, nullumque admittit fletum et dolorem; et ob hanc causam beatos lugentes proclamat Christus Dominus: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. » (7) Quem locum elucidans, D. Chrysostomus, ait: *Dic mihi ubi consolabuntur? et hic profecto, et quod est amplius in futuro. Itaque si vis consolari, luge:* (8) quia æternum illud gaudium quod cum dolore et lacrymis non est permixtum, lacrymarum imbribus fecundatur, et doloris amaritudine generatur. Idcirco *Apostolus ut cum fletibus fleamus permittit quod hujusmodi lacrymæ sunt seminum quoddam ac sænus quibus æternum illud gaudium increscit quotidie, et accumulatur.* (9) Æterna tristitia est finis ad quem tendit voluptas

(1) Tert. L. ad Mart. 2. — (2) D. Chrysost. Hom. 65. ad Pop. — (3) Prov. 14. — (4) Epist. 68. — (5) Hom. 15. — (6) Hom. 24. Ep. ad Ephes. — (7) Matt. 5. — (8) Hom. 15. in Matt. — (9) D. Basil. Hom. 4. de Grat.

scelerosa seculi ; æterna lætitia est terminus ad quem terminatur tristitia Christiani : *Non est sapientis gaudere ut doleat , sed ad tempus lugere ut semper gaudeat ; infelix quippe est commutatio de jucunditate in luctum , de gemitu vero beata est in gaudium commutatio.* (1) Quod exemplo divitis gulosi , et Lazari pauperis declarat Tertullianus : *Sed nec apud inferos admonitio cessavit , ubi in divite quidem convivia cruciantur , in paupere vero jejunia recreantur.* (2) Non absimiliter æterna lætitia recreantur in cœlo qui fausto ænigmate , crucem seculo odiosam amaverunt.

3. Dilectionem docuit Christus Dominus , non sermonibus modo in præcipiendo , sed etiam passionibus in sustinendo (3) crucis ignominiam et acerbiteriam quam adversabantur Gentiles et Judæi. Patienter passus est Christus : Christi passionem attendens , D. Augustinus exclamat : *Grande et profundum mysterium crucis , et ineffabile vinculum charitatis ! per crucem ad se traxit omnia Deus.* (4) Tria de cruce asseverat Augustinus : 1. In illa ineffabilem Dei agnoscit charitatem. *Scire autem supereminentem scientiam charitatis Christi , est scire quantum ille nos amavit* (5) : quantum vero nos amaverit Christus dignoscendum est ex ignominia et passionibus crucis quas pro nobis passus est : *Certe Christus dilexit hominem , propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem , et mortem crucis.* (6) Addit , 2. D. Augustinus per crucem omnia ad se traxisse Christum , scilicet per vincula charitatis quam in cruce demonstravit , ad se traxit homines , juxta Osee vaticinium : *In vinculis charitatis traham eos.* (7) Quot dolores in cruce pertulit Christus , tot sunt amoris ipsius monumenta , totque vincula quibus homines ligat et ad sui amorem allicit , quomodo præfatum Osee locum expendit Villapandus : *Doloribus et afflictionibus traham quæ sunt mei erga illos amoris pignora.* Tandem , 3. Grande et occultum mysterium in cruce recognoscit D. Augustinus : quod ut enodet quærit aliorum quid sit crucis significatio , et quare Dominus in patibulo se pati elegerit. « Ad quod tripartita redditur ratio : prima , ut Christus pro reatu mundi redemptio daretur ; secunda , ut superbia seculi , et inflata sapientia , per crucis stultam , ut putatur , prædicationem humiliata , corrueret , et sciret id quod stultum est Dei sapientius esse hominibus ; tertia , ut secutoribus hominibus

(1) D. Cyril. Alex. L. 1. Ap. Mor. 9. — (2) Tert. L. de Jejun. 16. — (3) Tert. L. de Pat. 3. — (4) Serm. de Laud. Cruc. — (5) D. Aug. Serm. 1. in psal. 103. — (6) Tert. L. de Carn. Christ. 4. — (7) Cap. 11.

vitæ præberet magisterium. » (1) Sapientia crucem horrebat , quia per eam scelerosi infamia notabantur , et acerbos tolerabant cruciatus : Christus , ut tolleretur crucis horrorem ejusque ingeneraret amorem , ignominiosum et acerbum crucis pertulit supplicium : *Tria quædam præcipua in hoc opere salutis nostræ intueor : formam humilitatis in qua se Deus exinanivit ; charitatis mensuram , qua crucis usque ad mortem , et mortem crucis expendit ; redemptionis sacramentum , quo ipsam mortem quam pertulit , sustulit ,* (2) crucis auferens ignominiam , hominesque suo exemplo ad amorem crucis stimulans. *Extremum genus elegit mortis , ne aliquod genus mortis ejus martyres formidarent.* (3)

Nihil urgentius ad tolerandas quaslibet cruces , tribulationes , infamias et dolores , quam exemplum Christi crucifixi , qui doctrinam ostendit in homine , exemplum patientiæ monstravit in cruce. (4) Christus Dominus in cruce demonstravit omnipotentiam et patientiam : non vult autem ut homines ejus æmulentur omnipotentiam , sed ut patientiam imitentur : quia *crux non ad omnipotentiam documentum , sed ad patientiam exemplum suscepta est.* (5) Sicut in cruce , sua patientia dilectionem erga homines demonstravit , ita homines patienter tolerando adversa , suam Christo ostendant dilectionem : *Hanc Deo magistro patientia comitatur.* (6) Christus nos usque ad crucis mortem dilexit : Christianus ardentem Christi crucifixi amorem considerans , divini illius amantis dilectione totus ignescit : verum quantumvis ardentem eum diligat , nunquam attinget dominicæ charitatis magnitudinem : *Sed nunquid amatis , quantum ille nos amavit ?* (7) Christus ut nos diligeret , velut semetipsum est oblitus , ut huic amori quodammodo respondere valeamus. *Amandus est Deus , ita ut , si fieri potest , nos ipsos obliviscamur :* (8) et jugem crucem Christi conservemus memoriam. *Semper passio sit in memoria nec terreant crucifixi hæredes mortis supplicia.* (9) Christus nostri amore acerbissima passus est tormenta ; pro Christi amore simus parati ad omne tormentorum genus. *Nihil tam durum tamque ferreum quod non amoris igne vincatur* (10) : Christus ingentes crucis dolores patientissime tulit : patienter omnia adversa sustinebimus , si Christum vere amaverimus : *dilectio omnia sustinet , omnia to-*

(1) Serm. 181. de Temp. — (2) D. Aug. Ep. 195. ad Innoc. — (3) D. Aug. L. 1. de Symb. 3. — (4) D. Aug. 1b. — (5) D. Aug. Tract. 3. in Joan. — (6) Tert. L. de Pat. 12. — (7) D. Aug. in ps. 105. — (8) D. Aug. Serm. 54. de Verb. Dom. — (9) D. Cyp. Serm. de Cœn. Dom. — (10) D. Aug. L. de Mor. Eccles. c. 21.

lerat, utique quia patiens. (1) Christus sua passione tulit opprobrium et horrorem crucis: *Nec jam amatoribus crucis mori magister sit horrori, neque pœna sit dolori, nec passio sit pudori, cum hæc omnia vitæ nostræ sint instrumenta* (2): potissimum justo cui crux est faustum ænigma, non autem criminoso cui crux est ænigma lugendum.

II. PARS. Christianos belle nuncupat Tertullianus *crucis religiosos*. (3) Religiosi tria debent statui quem profitentur: illum scilicet existimare, amare, et medio statu salutem suam procurare; Christiani crucis religiosi tria ejusmodi præstare cruci tenentur: eam existimare, amare, et per eam salutem suam procurare. Ob trinum illum debitum trina cruce signantur in baptisimate: supra caput, supra pectus, et supra humeros. Caput est sedes sapientiæ, pectus occultat cor, quod est principium amoris, et humeri destinati sunt ad portandum onus vitæ necessarium. Renatus signatur cruce super caput, ut eam existimet; signatur supra cor, ut crucem amet; signatur supra humeros, ut portando crucem, salutem suam procuret: at scelerosus neque crucem existimat, neque crucem amat, neque pro procuranda sua salute crucem portat, et ita sicut in persona justis crux honorata, amata et delata, est faustum ænigma, ita econverso in persona criminosis ænigma lugendum est crux, 1. Inhonorata; 2. Aversata; 3. Repudiata.

1. Christus opprobrium crucis pati voluit, tum ut *ignominiam primi delicti* (4) quam in Adamo contraxeramus deleteret, tum ut a cruce ignominiam auferret: « Crux jam de pœna generis humani sublata est; cum enim sub antiquis scelerosis crucifigerentur, modo nullus crucifigitur, honorata est, et finita est, finita est pœna, manet in gloria » (5); tum ut Christianus crucem ferre non erubescat. *Nec est de crucis maledicto erubescendus* (6); et ob hanc causam signatur in fronte, *ne de cruce Christi erubescat. In fronte illam figat, ubi sedes est pudoris, ibi omnino, ibi in quo membro erubescitur, ibi figatur unde non erubescitur.* (7) Est quidem erubescendum pati pro crimine tanquam scelerosus et iniquus. Pœna quam justis iudices scelerosis et sœntibus infligunt est infamis, et erubescitiam causat; at pati pro Christo, pro religione cruces et adversitates ferre, pœnitentiæ fructus facere, jejunare, carnis concupiscentiam mortificatione reprimere,

non solum non est ignominiosum, sed etiam est gloriosum, honorabile et laudandum. Quod innuit Apostolorum Princeps Christianos alloquens: *Ne quis vestrum patiatutur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alieni speculator. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Christum in isto nomine.* (1) Cujusmodi erant primi Christiani, qui suo martyrio Christum glorificabant, neque erubescabant atrociora quæque tormenta pro ejus nomine pati: *Neque de Christo erubescimus, cum sub nomine ejus deputari et damnari juvat.* (2) Quia vero hac ætate tyranni non persequuntur Ecclesiam, prohi Christiani qui pro Christo non possunt subire martyrium, adversus veterem hominem arment suum zelum: *Scientes quod vetus homo noster simul crucifixus est.* (3) Vetus homo, id est, homo scelerosus, concupiscentiæ vitio depravatus, vitiis assuetus, est simul cum Christo crucifigendus. Quam ob causam simul cum Christo crucifigendus est? Tum quia propter ipsum crucifixus est Christus: *Si quis igitur Christi est, amet se zelo vindictæ contra persecutorem Christi. Clamemus ad alterutrum pro Christo contra inimicum Christi: Crucifixit, crucifigatur: sic fecit, sic fiat ei: dignus est cruce, reus est mortis.* (4) Tum ut destruatutur corpus peccati (5), id est, tota peccatorum massa, quæ quasi est unum corpus veteris hominis, cujus membra sunt libido, avaritia, superbia. At quomodo vetus ille homo crucifigendus est? Mortificatione, pœnitentia, austeritate, ut corpus in peccato conceptum, nutritum, et peccare solitum, destruatutur, non substantia, sed qualitate; non natura, sed vitio: *uti evacuetur corpus delinquentiæ, per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ.* (6)

Prohi Christiani veterem hominem cum Christo crucifigunt, et per mortificationem et pœnitentiam corpus castigant, enervant, destruuntque vitia ad quæ fertur concupiscentia, et quia mundus innatam sufflammat concupiscentiam, mundus illis crucifixus est, et ipsi crucifixi sunt mundo ad instar Apostoli, qui de semetipso asseverat: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (7) Quasi dicat, expendit Bernardus: Quæcunque mundus reputat crucem, ego delicias reputo, et quæ mundus delicias, ego reputo crucem. Paulus mundo mortuus et crucifixus erat, mortuus quidem quia insensibilis ad vanas hominum laudes, gulæ delicias, voluptates,

(1) Tert. L. de Pat. 12. — (2) D. Cypr. Serm. de Res. Chr. — (3) Tert. Apol. 16. — (4) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (5) D. Aug. Serm. 2. in psal. 44. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (7) D. Aug. in psal. 44.

(1) Tert. Scorp. 12. — (2) Tert. Apol. 21. — (3) Rom. 6. — (4) Bald. apud Tilm. in Alleg. — (5) Rom. 6. — (6) Tert. L. de Res. 47. — (7) Gal. 6.

lascivias, divitiarum concupiscentias, honorum dignitatumque illecebras, aliaque ad quæ suspirat mundus, quorum lenocinio vix aut ne vix quidem tangebatur. Addit Bernardus: *Non solum mortuus mundo, sed et crucifixus, quod est ignominiosum genus mortis.* (1) Mundus in cruce ignominiam, in fortunæ bonis gloriam ponit; Paulus contra in cruce gloriam, et in mundo ignominiam recognoscit: ideoque crucifixus est mundo, et mundus illi, quia crucem quam mundus contemnit, ille existimat; crucem quam mundus horret, ardentem amat, et e converso divitias, delicias et seculi glorias aliaque ejusmodi, quæ mundus existimat et amat, Paulus despicit et horret. *Omnia quæ mundus amat crux mihi sunt: quæ vero mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu.* (2)

Scelerosi Christiani non crucifigunt veterem hominem, sed potius ejus concupiscentias fovent et nutriunt. Non destruunt corpus peccati per pœnitentiam et mortificationem, sed assuetis vitiis inhærendo corpus peccati conservant et defensant, tantum abest ut crucifixi sint mundo, et mundus ipsis; quin potius mundum existimant et diligunt, cruces vero contemunt et aversantur. Vita crucifixa ita illis videtur ignominiosa, ut pœnitentes et austeritatem sectantes, habeant uti infames: in deliciis, divitiis, lasciviis et vanitatibus gloriantur, et de pœnitentia, mortificatione, cruce, crucifixo erubescunt, et *necessarium dedecus fidei* (3) destruere moliantur: dedecus, vel potius fidei decus est crux et passio Christi qua humanam operatus est salutem, ut eis exprobrat Tertullianus: *Totum Dei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis:* (4) quodnam est autem sacramentum humanæ salutis nisi *ligni sacramentum* (5), nisi *sacramentum passionis* (6), quam in cruce per tulit Salvator? Postquam suo dedecore Christus humanam operatus est salutem, de crucifixo et de cruce erubescere non debet Christianus. *Crucifixus est Dei Filius, non pudet quia pudendum est.* (7) Quia pudendum videtur sensui humano, et stultæ mundi sapientiæ, non pudet tamen Christiano, quia cœlestis Dei sapientia non pudendum, sed gloriantum existimat: qui crucifixum et crucem non erubescit, bene est impudens et feliciter stultus. *Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem, et feliciter*

stultum (1); qui vere crucifixum et crucem erubescit, est infeliciter sapiens, et male pudoratus: ille bona sua impudentia et felici stultitia, meretur, ut de eo Christus in die judicii gloriatur: *Salvus sum, si non confundar de Domino meo.* (2) Iste malo suo pudore, stultaque sapientia, non salutem sed damnationem sibi comparat, de quo Christus in die judicii confundetur. *Qui mei, inquit, confusus fuerit, confundar et ego ejus.* (3) Hac pœna merito mulctabitur scelerosus Christianus ob crucem inhonoratam et aversatam.

1. Si ingratus Deo est qui ejus *beneficium non honorat* (4), quanto magis qui crucem, quæ est *gratia ineffabilis* (5), non amat? Christus Dominus in cruce suam homini demonstravit dilectionem, ut homo in ærumnis redderet et vicem: quo modo hunc Cantorum locum: « Dilectus meus mihi, et ego illi », expendit Bernardus: *Notam fecit dilectionem suam, experiatur et tuam; sustinuit te dilectus, sustine tu dilectum; non illum vivere peccata tua, te quoque ipsius flagella non superent.* (6) Homines tamen scelerosi a Deo usque ad mortis crucem amati, Deum in ærumnis et adversitatibus non diligunt, quia cruces quibus eos probare nititur non amant. Nam ut sapienter ratiocinatur D. Chrysostomus: *Si crucem amarent, vitam crucifixam agerent.* (7) Quantum ingrati illi Christiani discriminantur a beato Ignatio, qui ut Christi crucifixi recognosceret amorem, Christo erat con crucifixus: *Amor meus crucifixus est, non mihi placet voluptas vitæ hujus: Christo crucifixus sum.* (8) Magna sane ingratitude non amare cruces quas offert Christus ad amoris experimentum et probationem, sed multo major cruces aversari. Tantam ingratitude non nisi cum fletu et lacrymis valuit propalare Apostolus: *Multi enim ambulat, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico inimicos crucis Christi.* (9) At quinam sunt illi crucis inimici? Imprimis luxuriosi, quorum finis interitus, et gloria in confusione ipsorum: ut enim belle ait ad propositum D. Hieronymus: *Vexillum crucis, et prædicationis austeritas, idolorum templa destruxerat: e regione luxuria, subvertere nititur fortitudinem crucis.* (10) Crucis fortitudo evigoratur, enervatur libidinis vigore; adimitur cruci quod luxuriæ adjicitur. Libido

(1) Serm. 7. Quadrag. — (2) D. Bern. Ibid. — (3) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 27. — (5) Tert. L. adv. Jud. 15. — (6) Tert. L. adv. Jud. 10. — (7) Tert. L. de Carn. Christ. 5.

(1) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (2) Tert. Ibid. — (3) Tert. Ibid. — (4) Tert. L. de Pœn. 5. — (5) D. Aug. Serm. Laud. Cruc. — (6) Serm. ad Nat. Virg. — (7) Ser. de Cruc. — (8) Ep. ad Rom. — (9) Philip. 3. — (10) L. 2. adv. Jovin.

adeo cruci hostiliter adversatur, ut eam de medio tollere totis nitatur viribus: ideoque *si crux Christi voluptati adversatur, et voluptas cruci, quomodo excusari possunt voluptatis amatores, ut non judicentur crucis persecutores?* (1) Gentiles ut Christianis auferrent dominicæ crucis notitiam, erexerunt idolum Veneris in loco ubi occultata erat crux Christi, et voluptas, ut a corde Christiani arceat crucis amorem, in eo collocat Veneris statuam. Et quia *monstrum haberetur libido sine gula* (2), gulosi quorum Deus venter est, sunt adhuc crucis inimici, quos *mirarer si sola luxuria tenerentur, et non etiam ingluvie lacerarentur, qua jejunia oderunt.* (3) Neque minus oderunt crucem qui terrena sapiunt, apud quos crux stultitia existimatur, et cuncta quæ Christi passionem spectant, stulta censentur. *Sunt plane et alia tam stulta, quæ pertinent ad contumelias et passiones Dei* (4), et generatim cuncti peccatores, crucis sunt inimici; et quod desendum est magis, Christum crucifigunt, despiciunt et aversantur.

Inter Christi hostes principatum videntur tenere Judæi, quia illum injuste persecuti sunt, et crudeliter affixerunt cruci. Scelerosi Christiani suis criminibus Judæorum iniquitatem et sævitiam æmulantur, rursus Christum crucifigentes. *Rursus crucifigentes sibi met ipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* (5) Ut autem appareat quantum sint ingrati ejusmodi Christi persecutores, singula Apostoli verba expendenda sunt. *Rursus crucifigentes.* Semel Christus a Judæis crucifixus est: at quot peccata lethalia committunt scelerosi Christiani, toties Christum crucifigunt: *Proh scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt.* (6) His verbis pungit Tertullianus idolorum artifices, quæ feriunt adhuc indigne communicantes, possuntque cunctis criminosis aptari Christianis, qui suis criminibus Christum iterum crucifigunt: dant etenim causam crucis et mortis, faciendo rursus id propter quod Christus crucifixus et mortuus est, scilicet peccata propter quæ delenda subiit crucis supplicium: unde nisi mors Christi ob suam efficaciam et copiosam hominum redemptionem, et superabundantem satisfactionem divinæ justitiæ factam sese extenderet ad omnia peccata cunctis seculis futuris facienda et iteranda, oporteret Christum toties mori et crucifigi, quoties peccant homines: sicut sacrificia Aaronica et victimæ toties

mactari et offerri debebant, quoties Judæi peccabant. Cajetanus legit *recrucifigentes*, additque quod hæc per scelus iteratum *recrucifixio est*; quodammodo gravior et acerbior Christo, illa, qua a Judæis atrociter patibulatus eruenta occubuit: quia crucem a Judæis paratam libenter ascendit, crucem vero a peccatoribus formatam, reluctanti ac offenso animo patitur, in eaque invitus pendet: voluntaria autem tormentorum susceptio, minuit et mitigat eorum acerbiter, repugnantia vero et nolentia dolores exacerbatur, et pœnarum sensum adauget. Idecirco D. Augustinus Christum sceleroso Christiano suum scelus exprobrantem inducit: « Cum expulsus de paradiso, mortis vinculis propter peccatum tenereris, carnem assumpsi, in præsepio expositus, et pannis involutus jacui, infantie contumelias, humanosque dolores pertuli, iridentium palmas et sputa suscepi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus expiravi: en clavorum vestigia, quibus affixus pependi; en perfossum vulneribus latus. Cur quod pro te pertuli perdidisti? cur, ingratus, redemptionis tuæ munera renuisti? cur habitaculum quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pependeram, afflixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quam illa in quam tui miseratus, mortem tuam occisurus ascendi. » (1) Addit Apostolus: *Sibimet ipsis crucifigentes*, quia scelerosi Christiani suis sceleribus efficiuntur crux, in qua invisibiliter crucifigitur Christus. Quod sic declarat D. Bernardus: *Fortasse crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus.* (2) Quanto major est Christi dignitas, tanto majus est scelus crucifigentium *Filium Dei.* Horrendum illud crimen a doctoribus Christicidium et Deicidium nuncupatur, et inhumani illi peccatores Deicidæ merito possunt appellari rursus crucifigentes *Filium Dei, et ostentui habentes.* Tum quia Dei contemptus in peccato includitur; tum quia peccatores Christum despiciunt, iterando quantum in ipsis est ignominiosum crucis supplicium; tum quia Christum ejusque passionem irrisioni Gentilium exponunt. Christiane, quid iterum peccando crucifigis Christum, qui pro te crucifixus est? Judæorum injustitiam et inhumanitatem imitaris: horreas crudeles Christi carnifices, qui sacratissimum ejus corpus infami affixerunt patibulo; detestare peccatum quod te refingit in crucem, qua

(1) Bald. apud Tilm. — (2) Tert. l. de Jejun. 1. — (3) Tert. lb. — (4) Tert. l. de Carn. Christ. 5. — (5) Hebr. 6 — (6) Tert. l. de Idol. 7.

(1) Serm. 67. de Temp. — (2) Serm. 4. in Vigil. Nat.

iterum Dei Filius crucifigitur, et si non vis de tua iniquitate puniri, quære crucem quam lugendo anigmate, repudiant scelerosi.

3. Locus in quo delitescerat crux dominica, vocitari poterat *divini thesauri conditorium* (1): quia in illo erat occultata crux Christi: *crucis namque incomparabiles divitias occultabat.* (2) In sepulcris olim regum et principum, præcipua eorum ornamenta, auri, gemmarum thesauri abscondebantur. Juxta Regis regum Christi monumentum occultata fuerat crux quæ *omnium nobis est bonorum thesaurus* (3), cujus inventionem hac die celebrat Ecclesia. Ut enim ait Andreas Hierosolymitanus antistes, « hodie diem festum celebramus, propterea frequenter convenimus: quia sanctum illud quod olim latebat, hodie evasit manifestum; quia thesaurus qui fuerat absconditus in terræ meditullio, refulsit sicut aurum. » (4) Quomodo autem pretiosus dominicæ crucis thesaurus quæsitus et inventus fuerit enarrat D. Ambrosius. (5) Helena, Constantini mater, quia Christum ferventer amavit, ejus crucem diligentissima cura quæsit et invenit. A trecentis et amplius annis latebat sanctum redemptionis humanæ instrumentum: at Helena cum primum Constantinus auspicio crucis, cujus signum apparuerat in aere, debellavit, ut grata foret sibi, proposuit inquirere crucem, credens se thesaurum inæstibilem reperturam, si sacrum illud signum posset invenire, orbique adorandum proponere: quæ ut fieret voti compos, jam octogenaria Hierosolymam venit, regioque comitatu omnique clero stipata, accessit ad Golgotham, et ait: « Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, et non invenio. Ego in regnis, et crux Domini in pulvere; ego in aulis, et in ruinis Christi triumphus; ille adhuc latet, et palma vitæ æternæ; quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video, quid egeris, diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur. » Diabolus, ut Christianis crucis dominicæ auferret notitiam, adhibuit Judæos et Gentiles, velut malitiæ ministros: nam Judæi Christi crucem cum latronum crucibus permixtim sepelierunt; Gentiles vero, in Calvariæ loco, Veneris statuam erexerunt. Verum dæmonis astutia ab Helenæ pietate devicta est: quam ideo D. Ambrosius Deiparæ comparat: utraque enim diabolum superavit. Maria quidem, quia dæmonis edidit

triumphatorem. « Vidit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine immutatione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vince- ret te, et mortuus subjugaret. » Helena quoque quia crucem diaboli malitia latitantem quæsit et invenit, « vinceres et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. » Quare Helenam sic diabolum alloquentem induxit Ambrosius: « Illa quasi sancta Dominum gestavit, ego crucem ejus investigabo; illa generatum docuit, ego resuscitatum; illa fecit ut Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum, divinum de ruinis elevabo vexillum. » Postquam Ambrosius Helenam Deiparæ contulit, illam matri filiorum Zebedæi præfert: « Anxia mater pro filio, cui regnum orbis romani cesserat, festinavit Hierosolymam, et scrutata est locum dominicæ passionis. » Plus sollicita fuit Constantini Imperatoris mater quam mater filiorum Zebedæi: longum suscepit iter, profecta que est Hierosolymam, non ad comparandum regnum, sed ad inveniendum absconditum thesaurum, quem orbis imperio præferebat, et super aurum et topazion diligebat, aïens cum Sapiente: *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in comparatione illius.* (1)

Quanto cum gaudio inventa et miraculose agnita fuit, tandiu occultata: *In thesauris reposita et parata* (2) crux dominica! etenim si evangelica mulier inventa drachma quam perdidit lætatur, quanto magis exultat Helena, de inventione sanctæ crucis, quæ est *infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie Dei, propter disciplinæ dona commendati!* (3) Hæc autem disciplinæ dona, quibus homines commendantur, divina amicitia donantur, cœlestibus gazis opulenter ditantur, sunt adversitates, tribulationes, cruces; nam, ut belle ait D. Chrysostomus, *calamitatum nomina philosophantibus sunt tantum nomina* (4): at penes christiane sapientes, non calamitatum, sed divitiarum nomina mœrentur, *cum cœlestes divitiæ non nisi damno seculi possidentur.* (5) Cœlestes illæ divitiæ, ex quibus infinitus ille conflatur thesaurus, *mouilia crucum sunt* (6): quam desiderandus est ille thesaurus quo nobis Dei comparamus amicitiam. Si terreni thesauri, qui sunt incentiva vitiorum, tantopere æstimantur a

(1) Tert. L. de Res. 44. — (2) Petr. Dam. — (3) D. Hier. in cap. 8. Jerem. — (4) D. Aug. Serm. 150. de Temp. — (5) Orat. in fest. S. Cruc. — (6) De obitu. Theodos.

(1) Cap. 7. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 22. — (3) Sap. 7. — Hug. Card. In cap. 5. Sap. — (4) Hom. ad Pop. — (5) Pasch. L. 5. in Matth. — (6) Tert. Apol. 16.

mortalibus, quæ sibi faciunt amicos de mammona iniquitatis, quanto magis existimandus est tribulationum thesaurus in quo charitatis aurum, virtutum adamantes, meritorum smaragdi, et Deus ipse reperitur? Et hæc est ratio cur adeo ardentur Martyres, perfectique Christiani anhælabant post cruces, quia *habebant ubi quærerent Christum*, (1) qui erat thesaurus ubi cor suum hærens habebant. Nam *omne quod diligitur a diligente, sollicitè quæritur* (2): quam sollicitè quærit canis lepusculum, gallina vermiculum, apis florem, ciconia lacertam, accipiter columbam, avarus divitiarum abundantiam, impudicus voluptatis lasciviam, superbus dignitatum jactantiam, aliaque ejusmodi fortunæ bona, *bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas usus est*. (3) Non in rebus malis, neque in fictitiis et fallacibus fortunæ bonis, sed in cruce quærendus est Christus. « Circumire possum, Domine, cælum et terram, et nusquam te possum invenire nisi in cruce: ibi dormis, ibi cubas in meridie: ergo qui suaviter vivunt, qui carni deserviunt, Christum invenire non possunt. (4) Dicitur: Quis invenit locum ejus, aut quis introivit in thesauros ejus? Non invenitur in terra suaviter viventium. » (4)

Inter Christianos seculo addictos, alii cruces non quærunt, alii Christum non inveniunt, alii cruces Christumque rejiciunt. Tribulationes quærendæ sunt ad instar Regii Vatis, qui de semetipso asseverat: *Tribulationem et dolorem inveni*. Ubi D. Hieronymus: *Novam rem dicit; non dicit: Requiem inveni, saturitatem inveni; neque etiam dicit: Invenit me tribulatio: quam enim hic admirationem haberet? eam autem habet maximam, quando se ait tribulationem et dolorem invenisse: neque enim invenitur, nisi quod quæritur.* » Christiani autem molles quietem quærunt, non laborem; delicias, non dolorem; jucunditatem, non tribulationem, quam non quærendo, Christum nullatenus inveniunt, quia eum non quærunt, neque tempore quo quærendus est, neque in loco ubi inveniendus est: « Qui vult invenire crucem, imo ipsum Dominum crucifixum, quærat eum tempore quo inveniri potest et loco in quo est: nemo enim si non sit stultus, quærit uvam in vere, nec fructus in hyeme; item nemo quærit ficum in vite, neque aurum in arbore, neque pisces in monte. » (6) Inde concludit Doctor Seraphicus: *Si omnis res quærenda est tem-*

pore quo est, ergo quæramus Christum crucifixum, tempore quo sumus, quia nunc inveniendus est; item quæramus eum in loco ubi est, ubi continuo jacet, id est, in cruce. Scelerosi Christiani Christum non inveniunt, quia illum in cruce non quærunt, et quantumvis crux sit investiganda, non rejicienda: *A nobis quidem nihil rejiciendum est, quod pertineat ad nos.* (1) Criminosi tamen Christiani rejiciunt crucem, quæ est *victoria a Christi, perditio diaboli, cælestium confirmatio, vita justorum.* (2) Crucem quæ est *peccatorum remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, desperatorum securitas, infortunatorum felicitas* (3); crucem quæ est *clavis paradisi, salus animæ et corporis, bonorum omnium datrix* (4); crucem, in qua omnis christiana reperitur virtus: *In hoc vitalis signi caractere tota virtutum spiritualium perfectio designatur.* (5) In cruce virtutes tum theologales, tum cardinales vult designatas D. Augustinus. Theologales quidem, « nam cum in his tribus virtutibus, Fide videlicet, Spe et Charitate, omnis lex divina consistat, atque ex his omnium virtutum multitudo procedat, in illa crucis parte quæ terræ figitur, Fides quæ religionis christianæ fundamentum est, figuratur: per supremum vero cornu quod cæteris eminent, Spes intelligitur, qua noster animus ad capescenda cælestia provocatur: illo vero signo quod in medio positum binis utriusque porrigitur brachiis, latitudo designatur geminæ Charitatis. » Cardinales quoque virtutes per crucem denotatas vult. D. Augustinus: « Hoc eodem vivifico crucis signo, quatuor principalium virtutum numerus indubitanter exprimitur; a quibus utique tanquam seminibus, omnium virtutum segetes germinantur. » Per supremum namque cornu quod cælum spectat, Justitia figuratur, nam justitia elevat gentem (6); nec dubium quin ad cælum: inferior autem pars crucis quæ superiorem sustinet molem, Fortitudinem significat, quæ gravia quælibet et adversa æquanimiter tolerat; dextrum vero crucis brachium Prudentiam exprimit, quia videlicet injecta maligni spiritus jacula tanquam dextræ manus protectione propellimus; per sinistrum quoque cornu, Temperantia non immerito designatur, quia dum temperanter vivimus, sæpe rigorem censuramque justitiæ quadam magistræ discretionis manu retinemus; et quamvis *in hac cælestis figura victoriæ, omnis religio christiana depinga-*

(1) Tert. L. de Præc. Hæc. 8. — (2) D. Bon. Serm. 2. de Invent. S. Cruc. — (3) D. Cyp. L. 2. in Ep. 2. — (4) D. Bern. — (5) Baruch. 3. Job. 26. — (6) D. Bonav.

(1) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 3. — (2) Cassiod. in ps. 4. — (3) Raban. — (4) Damasc. L. 5. de fid. 12. — (5) D. Aug. Serm. de Laud. Cruc. — (6) Prov. 14.

tur (1); scelerosus tamen Christianus crucem despicit et ridet Christum, quem ideo punxit D. Augustinus: *Mare transeundum est, et lignum contemnis? O sapientia superba irridentis crucifixum Christum!* (2) Quanta scelerosi Christiani perversitas, qui redemptionis suæ contemnit auctorem, salutis suæ rejicit medium, suis sceleribus in præscitorum numero collocatur, in ipsoque crux efficitur ænigma horrendum et pertimescendum.

III. PARS. Non idem sentiunt de cruce justi et peccatores, electi et reprobi. Justi crucem sapientiam existimant, peccatores vero stultitiam censent. Etenim Apostolus ait *crucem Christi stultitiam esse perituris, virtutem autem et sapientiam Dei, salutem consequentibus.* (3) Justi recte de cruce sentientes, et crucem patienter ferentes salvantur; peccatores male de cruce sentientes, crucesque contemnentes, aversantes et respuentes, damnantur: « Sicut virga in mari rubro viam dividens, Pharaoni impio naufragium fecit, populum autem Dei de captivitate redemit, sic et nunc crux Christi viam divisit, Judæis viam perditionis, quia non crediderunt; Gentibus viam salutis, quia crediderunt. » (4) Judæos autem non credentes, Gentiles vero credentes denotatos vult D. Augustinus per duos latrones cruci affixos. « In cruce erant duo latrones, ubi imago ostenditur Judæorum et Gentium. Latro qui pœnituit imago est gentium, quæ per vanitatem ambulaverant primum, et post hoc veritatem agnoverunt in ligno: latro qui neque ad crucem, nec in cruce credidit Christo, imago est Judæorum. » Neque Judæorum et Gentilium in communi imago fuit crux in qua unus latro salvatus, alter damnatus est: sed adhuc in particulari est imago cujuslibet electi et reprobi. Bonus latro in cruce salvatus, est imago electi; perversus latro crucis patiens supplicium et damnatus, est imago reprobi. Binum illum exitum serio considerandum nobis proponit D. Augustinus. *Ipsa crux, si attendis, tribunal fuit; in medio autem judice constituto unus latro qui credidit, liberatus est, alius qui insultavit, damnatus est.* (5) Idem eveniet inter electum et reprobum in judicio, quod evenit inter duos latrones in Calvario, Christus affixus est inter duos latrones, ut etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa quæ in judicio facienda est discretio. (6) Crux namque diversimode se habebit, erga illos qui de ea di-

versa existimaverunt: Justis electis afferet lætitiâ, fiduciam et gloriam; peccatoribus vero et præscitis, infausta metamorphosi, horrendo et pertimescendo ænigmate causabit, 1. Tristitiâ et afflictionem; 2. Rabiem et desperationem; 3. Pœnam et condemnationem.

1. *Ubi gaudeam? ubi exsulem?* (1) ait electus, non in seculo, qui est locus miseræ et afflictionis, sed in judicio: *Ad signum Dei,* (2) scilicet ad crucis conspectum: etenim *signum verum et proprium Christi est crux.* (3) Crucis signum per quod Christus fuit notus et celebris in toto mundo, apparebit in cœlo cum Dominus ad judicandum venerit: *Tunc exsultabunt Sancti in gloria, tunc in ipsis cubilibus lætabuntur, qui nunc de sui regis ac Domini cruce non confunduntur, sed potius gloriantur.* (4) Apparebit crux ut omnibus fiat manifestum ex qua origine gloriæ singulorum pullularunt, ex qua arbore Sanctorum exsultationes et gaudia emanarunt. *Dedit hoc lignum fructum in tempore suo: dedit fructum in Calvario, ubi Christus humanam operatus est redemptionem. Dedit fructum interim Domini resurrectione: nam Salvator corporis gloriam quam crucis ignominia meruerat, accepit: dabit et cum apparuerit de cœlis ille, qui visus est super terram, cum præcedente ipso crucis signo jam fulgido venerit de supernis, resurgent corpora sepulchrorum, et de salutifero signo, gaudebunt Angeli, et homines justi lætabuntur. Quæ illa exsultatio Angelorum? quæ gloria resurgentium Sanctorum?* (5) Exsultabunt Angeli intuentes crucem, per quam eorum ruinæ impletæ sunt; lætabuntur justi sustulisse crucem, qua æternam adepti sunt felicitatem. *Signum crucis gaudium est amicis in illam credentibus, tremor inimicis* (6), qui ex ejus conspectu dolebunt et tristabuntur. At *in mœrore animi dejicitur spiritus* (7), seu ut legit Vatablus, *frangitur spiritus: quia, ut ratiocinatur D. Chrysostomus, tristitia tinea est, non ossium tantum, verum etiam mentis, et perpetuus carnifex: non latus fodiens, sed animi vires labefactans.* (8) Tristitia cordis et dolor animi est velut plaga et vulnus animi, sumpta similitudine a vulneribus corporis, quia sicut hæc lædunt corpus, ita mœror lædit animum, eumque torquet et cruciat. Quod Ecclesiastici auctor aperte declarat: *Omnis plaga tristitia cordis est.* (9) Quasi tristitia cordis sit plaga uni-

(1) D. Aug. — (2) Tract. 2. in Joan. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (4) D. Aug. Serm. de Parasc. — (5) Tract. 31. in Joan. — (6) D. Leo Serm. 4. de Pass.

(1) Tert. L. de Spect. 30. — (2) Tert. L. de Spect. 29. — (3) D. Cyr. Hierosol. Catech. 15. — (4) D. Aug. Serm. 101. de Temp. — (5) Tert. L. de Spect. 30. — (6) D. Cyr. Hierosol. Catech. 15. — (7) Prov. 15. — (8) Epist. 3. ad Olimpiad. — (9) Cap. 15.

versalis, cunctorumque vulnerum contineat acerbitatem. Syrus legit: *Omnis plaga non est sicut plaga cordis*. Omnes cruciatus quos patitur corpus, non sunt cum plaga cordis comparandi. Versio tigurina habet: *Summa plaga est mæror animi*: quia inter vulnura est maximum vulnus, summumque doloris patitur gradum. In ultimo iudicio, reprobi mærore deicientur, tristitia eorum animus frangetur; summum cordis persentient vulnus, omni plaga cor eorum vulnerabitur. *Invidi de bonorum profectibus lugent* (1): horum felicitas, illorum infelicitatem adauget. *Quis non æmulum suum cum videt, patitur?* (2) Reprobi electorum intuentes felicitatem, quam sibi compararunt per crucem, invidia exeruciabuntur; quam primam illorum pœnam vocitat Eusebius Emissemus: *Omnes resurrecturi sunt boni et mali: justi, ut percipiant quæ meruerunt; injusti, ut videant quæ perdidierunt, reportaturi secum primam aliene beatitudinis conscientiam*. (3) In numeroso illo omnium hominum teatro, præsentibus adhuc reprobis de ore Christi audient electi ejusmodi verba: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » (4) O quam suavis erit electis hæc Christi vox, et quantum dolorem afferet in præscitorum cordibus! Eorum animus exeruciabitur, tum ex Sanctorum gloria: *Calamitas sine remedio est odisse felicem* (5); tum quia sua culpa perdidierunt felicitatem qua potiuntur Beati, quam sua cruce eis meruerat Christus. Et ob hanc causam summa tristitia afficiet eos, sed tristitia omnem fiduciam eripiens, animæ disperationem (6) inducens: crux namque justorum fiducia, horrendo ænigmate erit reprobis causa rabiei et desperationis.

2. Cuncti Christiani *de spei federe* (7) consociantur: christiana autem spes per supremum crucis cornu, ut jam dictum est, denotatur, quia crux cœli *januas clausas aperuit*, ideoque ob crucem, *spem erigimus, fiduciam figimus*; (8) spei autem præmium in ultimo iudicio recipient justis: *cum Scripturæ totam christianæ spei frugem, in exodio seculi collocent*. (9) In fine enim seculi justorum corpora suscitabantur, fruenturque beatitudine sibi commensurata. Verum uti crux erit justorum fiducia et consolatio, ita erit præscitorum rabies et desperatio, cum viderint *spem*

suam perditam. (1) Et ob hanc causam, « tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo; » nimirum crux quæ, ut jam dixi, est signum Filii hominis: *cujus autem rei gratia istud signum apparebit?* Respondet D. Chrysostomus: *Ut magno cumulo Judæorum impudentia opprimatur; crucem in suam justificationem secum habens, in iudicium veniet, non vulnera solum, sed etiam acerbum ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens* (2); ut summum suum demonstret amorem, et summam eorum iniquitatem. Neque hoc saluifero signo arguet duntaxat Judæos iniquos, sed multo magis scelerosos Christianos: et ut D. Cyprianus legit, *lamentabuntur*; sed magno fletu et planctu lamentabuntur juxta vaticinium Zachariæ: *In illa die erit magnus plangens*. (3) Plangent autem et lamentabuntur, non Angeli, non homines justis, sed tribus terræ, *recte autem dicit tribus terræ: hi enim plangent qui municipatum non habent in cœlis, sed scripti sunt in terra*. (4) At cur tantopere plangent et lamentabuntur? Tum *quia crucifixum quem adorare oportebat contempserunt* (5); tum *quia ex morte ipsius nihil profecerunt*; tum quia spem beatitudinis quam eis præstabat crux, perdidierunt; tum quia ab electis separabuntur, ut interminabile patiantur supplicium, quapropter *dispersionis exitu queruli* (6), de sua infelicitate desperati maledicta vibrabunt in semetipsos quod suis sceleribus pertimescendo ænigmate crucem quæ est electorum gloria, converterint in causam pœnæ et damnationis.

3. *Quale regnum exinde justorum* (7) quod sibi media cruce compararunt? Etenim regnum cœlorum adipiscitur, vel per operationes in gratia factas, vel per cruces et passiones patienter toleratas. Ad utrumque deservit crux, per eam et gratiam nobis acquisivit Christus, et vires suppeditat ad cruces constanter tolerandas: quomodo nonnulli expendant Regium Vatem, sic Dominum alloquentem: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. (8) Septuaginta legunt: « Signum seu vexillum super nos lumen vultus tui. » Quodnam autem est hoc signum, seu vexillum, quod est nobis lux divini splendoris? Rupertus per illud lumen Spiritum Sanctum intelligit, qui est lumen vultus, nempe Filii. (9) Verum aptius intelligi potest ipsemet Filius, cui procedit a Patre *ut lumen delumine*. (10) Cassiodorus de cruce Prophetæ

(1) Prosp. L. 3. de Vit. Cont. 9. — (2) Tert. L. de Pall. 5. — (3) Hom. 2. de Symbol. — (4) Matth. 25. — (5) D. Cyril. L. de Zel. et Livor. — (6) Anselm. Laud. — (7) Tert. Apol. 39. — (8) D. Chrysost. Hom. de Ador. Cruc. — (9) Tert. L. de Res. Carn. 25.

(1) Tert. L. de Res. 31. (2) D. Chrys. Hom. 77. in Matth. — (3) Cap. 12. — (4) D. Hier. — (5) D. Chrys. Hom. 77. in Matth. — (6) Tert. L. de Res. 31. — (7) Tert. L. de Spect. 30. — (8) Psal. 4. — (9) Lib. 6. — (10) Tert. Apol. 21.

nem : nam exaltata est , 1. De contemptu ad cultum et venerationem ; 2. De ignominia ad gloriam et honorem ; 3. De maledictione ad benedictionem et salutem.

I. PARS. *Nobis tota crux imputatur.* (1) Nobis , non demonibus , sed hominibus pro quibus Christus crucis pertulit supplicium : Nobis non Gentilibus , sed Christianis , quibus et crux et tribulatio imputatur , tanquam proprium christianæ disciplinæ signum : *Ea nos ostendunt Christianos , quæ patimur ad exemplum ipsius Christi.* (2) Nobis , non hæreticis , sed Catholicis , quibus *integra est religio integræ crucis.* (3) Ut autem nihil desit ad integram religionem integræ crucis , 1. Crucem in nobis deferimus ; 2. Crucem in conficiendis et administrandis sacramentis apponimus ; 3. Crucem religiose colimus.

1. Christianus considerari potest , vel secundum naturam qua constat , vel secundum religionem quam profitetur , et ubique crucis defert imaginem. Ut homo crucem refert. *Si statueris hominem manibus expansis , imaginem crucis feceris.* (4) Idem asseverat Anasthasius Sinaita : *Similiter etiam homo ad formam crucis figuratam habet imaginem , ut qui sit ad imaginem Christi crucifixi.* (5) Homo ex anima et corpore essentialiter componitur : secundum animam , non est ad imaginem Christi crucifixi , sed Dei in tribus personis subsistentis ; secundum corpus , non est ad imaginem Dei , sed Christi crucifixi. Anima cum sit spiritualis , non est ad imaginem crucis corporeæ et materialis , sed crucis et crucifixi. *Quod in modum Christi est.* (6) Crucis imago ad hominis religionem magis quam ad naturam pertinere videtur ; quam ideo in frontibus deferunt Christiani. Unde D. Augustinus : *Christiani sumus , ad Christum pertinemus , et signum ejus in fronte gestamus.* (7) Stellam in signum dedit Deus Magis , signum cœlestis atque præclarum : Christus autem *noluit stellam esse in frontibus fidelium signum suum , sed crucem suam : unde humiliatus inde glorificatus , inde humiles erexit , quo humiliatus ipse descendit.* (8) Crux , quæ ante Christi passionem erat contempta , velut mancipiorum sors , adeo est per dominicam passionem honorata , ut reges de ea gloriantur. *Attende gloriam crucis Christi , jam in fronte regum crux illa fixa est , cui inimici insultarunt.* (9) Dominico illo signo , uti religionis christianæ

nota et signo *omnes Christiani signantur* (1) : neque quidquam operis et virtutis inchoare præsumunt , nisi præmisso crucis signaculo. Ut enim ait Tertullianus , *ad omnem progressum atque promotum , ad omnem aditum et exitum , ad vestitum , ad calceatum , ad lavacra , ad mensas , ad lumina , ad cubilia , ad sedilia , quæcunque nos conversatio exercet , frontem crucis signaculo terimus.* (2)

Verum satis non est frontem cruce signare ; dominicum illud signum est adhuc memoriæ consignandum , cordi imprimendum , virtutibus honorandum , et per bona opera repræsentandum. Ad quod nos hortatur D. Augustinus : « Rogo vos ut attentius cogitemus , quare Christiani sumus , et crucem Christi in fronte portamus : scire enim debemus quia non sufficit nobis quod nomen christianum accepimus , si opera christiana non fecerimus ; si enim quis Christianum se dicat , et jugiter se cruce Christi signet , et eleemosynas secundum vires suas non fecerit , charitatem , justitiam et castitatem habere noluerit , nihil ei prodest christianum nomen. Magna res est signum Christi et crux Christi , et ideo tam pretiosum signaculum res magnas et pretiosas signare debet ; quid enim prodest si aureum vasculum facias , et putridas paleas intus recludas ? qui enim male cogitat , male loquitur , male operatur , si se emendare noluerit , quando se signat , peccatum illius non minuitur , sed augetur. Multi enim dum ad furtum et ad adulterium vadunt , si pedem impegerint , signant se ; et tamen de malo opere non revocant se : et nesciunt quia crimen includit in se magis dæmones quam excludat ; qui vero a se cum Dei adjutorio vitia peccataque repellit , et quod bonum est cogitare simul et implere contendit , juste signum crucis labiis suis apponit , et alia oportet agere , qui signum crucis merentur accipere , et christianum nomen non ad iudicium , sed ad remedium habere. » (3)

Multimode homo a bellua discriminatur : animæ scilicet spiritualitate , intellectus rationalitate , voluntatis libertate , salutis capacitate. Asseverat tamen Justinus Martyr quod *humana figura non alia re a belluis differt quam per signum crucis* (4) : siquidem corpus humanum non pecuinum crucis defert imaginem : cætera enim animalia caput habent curvum versus terram , homo autem erectum versus cælum : at *pars crucis est omne robur , quod erecta statione defigitur.* (5) Caput signum est sapientiæ , crux autem est *insensato-*

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæc. 3. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (4) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (5) L. 1. Anag. Contemp. in Gen. — (6) Tert. L. de Idol. 12. — (7) Tract. 3. in Joan. — (8) D. Aug. Serm. 6. de Cruce. — (9) D. Aug. in psal. 44.

(1) D. Aug. L. de Catech. Rud. c. 20. — (2) Tert. L. de Cor. Mil. 3. — (3) Serm. 125. de Temp. — (4) Tert. Apo. 2. — (5) Tert. Apol. 16.

rum sapientia (1), quia homines de bellis effecit, caput curvum versus terram erexit, et ad cœlum levavit, et ut ait D. Augustinus, « Crux est scala cœli, per quam Christus hominem lapsum levavit ad Patrem : non ergo laboriosa debet esse hæc scala, quatuor enim gradus habet, quibus perducit ad cœlum. In altitudine crucis caput positum est crucifixi ; sursum cor habeat Christianus ad Dominum quemadmodum interrogatus quotidie respondet, et ascendit unum gradum. In latitudine crucis manus extensæ sunt crucifixi, perseverent manus Christiani in operibus bonis, et secundum gradum ascendit. In longitudine crucis corpus crucifixi pependit, castiget quisque corpus suum pœnitentia et jejuniis, ut ipsum sic suspendens servituti animi subjiciat, et ascendit tertium gradum. In profundo crucis occultum est quod non vides, sed inde exurgit totum hoc quod vides ; adsit fides christiana, et quæ non potest comprehendere credat corde, et altiora se non quærat, spes eum nutriat, et tunc quartum gradum ascendit. Omnibus vitam donavit, qui bonos mores sic instituit : » (2) nimirum per crucem quam in nobismetipsis deferimus, et quam adhuc in conficiendis et administrandis sacramentis apponimus.

2. *Sed et qui crucis nos religiosos putat, consecratus erit noster* (3) : quod potest intelligi passive et active : Christiani sunt passive crucis religiosi, quia deferentes in semetipsis crucis imaginem, juxta christianæ religionis disciplinam, tribulationes, afflictiones, cruces, persecutiones, martyria etiam patienter sustinent : *Sic itaque nos ad Deum expansos unguis fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestię insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* (4) Christiani sunt adhuc active religiosi crucis, seu, ut aliorum ait Tertullianus, *crucis antistites* (5) : quia prælati per signum crucis, largiuntur populo episcopalem benedictionem, et sacerdotes nullum conficiunt et administrant sacramentum absque signo crucis. « Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi : quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguuntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. » (6) Appositum fuit crucis signum in baptismo, in quo regenerati sumus ; in confirmatione,

in qua divinas vires suscepimus ; in pœnitentia, in qua Deo reconciliati sumus ; in Eucharistia, in qua nos Christus proprio corpore et sanguine pascit ; et generatim in cunctis religionis christianæ sacramentis. *Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum ; sanctificatur fons baptismatis ; initiantur etiam Presbyteri, et ceteri gradus ecclesiastici, et omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo dominicæ crucis cum invocatione nominis Christi consecrantur.* (1) In administrandis cunctis sacramentis, semper admittitur crucis signum, præsertim in administratione Extreme Unctionis, in qua supra singulos sensus fiunt singulæ cruces. Cruce signati oculi impudicos non injiciant aspectus ; cruce signatæ aures non audiant lasciviæ vel detractionis sermones ; cruce signatum os non serviat gulæ et ebrietati ; cruce signatæ manus alienum non usurpent bonum ; cruce signati pedes non amplius ad vagandum cursitent ; tandem Christiani crucis religiosi vitia fugiant, virtutes sectentur, crucem religiose colant et venerentur.

3. Tertullianus arguit Ethnicos, qui cruci affigentes Christianos, in Deorum suorum dedecus crucis imaginem præ se ferentium. *Crucibus et stipitibus imponitis Christianos : quod simulacrum non prius argilla deformat cruci et stipiti superstructa ? in patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur.* (2) Tanta est crucis gloria ut Gentiles absque crucis ministerio non valuerint idola formare, eis que honorem tribuere divinitatis. *Diximus originem deorum vestrorum, a plasticis de cruce induci.* (3) Postquam autem Tertullianus demonstravit Gentilium numina, ad crucis figuram fuisse formata, eosdem crucis cultores ostentat. *Sed et victorias adoratis, cum in tropæis cruces intestina sint tropæorum : religio tota castrensium signa veneratur, signa jurat, signa omnibus Deis præponit : omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia crucum sunt.* Signa seu vexilla a militibus adorabantur, imagines autem in illis signis repræsentatæ, « Aquilæ scilicet, expensis alis » adoratæ crucis referebant figuram. Neque a Gentilibus duntaxat venerata fuit crucis figura, sed etiam a Judæis, ex ipsa Dei ordinatione. Etenim *Moses in eremo simulacrum serpentis ex ære fecit : eorum figuræ, quæ dispositioni alicui arcane præstruebantur, non ad derogationem legis, sed ad exemplarium causæ suæ.* (4) Quod esset posteris pro signo, figura et ænigmate causæ suæ, id est, rei significatæ. At *cur*

(1) D. Chrys. Hom. 47. in Matth. — (2) Serm. 2. de Catech. — (3) Tert. Apol. 16. — (4) Tert. Apol. 30. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (6) D. Aug. Tract. 118. in Joan.

(1) D. Aug. Serm. 181. de Temp. — (2) Tert. Apol. 12. — (3) Tert. Apol. 16. — (4) Tert. L. de Idol. 5.

Moyses post interdictam omnis rei similitudinem, æreum serpentem ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum Israël salutare proposuit eo tempore quo a serpentibus exterminati sunt? (1) Hujus duplicem rationem subministrat Tertull. Unam, quia serpens ille ex ære confectus, et ligno suspensus, figurabat crucem qua diabolum Christus debellavit, et homines a morsu tartarei serpentis sanavit: Nisi quod et hic dominicæ crucis vim intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, et læso cuique a spiritualibus colubris, intuenti tamen, et credenti in eam sanitas morsuum peccatorum, et salus inde predicabatur. Alteram, ut populus isaëliticus, qui per idololatriam Deum offenderat, Deo satisfaceret colendo serpentem æreum ejus jussu fabricatum, et gentilis quoque populus ab idololatria, ad christianam fidem conversus crucem dominicam per æreum serpentem figuratam religiose coleret. Et merito se pro suo homine deposuit, pro imagine et similitudine sua, non aliena; ut, quoniam homo non erubuerat lapidem et lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ satisfaceret Deo per impudentiam fidei. (2)

De Christo confunduntur hæretici hujus ætatis: tum quia crucem signum Christiani in fronte portare nolunt. *Cruce signum est humilitatis. Usque adeo de cruce non erubescit, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. (3)* Tum quia sacramenta quæ cruce signantur non recipiunt; tum quia crucem nullatenus venerantur et colunt, sed ejus cultores irrident et despiciunt. Calvinus Catholicos desperatos vocitat nebulones quod fingere non erubuerint lignum crucis, mirifice auctum et multiplicatum, et dispersum per orbem terrarum: Lutherus oblateral ex particulis crucis quæ hinc inde ostenduntur collectis, posse construi integram domum: auctor vero Apianus asseverat quod si ejusmodi particulæ colligerentur, ad eas vehendas decem Batavicæ non sufficerent naves. Verum impudenter hæretici increpant Catholicos quasi figmentum efformaverint, Deique omnipotentiam offendunt quasi lignum crucis augere et multiplicare non possit. De Dei omnipotentia dubitare evidentissima insania est; miraculosum crucis dominicæ incrementum negare, est de mendacio arguere Cyrillum Hierosolymitanum, et Paulinum Nolanum. (4) D. Cyrillus, qui, teste Baronio, crucis inventioni interfuisse potuit, quippe qui post

Maximum Macharii in Episcopatu successor fuit, miraculosum crucis dominicæ incrementum ex panum multiplicatione confirmat. *Quinque panes testantur in quinque millia multiplicati; lignum crucis testantur adhodiernum diem apud nos apparens, et apud eos qui secundum fidem ex illo hinc capientes, universum orbem fere jam repleverunt. (1) Idem asseverat Paulinus Nolanus (2) antistes qui Cyrilli seculo vixit, et Hierosolymis aliquando versatus, plures facile potuit videre, quos hoc non latebat miraculum quod ipse litteris consignavit. Itaque mater Augusta, patefactis ad opera sancta thesauris, tota abusa fisco est, condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus, arcano positam sacrario crucem servat, quam Episcopus urbis quotannis, dum pascha Domini agitur, adorandam populo promit: quæ quidem crux in materia insensata, vim ipsam tenens « quasi quercus repullulans, ita ex illo tempore innumeris pene hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, et quasi intacta permaneat: quotidie dividuam sumentibus, et semper totam venerantibus; sed etiam imputribilem virtutem, et indetribilem soliditatem, illius profecto carnis sanguinem bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem. » Hi duo Præsules, quatuor primis seculis viventes, sanctitate illustres, doctrina celebres, dominicæ crucis venerationem et multiplicationem testantur, et suo testimonio impudentem hæreticorum damnant impietatem, qui miraculo denegant fidem et cruci quæ Christi contactu et sanguine consecrata fuit, cultum et venerationem.*

Neque tantum crux in qua suspensus fuit Christus, colitur a Catholicis, sed etiam cruces lignæ vel marmoreæ venerantur cultu relativo; quia crucem dominicam significant, et Christum crucifixum repræsentant: etenim quacunque ex materia, sive lignea, sive lapidea, sive marmorea, sive ærea, sive ferrea, sive argentea, *crucis qualitas signum est. (3)* Laudandi sunt qui crucis dominicæ particulas auro et gemmis decorant, nolentes *nudas et incultas cruces consecrare. (4)* Culpandi sunt qui cruces lapideas, vel ligneas, in bivis erectas non venerantur; erubescens *incultas et nudas cruces colere (5)*, nec attendunt quod *crucifixus est Dei Filius, non ut crux Christum sedaret, sed ut sacramento Christi crux (6)* exaltaretur de ignominia ad gloriam et honorem.

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 18. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 21. — (3) D. Aug. in psal. 141. — (4) Ann. 325.

(1) Cathec. 10. — (2) Epist. 11. ad Severum. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (4) Tert. Apol. 16. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (6) D. Aug. Serm. 15. de Res.

II. PARS. Postquam *Christus deputatus est inter iniquos, perfossus manus et pedes* (1), et in ligno suspensus, crucis abstulit ignominiam, magnamque ei contulit gloriam. Nam, ut ait D. Augustinus, *crux jam de pœna generis humani sublata est: cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur: honorata est et finita est: finita est pœna, manet in gloria.* (2) Quam honorata et gloriosa dominica passione facta sit crux, inde colligitur quod cruce, 1. Regum diadema decoratur; 2. Christus Rex regum coronatur; 3. Christianus glorificatur.

1. *Qui puniuntur consecrantur.* (3) Martyres pœnis pro religione toleratis, consecrati sunt, instrumentaque suppliciorum quæ passi sunt, partem acceperunt consecrationis. Quantum a fortiori consecrata est crux, in qua patibulatus fuit Christus? Tantam a dominica passione mutuata est gloriam, quantum olim præ se ferebat dedecus et ignominiam. Ut enim ait D. Chrysostomus, *hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicii symbolum, crux, diadematibus et coronis clarius factum est.* (4) Nullum est monile adeo pretiosum ac crux; nullum est ornamentum quo Christiani venustius decorentur: *Omnes ipsa magis ornantur quam diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus et torquibus.* (5) Reges qui christianam profitentur disciplinam, et catholica fide illustrantur, *gloriantur de cruce, quia ibi est laus illorum* (6); quam existimationis et venerationis gratia, supra regium ponunt diadema. *Neque enim sic regia corona ornatur caput ac cruce, quæ omni dignior est cultu.* (7) Nec mirum si reges in coronis deferunt crucem, quæ est *insigne victoriae.* (8) *Cruce sua Christus vicit reges* (9); a ligno regnavit, et propter passionem crucis gloria et honore coronatus fuit.

2. *Dei Filius minoratus primo a Patre modicum quid citra Angelos, et ita gloria et honore coronatus.* (10) Hunc loquendi modum ab Apostolo mutuavit Tertullianus: sic etenim fatur Paulus: *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.* (11) Dei Filius modico quam Angeli est minoratus: tum suscipiendo humanam naturam, quæ est inferior natura angelica; tum patiendo ignominiosum crucis supplicium; attamen propter passionem et crucem, gloria et honore coronatus est. Chris-

tus non meruit gloriam animæ quæ beata fuit ab initio suæ creationis, sed meruit gloriam corporis. Dotes corporis gloriosi, nimirum impassibilitas, claritas, subtilitas et agilitas, erant Christo naturaliter debitæ, et hoc duplici titulo: ratione unionis hypostaticæ, et ratione beatitudinis qua fruebatur ejus anima; quia tamen miraculose impeditum est, ne gloria unionis et beatitudo animæ redundarent in corpus, postea Christus patiendo *pulverem abjectionis nostræ corpus fecit gloriæ suæ.* (1) Nihil tam abest a gloria quam dedecus et contumelia; nihil adeo repugnat immortalitati ac passionis tormentum et doloris acerbitas; Christus tamen, ex doloribus et cruciatibus crucis, impassibilitatem et immortalitatem obtinuit, pulverem abjectionis nostræ gloriæ suæ corpus effecit, et contumeliis et cruciamentis corporis dominici materiata est gloria, quam peculiariter suam gloriam nuncupat Christus. *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (2) Gloriam corporis suam vocitat Salvator, non quod essentialis gloria, aut non sua, aut non major sit, sed ideo Christus dicitur per crucem intrasse in gloriam suam. 1. Quia gloriam corporis habebat in actu primo tanquam sibi connaturalem, et naturaliter debitam ut jam dictum est; 2. Quia illam patiendo meruit, suamque per meritum reddidit. Unde Petrus Damianus: *Duæ propensius necessariæ probantur esse virtutes, charitas videlicet et patientia. Per charitatem quippe Dei Filius, ad nostram descendit, per patientiam vero susceptam nostræ substantiæ veritatem ad paternam gloriam sublimavit.* (3) Sic alternant gloriæ pretium crux et Christus, ut cruci Christus gloriam pretii mutuet, et crux pretii redemptionis gloriam Christo sœneret, et per passionem ad paternam gloriam sublimet. 3. Quia speciali quodam affectu sibi complacet in gloria per crucem et passionem comparata. Eodem modo quo rex civitatem quam debellavit, et suo imperio substravit, consueta hyperbole urbem suam vocitat, eamque pluris facere videtur quam per ampla regna quæ hæreditario jure possidet: quæ enim a natura habemus, neque ullatenus amittere possumus, saltem tanti æstimare non solemus, quantum ea quæ magno labore et operosa industria consecuti sumus: *Si quid quis rapuerit, metuit illud, ne amittat, tanquam ipsius non sit: sin quidquam a natura habebat, facile illud aspernatur.* (4) A natura habebat Christus gloriam infinitam et essentialem, illi et

(1) Tert. L. de Res. 20. — (2) In Psal. 36. — (3) Tert. Apol. 12. — (4) Hom. 77. in Matth. — (5) D. Chrys. — (6) D. Aug. in psal. 95. — (7) D. Chrys. — (8) D. Aug. Serm. 15. de Res. — (9) D. Aug. in Psal. 95. — (10) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (11) Hebr. 2.

(1) L. Leo. Serm. 2. de Pass. — (2) Luc. 14. — (3) Serm. 3. — (4) Theophylact. in c. 1. Epist. ad Philip.

aliis personis divinis communem, crucis doloribus et contumeliis, corporis gloriam acquisivit, et licet plaris absque comparatione existimet gloriam quam naturaliter habet ut Dei Filius, comparatam tamen corporis gloriam affectu quodam complacentiæ suam vocitat. Et ob hanc causam statim ac Petrus de cœlo eruditus, Christi agnovit divinitatem, et nomine omnium Apostolorum æternam ejus propalavit filiationem, exinde Discipulos edocet Salvator, se mox passionis ignominiam subiturum, eisque præcipit ne quid de ejus divinitate divulgent. Verum quo consilio Christus qui bene noverat quanti interesset christianæ disciplinæ, ut divinitatis suæ haberetur notitia, inlibet Apostolis ne cui eam deprædicent? Hujus duplicem rationem subministrat Origenes: *Mandat discipulis ut nemini dicant: inutile enim est ipsum prædicare, crucem autem ejus tacere: propterea nolens postmodum perfectius prædicari, præcipit ut nemini dicerent quia ipse est Christus, et preparabat eos ut postmodum dicant quoniam ipse est qui crucifixus et mortuus est.* (1) Quid fructuosius ac sublimius enarrari potest quam Christi divinitas, et naturalis ejus filiatio? et tamen ex mente Origenis, Christus prohibet suæ divinitatis et filiationis prædicationem ne ante crucem et passionem, inutilis et imperfecta haberetur; quia a cruce et passione fructum et complementum erat acceptura, quasi inutilem censens gloriam quæ præcedat passionis ærumnas: quasi præviæ crucis contumeliæ et acerbitates sint gloriæ decus et ornamentum. Felicitas apud homines habetur fortunæ casus, non meriti dignitas: ideo recusat Christus manifestatam de cœlo divinæ filiationis gloriam, ac si gloria ante passionem eam quodammodo devenustet, non tam bene meritam quam bene felicem denotans; passio autem ejus meritum commendat, et crucis ignominia gloriam venustat. Quam gloriosa fuerit crux, quam grata Domino, declarat Angelus mulieribus Christum in sepulcro quærentibus. Non enim eas interrogat an quærant Filium Dei unigenitum, an quærant unum et eundem cum Patre et Spiritu Sancto Deum; an Regem regum, et Dominum dominantium; an mundi Conditorem, hominum Redemptorem, Angelorum glorificatorem. Hæc aliaque nomina dignitatem et majestatem importantia tacet, et duntaxat Jesum crucifixum nominat: « Jesum quæritis crucifixum? » (2) Ubi Cyrillus Hierosolymitanus: *Non pudeat crucem Christi confiteri,*

Angeli enim gloriantur, dicentes: Jesum quæritis crucifixum? Non potuisti dicere, o Angele: Scio quod quæritis dominum meum, sed confidenter dicit: Scio quod quæritis crucifixum: corona enim est crux (1): qua gloria et honore coronatus fuit: de hac corona ipsemet Christus specialiter gaudet, hanc venerantur Angeli, religiose colunt Catholici, hæretici quoque nisi gloriæ Christi invident, revereri tenentur. Ut enim ait Petrus Abbas Cluniacensis: Idcirco hæretici crucem odiunt, quia Dominum torsit. Diligent eam, quia ipsi gloriam peperit: peperit, inquam, crux crucifixo (2): sicut scribitur ad Philippenses: Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum.

Hæc exaltatio quam media cruce meruit et obtinuit Christus, sex complectitur excellentias: 1. Resurrectionem, quia enim fuit obediens usque ad mortem, meruit ut primus a morte resurgeret, de eaque honorifice triumpharet; 2. Dotes corporis gloriosi, quia corpus suum ita in passione dilaniandum et dedecorandum dedit, in resurrectione accepit gloriosissimum. 3. Quia sese infra homines et angelos dejecerat, supra Sanctos et Angelos sublimatus est. 4. Quia inter duos scelerosos crucifixus fuit, sessionem ad dexteram Patris obtinuit. 5. Quia tanquam reus fuit a pontificibus et præside injuste judicatus, vivorum et mortuorum constitutus est Judex. 6. Quia ut vile mancipium fuit cruci patibulatus, regnum et imperium in Angelos, homines, cunctasque generatim creaturas accepit: *Cujus imperium factum est super humerum ipsius. Qui omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, et non aut capite diadema, aut manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam? Sed solus novus rex novorum ævorum Christus Jesus, novæ gloriæ et potestatem et sublimitatem suam humero extulit, crucem scilicet, ut secundum superiorem prophetiam, exinde Dominus regnaret a ligno.* (3) Licet enim præ fatæ excellentiæ fuerint Christo debitæ virtute unionis hypostaticæ, eas tamen aliunde per crucem et passionem meruit et obtinuit. Tunc verificata est Patris pollicitatio: *Ego clarificavi, et iterum clarificabo.* (4) Clarificavi in præterito per Angelos qui in ejus nativitate divinas decantarunt laudes; clarificavi in circumcissione, per impositionem nominis Jesu cœlitus revelati; clarificavi in adoratione Magorum, qui ei tanquam Deo thus obtulerunt; clarificavi in præsentatione per os

(1) Orig. Tract. 1. in Matth. — (2) Marc. 16.

(1) Catech. 13. — (2) L. 1. Epist. — (3) Tert. L. 3. adv. Marc. 19. — (4) Joan. 12.

Simeonis et Annæ prophetissæ, qui eum uti Messiam in lege promissum agnoverunt; clarificavi in transfiguratione per lucem et splendorem aliasque corporis gloriosi dotes, quas Apostoli ferre non valuerunt; clarificavi per tot patrata miracula, quæ divinam virtutem et potentiam testati sunt: at iterum in futuro, et multo præclarius et augustius clarificabo eum. Quomodo? Per crucem, ob quam Angeli qui in cælo beantur, demones qui in inferno cruciantur, homines qui in mundo conversantur, coram eo genuflectent, et tanquam supremum regem et Deum adorabunt. *Dum dicit: Clarificabo illum, innuit clarificationem, quæ tunc facta est propter crucem.* (1) Christus autem propter crucem gloria et honore coronatus, Christianos docet amplectendam esse crucem, ut possint per eam glorificari.

2. *Quoniam et Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum semetipsum, ut adsequamini vestigia ipsius.* (2) Aliud est sequi, aliud assequi; exemplum sequitur, terminus assequitur. In Christo unum est sequendum, aliud assequendum: passio est sequenda, gloria per passionem comparata assequenda. Unum nobis imitandum, aliud comparandum proponitur. Imitanda est passio Domini ab illis qui se discipulos profiterentur: *Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, et Dominum sequaris necesse est: id est, angustias et cruciatus tuos, vel corpus solum, quod in modum crucis est.* (3) Assequenda est gloria per passiones et cruces: Dominus per crucem glorificatus de cruce ad Christianos tribulatos venit, ut eos glorificet et coronet. Quomodo Stephanus Cantuariensis istud intelligit: *Dominus de Sina venit: Sina interpretatur tentatio, per quod designatur tribulatio, in qua Dominus electos visitare consuevit.* (4) De passionis ac mortis suæ tentatione, de crucis tribulatione, venit gloriosus Christus, ad anxios, tribulatos, ærumnosos, tentatos, ut eos consoletur, et de tribulatione ad beatam gloriam evocet, suæque coronæ quam passione obtinuit, efficiat participes. *Veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amanæ, de monte Seir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* (5) Sic loquitur Christus ad Christianum adversitatibus oppressum, afflictionibus gravatum, injuriis et contumeliis vexatum, persecutionibus, violentiis et cruciatibus afflictum. Hujusmodi ærumnæ, tribulationes, cruces et persecutiones æternam

ominantur felicitatem, et immortalem gloriæ consequuntur coronam. Nam ut belle ait Tertullianus de Christiano afflicto, vel de martyre loquens: *Producitur ad experimentum felicitatis, ad ipsum divinæ sedis ascensum* (1): dum enim crudelioribus suppliciis pro Christo tolerandis destinatur, tunc primum capit experimentum felicitatis, et empireæ gloriæ sublimem ascensum auspiciatur: sicut impatientia in angustiis, *et spei male ominatur, et fidem prævaricatur* (2), ita tribulatio, persecutio patienter pro Christo tolerata, fidem commendat spei bene ominatur, et beatitudinis gloriam feliciter auspiciatur. Idcirco ærumnas quas patiens Christianus, vel Martyr constans tolerat beatas calamitates nuncupat S. Zeno, quia scilicet ducunt ad beatitudinem. *Clamat de profundis, et Paulus obrutus calamitatibus beatis, cum pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in civitatibus patiatur, cum a Judæis virgis ter cæsus, naufragio trino diluitur, cum insani populi furibunda tempestate, lapideis imbribus feliciter grandinatur.* (3) Belle Paulus obrutus calamitatibus beatis, lapideis imbribus feliciter grandinatus, quia atrociter persecutio pro Deo passa, ærumnosior calamitas patienter tolerata, est aut anticipata beatitudo, aut felix præsagium beatitudinis obtinendæ.

Hanc proponit quæstionem Julius Episcopus Africanus: « Si omnia quæ in præsentis seculo gesta sunt, ad futurum respiciunt, cur opus erat ut a Deo præsens fieret seculum? » (4) Propositæ quæstioni respondet præfatus auctor: « Quia decuit ut rationales creaturæ prius discerent et exercitarentur in dubiis, ac tunc æternis postea fruerentur, et merito data viderentur probatis, et gratiora fierent reminiscentibus transacta certamina, et plus glorificarent donatorem. » Calamitas adstruit felicitatem, miseria condit beatitudinem, et prævia tribulatio subsequentem gloriam et gratiorem et jucundioram præstat. Quod Christi exemplo et comparatione elucidatur; nam, 1. Christus corpus passibile sumpsit, ut in cruce patiens cum morte pugnaret et diabolus detriumpharet; in afflictionibus certat Christianus, et certaminibus victoriam reportat: *Tribulatio patientiæ robur operatur, et patientia præmium gloriæ confert, quod certe virtus capere nisi victrix non potest, non habitura victoriæ facultatem, nisi cum aliqua prius difficultate certarit.* (5) 2. Christus in passione ad gloriam respexit; nam,

(1) And. Cret. — (2) Tert. Scorp. 12. — (3) Tert. L. de Idol. 12. — (4) Deuter. 53. Apud Tilman. — (5) Cant. 4.

(1) Tert. L. de Pat. 15. — (2) Tert. L. de Pat. 9. — (3) Serm. de Jona. — (4) L. 2. de Part. divini. leg. 26. — (5) D. Paul. Ep. 35.

« proposito sibi gaudio sustinuit crucem. » In angustiis et tribulationibus ad felicitatem respiciat Christianus. Unde Regius Vates primum psalmum a beatitudine auspicatur. *Cæterorum omnium basis ac fundamentum est beatitudo, quæ in psalmis necessario pro coronis disponitur, sui amatores ad victoriam inungens.* (1) 3. Crucem Christus de ignominia sublimavit ad gloriam, præstans *crucis fide a ternitate provenire mortalibus: ut ibi salus reperiretur, ubi stultitia creditur.* (2) Siquidem crux, quæ erat Judæis scandalum, Gentibus stultitia, est Christianorum sapientia, virtus et gloria. Quapropter *qui demissione animi suas cogitationes præmunierit, apud Deum minus dedecoris inveniet, quam revera habeat: ac ex patientia sibi coronam parabit.* (3) 4. Christus specialiter gaudet, et lætatur de gloria per crucem comparata: ærumnâ quoque, labor, tribulatio, persecutio quam in mundo patitur Christianus, est *viaticum majoris complacentiæ gloriæ.* (4) 5. Christus prius fuit spinis quam gloria coronatus, *quia et favos post fella gustavit; nec ante Rex gloriæ a cælestibus salutatus est, quam Rex Judæorum proscriptus cruci.* (5) Christiane, spinas, afflictiones et cruces, elige tribulationes et cruces, *ut et illam Christi coronam amuleris, quæ postea ei evenit.* (6) 6. Christus crucem de maledictione ad benedictionem commutavit, de pœna ad salutem, et nos *veluti coronam, sic læto animo crucem Christi circumferamus: omnia enim quæ ad salutem conducunt, per illam consummantur.* (7)

III. PARS. De cruce Christi scandalizati Judæi: *argumentantes non esse credendum, ut ad id genus mortis exposuerit Deus Filium suum, quod ipse dixit: Maledictus omnis qui pependit in ligno.* (8) Verum, ut bene animadvertit Tertullianus, *lex distinctionem fecit, ut qui in aliquo delicto iudicium mortis habuisset, et moreretur suspensus in ligno, sic maledictus a Deo esset, quia propter merita delictorum suorum suspenderetur in ligno.* Inde sapienter infert Christum non esse sub hac maledictione comprehensum; *igitur non in hanc passionem Christum maledixit.* Nam criminosi duntaxat qui propter sua scelera suspendebantur in ligno, maledicti propalantur a lege; Christus autem, *qui dolum de ore suo locutus non est, quique omnem justitiam et humilitatem exhibuit, non pro meritis suis in id genus mortis expositus est: sup-*

posito autem quod Christus non sit maledictus, quia crucis supplicium *non pro actu suo malo passus est: cur maledictorum pœnam, et reorum voluit pati tormentum? Hujus trinam accipe rationem: 1. Ut ea quæ prædicta sunt a Prophetis ei obventura, implerentur.* (1) 2. Ut ab ejusmodi supplicio maledictionem auferret, et *cruce maledicti symbolum, quod omnes fugiebant, quod omnes execrabantur, quod probrosissimum dicebant omnes* (2), deveniret omnium fons benedictionum. 3. Ut per crucis supplicium humanam operaretur salutem. Per crucem enim Christus Dominus, 1. Dæmonem vicit; 2. Peccati maculam delevit; 3. Cælum aperuit.

1. Communis est Doctorum sententia, *illam effigiem ærei serpentis, suspensi in modum, figuram designasse dominicæ crucis, a serpentibus, id est, ab angelis diaboli, liberationis nos, dum per semetipsam diabolium, id est, serpentem interfectum suspendit.* (3) Josue regem Hai suspendit in patibulo; Josue Jesum præfiguratur, rex Hai diabolium denotat. (4) Josue regem Hai suspendens in patibulo, significat Christum diabolium crucifigentem. Ex Origene etenim *Domini nostri Jesu Christi crux gemina fuit: quia visibiliter Filius Dei in cruce crucifixus est: invisibiliter vero in ea cruce diabolus cum principibus ejus affixus est cruci.* In cruce Christus crucifixus est ad salutem et vitam sempiternam Sanctorum; in eadem cruce patibulatus est dæmon ad æternam sui mortem, et æternaturum diabolorum interitum. Nam, ut ait Ignatius martyr, *cruce prima fuit ipsi condemnationis mortis et perditionis causa.* (5) Antequam Christus pateretur crucis supplicium, dæmon regnabat in mundo, homines tyrannidi suæ subiciebat, in errore detinebat, inter Deum et homines inimicitias seminabat. *Opus erat signo crucis ad diabolium et ejus angelos debellandos.* (6) Crux autem nos a diabolo expugnatore reconciliavit Deo. Propter crucem jam non erramus in solitudinibus, *viam veritatis agnovimus* (7), per ipsam et diabolus vincitur, et totus mundus ad Christi notitiam, vel gratiam revocatur. (8) Per crucem dæmonis potestas et dominatio facta et ablata est quantum est ex parte Christi, omnes homines liberati sunt a dæmonis servitute, ab ejus tyrannide exempti sunt. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* (9) Quasi dicat Salvator, expendit Doctor Angelicus, per passionem et crucem

(1) D. Chrysost. in Caten. Corder. — (2) Strab. Fuld. in 1. Cor. 1. — (3) Basil. Mag. — (4) Isidor. Pelus. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (6) Tert. Ibid. — (7) D. Chrysost. Hom. 45. in Matth. — (8) Tert. L. adv. Jud. 10.

(1) Tert. L. adv. Jud. 10. — (2) D. Chrys. — (3) Tert. L. de Idol. 5. — (4) Josue. c. 8. — (5) Ep. ad Philip. — (6) D. Aug. in psal. 61. — (7) D. Aug. Serm. 130. de Temp. — (8) D. Aug. Serm. 71. de Temp. — (9) Joan. 12.

victoriam de diabolo habeo. Superbum et tumentem Luciferum qui in mundo divinum sibi arrogabat cultum, ligno crucis debellavit Christus, et ut vile mancipium ligavit, et in infernali ergastulo relegatum nunc detinet. Quod se vidisse dilectus testatur Apostolus: « Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanus, et ligavit eum, et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes. » (1) Albertus Magnus vult crucem dominicam esse signum illud quo sigillatus est Lucifer: *Posuit super eum signum crucis, quo eum superavit, ut a fidelibus possit expelli: omnino enim subjacet cruci, et nihil omnino potest, nisi permissus a Christo.* Crux quæ dæmoni adhibita est tanquam frænnum ad deprimentam ejus arrogantiam, ad enervandam ejus potentiam, data est Christianis velut armatura offensiva et defensiva quæ dæmonibus resistere, eosque valeat superare. Hoc sacro signo exorcistæ imperant dæmonibus eosque a possessis corporibus expellunt. In primitiva Ecclesia, cruce armati fideles ita debellabant dæmones ut a Gentilibus magi existimarentur. Quibus respondent Christiani: *Crimina nostra sunt crux et nomen Jesu.* (2)

Crucis carmine incantamus dæmones, crucis signo illos superamus. *Hæc crux non terribiles, sed despicabiles hominibus dæmones efficit.* (3) Hæc crux quam Christus pro hominibus ascendit, est *signum fidelium et timor dæmonum.* (4) Hoc signo terrentur et fugantur dæmones, aspicientes crucem, recordantur Crucifixi, a quo victi et debellati sunt: tum victoris Christi recordatione, tum passionis ejus signo et representatione, pertimescunt. *Nec dubium quin omnino formident dæmones passionis formam, terroremque eis characteris hujus inspectio ipsis incutiât.* (5) Signo crucis armantur fideles, et cunctis tartareis potestatibus fortiter resistunt: immo eas audacter aggrediuntur et superant: *Cænobialis militiæ pugiles, frontem vexillo crucis armatam audaciter æmulatorum agminibus offerentes.* (6) Cruce armatus, D. Martinus inter hostium jacula illæsus remansit. « Ego signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. » Quantum autem oratio signo crucis armata valeat ad vincendos dæmones, et prosternendas tartareas legiones, ex Moysis

oratione demonstrat Tertullianus: Josue contra Amalec pugnans, cum levaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. (1) At cur extensis manibus orabat Moyses ad victoriam, aut non potius genuflexus, aut humi prostratus? Hujus accipe a Tertulliano rationem: *Jam vero Moyses tantum quid utique tunc, cum Jesus adversus Amalec præliabatur, expausis manibus orabat residens; quando in rebustam attonitis, magis utique genibus positus, et manibus cædentibus pectus, et facie humi volutata, orationem commendare debuisset? nisi quia illic ubi nomen Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus?* (2)

Ex D. Augustino, Moyses manuum elevatione mysterium crucis ostendit (3), a qua totam energiam mutuabatur oratio: adeo ut victoria aut strages ex eo solum dependere videretur, quod Moyses corpore et brachiis formaret, vel non formaret crucem: dum non extendebat crucemque non formabat, vincebant Amalecitiæ, dum vero extendebat brachia, crucemque figurabat, tum Israëlitiæ superabant: *Moyses in monte manus extendens, crux adumbrata, et ante indicata, victoriam tulit.* (4) Quod si antequam crucifigeretur Christus crucis figura Israëlitis dedit victoriam de Amalecitis, dubium non est quin post dominicam passionem, crucis signum majori polleat virtute ad debellandos dæmones: *Crux est clypeus, et armatura, trophæum, contra diabolum, et signaculum ne tangat nos eversor.* (5) Ut enim ait D. Athanasius, *ad primum signum crucis dæmones evanescent.* (6) Qui hoc signo salutifero non muniuntur facile vincuntur: *Videte, fratres, ubi David Goliath percussit: in fronte, ubi signum crucis non habebat.* (7) Philistæi frons incermis percutitur, *quisquis in fronte feriri timet, signo salutiferæ crucis ipsam frontem armet* (8), qua Dominus et diabolum vicit, et peccati maculam delevit.

2. *Abstulit virtus crucis omnem aculeum mortis.* (9) Aculeus mortis peccatum est quod sua cruce sustulit Dominus: *Eia, fratres, opus erat sanguine justi, ad delendum chirographum peccatorum.* (10) Sanguinem autem justum effudit in sua passione Christus justitiæ divinæ offerens sacrificium propitiatorium, in quo fuit sacerdos et victima.

(1) Apoc. 20. — (2) D. Chrys. Serm. de Cruc. — (3) D. Chrys. Hom. 55. in Matth. — (4) D. Cyr. Hieros. Catech. 14. — (5) Arnold. Abb. bouæ vallis. — (6) Al-delm. de Virg. cap. 5.

(1) Exod. 17. — (2) Tert. L. adv. Jud. 11. — (3) Ser. 94. de Temp. — (4) Greg. Naz. Apol. 1. — (5) Lips. L. 5. de Cruc. 17. — (6) In Vita S. Anton. — (7) D. Aug. Serm. 119. de Temp. — (8) V. Bed. in L. 5. Reg. 2. — (9) Tert. L. de Cor. Mil. 14. — (10) D. Aug. Serm. 150. de Temp.

Christus suis temporibus lignum humeris suis portavit, inherens cornibus crucis, corona spinea in capite ejus circumdata. Hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui nunquam ovis aut victimam ductus est, et velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. (1) Crucis ligno reparavit Dominus damna quæ per lignum in Adamo contraxeramus: *ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.* (2) Tria autem potissimum damna per lignum Adæ contraximus: 1. Peccatum; 2. Mortem; 3. Infernum. Ejusmodi autem damna reparavit ligno crucis Dominus. Nam, 1. Sua cruce peccati maculam delevit. *In cruce immolatus est Christus, et ubi immolatio, ibi amputatio peccatorum, ibi reconciliatio.* (3) Ex D. Chrysostomo eundem præstat effectum crux dominica ac baptisma. Baptisma mundat a peccato, Deoque homines reconciliat: *Cruce est baptisma* (4); quod præfiguratum vult Tertullianus per lignum in Jordane mersum: « Nam cum filii prophetarum super flumen Jordanem lignum securibus cæderent, exsiliit ferrum, et mersum est in flumine, atque ita Helizæo Propheta superveniente, petunt ab eo filii Prophetarum, uti ferrum flumini quod mersum fuerat erueret; atque ita Helizæus accepto ligno, et misso in eum locum ubi submersum fuerat ferrum, statim supernatavit et lignum mersum est, quod receperunt filii Prophetarum. » (5) *Quid manifestius hujus ligni sacramento? quod duritia hujus seculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, id est, passionis ejus, in baptismo liberatur?* 2. Adam per lignum nos mortis imperio substravit, Christus vero sua cruce mortis solium evertit. *Nam cum ultimo hoste morte præliatus, per trophæum crucis triumphavit.* (6) In cruce moriens Salvator ipsam interfecit mortem: *Mortuus ille mortis interfector fuit: et mors in illo potius mortua est quam ille in morte.* (7) Idcirco *ex quo crux erecta est mors habita fuit contemptui.* (8) Mors quæ timorem ingerebat, modo spem ingenerat: et ut ait Bernardus mortem alloquens: *Usurparis ad lætitiã, mater mæroris; usurparis ad gloriã, gloriæ inimica; usurparis ad introitum regni, porta inferi.* (9) 3. Per Adami lignum fuëramus inferno maucipati, at Christus crucis ligno, nos ab inferno liberavit: « Hoc mortem sustulit, hoc inferni portas æreas confregit, hoc ferreos vectes contrivit, diaholi artem expugnavit, peccati nervos

(1) Tert. L. adv. Jud. 13. — (2) Tert. Ibid. — (3) D. Chrysost. de Cruc. — (4) In c. 6. Ep. ad Rom. Ibid. (5) — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 20. — (7) D. Aug. in psal. 51. — (8) Andr. Cret. — (9) Serm. in Cant.

evertit, totum orbem condemnationi subiectum eripuit; » (1) et insuper cœlum hominibus aperuit.

3. *Virtute crucis universas gentes, et nunc ventilat per fidem.* (2) Christiane, « vis scire crucis beneficium? Paradisum ante quinque millia vel amplius fere annos clausum, hodie nobis aperuit. In hoc enim die et in hac hora latronem introducens Christus, duplex officium operatus est: unum quidem, quia paradisum aperuit; alterum vero, quia latronem introduxit; hodie reddidit nobis patriam principalem, hodie reduxit nos in civitatem paternam, et communi hominum naturæ, domum redonavit æternam. (3) » Nam si martyrum sanguis clavis est paradisi, quantum a fortiori *crux Christi clavis est Paradisi?* (4) *Quam felix bonus latro, qui brevi ponte crucis de patibulo ad regnum, de supplicio ad paradisum translatus est!* (5) *Quam infelix perversus latro, qui de cruce ad infernum detrusus est! Quod duo cum Christo crucifixi sunt, ostendit alios sibi dextros, alios sinistros esse passuros.* (6) Illi ad dexteram Christi patiuntur quibus crux est via ad cœlum: *Hæc est enim via vitæ, tribulatio præsens, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni.* (7) Illi ad Christi sinistram patiuntur, quibus tribulatio est via ad infernum. *Fitque modo mirabili, ut culpa unde sperare debuit terminum, inde sumat argumentum.* (8) Non enim pœna cœlum promeretur, sed causa et modus quo toleratur tribulatio. *Tres illas cruces attendite, ubi Dominus crucifixus est in medio duorum latronum: pœna æqualis erat, sed pœna separabat quos pœna jungebat: unde damnandus erat alter, alter salvandus. In medio damnator et salvator; unum punit, alterum solvit, crux illa tribunal fuit.* (9) Filiorum tria sunt genera: alii legitimi, qui ex legitimo matrimonio nati sunt; alii legitimati, qui licet ante matrimonium initum fuerint procreati, per subsequens tamen parentum concubium efficiuntur legitimi; tertii illegitimi, quia vel ex adulterio, vel fornicatione generati sunt. Eodem modo crucis tres sunt species: legitimæ scilicet, legitimatæ, et illegitimæ. Legitimæ, quæ ultro suscipiuntur, pro Deo, religione et patienter tolerantur; legitimatæ, quæ inferuntur in pœnam delictorum, vel sinistro fortunæ eventu fortuito eveniunt, accipiuntur tamen

(1) D. Chrysost. — (2) Tert. L. adv. Jud. 11. — (3) D. Aug. Serm. 150. de Temp. — (4) S. Vinc. Fer. Serm. de S. Barthol. — (5) Petr. Dam. Serm. 69. — (6) D. Aug. Serm. 36. de Divers. — (7) D. Bern. Serm. 2. in Ram. palm. — (8) D. Greg. L. 4. Dialog. 19. — (9) D. Aug. Serm. 6. de Martyrib.

patienter : illegitimæ , quæ non patienter , sed culpabiliter accidunt , et scelerose patiuntur. Crux Christi fuit legitima , quam ultro et patienter sustinuit Salvator. Crux probi latronis fuit legitimata , quia etsi eam ascenderit in pœnam criminis , tamen de sceleribus pœnituit , et in ea Christum agnovit. Crux scelerosi latronis fuit illegitima , quia crimina

in cruce incrementavit. Feramus cruces , non illegitimas , sed vel legitimas , vel saltem legitimatas. Eamus ad montem myrrhæ , et ad collem thuris : *qui cum Christo fuerit myrrha particeps , omnino etiam erit particeps thuris , nam qui fuerit cum ipso passus , simul etiam conglorificabitur.* (1)

(1) Greg. Nyss.



FIDES.

SCHOLIUM.

Fides , 1. *Triumphans* ; 2. *Honorans* ; 3. *Illuminans* ; 4. *Operans* ; 5. *Regulans* ; 6. *Salvans*.



CONCIO PRIMA.

NOTATA sunt commercia hæreticorum cum astrologis , cum philosophis , curiositati scilicet deditis. (1) Tres hominum ordines curiositati deditos dinumerat Tertullianus , nimirum philosophos naturæ secreta indagantes , astrologos stellarum distantias , conjunctiones , motus et influxus considerantes , et hæreticos circa mysteria divina *omnem libidinem curiositatis effundentes*. (2) Culpani non sunt philosophi et astrologi veritates naturales terrenorum et cœlestium *pro instituto curiositatis* (3) investigantes. Sed inexcusabiles sunt hæretici sublimiora quæque religionis mysteria rationis discursu cognoscere præsumentes , et *post experimenta fidei victricis* (4) infallibilia fidei oracula in dubium revocantes : quos Ecclesia ob inquietam semper curiositatem a cœtu fidelium merito eiecit. *Semel et iterum ejecti , ob inquietam eorum curiositatem.* (5) Loquitur de Marcione et Valentino Tertullianus ; eadem tamen pœna muletantur cæteri hæretici. *Profecto nobis curiositate opus non est post Christum , nec inquisitione post Evangelium.* (6) Postquam Christus , ad quem sapientia et veritas

specialiter spectant , proprio ore nos docere dignatus est ; postquam Evangelium miraculorum operatione , martyrum passione , dæmonum confessione , Gentilium conversione , Apostolorum prædicatione , fundatum , solidatum et dilatatum fuit ; postquam oratores quique eloquentissimi , idololatriæ renuntiarunt erroribus , christianamque sunt amplexati disciplinam , *cedat curiositas fidei.* (1) Ad quod tria potissimum Christianos stimulant : 1. Intellectus humani parvitas ; 2. Mysteriorum divinatorum sublimitas ; 3. Curiosorum pœna et infelicitas.

I. PARS. Tertullianus *notat eos qui stupidam exercent curiositatem* (2) : illi autem stupidam exercent curiositatem , qui inscitia laborantes , occulta religionis sacramenta detegere conantur ; qui cognoscere præsumunt mysteria , quæ peritiores quique ignorant. *Quam vanum est profanum scire quod nesciat sacerdos !* (3) Ad eorum retundendam præsumptionem , sat est de ignorantia eos redarguere , quæ tanta est ut , ignorent , 1. Creaturas quæ sunt supra ipsos ; 2. Creaturas quæ sunt infra ipsos ; 3. Ea quæ fiunt intra ipsos.

1. *Age jam qui voles curiositatem melius*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 43. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14. — (3) Tert. Apol. 47. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 30. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 8.

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 4. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 7.

exercere in negotio salutis. (1) Quæro a te an cognoscas creaturas quæ supra te sunt : supra te habes Angelos , et cœlestes orbes , et tum Angeli , tum cœli tuam effugiunt notitiam. Inter mortales intellectus acuminè pollentes , Aristoteles sibi primum gradum vindicare videtur : quem Averroes ejus commentator mirum in modum commendat. « Aristoteles fuit princeps per quem perficiuntur omnes sapientes ; Aristotelis intellectus fuit finis humani intellectus ; Deus appropriavit illi ultimam dignitatem , quam ullus homo potest in ulla ætate attingere. » (2) Verum quam immerito tale elogium tribuatur Aristoteli declarat Tertullianus , miserum prædicans Aristotelem quod hæreticis versipellem et sophisticam subministraverit dialecticam : *Miserum Aristotelem ! qui illis dialecticam instituit , artificem struendi et destruendi , versipellem in sententiis , coactum in conjecturis , duram in argumentis , operariam contentionum , molestam etiam sibi ipsi , omnia retractantem , nequid omnino tractaverit.* (3) Nunquam Aristotelis intellectus agnovit Angelorum naturam , proprietates , ordines , hierarchias , officia , ministeria ; quapropter ipsemet asseverat quod se habent oculi mentis humanæ ad cœlestia , non secus ac oculi noctuæ ad solem. Sane si Scriptura sacra de Angelis non dissereret , nullam eorum haberemus notitiam , quia cum sint spirituales , sunt insensibiles , et sensus nullas eorum formare valent species. Intellectus noster majorem habet proportionem cum cœlis materialibus : verum ejusmodi cognitio incerta et fallax est , ut constat ex Epicuro. *Sed Epicurus qui dixerat : Quæ super nos , nihil ad nos ; cum et ipse cœlum inspicere desiderat , solis orbem pedalem deprehendit.* (4) Astrologi hujusce tempestatis veteres aggrediuntur : Scaliger Ptolomæum inscitiam redarguit , eo quod neque octavam spheram , neque ortum et occasum stellarum cognoverit. Scaligerum Petanus velut insanum increpat. (5) Maginus et Origanus , qui Ephæmerides confecerunt , sese mutuis insequuntur convitiis. Galilæus adhuc planetarum incrementat numerum , de errore condemnans eos qui septem duntaxat numerant. Tanta sententiarum diversitas eorum ostendit inscitiam , adeo sunt reprehensibiles et a veritate convincibiles. (6)

2. Nec mirum si cœlestia non cognoscimus , cum terrena nesciamus : *Dic mihi , inspector curiosissime , quodvis animal unius puncti , aliquo alatur necesse est ; exhibe pa-*

buli transmittendi , decoquendi , defæcanilique membra. (1) Præterea naturæ mira quæ cuncti philosophi hucusque ignorarunt , verbi gratia , æstum maris ; magnetis virtutem , quæ in Mecha Mahometis suspensum in aere detinet sepulcrum ; incomprehensibilem vim remoræ pisciculi , qui immobilem Caligulæ reddidit triremem , multaque alia , quæ philosophi qualitates occultas vocitantes , perspicue suam fatentur ignorantiam. Volo ad *culicis et formicæ argumenta respicere* : ex quibus componatur formica , non conveniunt sapientes quidam ex partibus divisibilibus , non nisi ex punctis indivisibilibus , alii ex divisibilibus et indivisibilibus simul. *Hic curiositas humana torpescit.* (2) Ejusmodi quæstio est labyrinthus cujus exitum non invenit humana ratio. Hoc argumento Basilius Eunonium hæreticum ferit. *Minutissimæ formicæ naturam nondum apprehendisti , quomodo incomprehensibilis Dei vias te imaginari gloriaris ?* (3)

3. At quomodo quæ extra nos sunt cognoscere valebimus , cum ignoremus ea quæ intra nos sunt ? *Pythagoras quam non accesserit temeritatem , quam non tentaverit curiositatem* (4) , ut perfectam haberet de humano corpore notitiam ? Riolanus et Laurentius , qui de Anatomia tractarunt , de compositione humani corporis non conveniunt. *Herophilus ille , medicus aut lanius , qui sexcentos exsecuit ut naturam scrutaretur , qui hominem odit ut nosset , nescio an omnia interna ejus liquido explorarit , ipsa morte mutante quæ vixerant , et morte non simplici , sed ipsa inter artificia exsectionis errante.* (5) Eadem inscitia laborat quævis vana et curiosa cupiditas , nomine scientiæ et cognitionis palliata. (6) Quæro etenim a sciolo an recte cognoscat quomodo anima nostra spiritualis , indivisibilis et immortalis , unitur corpori materiali , divisibili et mortali ; quomodo corpora nostra in utero materno fabricata sunt ; quomodo cor , jecur , cerebrum , caro , sanguis , ossa , nervi , totque partes heterogeneæ diversique temperamenti , ex una et eadem materia formatæ sunt ; quomodo ante nativitatem per novem circiter menses absque halitu et respiratione remansimus , nos quibus respiratio est necessaria ad vitæ conservationem. Inde concludit Ecclesiastici auctor : *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus , et qua ratione compinguntur ossa in ventre prægnantis : sic nescis opera Dei qui fabricator est omnium.* (7) Homo curiosus inscitiam suam

(1) Tert. L. de Præsc. Har. 56. — (2) L. 5. de Principiis. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 7. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 4. — (5) L. 3. Divers. Discertat. — (6) L. de Conf. in ling.

(1) Tert. L. de An. 10. — (2) Tert. Apol. 1. — (3) Ep. ad Eun. — (4) Tert. L. de An. 28. — (5) Tert. L. de An. 10. — (6) D. Aug. L. 10. Conf. 35. — (7) Cap. 11.

probe non cognoscens : nam ex D. Augustino *omnis anima curiosa indocta est*. (1) Temerarie indagat opera Dei et augustiora quæque religionis mysteria : *Difficile æstimamus quæ in terra sunt et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore*. (2) Certo non scimus numerum, motum et influxum siderum. *Nulli patet cælum* (3) : oculi nostri caligant *contemplatione ipsu angelicorum luminum* (4); et tamen impudentissima audacia cognoscere præsumimus rationes occultas providentiæ Dei, vias investigabiles prædestinationis et reprobationis, altitudinem sapientiæ et scientiæ Dei, quæ in efficacia gratiæ elucet; absconditum sensibus et rationi Eucharistiæ sacramentum; unionem ineffabilem divinitatis et humanitatis in persona Verbi, incomprehensibilem divinarum personarum Trinitatem : *Trinitas ipsa stultorum linguas non effugit*. (5) Verum ut eorum stultitia evidentius convincatur, et vana retundatur curiositas, mentis humanæ parvitati addenda est divinorum mysteriorum sublimitas.

Ægyptii curiosæ religionis (6) homines, Christiani econverso fidem humiliter profitentur : *simplicitate veritatis, non curiositate* (7) divina credunt mysteria, quæ invisibilia scientiæ et rationi, certo cognoscunt. Quædam sunt res quæ oculorum fugiunt conspectum, ob nimiam distantiam extra spheram activitatis existentes : nonnullæ ob suam parvitatem sunt imperceptibiles. Aliæ tandem videri non possunt, quia interposito opaco corpore occultantur : eodem modo ratiocinandum est (cæteris paribus) de acumine intellectus humani, qui religionis nequit conspiciere mysteria ob eorum, 1. Magnitudinem; 2. Parvitatem; 3. Occultationem.

1. *Cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur* (8), quanto magis sanctissimæ Trinitati, quæ omnium mysteriorum est augustissimum? Quo modo D. Hieronymus expendit istud Davidicum : « Te decet hymnus Deus in Sion » (9) : *tibi silentium Deus in Sion*; quia quantalibet facundia polleant mortales, nunquam satis divinam prædicabunt magnitudinem; quantalibet intelligentia illustrentur Angeli, nunquam tamen divinam comprehendent majestatem : *Quidquid audiri, vel videri, vel sciri potest, non convenit majestati : hebes est in hac consideratione omnis acies sen-*

suum, et caligat aspectus. (1) Ad Trinitatem caligat aspectus humanus, non quod non sit summe lucida et cognoscibilis, sed quia hominum mentes ad illam conspiciendam sufficientem non habeant lucem. Licet enim Deus unus et trinus sit *amictus lumine sicut vestimento*, attamen ex Apostolo *lucem habitat inaccessibilem* (2), quam ferre non valens Elias, pallium supra oculos superposuit : Seraphini quoque inter Angelos principes, facies suas sub alis occultant (3), lucem inaccessibilem Divinitatis sustinere non valentes. Eo modo, ait D. Chrysostomus (4), quo mortales ad aspectum solis claudunt oculos. *Solem qui omnibus vivendi causa est, videre non possumus, radii acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur, et si diutius inspicias, visus exstinguitur; quid ipsum solis artificem, ipsum luminis fontem possis sustinere?* (5) Quod bello lemmate declarat Franciscus Justinianus (6) repræsentans faciem in meridie accensam, cum hac subscriptione : *Cælesti lumine vincor*. Duo sunt lumina quibus lux humana vincitur : lux oculi corporei lumine solis vicitur; lux mentis lumine Divinitatis superatur. *Mentis humanæ acies invalida; in tam excellenti luce non figitur*, (7) et ob hanc causam Moysi postulanti a Deo : *Ut cognoscenter videam te*, respondit Deus : *Non potes videre faciem meam*. (8) Quod probe sciens Job exclamat : *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram* (9), quia, ut profunde philosophatur Tertullianus, *Deum vis magnitudinis et notum hominibus objecit et ignotum*. (10) Magnitudo sese eorum oculis manifestat, quia in creaturis suam exaravit existentiam et essentiæ unitatem : magnitudo sese eorum occultat conspectibus, quia invisibiliter in tribus personis subsistit; at uti Dei sublimitas in Trinitate, ita ejus parvitas in Incarnatione, hominum fugit cognitionem : Trinitas excessu luminis, Eucharistia luminis defectu.

2. *Si sancta silentio magno, sola taciturnitate cælestia* (11), quanto silentio veneranda est divina corporatio? Cur, quæso, Verbum humanatum est, dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, nisi quia humanæ mentes tenebris obvolvuntur, nec ineffabile illud possunt conspiciere mysterium? Linguae silent, illud enarrare non valentes; licet enim sit *tota in adytis divinitas* (12); quia ejus

(1) L. de Agon. Chr. c. 4. — (2) Sap. 5. — (3) Tert. L. de An. 55. — (4) Tert. L. adv. Valent. 7. — (5) Greg. Naz. Apol. — (6) Tert. L. 1. ad Nat. 8. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 21. — (8) Tert. L. Apol. 7. — (9) Psal. 64.

(1) D. Cypr. in Prolog. L. de Oper. Gard. — (2) L. de Reg. 19. — (3) Isa. 6. — (4) Hom. 8. in Matth. — (5) Min. in Oct. — (6) Joan. Feict. 2. P. Theat. — (7) D. Aug. L. 1. Trin. — (8) Tert. L. adv. Prax. 14. — (9) Cap. 36. — (10) Tert. Apol. 17. — (11) Tert. L. adv. Valent. 1. — (12) Tert. Ibid.

majestas in suis effectibus prospicitur; Dei tamen Filius est Deus absconditus, nec cum potest homo oculo intellectus videre: Dei Filius considerari potest, et in sinu Patris ab æterno, et in sinu Matris in tempore. In sinu Patris, *de Deo nascitur Deus, de ingenito unigenitus, de solo solus, de vero verus, de perfecto perfectus, totum Patris habens, nihil derogans Patri.* (1) In Incarnatione autem iste Dei radius, *delapsus in Virginem quandam, et in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mixtus.* (2) At in utroque sinu, sive paterno, sive materno, Dei Filius est Deus absconditus. Cum hoc tamen discrimine quod in sinu Patris est incognitus mortalibus ratione magnitudinis, in sinu Matris ratione parvitatibus: exinanivit etenim semetipsum: *Materia ab lucis defectum ignota est: Deus vero ob lucis excessum* (3): Dei Filius ob lucis excessum ignotus est in sinu Patris: ob lucis vero defectum ignotus est in sinu matris: ibi habitat lucem inaccessibilem: hic posuit tenebras latibulum suum. (4) Noster itaque intellectus *Verbum non cognovit in suæ divinitatis splendore, nec sub nube divinitatis.* (5) Et quia Eucharistia est Incarnationis extensio. Verbum absconditum sub forma servi absconditur sub figura panis. Ibi Christus occultat divinitatem, hic abscondit divinitatem simul et humanitatem; ibi nocte nascitur; hic nocte tegitur; quapropter corpus et sanguinem Christi *alimenta nocturna* (6) vocitat D. Augustinus. Ibi sub tenebris latitat; hic sub tenebris delitescit: quia speciebus sacramentalibus obnubilatur, neque ratione, sed sola fide dignoscitur. Nam, ut ait Euthymius, « oportet non simpliciter eo intueri (id enim est carnaliter intelligere), sed aliud quippiam imaginari, et interioribus oculis ea aspicere tanquam mysteria; » (7) sed mysteria tenebrarum, unde Ægyptiorum more ter dicendum est, tenebræ: tenebræ, quia Divinitas, nec in seipsa, nec in suis effectibus ullatenus apparet in Eucharistiæ mysterio; tenebræ, quia humanitas in puncto indivisibiliter existens non videtur; tenebræ, quia corporis gloriosi splendor velis tegitur: ibi stellas claudit sub signaculo, nimirum lucem divinitatis et humanitatis suæ, sensui et rationi occultat.

3. Sed arcana ista nec omnium nosse (8); uti enim oculi mentis nequeunt penetrare sacramenti velamina, ita nequeunt intueri cor Dei, ut ejus secreta dignoscant. Judicia

Dei abyssus multa, viæ ejus ininvestigabiles; quare voluntatis ejus decreta non sunt curiose investiganda, ut sapienter concludit D. Augustinus: *Voluntatem Dei non esse curiose investigandam, quia cum sit rerum omnium causa, res omnes superat, nec ab illis potest comprehendi.* (1) Etenim si hominum corda quamquam finita et limitata, nobis sunt occulta, ad Deumque duntaxat pertineat ea scrutari: *Deus conspector est cordis* (2): quomodo secreta providentiæ et prædestinationis intra cor Dei delitescencia perspicere poterimus? Sane id tentare, est ad impossibile niti. Quid stultum magis quam velle interna Dei penetrare secreta, cum homo externos ejus effectus rationis discursu persæpe nequeat attingere? *Dementiæ genus est, invisibilis, incomprehensibilisque velle opinari secreta, ejusque interna discutere, cujus externa nequeas suspicari.* (3)

Utinam homines curiositate laborantes et divina arcana indagare præsumentes, semetipsos cognoscerent, et Deum quoque non ignorarent! si probesemetipsos cognoscerent, intellectus deprimerent tumorem, dum Dei arbitrum, judicem et censorem agere tentant, dicentes cum Apostolo: *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* (4) Græca lectio habet, *qui ex adverso respondeas, seu disputes cum Deo.* Ut autem acute expendit Gregorius Magnus, *respondere Deo non posse convincitur, qui homo nominatur: qui per hoc quod de humo sumptus est, judicia superna discutere dignus non est.* (5) Quem ideo sapienter hortatur Moralis Philosophus: *Tui non satis scius, divini providentiæ arcanum tibi impar ne curiosius scruteris.* (6) Si autem Deum homines cognoscerent, coram ejus majestate humiliati jacerent, dicentes cum D. Aug. *Demus aliquid posse Deum facere, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* (7) Sat est ad sistendam curiositatem, potentissimum et justum, Deum nosse: ut omnipotentem, omnia quæ voluit potuit; ut justum, nihil potuit quod non sit rationale, neque fecit quod non sit rectum. *Si a Deo omnia, et Deus bonus est, omnia profecto quæ fecit Deus, sunt bona; si quæ autem sunt in arcanis statutorum ejus altiora sensibus et cogitationibus nostris, etiamsi rationem eorum consequi, et colligere non possumus, tutius tamen nobis est, magis occultas esse rationes quam nullas credere: quia non*

(1) S. Zen. Serm. de ætern. gener. Verb. — (2) Tert. L. Apol. 21. — (3) Mars. Ficin in D. Dion. — (4) Psal. 17. — (5) Clem. Alex. — (6) Serm. 45. de Diver. — (7) In. c. 6. Joan. — (8) Tert. L. de Pall. 5.

(1) L. 85. Quæst. Quæst. 28. — (2) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 15. — (3) S. Zen. Serm. 1. de Nautr. — (4) Rom. 9. — (5) L. 9. Mer. 8. — (6) Epist. 94. — (7) Epist. 1. ad Volus.

ambigendum omnia Dei esse, etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta. (1) Nihil inconsultum est apud Deum, nihil non ratione factum, etsi ab hominibus Dei ignorantur consilia, ejusque rationes non dignoscantur.

In religionis mysteriis, quædam sunt quæ nobis Deus revelavit, quæque ut sciamus desiderat: quædam vero quæ non revelavit, et ut ea ignoremus exoptat: revelavit futurum esse judicium ultimum, tempus autem quo fiet judicium, non revelavit. Videmus quotidie malos prosperitate florere, bonos autem adversitate gravari, cur autem divina providentia id permittat, nos latet, nec est curiose sciscitandum. *Omnia providentiæ opera suspicimus, omnia laudemus, omnia citra ullam censuram comprobemus, quamlibet ea plerisque iniqua videamus.* (2) Deus absque injustitia Jacob diligit; Esau odio habet; nonnullos prædestinat, alios reprobabat; vult autem nos ignorare rationes cur potius illos quam istos eligit. In cunctis generatim providentiæ et prædestinationis arcanis, servanda est regula a D. Ambrosio proposita: *Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne et in illis illicite curiosi, et in istis damnabiliter inveniamur ingrati.* (3) Quam damnabiliter et quam illicite curiosi sunt Christiani qui detegere volunt quod Deus texit, cognoscere quod ignotum voluit, quorum temeritas, justo Dei judicio, in præcipitia cadit!

III. PARS. *Quis revelabit quod Deus texit? Inde sciscitandum est, unde et ignorare tutissimum est: præstat per Deum nescire, quam per hominem scire, quia ipse præsumpsit.* (4) Nam, ut belle ad propositum fatur D. Cyprianus magistri Tertulliani vestigiis inhiærens, *de Deo etiam vera dicere periculosum est* (5), ad Deum uti ad ignem accedendum est: nimia ab igne distantia, æque ac nimia approximatio noxia est. *Euclides a quodam interrogatus quales essent dii? Cætera quidam ignoro, respondit, at curiosos illis odio esse certo scio.* (6) Et ne profana misceantur sacris, audiendus est hac supra re Sapiens: *Scrutator majestatis opprimetur a gloria.* (7) Divinæ majestatis solium undequaque præcipitiis cingitur, in quibus curiosi infeliciter tumulantur. *Sed enormis intentio philosophiæ solet plerumque nec prospicere pro pedibus. Sic Thales in puteum;* (8) et ut fatur Gregorius Nazianzenus, *sicut*

sceleratibus divinitatis arbitris ac dimensionibus accidit (1), qui cadunt, 1. In errorem; 2. In hæresim; 3. In atheismum.

1. *Hujusmodi enim curiositates, et suspecta faciunt quædam, et coarctarum expositionum subtilitate, plerumque deducunt a veritate.* (2) Curiosa rerum divinarum sagacitas, non peritum et doctum efficit, sed ad errorem inducit, et criminis reddit. Curiosi, qui temerarie scrutantur mysteria edocta a Christo, *hunc opinionibus variis violare conuntur: nec intelligunt miseri quoniam curiositas reum efficit, non peritum.* (3) Curiosi assimilantur cæcis qui absque ductore incedentes errant, titubant et cadunt. Eodem modo curiosi absque lumine fidei quærentes, in errorem ruunt, nec attendunt utilius esse Deum ignorare quam male cognoscere: *Deus nesciendo melius cognoscitur.* (4) Fateor cum D. Augustino, *scire melius est quam non scire* (5); sed cum eodem Augustino assevero, *melius est nescire quam errare.* (6) Concedo adhuc cum Hipponesi Antistite: *Non omnis fortasse qui errat peccat.* (7) Verum sanctus Præsul statim respondet: *Quid opus est ut hæc affirmantur, vel negetur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?* (8) Ignorantia innocua multum præferenda est curiositati, qua innocentia seu veritas periclitatur. Deus namque *custodit rectorum salutem.* (9) Versio chaldaica habet *incolumitatem*; syriaca *spem*; tigurina *essentiam*; Rabbi Moses legit *legem*; alii *formam, fortunam, successum*; Vatablus vero *doctrinam veram.* Quasi fides, seu ut fatur Tertullianus, *modestia fidei* (10) qua recti credunt, eorum conservet incolumitatem, spem fulciat, fortunam efficiat, essentiam demonstret, et veram doctrinam præstet; et econverso perversi, incolumitate, spe, fortuna, sapientia, essentia, veraque doctrina, qua probi pollent Christiani, denudati et privati videntur, quia, ut addit Sapiens, *Deus protegit gradientes simpliciter, ne scilicet deviant a veritate, et incidant in errorem.*

Etsi proinde pertineat ad fidem et modestiam fidei (11), doctrinæ veritas, et conscientie incolumitas, illam tamen curiosi mysteriorum indagatores, *fatuam simplicitatem* (12) existimant. Quasi christiana simplicitas excludat et neget sapientiam. *Ideoque simplices notamur apud illos, ut hoc tantum*

(1) D. Paulin. Ep. 58. — (2) D. Damasc. L. 2. de Fid. 29. — (3) L. 1. de Vocat. gen. 7. — (4) Tert. L. de An. 1. — (5) In Symbolis. — (6) S. Max. Serm. 21. — (7) Prov. 2. — (8) Tert. L. de An. 6.

(1) Orat. 2. — (2) Tert. L. de Pud. 9. — (3) S. Zen. Serm. 2. de ater. gen. Fil. — (4) D. Chryst. Hom. de Fato. — (5) L. 2. de Ord. — (6) Tract. 21. in Joan. — (7) L. 3. de Academ. 16. — (8) In Enchir. 59. — (9) Prov. 2. — (10) Tert. L. de Orat. 1. — (11) Tert. Ibid. — (12) Tert. L. adv. Valent. 1.

non etiam sapientes : quasi statim deficere cogatur a simplicitate sapientia. (1) Quam falsum et injustum sit ejusmodi iudicium, constat ex ipso Domino utramque jungente; (2) nempe sapientiam cum simplicitate. Estote prudentes ut serpentes, et simplices ut columbæ. Aut si nos propterea insipientes, quia simplices, num ergo et illi propterea non simplices, quia sapientes? (3) Si fidelium simplicitas sapientiam excludit, et insipientiam includit, non recte credentium fucata sapientia simplicitatem negat, et crimen denotat. Nocentissimi autem qui non simplices, sicut stultissimi qui non sapientes. (4) At simplices sapientibus sunt præferendi, quia illi a mundanis stultissimi falso existimantur; hi autem vere criminiosissimi habentur et ita christiana simplicitas, multum est sapientiæ seculi præferenda. Et tamen malim in eam partem meliori sumi vitio. Si forte præstat minus sapere quam pejus, errare quam fallere. (5) Simplices tamen modestia fidei credentes, neque errant, neque peccant, imo Christum in hac vita dignoscunt: Christum columba demonstrare solita est (6), et in futuro seculo videre Deum merentur: Porro, facies Dei spectat in simplicitate quærentes; sapientes vero seculi, et in præsentia vita veram Dei non habent notitiam, et in futura, ab ejus conspectu reprobantur. Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. (7) Septuaginta vertunt: Prudentiam prudentium abscondam. Utrumque verum est: abscondam pro præsentia, reprobabo pro futuro. Ex præpositis concludit Tertullianus: *Ista facilius simplicitas sola Deum et cognoscere poterit et ostendere, prudentia sola concutere et prodere.*

Christiane, si Dei habere notitiam desideras, esto simplex, et fidei serva modestiam. Qui credit in Deum, Deum discutere non præsumat: Deus quod sit, sufficit scire: qui requirit unde sit, quantus sit Deus, Deus quid sit, hic nescit: solum importunum tenebrat aspectum, ad Deum inconcussus carcat aspectus. (8) Christianus in Deum credens, Deum discutere non præsumit, neque de ejus potestate unquam dubitat. Quia non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest. (9) Et ut belle ait Gregorius Nyssenus, *mensura potestatis Dei est ipsa ejus voluntas.* (10) Curiosus temerarie inquirens quantus sit Deus, quid fecit Deus, cur hoc voluit, et quomodo potuit Deus, fidei non habet modestiam, sed insolentis præsump-

tionis temeritatem: nam ut fatur Salvianus, *sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias quam sinaris: sufficit tibi quod tibi Deus a se ugi et dispensari cuncta testatur.* (1) Christiane, attende ad Ecclesiastici consilium: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* (2) Syriaca lectio habet *asperiora*; græca *profundiora*; D. vero Ambrosius legit: *Difficiliora te ne quæsieris sine sensu, et fortiora te ne quæsieris cum stultitia.* Tantum abest ut curiosus divinarum rerum scrutator sit sapiens; quinimo sine sensu et stultus judicatur. Præfatum locum aliter explicat Gregorius Nyssenus: *Altiora te ne quæsieris; hoc est, noli ossa Christi contere, non enim eges scientia ipsorum.* (3) Ex mente Chrysologi curiosus Deum discutere præsumit, et ex mente Nysseni, ossa Christi contere audet. Impia Judæorum crudelitas ossa Christi confringere non tentavit, et temeraria curiositas Deum concutit, Christi ossa conterit, Ecclesiæ unitatem sciudit, fidei veritatem pervertit, et in hæresim cadit.

2. Proinde hæreses ad languorem et interitum fidei productas. (4) Curiosi mysteriorum indagatores, in semetipsis fidem interimunt, et amissa veritate et fide, errorem et hæresim infauste amplexantur. Fuit alias in Judæa urbs Dabir (5), *Cariatsepher* nuncupata, id est, *civitas litterarum*, urbs scientiarum metropolis; Masius legit: *urbs litteraturæ disputationis*; Serarius vero, *urbs spinarum*. Per spinas autem Patres hæreticos passim intelligunt. Ecce gradus queis curiosi in hæresim præcipitantur. Est, 1. *civitas litterarum*: siquidem *omnes timent, omnes scientiam pollicentur.* (6) Ex D. autem Augustino, *mater omnium hæreticorum est superbia* (7): quapropter Apostolus probe sciens quantum scientia superbia tumida et inflata ad hæresim conducatur, *in omni pene epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulteræ doctrinæ: hæreses dictæ græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur: ideo et sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnatur sibi elegit.* (8) Adulterinis doctrinis utitur curiosus, vel ad instituendas novas hæreses, vel ad eas quæ jam institutæ sunt, suscipiendas: quod ut melius exsequi valeat, adit urbem litteraturæ dispu-

(1) Tert. L. adv. Valent. 2. — (2) Tert. Ibid. — (3) Tert. Ibid. — (4) Tert. Ibid. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. Ibid. — (7) 1. Cor. 1. — (8) Chrysol. Sermon. 61. — (9) D. Aug. in Luchir. — (10) In Exod.

(1) L. 1. de Prov. — (2) Cap. 3. — (3) In Vit. Moys. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 2. — (5) Judic. 1. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 41. — (7) Cont. Epist. Manich. c. 6. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 6.

tationis. *Late quæruntur incerta, latius disputantur præsumpta.* (1) Opiniones namque novas quæsitæ, vel veteres susceptas, disputando propugnare nititur, quas pertinaciter defensans, de urbe litteraturæ disputationis ad urbem spinarum progreditur; hoc est, de errore in hæresim labitur: et ut fatur Sapiens: *Vir qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantium commorabitur.* (2) Symmachus legit: *In cœtu eorum qui cum Deo pugnant.* Quinam autem pugnant cum Deo nisi impii, qui Dei existentiam negantes de medio eum tollere nituntur? Hoc est ultimum curiosi præcipitium, qui cadit de curiositate in errorem, de errore in hæresim, de hæresi in atheismum.

3. *Hæretici obtusis sensibus ipsa enormitate curiositatis* (3), in atheismum prolabantur. Tres dinumerat gradus D. Augustinus per quos ad abominandam illam deveniunt impietatem. *Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, crescit infidelitas, crescit iniquitas.* (4) Uti error est via ad hæresim quæ nihil aliud est quam error pertinax, ita hæresis ad atheismum conducit, qui est terminus ad quem infidelitas terminatur; curiositas autem est cunctorum initium. *Animi morbus est male et superflue de Deo quærere.* (5) Imo, ut vult D. Augustinus, *fastus elationis, et venenum curiositatis, motus sunt anime morituræ.* (6) Morituræ gratiæ, quam suis criminibus et perversa inquisitione deperdit: *Errare delinquere est* (7): morituræ fidei, cui renuntiat ut errorem et hæresim amplectatur. *Fides est oculis cordis, videt qui credit, et credendo intelligit* (8): hæretici autem hunc excæcarunt cordis oculum, et sua pertinacia, mortem fidei intulerunt: *Sauciata fides vel in hæresim, vel in seculum exspirat.* (9) Tandem in inferno morituræ: namque *hæreses mortem æternam, et majoris ignis ardorem inferentes.* (10) Qui trinam illam expavescit mortem, curiositatis fugiat venenum, et fidei amplectatur simplicitatem. Nam quemadmodum *hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur* (11), ita, ex mente Tertulliani, *hæc est perversitas fidei, probata non credere, non probata præsumere.* (12) Qui præsumptione tumescit, curiosius inquirat; inquirendo dubitat; dubitando negat; quæ negat, pertinaciter defensat: defendendo cum pertinacia, a fide in hæresim degenerat, *Deum quem invenerat, extincto lumine fidei suæ,*

amittit (1); de hæresi in impietatem deviat, et tandem in infernum æternaliter moriturus se præcipitat. Si quis est præsumptionis peste infectus, curiositatis veneno toxicatus, mortiferi hujus veneni sumat antidotum. *Veritas emendet errorem, fides redarguat incredulitatem, conversio corrigat aversionem.* (2) Præsumens curiositas duxerat de veritate in errorem, submissa humilitas reducat de errore ad veritatem; incredulitas fidei renuntiat, ut susciperet hæresim, credulitas renuntiet hæresi, ut recuperet fidem; aversio a Deo in atheismum projecerat, conversio de impietate pœnitens, revertatur ad Dei cognitionem, amorem, obsequium et cultum, quo et Deum glorificet, sibi que immortalem gloriam comparet.



CONCIO SECUNDA.

Nos *definimus Deum, primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum: natura ex operibus, doctrina ex prædicationibus.* (3) Ratio et religio sunt duæ perfectiones quæ mirum in modum nobilitant hominem: ratione in sua essentia constituitur; religione ad Dei cultum ordinatur; ratione divinas perfectiones quæ in creaturis splendent cognoscit; religione divina mysteria quæ mentis aciem superant, recognoscit. Quapropter religio vocitatur a Salviano, *scientia Dei* (4), et nuncupatur adhuc ab Arnobio *recta de divinis mens.* (5) Et merito talibus encomiis commendatur; *cum omnis vitæ bonæ via in religione sit constituta, in qua unus Deus colitur, et purgatissima pietate cognoscitur.* (6) Ratio cognoscit Deum velut primam causam independentem, a qua creata cuncta generaliter dependent: religio Deum recognoscit velut præcipuum cultus sui objectum quem pietatis actibus veneratur. Ex D. namque Hilario, *Deus est religione intelligendus et pietate profitendus.* (7) Religio, quæ, ut docet Doctor Angelicus (8), est velut cunctarum virtutum moralium magistra, eis propriam largitur perfectionem, tum ob excellentiam objecti quod eis proponit: tum quia ordinat illarum actus, ad gloriam et honorem Dei. Pietas, quæ nobiliori modo colit Deum, virtutibus moralibus, virtutes Cardinales et Theologales adnectit, specialiterque divinas honorat perfectiones. *At fides est quasi capitalis honorificentia*

(1) Tert. L. de An. 2. — (2) Prov. 21. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 2. — (4) Tract. 26. in Joan. — (5) Basil. Mag. — (6) L. 13. Conf. 21. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 11. — (8) D. Aug. L. de Cathec. Rud. — (9) Tert. Scorpi. 1. — (10) Tert. L. de Præsc. Hæret. 2. — (11) D. Aug. Tract. 79. in Joan. — (12) Tert. Scorpi. 11.

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (2) D. Aug. L. 8. Civ. 24. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 18. — (4) L. 2 ad Eccles. — (5) L. 1. Cont. Gent. — (6) D. Aug. L. de Ver. Relig. c. 1. — (7) L. de Trin. — (8) 2. 2. Qu. 82. 2. 4.

summi Dei. (1) Ad Dei venerationem, inter cæteras virtutes *primam fidem* (2) admittimus, quia, ut vult Sanctus Thomas (3), est primum vinculum quod nos Deo religiose ligat, velut infinitæ majestati, infallibili veritati, et supremæ auctoritati, majestati honorandæ, veritati credendæ, auctoritati obsequendæ: fides autem divinæ 1. Majestati honorem reddit; 2. Veritati credit; 3. Auctoritati obedit.

I. PARS. *In Deo census totius majestatis.* (4) Nulla est perfectio divina quæ majestate non floreat et non sit specialiter honoranda. In præsentī trina est consideranda et honoranda majestas, scilicet divinæ dominationis, intelligentiæ et sapientiæ; fides autem trinam illam majestatem honorat. Nam, 1. Majestati divinæ dominationis humanum intellectum immolat; 2. Majestati divinæ intelligentiæ cunctas mentis cogitationes sacrificat; 3. Majestati divinæ sapientiæ scientiarum reverentiam præstat.

1. Constat Deum esse *principem mundi, perfectæ potentie et majestatis* (5), cui competit *imperium summæ dominationis*: quam desiderat Deus ab hominibus recognosci per sacrificia. *Perpetuo Deus sacrificium, non quasi indigeat, meo arbitrato quærit.* (6) Ab hominibus sacrificia omni tempore exquisivit Deus, ut divinam recognoscant dominationem, et creatam testentur dependentiam. In lege naturæ, Deo offerrebant mortales fruges terræ, suorumque laborum fructus; in lege mosaica, pecora immolabant Judæi; in lege evangelica, *non terrenis sacrificiis, sed spiritualibus Deo litandum est.* (7) Quot virtutes religionis ad praxim redigunt Christiani, tot sunt victimæ spirituales quas majestati divinæ dominationis offerunt. Ejusmodi *sacrificia Deo grata* (8): præsertim, oblatio intellectus quem fides sacrificat. *Magis illud sacrificium illud admittit, ut magnificum et pretiosum, mentem scilicet, quæ pietatis ac justitiæ studio nititur.* (9) Quod si in lege mosaica (10), præter terræ fructus et animantia, exoptabat Deus ut ei parentes offerrent primogenitos, absque dubio desiderat ut Christiani ei sacrificent intellectum, qui tenet primogeniti locum, cum sit prima animæ facultas. *Fidelis sacrificat primogenitum, id est, intellectum* (11), ex mente Clementis Alexandrini. Numa Pompilius, primus fidei extruxit ædem. Verum Christiani intra semetipsos templa multo augustiora

ædificant. *Sanctus altare Domini in se habet, quod est fides* (1), ait D. Hieronymus. Idem asseverat Hugo Carensis: *Altare Domini est fides, super quam omnia bona sacrificantur Domino.* (2) Super hoc altare immolatur intellectus ut divinæ dominationis honoretur majestas, et cunctæ mentis cogitationes sacrificantur, ut majestas divinæ intelligentiæ recognoscatur.

2. Divinum intellectum omni intellectu humano et angelico *pro plenitudine majestatis* (3) infinite superiorem certo credendum est. Quanto major est divinæ intelligentiæ majestas, tanto magis humanæ mentis cogitationes illi substernendæ sunt: homo corpore et anima adunatus secundum corpus assimilatur belluis, secundum intellectum assimilatur Angelis. *Subdat ergo sibi quod habet commune cum bestiis, subdat autem Deo quod habet commune cum Angelis.* (4) Corpus intellectui subdatur, intellectus vero majestati divinæ intelligentiæ substernatur. Inter Angelos, inferiores a superioribus illuminantur, et inter homines, qui excellentiori pollent ingenio, imperitis in conversatione et negotiis prædominantur. At cum constet *Deum de sublimioribus oculatiorem,* (5) majorem absque ulla comparatione debet habere ascensum supra homines peritissimos, quacunque mentis acie polleant; quam Angeli superiores in inferiores, aut homines docti et sublimes in rudes et imperitos. Quævis reperiatur mentis inæqualitas inter homines sapientes et ignaros, sunt tamen omnes unius et ejusdem speciei: et quavis prærogativa naturæ et gratiæ polleant Angeli superiores, sunt tamen creaturæ de nihilo productæ, et a prima causa in suo esse et cognitionibus dependentes. Nequit dari processus in infinitum neque in causis, neque in intellectibus, *unius porro et certi instituti, infinita inquisitio non potest esse* (6): et quemadmodum in ordine causarum deveniendum est et sistendum in prima causa, cui aliæ essentialiter subordinantur: *Ubi autem erit finis quærendi, ibi statio credendi*: ita in ordine intellectu deveniendum est necessario ad primam intelligentiam, cui cunctæ creaturæ intellectuales in suis cognitionibus subjiciuntur, et ad summam et infinitam sapientiam, cui cunctæ mortalium scientiæ reverentiam præstant.

3. Majestati divinæ sapientiæ *subjectio religiosa* (7) debetur. Non immerito Deus,

(1) Bern. Sen. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 4. — (3) Opusc. 19. c. 1. — (4) Tert. Apologetic. 10. — (5) Tert. Apol. 24. — (6) Basil. Mag. Epist. 87. — (7) Tert. L. adv. 5. — (8) Tert. L. de Res. 8. — (9) D. Basil. Ibid. — (10) Jud. Exod. 22. — (11) Phil. Jud.

(1) L. 5. Strom. In Psal. 25. — (2) In c. 19. Isa. — (3) Tert. L. adv. Prax. 11. — (4) D. Aug. L. 22. Cont. Faust. 28. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 25. — (6) Tert. L. de Præsc. Her. 9. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 43.

Deus scientiarum nuncupatur. Hujusmodi titulus triplici de causa ei competit : tum quia homines et Angeli a Deo suas mutuarunt scientias ; tum quia cunctæ generatim mortalium scientiæ , majestati divinæ sapientiæ reverentiam præstare tenentur. Quo altior est divina sapientia , *sed oculi Domini alti* (1) , eo demissius humanæ scientiæ ei obsequium debent. Quod sane præstabunt homines si attendant *ad conditionem tam divinæ magnitudinis, quam humanæ mediocritatis.* (2) Fides ad exsequendum illud justitiæ debitum necessaria est. *Dominum suum noctibus honorans* (3) , fides quæ lucet duntaxat in tenebris et in nocte , scientiæ diem luci divinitatis subjicit , et ut fatur Cassiodorus , *fides supremæ majestati pia credulitate reverentiam impendit.* (4) Neque *plus sapere quam oportet sapere* præsumit : in rebus fidei perscrutandis , arcenda est curiositas ne quis sapiat plura et ultra quam sana fides docet et permittit , *et ita Deus credendus colendusque, ut fides, ut disciplina disposita est Christianorum.* (5) Qui secundum christianam disciplinam vivit , sapit ad sobrietatem ; et humiliter credens , altitudinem divinæ sapientiæ veneratur exclamans cum Apostolo : *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei !* (6) Sunt equidem qui divinæ sapientiæ altitudinem et profunditatem adorant , sunt tamen qui ejus secreta scrutari temerarie præsumunt : *Ea est enim materia sapientiæ secularis , temeraria interpretis divinæ naturæ et dispositionis.* (7)

Multi tamen divinæ sapientiæ reverentiam denegant : vel de veritatibus fidei dubitantes , vel mysteriorum rationes quærentes , vel tandem de religione contentiose disputantes. Primi absque ullo fundamento de fide dubitant. *Post tot ac tanta opera atque documenta christianæ religionis seculo edita, quæ edique non potuissent, sine Evangelii veritate.* (8) Secundi quærentes rationes mysteriorum , Apostolo obedire recusant. *Fides nostra obsequium Apostolo debet, prohibenti quæstiones inire.* (9) Tertii nimis curiose disputando amittendi fidem sese periculo exponunt : *Errat quisquis disputationem æstimat fidem, duo in unum diversa confundit : disputationis enim sicut excolit legem, ita si versuta sit, eradicat fidem : quia fides profecto non est, ubi queritur fides.* (10)

Nec dicant se inire disputationes, non ut

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 3. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 18. — (3) Tert. L. de Carn. Christ. 2. — (4) L. Var. Ep. 44. Rom. 12. — (5) Tert. Apol. 25. — (6) Rom. 11. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 7. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 4. — (9) Tert. L. de Præsc. Hæret. 16. — (10) Zeno. Serm. de Fide.

fidem impugnent , sed ut erudiantur in fide, quia, ut fatur Tertullianus, *nemo inde instrui potest, unde destruitur; nemo ab illo illuminatur, a quo contenebratur.* (1) Ratiocinemur, disputemus de regulis medicinæ, juris civilis legibus, mathematicis demonstrationibus, philosophiæ principiis, scientiarum naturalium veritatibus, ethicæ seu moralis disciplinæ virtutibus, conferamus de œconomia, politica, bello, historia, chronologia, geographia; loquamur de domibus, domesticis, filiis, morbis, adversitatibus, prosperitatibus; disseramus de rebus quæ acciderunt, familiis, civitatibus, provinciis, regnis. *Quæramus ergo in nostro, et a nostris, et de nostro: idque duntaxat quod salva regula fidei potest in questionem devenire.* (2) Claudianus (3) commendatur a Sidonio Apollinare, velut homo scientia præditus, subtilitate ingenii acutus, eloquentia florens, cunctisque suæ ætatis peritia et facundia superior, disputationis amantissimus. *Quique indesinenter salva religione philosopharetur.* Idipsum agatis si quæ in conversationibus proponuntur quæstiones, non sint de veritatibus fidei, si incunda est disputationis, non sit de religione; si proponendæ sint difficultates, adversus divina mysteria non proponantur. Satagite videri fideles magis quam periti. Ne timeatis de inscitia culpari, quia *adversus regulam nihil scire, omnia scire est.* (4) Contenti estote scire per fidem ea quæ innocue ignorari non possunt; neque torqueatis ingenium vestrum ediscere per rationem, quæ absque crimine nesciri possunt. *Novissime ignorare melius est, ne quod non debeas noris, quia quod debeas nosti.* (5)

Christiane, si vis haberi Christi discipulus, ejus observa disciplinam: *Hæc regula a Christo instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, et quæ hæreticos faciunt.* (6) Qui hanc Christi irridet disciplinam, ut stultus arguitur a Tertulliano: *Stulte, qui tantum argumentum divinæ majestatis, et humanæ instructionis, naso agis.* (7) Neque tanquam stultus est habendus, sed ut infidelis, imo ut reprobus. *Fides, inquit, tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum.* (8) Quod ut evidentius appareat, fidem et disputationem opponit Tertullianus: Fidem Christi sapientia inducit, disputationem curiositas adducit; fides meretur salutem; disputatio venatur gloriam. *Fides in regula posita est habens legem et*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 12. — (2) Tert. Ibid. — (3) Epist. 28. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. Ibid. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 25. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14.

salutem de observatione legis : exercitatio autem in curiositate consistit , habens gloriam solam de peritiæ studio. Postquam autem Tertullianus fidei et exercitationis consideravit principium , utriusque inspexit motivum et fructum , sapienter concludit : *Cedat curiositas fidei , cedat gloria salutis : cedat scientia humana sapientiæ divinæ veritati , cui omnino in rebus fidei deferendum est.*

II. PARS. *Hoc erit testimonium veritatis , ubique occupantis principatum.* (1) Fidem autem christianam divina testans veritas , in intellectum humanum principatum exercet. Veritas namque divina revelans est formale fidei objectum : *Cui enim veritas sine Deo ? cui Deus cognitus sine Christo ? cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto ? cui Spiritus Sanctus accommodatus sine fidei sacramento ?* (2) Nam , ut ratiocinatur D. Ambrosius , *cum principium verborum veritas sit , veritas utique fidei fundamentum est.* (3) Illa autem divina veritas revelans , cui inuititur fides , tribus potissimum proprietatibus splendet : nam est , 1. Infallibilis in suis revelationibus ; 2. Una in suis revelationibus ; 3. Immutabilis in suis revelationibus : Infallibilis absque errore et deceptione ; una absque divisione et separatione ; immutabilis absque inconstantia et variatione. Fides autem christiana divinæ respondens veritati , est , 1. Infallibilis in credendo ; 2. Una in credendo ; 3. Invariabilis et constans in credendo.

1. *Neque Deus mentitur* (4) cum sit essentialis et infallibilis veritas. Homines cujusvis sint dignitatis mentiri possunt : Deus autem mentiri nullatenus potest : quemadmodum injustitiam nequit committere , quia justitia est ejus plenitudo , neque de debilitate et impotentia culpari , quia est omnipotens ; neque cadere in peccatum , quia est sanctissimus : ita nequit de mendacio argui , quia est ipsamet veritas. Veritas , seu potius veracitas , quæ ab ore loquentium arcet mendacium , duas complectitur perfectiones : quarum una ad intellectum pertinet , altera ad voluntatem spectat. Illa est sapientia , qua , res de quibus loquendum est probe cognoscunt. Hæc est bonitas , qua res propalant secundum cognitionem quam de eis habent. Illa excludit errorem ab intellectu , hæc malitiam a voluntate. Unde quo majori sapientia et bonitate pollent , eo magis sunt veraces , et magis adhuc credibiles : credulitas namque debet esse proportionata veracitati eorum qui loquuntur. Qui neque sapientiam habent , ne-

que bonitatem , non sunt credibiles , quia ex defectu sapientiæ errori sunt obnoxii , et ex defectu bonitatis alios possunt decipere ; qui vero sapientiam duntaxat vel bonitatem possident , sæpe sæpius mendaces sunt , cum hoc tamen discrimine quod illi qui sapientiam habent et non bonitatem , malitia et non ignorantia mentiuntur , quomodo *diabolus a primordio mendax* (1) ; qui vero bonitatem habent et non sapientiam , ignorantia mentiuntur et non malitia : quomodo rudis et ignarus loquens de rebus quas non cognoscit , est *ut plurimum mendax*. (2) Deus autem mentiri nequit ; neque ignorantia , quia est sapientissimus , suaque scientia clare et perspicue cuncta cognoscit ; neque malitia , quia est infinita bonitate præditus. Ut sapiens , nequit errare ; ut bonus , non potest decipere.

Quam culpandus est hæreticus qui verbo Dei scripto vel non scripto denegans assensum , Deum mendacem et fallacem existimat ! Quem ideo pungit Tertullianus : *Tu Deum mendacem efficis et fallacem , et deceptorem fidei hujus.* (3) Hæretici temeritatem culpant Christianus , dicens cum Tertulliano : *Malo Deum decipere non posse , de fallacia solummodo infirmum.* (4) Addit adhuc : *Et ideo veracem Deum credens* (5) ; fide infallibili quæcunque revelavit credo. Quemadmodum *sapiens non credit incerto* (6) , nisi valeat haberi insipiens , ita Christianus *fidei testimonium* (7) non respuit , nisi infidelis velit existimari : fides namque est conformanda veritati eorum qui loquuntur. Quæ a dæmonibus dicuntur , credenda non sunt , nisi aliunde vera cognoscantur : quæ dicuntur ab hominibus qui sapientes et probi censentur , credenda sunt , non infallibiliter , sed probabiliter ; quæ vero a Deo infallibiliter veraci dicuntur , fide infallibili credenda sunt. *Reddite sensum veritati* (8) , quæ est infallibilis , et una in suis revelationibus.

2. *Una nobis et illis fides , unus Deus* (9) : magna sane fidei unitas quam Apostolus confert cum Dei unitate : *unus Deus , una Fides* , (10) neque Dei proferre videtur unitatem , nisi ut magis commendat fidei unitatem , 1. Dei unitas indivisibilis in plures deos partiri nequit : *veritas christiana districte pronuntiavit : Deus , si non unus est , non est.* (11) Eodem modo de fide ratiocinandum est : *Fides , si una non est , fides non est.* (12) Qui Divinitatem dividunt , Dei veritatem tollunt :

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 7. — (2) Tert. Apol. 7. — (3) Tert. L. adv. Prax. 11. — (4) Tert. L. de Res. 38. — (5) Tert. L. adv. Prax. 11. — (6) Tert. L. 1. adv. Nat. 7. — (7) Tert. L. de Orat. 9. — (8) Tert. L. ad Jud. 9. — (9) Tert. L. de Vel. Virg. 2. — (10) Eph. 4. — (11) Tert. L. 1. adv. Marc. 5. — (12) S. Leo. Serm. 4. de Nat.

(1) Tert. L. de Præc. Hæret. 36. — (2) Tert. L. de An. 1. — (5) In Psal. 118. — (4) Tert. L. de Test. An. 6.

Verum quippe unum est, mendacium autem multiplex. (1) Qui fidem dividunt, ejus veritatem destruunt quæ unitatem supponit, et ob hanc causam in Marcionem insurgit Tertullianus : *Quid dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit* (2), quia, ut ait Cyprianus, *Deus unus est, et Christus unus est, et una Ecclesia, et cathedra una, supra petram Domini voce, fundata.* (3) Fundat Cyprianus unitatem cathedræ super Ecclesiæ unitatem; Ecclesiæ unitatem super unitatem Christi; unitatem Christi supra unitatem Dei. Inde iufert : *Nobis et hæreticis nec fides, nec Ecclesia communis est*; quia Ecclesia suam mutuatur unitatem ab unitate fidei. 2. Dei unitas cum tribus personis realiter distinctis compatitur : licet enim Pater, Filius et Spiritus Sanctus sint unus Deus, Pater tamen est alius a Filio, Filius alius a Patre, Spiritus Sanctus alius a Patre et Filio. *Regula fidei una omnino est.* (4) Multa tamen eaque diversa habet objecta materialia quæ credit. Trinitas enim non est Incarnatio, nec Incarnatio Eucharistia, et sic de cæteris. Uti enim personæ Trinitatis in una Divinitate identificantur, ita cuncta objecta materialia fidei uniuntur in veritate divina revelante, quæ est ejus objectum formale. 3. Dei unitas indivisibiliter et æqualiter in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto reperitur, et tres personæ sunt unus et idem Deus : fidei unitas in quavis Ecclesia catholica reperitur, et singulæ ecclesiæ unam componunt Ecclesiam universalem, in qua fidei viget unitas. Nam, ut refert Tertullianus, *Apostoli consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, et ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde Ecclesias apud unamquamque condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatae sunt, et quotidie mutantur ut Ecclesiæ fiant, ac per hoc et ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, et apostolicæ, dum una omnes probant unitatem : dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio* (5), quæ in cunctis universis ecclesiis una omnino

et eadem est : *quod nulli doctrina diversa* (1), sed unam et eandem cum cæteris profitetur fidem : *ea quæ est Ecclesia universa, unam et eandem fidem habet in universo mundo.* (2) 4. Deus omnimodam complectitur perfectionem *de singularitate præstantiæ possidens*, (3) ut fatur Tertullianus : si aliqua Deo deesset perfectio, esset indigens, nec esset Deus. Unitas etiam fidei cunctas religionis veritates in semetipsa continet, nonnullas fateri, alias negare, nefas est. Cunctæ generatim credendæ : qui nonnullas recipit, alias rejicit, *factus est omnium reus.* (4) Nec minus habetur hæreticus qui unum errorem ab Ecclesia damnatum pertinaciter tuetur, ac si plures propugnet. Hæretici non ideo sunt ab Ecclesiæ corpore separati, quia cunctos, sed aliquos duntaxat docuerunt errores. Sabellius non fuit hæreticus declaratus, ob impugnatam Dei unitatem, sed ob negatam divinarum personarum trinitatem : Marcion econtra, ob sublatam Dei unitatem damnatus fuit; Arius Patris divinitatem admittens, noluit Filii confiteri divinitatem; Macedonius Filium æque ac Patrem agnoscens Deum, Spiritui Sancto divinitatem denegavit; Apollinaris et Eutyches non circa Trinitatem errarunt, sed circa incarnationis mysterium; Pelagius Trinitatem et Incarnationem credit, et gratiæ necessitatem renuit; Lutherus et Calvinus gratiæ necessitatem recognoscunt, et in Eucharistiæ sacramento disseminant errores; nullus tandem fuit hæreticus qui aliquos fidei articulos non sit confessus, dum alios temere negavit. *Erant ibi mecum, sed non omnino mecum; in multis mecum, in paucis non mecum : sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum* (5), quapropter a cœtu fidelium sunt merito segregati, quia *Ecclesia apud hæreticos non est* (6) cum fidei scindant unitatem : *de ipso jam Domino Jesu, quanta diversitas scinditur.* (7)

Nec dicant hæretici etiam inter Doctores catholicos reperiri sententiæ diversitatem : hujusmodi enim opinionum varietas non tollit fidei unitatem : *Sit una fides universæ quæ ubique dilatatur Ecclesiæ : etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis disputationibus celebretur, quibus nullo modo quod in fide est impeditur.* (8) Dum enim Doctores et Patres Ecclesiæ varie sentiunt, hoc duntaxat evenit vel in rebus quæ non respiciunt fidem; vel si in fidei materia, in modo intelligendi

(1) D. Dion. apud Anton. in Melissa c. 21. — (2) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (3) Ep. 40. — (4) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 20.

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 21. — (2) D. Iren. L. 1. c. 4. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 4. — (4) Jacob. 2. — (5) D. Aug. in Psal. 54. — (6) D. Cyp. Ep. 11. — (7) Tert. L. adv. Valent. 59. — (8) D. Aug. Ep. ad Casulan.

dissentiant, vel in aliqua circumstantia quæ absque errore affirmari potest aut negari. *Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores salva fidei compage non consonant.*

(1) Deinde etiamsi catholici Doctores aliquando errent in materia quoque fidei, talis error est duntaxat materialis, quia subijciunt se Ecclesiæ auctoritati, illumque condemnant quando ab Ecclesia damnatur. *Impune erratur, nisi delinquatur: impune vagatur qui nihil deserit.* (2) In quo multum ab hæreticis discriminantur, qui contra Ecclesiæ decisionem suos pertinaciter defensant errores, scindunt fidei unitatem, et variant immutabilitatem.

3. *Cæterum, Deum immutabilem credi necesse est.* (3) Fides quæ suam a Deo mutuatur perfectionem, particeps est tum divinæ infallibilitatis et unitatis, tum constantiæ et immutabilitatis. *Regula fidei una omnino est; sola immobilis et irreformabilis.* (4) Essentiæ rerum sunt invariabiles; fides quoque est incapax variationis: *Nostra certe metatio, quod clausis vel in totum homericis oculis liquet, totum versiforme est.* (5) Verum quantalibet in mundo evenerint vicissitudines, fides semper permansit invariabilis. Mutantur respublicæ et regna, civitates et provinciæ, domus particulares, familiæ, fortunæ bona et hæreditates; dies, menses et anni, at fidei substantia nunquam mutatur. Hæreses sunt subortæ; adversus fidei veritates insurrexerunt olim, et quotidie insurgunt hæretici: *at fides vivit inter fluctus, nec frangitur, nec solvitur fluctibus.* (6) Immutabilitas est proprius fidei character, eadem absque ulla mutabilitate perseverat, quia *hæc est veritatis integritas, et fides divini obsequii, non immutare sententiam, nec variare iudicium.* (7)

Aliud est autem fides, aliud disciplina fidei. Fides omnino est immutabilis, disciplina autem mutari potest: *Stabat igitur fides semper in creatore, et Christo ejus; sed conversatio et disciplina nutabat.* (8) Uti autem disciplina fidei quam servabant in lege mosaica Judæi, non servatur a christianis in lege evangelica, sic etiam adhuc potuit Ecclesia mutare disciplinam. *Lege fidei manente, cætera jam disciplinæ et conversationis, admittunt novitatem correctionis.* Ejusmodi autem disciplinæ novitas absque auctoritate

Ecclesiæ fieri non debet. Inde patet hæreticorum temeritas qui absque ulla auctoritate tum Ecclesiæ disciplinam, tum fidei audent mutare essentiam. *Idem licuit Valentinianis quod et Valentino, de arbitrio suo fidem innovare.* (1) Idem asserendum est de Luthero et Lutheranis, Calvino et Calvinistis, aliisque hujus ætatis novatoribus. *Neque enim eos probabiles intelligi jubet, qui in hæresim fidem demutant.* (2) Ex hac immutatione quæ quotidie fit in præcipuis fidei mysteriis, *quis non intelligere possit multa pericula et vulnera fidei?* (3) Nam ut ipsa experientia constat: *Hæreses fidem quorundam subvertunt.* (4) Hi autem facile pervertuntur et in hæresim cadunt, qui amplectuntur novitates. *Etenim talium capit opinari eos, qui exorbitant, et fidei veritatis periculum non timent.* (5) Viri Christiani probe sentientes de fide, in hæresim non labuntur, neque Novatorum amplexantur errores, dicentes cum Tertulliano: *Jam igitur nihil nobis erit cum litteris et doctrina perversæ felicitatis, cui in falso potius creditur, quam in vero.* (6)

Ut autem dignoscatur quam principaliter fidei adversetur (7) hæresis seu novitas: constat quia fidei impugnat infallibilitatem, unitatem et immutabilitatem quæ sunt tres proprietates ab ea inseparabiles. 1. Infallibilitatem, suam sententiam divinæ revelationi præferens: quasi Deus verax mentiatur, et homo mendax verum dicat: *Ergone hæretice, veritas mentita est, et tu verum prædicas?* (8) 2. Unitatem, diversimode sentiens. Hanc in materia fidei diversitatem objectat Apostolus: *Edocens unum omnes loqui, et idipsum sapere, quod etiam hæreses non sinunt.* (9) Etenim *si totum capitulum ad unitatem continendam, et separationes coercendas sapit: hæreses vero non minus ab unitate divellunt, quam schismata et dissensiones, siue dubio et hæreses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata et dissensiones.* (10) Tandem, 3. Hæretici fidei impugnant constantiam et immutabilitatem. *Videamus eorum inconstantem sententiam.* (11) Adeo est varia ut nec cum Catholicis sapiant, nec cum aliis hæreticis, imo et inter se non consentiant, ut refert D. Irenæus de Arianis fidem unius anni, unius mensis, et unius diei habentibus. Constat etiam ex Calvinistis in articulis quos fundamentales vocitant dissentientibus, et de præsumpta dun-

(1) D. Aug. L. 1. Cont. Julian 6. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 11. — (3) Tert. L. adv. Prax. 27. — (4) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (5) Tert. L. de Pall. 2. — (6) D. Aug. Tract. 45. in Joan. — (7) Tert. L. de Spect. 20. — (8) Tert. L. 1. adv. Marc. 21.

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 42. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 4. — (3) Tert. L. 2. ad Ux. 2. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 1. — (5) Tert. L. Præsc. Hæret. 44. — (6) Tert. L. de Test. An. 1. — (7) Tert. L. de Pat. 5. — (8) D. Aug. L. Cont. Novat. 6. — (9) Tert. L. de Præsc. Hæret. 5. — (10) Tert. Ibid. — (11) D. Tren. c. 5.

taxat religione gloriantibus. *Ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est.* (1) Quam enim habere possunt religionem et disciplinam? Etenim qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio inducunt? (2) Christiane, si depravatam sequaris doctrinam, si erroneis assentiaris novatorum opinionibus, *dubius a dubiis, incertus ab incertis, cæcus a cæcis in foveam deducaris necesse est.* (3) Hoc patiuntur damnum qui fidei periculum non cavent (4): qui autem fidei periculum timent, hæreticorum vitant conversationem, novatorum fugiunt errores. *Inter hos scopulos et sinus, inter hæc vada et freta idololatriæ velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secunda si attonita* (5): sic enim divinæ veritati reverentiam præstat, ejusque auctoritati obtemperat.

III. PARS. *Christus fidei præceptor* (6) nobis fidei observandæ imponit mandatum, jubens ut eam totis intellectus viribus diligamus. Sic intelligit Doctor Angelicus istud Decalogi: *Diliges Dominum Deum ex tota mente tua.* (7) Ad observationem hujus præcepti eadem fere præstanda sunt quæ ad observationem præcepti amoris divini. Dilectionis mandatum tria præsertim a nobis desiderat: unum, ut Deum propter semetipsum diligamus; aliud, ut eum plus appetiatis quam cætera diligamus; tertium, ut adversus ea quæ divino contrariantur amori, pugnemus. Ut mandato fidei obsequamur, 1. Propter Deum Deo credendum est; 2. Magis Deo quam cunctis rebus credendum est; 3. Adversus ea quæ sese fidei opponunt, pugnandum est.

1. *Cum credimus nihil desideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus.* (8) Deo credendum est, non propter alterius auctoritatem, sed propter ipsum Deum. Quemadmodum prima mensura non per aliam mensuram, sed per semetipsam mensuratur, et sicut prima unitas est ex semetipsa una, et non per aliam unitatem, alias non esset prima; ita Deus, utpote prima veritas, propter semetipsum credendus est. Quapropter Christus ut Samaritanam ad fidem adducat, semetipsum credendum, et propter semetipsum credendum proponit: *Ego sum qui et loquor tibi* (9): sese declarans et objectum fidei, et adhuc motivum fidei. Qua-

propter acute animadvertit Origenes: *Non egere testibus Dei Filium habentem credulitatis sufficientiam: tum in his quæ protulit salubribus verbis, tum in mirabilibus operibus suis.* (1) Homines ad mendacium proni, dum loquuntur habere debent fidei patrocinaturum. Deus autem non alio indiget quam semetipso, ut quæ sature credibilia efficiat. *Omnia humana dicta argumentis et testibus egent: Dei autem sermo ipse testis est: quia necesse est ut quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.* (2) Christiani probe scientes Deum esse primam et incorruptam veritatem, ob ejus testimonium quæcunque dixit infallibilia existimant: *qui jam Deum norunt, et sacramentum didicerint fidei.* (3) Hujus autem sacramenti fidei testes sunt Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Habemus eosdem arbitros quos et sponsores salutis* (4): et si in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, nonne infallibile est sanctissimæ Trinitatis testimonium? *Sub tribus autem et testatio fidei, et sponsio salutis pignorantur.* Divinarum personarum auctoritas, salutis credentibus promissa dignitas, jurata in baptisate credulitas, Christianos ad Deo credendum propter semetipsum stimulant. Etenim *cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet?* (5) Deo scilicet, cui magis quam cunctis rebus credendum est.

2. Habenda est fidei prælatio (6) qua Dei testimonium præferendum est sensuum experientiæ, rationis lumini, scientiæ principiis. *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui et rationi absurdum esse videatur quod dicitur.* (7) Sensus nihil præter panis et vini species intuentur in Euchariistiæ sacramento: ratio absurdam existimat Incarnationem, in qua duæ naturæ infinite inter se distantes in una et eadem persona uniuntur: Philosophia impossibile judicat Trinitatis mysterium, asseverans repugnare quod una natura individualis existat absque multiplicatione in tribus personis realiter distinctis. Attamen præferenda est Dei auctoritas sensui, rationi et philosophiæ. Sensus potest falli, ratio decipi, philosophia errare; Deus vero est fallaciæ, deceptionis et erroris incapax. Ideoque *credat homo firmiter, credat indubitanter, confiteatur fidenter: Si videtur impossibile juxta humanam rationem, si incredibile juxta humanam sapientiam, verum semper et certum maneat in conscien-*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 43. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 44. — (5) Tert. L. de Idol. 24. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 20. — (7) 22. Quæst. 44. art. 5. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 8. — (9) Joan. 3.

(1) In cap. 1. Joan. — (2) Salv. L. 3. de Prov. — (3) Tert. L. de Pud. 18. — (4) Tert. L. de Bapt. 6. — (5) Tert. L. de Res. 58. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 5. — (7) D. Chrysost. Hom. 65. in Matth.

tia fidei, propter divini sermonis reverentiam. (1) Verum semper et certum tenendum fidei redditum a Deo testimonium: etsi illud humana ratio judicet impossibile, et mundana sapientia incredibile; reverentia tamen sermoni divino debita, firmiter credit propter Deum: fidenter credit Deo magis quam rationi et creatæ sapientiæ, et constanter pugnat adversus omnia, quæ obsequio fidei sese opponunt.

3. *Nobis fides præsidium* (2) est adversus omnia quæ nos impedire volunt ne Deo exhibeamus credibilitatis obsequium. Tres sunt fidei hostes: dæmones, hæretici et intellectus nostri rationes. Adversus hos omnes pugnandum est. Dæmones, infensissimi religionis christianæ inimici, de fidelium cordibus fidem tollere nituntur: *Dæmon nihil magis curans quam hoc ipsum excludere quod prædicamus* (3) Ab exordio Ecclesiæ molitus est dæmon tyrannorum persecutionibus labefactare fidem: *Ilæc erunt ignea jacula diaboli, per quæ fidei ustio et constatio administratur* (4), et nunc variis tentationibus Christianorum fidem exagitat. Verum uti primiceri Christiani inter tyrannorum tormenta, fidei demonstrarunt vigorem: *Cum enim exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei teure* (5); ita nobis adversus diaboli tentationes fidei debemus muniri præsidio: *Una ergo tibi fides ad tutelam opus est.* (6) Hæretici sunt secundi hostes qui Catholicorum fidem aggrediuntur. Quibus idem dicendum quod Pelagianis D. Augustinus: *Mira sunt quæ dicitis, o Pelagiani, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.* (7) Verum quia non omnes valent hæreticos de falsitate convincere, interdum simplices debellant. Sic perfecti loquuntur Catholici; verum ut in fide bene firmati superant hæreticos, ita infirmi in fide ab hæreticis superantur. Quod hac comparatione declarat Tertullianus: *In pugna pugilum et gladiatorum, plerumque non quia fortis est vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit: adeo idem ille victor bene valenti postea comparatus etiam superatus recedit. Non aliter hereses de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.* (8) Tandem intellectus humanus est tertius hostis qui fidei adversatur; et ex mysteriis religionis quæ rationis superant discursum, desumit argumenta quibus eadem

mysteria impugnet. *Quanta vis est perversitatis ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet ex quibus constat.* (1) Verum divinæ auctoritati substernendæ sunt cunctæ humani intellectus rationes, et ut belle ait D. Bernardus, *credat homo Deo magis quam sibi; credat se Deo, ne Deus non se credat illi; credat spiritum suum Deo, ut sit creditus cum Deo spiritus ejus; credat rationem suam Deo, et abneget semetipsum, et sicut audit a Deo sic judicet.* (2) Non credat Christianus rationi suæ divina mysteria, sed potius rationem suam credat Deo. In rebus fidei abneganda est humana ratio, neque illi permittatur de Deo ejusque mysteriis ferre judicium, nam, ut fatur Bernardinus Senensis, *intellectus humanus necessario obligatur contra se pugnare propter Deum.* (3)

Video inter animam et corpus unionem et divisionem, pacem et bellum. Et inter animam et corpus pax, quia adeo intime uniantur ut ex illa unione constituatur essentialiter homo. Divisio, nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. *Caro ministra et famula animæ deputetur* (4), et tamen animæ denegat obsequium, eique dominari præsumit. Est adhuc pax et dissidium inter mentem et fidem: pax quidem, quia utraque veritatem uti proprium respicit objectum, cognitionesque supernaturales fidei non repugnant notionibus naturalibus intellectus, quamvis eas superent. Dissidium etiam, quia mens fidei non vult obtemperare, ejusque mysteria credere recusat. Apostolus carnis rebellis castigabat petulantiam, eamque in servitutem spiritus redigebat: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Ex eodem autem Apostolo intellectus captivandus est ut fidei subjiciatur, eique præstet obedientiam. *In captivitatem redigentes intellectum in obsequium Christi.* (5) Syrus vertit: Captivum ducimus intellectum, velut hostem devictum, et quemadmodum inimicus in bello superatus, captus, et in captivitatem redactus, victori obtemperat: sic intellectus quantumvis versutus in consiliis, in sapientia sublimis, omnes suas cogitationes fidei subjicit imperio.

Fidem repræsentarunt veteres velut reginam admirandæ pulchritudinis, sedentem supra solium sublime, floribus decoratum: tenentem in ore aureum anulum, regem quoque vinculis onustum, suisque pedibus provolutum depinxerunt, milites etiam enc-

(1) D. Bern. apud Tilmal. — (2) Tert. Scorp. 1. — (5) Tert. L. de An. 57. — (4) Tert. L. de Fug. in Pers. 3. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. L. de Fug. in Pers. 14. — (7) L. 3. Cont. Julian. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 2.

(1) Tert. L. de Bapt. 2. — (2) Apud Tilmal. — (3) Tom. 1. Scim. 2. — (4) Tert. L. de Res. 7. — (5) 2. Cor. 10.

catos et circa thronum humi jacentes ostentantur. Fides sedet in medio Ecclesiæ variis circumdata floribus virtutum; annulus aureus quem defert in ore, est Dei verbum et revelatio mysteriorum religionis a prima veritate facta. Rex captivus et ligatus est intellectus, quem suo subdidit imperio; enecati circa solium, milites sunt quinque sensus suis experientiis et operationibus, mortui, ut obtemperent victricis reginæ. Et quod est admiratione dignissimum, fides, sensus enecat, ut eis largiatur vitam; intellectum captivum tenet, ut eum perfecta libertate donet; vinculis onerat, ut palmis coronet, suo subdit imperio ut ab errore et vitiorum tyrannide liberet. Quod Anselmus Laudunensis (1) vult denotatum per victoriam in qua Abraham quinque debellavit reges Pentapolis qui nepotem ejus Loth in captivitatem ducebant: Abraham fide armatus eos aggreditur, superat. Loth omnemque ejus familiam et substantiam, ab eorum tyrannide liberat. Eodem modo fides quinque debellat sensus, ab eorum tyrannide eximit intellectum, de errore ad veritatem reducit, et velut fratrem suum recipit: *A captivitate vitiorum liberat fides intellectum quasi fratrem et substantiam fratris*. Quam pulchra societas! quam utilis affinitas! Fides est regina intellectus, eumque tanquam fratrem considerat; fides captivat intellectum, eique libertatem dat; fides intellectum superat, eumque de errore et vitio victorem efficit; fides intellectum obtenebrat, eumque cœlesti splendore illustrat; fides intellectum debellat, eumque sibi sociat ut ex utriusque consortio orientur merita æternæ felicitatis digna.

CONCIO TERTIA.

IMPII, ut a fide excludant (2) Christianos, eam depreant, et velut barbaram et inanem recusant: eodem modo de fide sentientes ac sophistæ Gentilitatis: nam, ut refert Clemens Alexandrinus, *fidem Græci calumniantur existimantes inanem et barbaram*. (3) Non est stupendum quod gentiles philosophi *homines gloriæ solius libidinosi* (4), rejiciant fidem quæ dejicit et humiliat mentis tumorem: *Non est fides superborum, sed humilium* (5); et repudiata fide, scientiam commendent; nam *scientiam inflat propter ina-*

nis gloriæ tyrannidem. (1) An nonne est stupendum et desendum quod Christiani in Christi disciplina eruditi scientiam prædicent et fidem devenustent, quasi erraverit Christus supra fidem, non supra scientiam, religionem fundans? *Deliquit, opinor, divina doctrina, ex Judæa potius quam ex Græcia oriens. Erravit et Christus, piscatores citius quam sophistas ad præconium emittens*. (2) Aut Christus fidem scientiæ et rationi præferens, errat: aut impii scientiam et rationem fidei præferentes errant: absque temeritate Christus nequit de errore argui: ergo errant impii dum fidem rejiciunt velut ignaram, incertam et infructuosam. Ignaram quia excæcat rationem, et scientiæ principia evertit; incertam, quia est obvoluta tenebris, et non nisi in speculo et ænigmate videt; inutilem et infructuosam, quia multo labore comparatur, et nullum laboris fructum percipit: *Si qua igitur in hunc modum de nidoribus philosophiæ, candidum et purum acrem veritatis infusant, ea erunt Christianis enubilanda* (3) ostendendo quam injuste, de fide impii et sophistæ sentiant, et quam immerito illam scientiæ postponant, cui multum antistat in cognitione, certitudine et facilitate: ut nullus de ejusmodi veritate audeat dubitare. Opponenda est fides scientiæ, cui defectus competunt, quos sophistæ tribunt fidei. Ad fidem vero spectant perfectiones, quas falso scientia sibi arrogat: nam, 1. Scientia est ignara, fides docta; 2. Scientia dubia, fides certa, 3. Scientia difficillima, fides facillima.

I. PARS. Quantovis splendore scientia fulgeat humana, tamen Tertullianus *fidem melius oculatam* (4) existimat: tum quia mysteria scientiæ inaccessa cognoscit: *Quod mens humana rationis investigatione non potest comprehendere, fidei plenitudo complectitur* (5); tum quia scientia testimonio sensuum fallacium innititur: quapropter *horum fidem academicum damnant*. (6) Fides autem fundatur supra depositionem ipsiusmet Christi, qui cum sit prima et essentialis veritas, neque decipi, neque decipere potest: *Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius homine assumpto, non tamen Deo consumpto constituit fidem* (7): tum quia scientiæ principia ab hominibus instituta, non sunt ita evidentiæ ac motiva credibilitatis fidei. Quod probe cognoscens Tertullianus ait: *Nobis curiositate opus non est*

(1) In c. 14. Gen. — (2) Tert. L. 2. ad Ux. 7. — (3) L. 2. Strom. 2. — (4) Tert. Apol. 47. — (5) D. Aug. Ser. 36 de Verb. Dom.

(1) D. Chrysost. Hom. 20. in 1. Cor. — (2) Tert. L. de An. 3. — (3) Tert. Ibid. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (5) D. Amb. L. 4. in Luc. 5. — (6) Tert. L. de An. 17. — (7) D. Aug. L. 11. Civ. 2.

post Christum, nec inquisitione post Evangelium. (1) Tum quia scientia persæpe mentes contenebrat, fides vero credentes illuminat. Licet enim objectum materiale fidei non appareat, objectum quoque formale (nempe divina revelatio) ut plurimum sit obscurum, fidei tamen obscuritas mysteriorum meretur intelligentiam. *Hæc erit fides quæ contulerat etiam intellectum: Nisi credideritis, inquit, non intelligetis.* (2) Fuit alias in Epiro fons, cujus aquæ accensas extinguiebant faeces, extinctas vero accendebant. (3) Scientiæ sunt faces accensæ quæ in abisso Divinitatis extinguuntur. Etenim *si homo omnifariam nosse potuisset Dei magnitudinem, magnitudo non esset.* (4) Fides est fax extincta, quæ credendo mysteria accenditur. *Nam et abscondit præmisso obscuritatis prophetiæ instrumento, cujus intellectum fides meretur.* (5) Ut autem hæc veritas evidentius appareat, trino comprobanda est exemplo, quod sapientes, ignaros, fideles vero doctos et peritos ostendet: ut constabit, 1. Ex scribis et discipulis; 2. Ex hæreticis et catholicis; 3. Ex philosophis sapientioribus, et simplicioribus Christianis.

1. Christus *fidem hominis exigebat* (6) ut perfecte ab ipso cognosceretur. Judæi Christum Messiani in lege promissum credere tenebantur, tum ob adimpleta omnia quæ de ipso vaticinati fuerant prophetæ: *Quoniam ipse est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo Prophetæ annuntiaverant* (7); tum ob miracula ab ipso patrata, quæ ejus divinitatem evidenter demonstrabant. *Cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitæ, elementa ipsa famularet, compellens procellas, et freta ingrediens, ostendens sese Verbum illud primordiale primogenitum* (8): tum ob cœlestem Christi doctrinam qua suam commentabatur divinitatem. *Licuerit et Christo commentari divinitatem rem propriam.* (9) Quare ex mirabili scientia qua fulgebat Salvator et divina prædicatione qua occultiora declarabat mysteria, homines ad fidem alliciebat. *Eruetabo abscondita a constitutione mundi.* (10) Et aliunde se veritatem dicit, cui credere debeant: etenim *Deo de se dicenti credendum est.* (11) Post tot tamen et tantas rationes credendi, non credunt Judæi: quos ideo increpat Dominus: *Si veritatem dico*

vobis, quare non creditis mihi? (1) Scribæ inter Judæos, doctrina fulgentes: *Omnis Scriba doctus* (2); cum omni sua peritia ad tantam ignorantiam devenerunt ut eis exprohret Caiphas: *Vos nescitis quidquam.* Summus ille Pontifex, nunquam majorem propagavit veritatem, quia, ut acute ait Origenes, *nihil noverant, qui Jesum ignorabant.* (3) Unde eis in tanta peritia tanta inscitia? in tanta luce tantæ tenebræ? Ex defectu fidei, qua destituti scribæ ita obcæcantur ut nesciant quidquam, et qua præditi Apostoli, etsi simplices, ignari et idiotæ, scribarum magistri effecti sunt. Quos sic scribas alloquentes inducit D. Chrysostomus: *Nos homines fuimus rustici et obscuri in plebe, vos sacerdotes et scribæ, sed in nobis bona voluntas facta est quasi lucerna rusticitatis nostræ, in vobis autem malitia facta est caligo scientiæ vestræ.* Scribarum scientia fide destituta obcæcatur, et in ignorantiam degenerat. Apostolorum ignorantia fide illuminata oculatur et sapit scientiæ doctrinam. *Videte quam oculata sit fides, quam lynceos oculos habeat* (4): Judæorum inscitia fuit pœna incredulitatis ipsorum: *Sciebant et Judæi venturum esse Christum, scilicet quibus Prophetæ loquebantur.* (5) Et quia post adimpleta in Christo Prophetarum vaticinia ipsum noluerunt recognoscere, propterea *ipsi legunt ita scriptum mulctatos se sapientia, et intelligentia, et oculorum et aurium fruge.* (6) Apostolorum notitia fuit præmium fidei ipsorum: *Jam fidei meditatio fit scientia* (7), fides scientiæ sapit notitiam, ut constat ex Abrahamo, quem patrem fidei, diviniæ familiaritatis virum, dicimus (8), qui nobis datur ad typicam fidei contestationem (9); hoc est figuram, sacramentum, mysterium, exemplum: postquam Scriptura sacra mire Abrahæ commendavit fidem, aiens: *Abraham Deo credidit, et justitiæ deputatus est ab illo* (10), statim illum noscentem prædicat. « Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, horror magnus et tenebrosus invasit eum, dictumque est ad eum: » *Scito prænoscens.* (11) Hæc futurorum notitia Abrahæ datur, non in die quando sol splendescit, sed in nocte, quando sol tenebrosi horroris obscuratur caligine: obcæcantur patriarchæ sensus, ut ejus intellectus illustretur. Cum jam occubuisset sol, in tenebrosa nocte fidem exercens Abraham, audit: *Scito prænoscens, quasi fides sit scientiæ negotium, et præte-*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 8. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 20. — (3) D. Aug. L. 21. Civ. 15. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 25. — (6) Tert. L. de Orat. 1. — (7) Tert. L. adv. Jud. 8. — (8) Tert. Apol. 21. — (9) Tert. Apol. 21. — (10) Matth. 13. — (11) D. Hilar. L. de Trin.

(1) Joan. 8. — (2) Matth. 13. — (3) In Cap. 11. Isai. — (4) D. Bern. Serm. de Epiph. — (5) Tert. Apol. 21. — (6) Tert. Ibid. — (7) Clem. Alex. L. 2. Strom. 2. — (8) Tert. L. de Res. 18. — (9) Tert. L. de Pat. 6. — (10) Tert. Ibid. — (11) Gen. 15.

ritorum, præsentium ac futurorum, parturiant notitiam. *Hæc est quæ velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul et præsentia ac futura, sinu quodam vastissimo comprehendit.* (1) Hanc veritatem comprobemus adhuc ex hæreticis, quorum splendens scientia caligat, et ex catholicis, quorum obscura fides illuminatur.

2. *Eadem materia apud hæreticos et philosophos volutatur: idem retractatus implicatur: Unde, et quare, et quomodo* (2): nam Marcion non capit quare non sint tres dii, cum tres sint personæ divinæ; Arius quomodo Filius potest esse coæternus Patri; Macedonius quomodo Spiritus Sanctus missus, sit Deus; Sabellius quomodo eadem natura singularis in tribus personis realiter distinctis subsistit; Eutyches quomodo absque confusione natura divina et humana uniuntur in persona Verbi; Nestorius, quomodo creatura potest esse parens sui Creatoris, et Deus æternus generari a Virgine in tempore producta; Pelagius, quomodo anima spiritualis peccatum contrahit originale media generatione materiali et corporea; Lutherus, quomodo accidentia existunt in sacramento, si non existit substantia panis et vini; Calvinus, quomodo idem corpus potest esse in pluribus locis, in uno frigere et mori, in alio agere et vivere; novatores hujusce ætatis quomodo Christus pro omnibus mortuus est, cum plures sint reprobi et pereant; impii cur Deus hominem formavit quem prævidebat peccaturum; cur ei legem imposuit quem cognoscebat illam transgressurum; cur iniquos prosperitate beat, justos adversitate infelicitat. Ejusmodi quæstiones proponunt hæretici, qui *vidui a fide deprehenduntur* (3), et mysteria religionis non valent cognoscere.

Verum ne, *quærite et invenietis, sine disciplina rationis interpretentur* (4), duæ observandæ sunt regulæ, quarum primam exhibet Tertullianus: *Ratio autem dicti hujus in tribus articulis consistit: in re, in tempore, in modo. In re, ut quid sit quærendum consideres; in tempore, ut quando; in modo, ut quousque.* Divina autem mysteria sunt res quærendæ; tempus quo quæri debent, est tempus viæ; modus autem quo quæri possunt, est fides. Inde concludit Tertullianus: *Igitur quærendum est quod Christus instituit: utique quando non invenis; utique donec invenias: invenisti autem cum credidisti; nam non credidisses nisi invenisses, sicut nec quæsisisses nisi ut invenires. Ad hoc ergo queris*

ut invenias, et ad hoc invenis ut credas: omnem prolationem quærendi et invenisti, credendo fixisti. Inventis namque per fidem religionis sacramentis, non est amplius quærendum, sed humiliter et indubitanter credendum. Etenim qui non credit, sed semper quærit, quærendo nunquam invenit: quia *fides est oculus: qui non habet oculos nihil videt, nihil invenit, sed tantummodo quærit.* (1) Secundam regulam subministrat D. Augustinus: *Quæstiones per quomodo ex intentione discernendæ sunt.* (2) Bona intentione pastores, concionatores et cathedristæ proponunt quæstiones, ut rudes et ignaros erudiant Christianos: *Nam et multi, rudes, et plerique de sua fide dubii, et simplices plures; quos instrui, dirigi, muniri oportebit.* (3) Sic theologi ut erudiant discipulos utiliter in scholis, præcipuos fidei articulos exagitant: sic Christus sciscitatur a Judæis (4) quomodo Messias potest esse Davidis filius, cum sit illo antiquior. Proponit hanc quæstionem ut inde sumat ansam docendi se esse simul Deum et hominem, quatenus Deum Davidis patrem, quatenus hominem Davidis filium. Eodem modo simplices ut a peritioribus erudiantur possunt formare quæstiones: *Si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique frater aliquis doctor gratia scientiæ donatus; est aliquis inter exercitatos conversatus* (5); a quo poteris instrui. Hac intentione ab Angelo incarnationem nuntiante sciscitatur Maria; quomodo fieri poterit Dei Mater absque virginæ puritatis detrimento: « *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* » (6) Ubi D. Ambrosius: *Quanto temperantior ista responsio, quam verba sunt sacerdotis? Hæc ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Unde hoc sciam? hæc jam de negotio tractat, ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere qui negat scire: et quasi, fidei adhuc alium quærit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit inquirat.* (7) Loquitur de Zacharia Præcursoris patre qui signum ab Angelo exposcens suam ostendat incredulitatem: maxime quia Christus *temerariam signorum fidem ostendit.* (8) Maria vero de fide incarnationis non dubitat. Credit mysterium quod ex prophetarum oraculis sciebat futurum: de modo dubitat, et virginitatis studio, rei scitæ et creditæ modum seculis inauditum sciscitatur.

(1) D. Bern. Serm. 6. in Virg. Nativ. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 7. — (3) Tert. L. de Exh. Cast. 3. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 11.

(1) Theophylact. in 1. ad Timot. 6. — (2) In Cap. 14. Num. — (3) Tert. L. de Res. 2. — (4) Matth. 21. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14. — (6) Luc. 1. — (7) L. 10. in Luc. — (8) Tert. L. 3. adv. Marc. 3.

Quærere autem cur, quando et quomodo, aut ad denotandam incredulitatem, aut ad impugnanda religionis mysteria, est prava intentione sciscitari. Sic Capharnaitæ de Eucharistia increduli dicunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* (1) Sic hæretici et novatores proponunt quæstiones, vel ex criminosa conscientia; vel ex vanitate et superbia; vel ex nimia alicujus auctoris existimatione, vel ex animadversione et invidia, vel ex levitate et animi inconstantia; vel tandem ex curiositate discendi et docendi novam aliquam doctrinam. Hæ sunt præcipuæ rationes ob quas hæretici et novatores, unde sint religionis mysteria, cur et quare sint, et quomodo esse et concipi possint sciscitantur: 1. Ex depravata conscientia. Ut enim ait Apostolus: *Quidam repellentes bonam conscientiam naufragaverunt circa fidem.* (2) Cujusmodi fuerunt Lutherani et Calvinistæ, quos belle commendat Calvinus: *Vix eorum decimus quisque est, qui alio sine Evangelio nomen dederit, quam ut solutius in omnem Insciviam difflueret.* (3) Ne circa fidem naufragemus optimum est gratia stabilire cor. (4) 2. Ex vanitate et superbia. *Si quis aliter docet, et non acquiescit sacris sermonibus Domini nostri Jesu Christi, hic superbus est.* (5) Arcenda est superbia, accersenda humilitas ut servetur fides. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide?* 3. Ex nimia alicujus auctoris existimatione: sic Valens imperator ex æstimatione Eudoxii, Constantinopolitani præsulis, in Arianismum incidit. (6) *Quid ergo si Episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* (7) Ex fide probandæ sunt personæ, non vero fides probanda est ex personis. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Jesu Christi.* (8) Cujusvis sint conditionis personæ, earum amplectendus non est error. *Christianus teneat se itaque ad legem Dei, et non sequatur prævaricatores ejus: non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicabitur.* (9) 4. Ex animadversione et invidia eorum qui contrariam tenent doctrinam, vel quandam obtinent dignitatem, quam ipsi ambiebant: *Quia homines charitatem veritatis non receperunt; misit illis operationem, ut credant mendacio.* (10)

(1) Joan. 16. — (2) 1. ad Tim. 1. — (3) Comment. in 2. Ep. Pet. cap. 21. — (4) 1. Ep. ad Hebr. 6. — (5) Jacob. 2. — (6) Socr. L. 4. Histor. Eccles. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 5. — (8) Jacob. 1. — (9) D. Aug. L. de Catech. Rudib. cap. 25. — (10) 2. ad Thess. 2.

Lutherus Augustinianus, invidia tabescens in Dominicanos, quibus indulgentias prædicandi commissum fuerat negotium, sese ab Ecclesiæ græmio separavit, et in indulgentias oblatravit. Idipsum de Valentino asseverat Tertullianus: *Speraverat episcopatum Valentino, quia et ingenio poterat et eloquio: sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesiæ authenticæ regula erupit (ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi), ad expugnandam conversus veritatem.* (1) Nec mirum si illi qui vel Ecclesiam universalem, vel doctores Catholicos aversantur, incidunt in hæresim: nam *malignus spiritus dominatur fidei illi, quæ est sine charitate.* (2) Ex levitate et animi inconstantia. Hos nuncupat Judas Apostolus *nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, fluctus feri maris, sidera errantia.* Cujusmodi sunt politici qui omnem doctrinam complectuntur modo fortunæ faveat, ut patet hac tempestate in qua videmus multas fides et quidem novellas, et litis labore ac favore nutritas; quas quia vera vix potest inveniri, credo ne populi penuria laborarent, venales esse propositas. (3) Cujusmodi cuncti sunt adhuc hæretici: de quibus sic fatur Tertullianus: *Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit. Quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit: agnoscit naturam suam, et originis suæ morem, profectus rei.* (4) In unitate fidei et Ecclesiæ firmi stemus, *ut jam non simus parvuli, et circumferamur omni vento doctrinæ.* (5) 6. Ex inordinato docendi vel discendi desiderio: quales erant Athenienses, qui *ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* (6) Tales sunt hæretici; immo, ut vult Tertullianus, mulieres hæreticæ: *Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces! quæ audeant docere, contendere* (7), de fidei mysteriis disputare. Quavis autem intentione prava, veritatem impugnent, errorem defendant, falsis suis opinionibus, Ecclesiæ unitatem sciundunt, hierarchiam ecclesiasticam confundunt, Summum Pontificem Christi Vicarium contempnunt, fidem auittunt, alios pervertunt, mentemque suam obscurant et tenebris involvunt. *Ita fit ut ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quam extructiones jacentium ruinarum. Ad hæc solummodo opera humiles et blandi, et submissi agunt.*

(1) Tert. L. adv. Valent. 4. — (2) Nicol. Cusan. L. 5. Excitat. — (3) S. Zen. Serm. de Fide — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 42. — (5) Jacob. 4. — (6) Act. 17. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 41.

Cæterum nec suis præsidibus reverentiam noverunt. Et hoc est quod schismata apud hæreticos fere non sunt, quia cum sint non parent. Schisma est unitas ipsis. (1).

Verum, ut belle animadvertit Tertullianus, *Deus omnipotens adversus hæc incredulitatis et perversitatis ingenia providentissima gratia sua, fidem laborantem animavit.*

(2) Nam et Ecclesiæ doctores peritos et sapientes dedit, qui errores, novatorum impugnant et catholicam veritatem propugnant: *De sapientum ingeniis omnis hæresis animatur* (3): de Christianorum humilitate animatur fides: *Sentite de Domino in bonitate et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam apparet eis qui fidem habent in illum.* (4)

Novatores scientiam ad religionis tutamen necessariam prædicant, et econverso: *Hæretici simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ.* (5) Catholici vero non mundanam et tumentum sapientiam, sed humilem simplicitatem ad fidem desiderant. Idcirco belle ad propositum Tertullianus vult repuerascere nos secundum Deum; *ut malitia infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simul dedi in sapientiæ ordinem de simplicitate manantis.* (6)

Superbia de seculari sapientia tumida, est argumentum hæreticæ cæcitat. (7) Humilis simplicitas est dispositio ad cœlestem illuminationem. *Inde potat fidem* (8) Christianus: Scientia hæreticorum illustrans, oculos eos excæcat; Fides oculos Christianorum obtenebrans, eos illustrat. Quod vaticinans Propheta, ait: *Et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt.* (9)

Quod adimpletum vult Tertullianus in cæco nato, qui credens in Jesum Christum illuminatus est, tum in corpore, tum in anima, nam Christus Dominus *fidem hominis etsi veri luminis compotem, exteriore quoque visione donavit.* (10)

Mirum non est quod oculi hujus cæci fuerint illuminati ad visum: sed mirissimum valde est quod Christus ut cæcum illuminet, liniat ejus oculos luto, quod aptius videtur ad impediendum quam ad conferendum visum. *Ut regulam simulque mercedem fidei disceremus,* ait Tertullianus. Regula fidei hæc est, ut mens obscuretur ad hoc ut illuminetur: *Christus cæcum illuminaturus, linivit oculos ejus luto; cedit ratio et videtur obtenebrari, ut illustretur* (11), subsequens illustratio est præcedentis fidei remuneratio. Nam

fides est oculus cordis: videt qui credit, et credendo intelligit. (1) Qui est fide cæcus, bene oculatur, de tenebris et caligine videt, quasi cæcitate, tenebris et caligine illustretur ad videndum. *Bona cæcitas est in seipso magna non videre, et quæ scire non licet, pie ignorare.* (2) Dum Magi ab hominibus viam non sciscitantur, cœlestis stellæ lumine ducuntur; at dum Herodem et Judæos consulunt, non apparet stella: *Stella deserit Magos dum consulunt Judæos: conversos ad terrenum documentum, cœleste deseruit: unde relicto Herode, gavisii sunt, stella enim antecedebat eos.* (3)

Sol est verum sapientis symbolum: *Homo sensatus manet in sapientia sicut sol.* (4) In ortu solis disparent stellæ, terrena apparent: in solis occasu occultantur terrestria, deteguntur cœlestia. Religionis mysteria occultantur homini dum ea rationis discursu investigat: manifestantur vero dum ea per fidem humiliter credit: *Qui vult videre Jesum, David filium credat per Virginis censum; qui non ita credet, non audiet ab illo: Fides tua te salvum fecit: atque ita cæcus remanebit.* (5) Erudiuntur Christiani remunerata fide cæci (6), non ratiocinatores, sed fideles, mysteria religionis esse intellecturos. Quos ideo hortatur D. Augustinus: *Credite ut mereamini intelligere: fides enim præcedere debet intellectum, ut sit intellectus fidei præmium.* (7) Quod innuit ipsemet Deus, præcipiens ut Sanctum Sanctorum tegetur velo, et juxta apponeretur candelabrum, ut discerent homines mysteria divina esse occulta et manifesta. Occulta rationi humanæque scientiæ: manifesta fidei, quæ ea cum veneratione credit: *Omnino habet oculos fides, et majores oculos, et potentiores, et fortiores: hi oculi neminem deceperunt* (8), sed secreta cœlestia perceperunt.

Quod ipsemet innuit Christus per *drachmam ad lucernæ lumen repertam.* (9) Mulier etenim non solis ortum et diem exspectat, ut drachmam quærat, sed illam de nocte in mediis tenebris quærit. Circa hanc parabolam advertendum est, 1. Cum Chrysologo, Christum esse hujusmodi drachmam: *Christus est plenum deitatis numisma; Christus est drachma nostræ redemptionis et pretii.* (10)

2. Cum D. Chrysostomo, fidem quæ est *lucerna lucens in caliginoso loco* (11), per lucernam qua mulier de nocte drachmam quæ-

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 42. — (2) Tert. L. de Res. 65. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 15. — (4) Sap. 1. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 41. — (6) Tert. L. adv. Valent. 12. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 6. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 56. — (9) Isa. 29. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (11) D. Aug. Tract. 19. in Joan.

(1) D. Aug. L. de Cathec. Rud. — (2) Bald. apud. Titeiman. — (3) D. Bern. Serm. 3. de Epiph. — (4) Eccle. 27. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 56. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 58. — (7) Exod. 26. — (8) D. Aug. in Psal. 145. — (9) Tert. L. de Pud. 7. — (10) Serm. 169. — (11) 2. Ep. Pet. 1.

(1) D. Aug. L. de Cathec. Rud. — (2) Bald. apud. Titeiman. — (3) D. Bern. Serm. 3. de Epiph. — (4) Eccle. 27. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 56. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 58. — (7) Exod. 26. — (8) D. Aug. in Psal. 145. — (9) Tert. L. de Pud. 7. — (10) Serm. 169. — (11) 2. Ep. Pet. 1.

(1) D. Aug. L. de Cathec. Rud. — (2) Bald. apud. Titeiman. — (3) D. Bern. Serm. 3. de Epiph. — (4) Eccle. 27. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 56. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 58. — (7) Exod. 26. — (8) D. Aug. in Psal. 145. — (9) Tert. L. de Pud. 7. — (10) Serm. 169. — (11) 2. Ep. Pet. 1.

rit, fuisse denotatam: *Fides lampas est, quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam.* (1) 3. Cum Origene, per mulierculam significari humanam ignorantiam et simplicitatem, quæ fidei lampade illustrata, de nocte et in tenebris cœlestem illam invenit drachmam: *Felix ignorantia! nescit ubi habeat quod semper sacrum habet.* (2) Credenda sunt ab intellectu religionis mysteria: ut ea cognoscat; obtenebranda est humana mens ut illustretur, et valeat dicere cum Vate Regio: *Et nox illuminatio mea.* (3) Res mira! fides est obscura, et illustrat; tenebrosa, et diffundit lucem; cæcutiens et cæcans, sed oculans et visum præstans.

Quam dissimilis est fides a scientia! Scientia est lucida, lucemque requirit in illis qui volunt erudiri; fides econtra est obscura in semetipsa, et obscuritatem exposcit in intellectu eorum qui eam suscipere volunt. In scientiæ acquisitione est emanatio claritatis, sed in claritatem; in fidei exercitio lux communicatur duntaxat tenebris; ibi *dies diei eructat verbum.* Magister scilicet doctus discipulis ad scientiam comparandam aptis. Hic *nox nocti indicat scientiam*: nimirum fides, quæ lucet in nocte, mentibus tenebris obvolutis. Felix cæcitas! utiles tenebræ! grata nox, diei merito præferenda! ignorantia salutaris! quam perfecta subsequitur scientia: *Quoniam non cognovi litteraturas, introibo in potentias Domini.* (4) Scioli de vestra peritia tumidi, attendite, quæso, quod *scientiæ finis est cognoscere suam ignorantiam* (5): præsertim in religionis misteriis: *Quis enim revelabit quod Deus texit? Inde sciscitandum est unde et ignorare tutissimum est. Præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quam per hominem scire, quia ipse præsumpsit.* (6) Deus fidei occultavit sacramenta, ne mens humana ea detegere præsumat; ibi ignorantia tutissima est, scientia vero periculosissima. Multo melius est nescire quæ a Deo non sunt revelata, quam ea sciscitari, et præsumere per scientiam cognoscere. Modum in mysteriorum notione servandum subministrat Tertullianus de animæ loquens scientia. *Interea in isto tenebrosiore carcere seculi, si quid de anima examinandum est, ad Dei regulas dirigat. Certe nullum alium potio-rem animæ demonstratorem quam auctorem reperiet: a Deo discat, quod a Deo habeat, aut nec ab alio, si nec a Deo.* (7) Quanta autem inscitia laborent qui a Deo

non discunt; quanta vero doctrina possent, qui a Deo, constat ex comparatione sapientissimorum gentilitatis philosophorum, et simplicium Christianorum.

3. Nec dubium quin philosophi sint ignari *qui de uno utero ignorantiae ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis.* (1) Statim ac Adamus Deo fuit inobsequens, scientiam qua illustrabatur perdidit; et, ut satur Laurentius Justinianus, *ignorantiæ, dubitationis et fatigationis mulctatur conscientia; propterea ut cæca cadere, ut dubia errare ut serva laborare compellitur.* (2) Ab illo primo parente ignorantiam velut hæreditario jure mutuati sunt mortales. Quanta vero fuerit gentilium philosophorum ignorantia ex Deo comprobatur, cujus non cognoverunt naturam, nec unitatem, neque personarum Trinitatem: non naturam, nam Deum *alii incorporalem asseverant; alii corporalem, qua Platonici et Stoici; alii ex atomis, alii ex numeris, qua Epicurus et Pythagoras; alii ex igne, qua Heraclito visum est.* (3) Neque unitatem, cum Dionysius Stoicus trifariam deos dividat: « Unam vult speciem, quæ in promptu sit, ut solem, lunam; aliam, quæ non compareat, ut Neptunum; reliquam, quæ de hominibus ad divinitatem transisse dicitur, ut Herculem, Amphiarum. Æque Arcesilaus trinam formam Divinitatis ducit: Olympios, Astra, Titaneos; de Cælo et Terra; ex his, Saturno et Ope, Neptunum, Jovem et Orcum, et cæteram successionem. Xenocrates Academicus bifariam facit: Olympios et Titanios, qui de Cælo et Terra. » (4) Neque trinitatem personarum cognoverunt gentiles philosophi, qui de Dei existentia dubitaverunt. *Exstant testimonio tam ignoratæ quam dubitatæ inter philosophos divinitatis.* (5) Diogenes consultus an dei essent: Nescio, inquit, nisi ut sint expedire. Thales Milesius, Cræso sciscitanti quid de deis arbitraretur, post aliquot deliberandi commectus, nihil respondit: Socrates ipse deos istos quasi incertos negabat. (6) » Inde duo colligit Tertullianus: Unum falso gentiles philosophos nuncupari sapientes, cum Deum ignorent. *Quis autem sapiens exspers veritatis, qui ipsius sapientiæ ac veritatis Patrem et Dominum Deum ignoret? Aliud, Christianum fide illustratum, sapientem duntaxat nuncupandum. Nemo sapiens est, nisi fidelis* (7), quia Christianus certo cognoscit Dei existentiam, unitatem, et personarum trinitatem. Prodat in medio puerulus de catechismo instructus, interrogetur: respondebit

(1) Hom. 25. in Matth. — (2) Hom. 1. in Gen. — (3) D. Aug. in Enclir. c. 59. — (4) Psal. 70. — (5) Phil. Jud. l. de Migr. Abrah. — (6) Tert. L. de An. . . — (7) Tert. Ibid.

(1) Tert. Apol. 59. — (2) L. de Cast. Con. c. 2. — (3) Tert. Apol. 47. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 2. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. Ibid. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 3.

Deum existere, esse cœli et terræ Creatorem, unicū in essentia et trinum in personis; idem testabuntur cæteri Christiani, qui quantumvis idiotæ, gloriāntur: *Nos simplices omnia scimus.* (1) Unde omnimodam illam didicerunt scientiam? non ab Academia, sed ab Ecclesia; non per discursum, sed per fidem. *Quid Athenis et Hierosolymis? quid Academiæ et Ecclesiæ?* (2) nam illa est ignara et incerta, ista vero docta et certa.

II. PARS. *Neque de scientia, neque de disciplina æquamur.* (3) Non præsumimus scientiæ depretiare nobilitatem: nam *disciplinæ ornatorem animam efficiunt.* (4) Homo tantum mutuatur a disciplina decus, ut ignarum vocitet Philo Judæus, *viduatum scientia.* (5) Ut enim mulier prudens est corona viri sui, ita doctrina est sapientis ornamentum, quo caret ignarus. Addit Alexandrinus Clemens, cognitionem esse proprium hominis pabulum. *Inter nos convenit cognitionem esse cibum rationalem* (6): hunc autem cibum homini subministrandum vult Basilius Seleucus, *ne animæ pars melior oppressa fame obrutescat* (7): verum fidei notitia est præcipuum animæ decus, secum omne afferens bonum, ut ait Clemens Alexandrinus. *Est enim omne bonum ejusmodi, ut adnascatur ei qui est præditus cognitione.* (8) Loquitur de fideli qui mores suos fidei notitiæ conformans, cœli meretur beatitudinem, quæ continet omne bonum: etenim qui non bene cognitione sive acquisita, sive infusa utitur, non felicitatem, sed damnationem sibi comparat, ad instar Scribarum, *ut ipsa illorum scientia fieret illis ad testimonium damnationis.* (9) Prævaræ notiones sunt potius hominis venenum quam alimentum: siquidem *alitur anima tractatione rerum honestarum* (10), et pane vitæ et intellectus, quo nutritur Christianus, *qui ex fide convivari instituit* (11), quæ est tanto dignior scientia mundana, quanto certior. Nobilitas enim cognitionis, ex ejus certitudine desumenda est: fides autem certissima est, scientia autem dubia et incerta: quia, 1. Innititur supra sensuum fallacium depositionem; 2. Variam auctorum patitur opinionem; 3. Admixtam habet contentiosam disputationem.

1. *Sensuum fidem Academici durius tractant* (12), quos omnes deceptioni obnoxios, et exinde mendaces et fallaces existimant. Quod ab enumeratione comprobant. « Ita-

(1) Tert. L. adv. Valent. 3. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 7. — (3) Tert. Apol. 46. — (4) Tert. L. de An. 6. — (5) L. Quod Deter. poliam. — (6) L. 5. Strom. 5. — (7) Orat. 16. — (8) L. 7. Strom. — (9) Strab. Fuld. in c. 2. Matb. — (10) Phil. Jud. L. de Allegor. — (11) Clem. Alex. L. Strom. 1. — (12) Tert. L. de An. 17.

que mendacium visui objicitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos asseverat adversus scientiam integritatis; quod turrem quadrangulatam de longinquo rotundam persuadeat, quod æqualissimam porticum angustiolem in ultimo infamet; quod cœlum tanta sublimitate suspensum, mari jungat. Proinde auditus fallaciæ reus; ut cum cœleste murmur putamus, et plastrum est; vel tonitru meditante, pro certo de plaastro credimus sonitum: sic et odoratus et gustus arguuntur; siquidem eadem unguenta, eademque vina, posteriore quoque usu depretiantur. Sic et tactus reprehenditur; siquidem eadem pavimenta manibus asperiora, pedibus leviora creduntur; et in lavacris, idem calidæ locus ferventissimus primo, dehinc temperatissimus pronuntiatur. » Sic loquuntur apud Tertullianum Academici, cunctos sensus de mendacio redarguentes. Idipsum docet Academici princeps. *Plato irrationalem pronuntians sensualitatem, et opinioni coimplicitam.* A sensibus namque scientiæ oritur incertitudo et error, quia intellectus in ergastulo corporis inclusus objecta nequit cognoscere, nisi eorum habeat species: has autem mutuatur mediis sensibus, qui cum sint errori obnoxii, fallaces accipiunt ab objectis, et ad intellectum emittunt: *Sic quoque fallimur sensibus, dum sententias vertimus.*

(1) A sensibus procedit tum error et incertitudo scientiæ, tum varia auctorum opinio: *Unde opinio nisi a sensu, quæ variatur juxta sensuum cujuslibet auctoris dispositionem?*

2. *Sane mera sapientia philosophorum, cujus infirmitatem prima hæc contestatur, varietas opinionum veniens de ignorantia veritatis.* (2) Varietas inter auctores diversæ professionis, philosophi namque discordant a medicis, neque de compositione et partibus humani corporis conveniunt. Varietas adhuc inter eos qui eandem scientiam profitentur. Quanta, quæso, diversitas inter medicos Methodistas et Chimistas nuncupatos? Nec minor inter philosophos, Stoicos, Epicureos, Academicos, Peripateticos: *Nec ignoro quanta sit silva materiæ istius apud philosophos pro numero etiam ipsorum Commentatorum, quot varietates sententiarum, quot palæstræ opinionum, quot propaggines questionum, quot implicationes expeditionum.* (3) Inter ejusdem sectæ philosophos est adhuc varietas, nam verbi gratia inter Peripateticos Aristotelis doctrinam profitentes quot diversæ sunt opiniones? *Plus diversitatis invenias inter philosophos quam societatis,*

(1) Tert. L. de An. 17. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 2. — (3) Tert. L. de An. 2.

cum et in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur. (1) Hujus autem varietatis opinionum trinam affert rationem D. Augustinus: *Cur dissenserunt et a magistris discipuli, et inter se condiscipuli, nisi quia ut homines, humanis sensibus, et humanis rationibus, ista quæsierunt?* (2) Homines erraverunt ab utero, et ita non est mirum si postea incidant in errorem: sensus sunt fallaces, et intellectum sæpe sæpius fallunt: humana ratio ex se ad errorem pro-na, a sensibus decepta, varias concipit opi-niones: *Animus noster ad vera percipienda caligat: passiones rationes obtenebrant, sensus mentem decipiunt, et intellectus pas-sionum tenebris obscuratus, et fallacia sen-suum deceptus, verum a falso non discrim-inat, sed opinionem quamvis erroneam, qua imbutus est, defensat: sic discipuli cæcutientes jurant in verba magistri: Ecce enim ubi infirma jacet anima, sicut auræ linguarum flaverint a pectoribus opinantium fertur et vertitur, torquetur, obtorquetur, obnubilatur lumen, et non cernitur veritas,* (3) quia quivis opinionem suam mordicus sustinet.

3. Nam *philosophi, qui alicujus sapientiæ animalia deputantur, inter se variis sententiarum libulinibus, et sententiarum æmulationibus discordant.* (4) Hæc æmulatio vel ex inimicitia, vel invidia, vel superbia oriens, induxit inter philosophos Aristotelem adversus Platonem; inter medicos Paracelsum adversus Galenum; inter astrologos Scaligerum adversus Ptolomæum; inter theologos Ochamum adversus Scotum; inter neothericos novatores adversus veteris doctrinæ professores: *Inle facta est argumentationum inundatio.* (5) Profecto hac ætate major pars studiorum insumitur ad confutandas aliorum sententias: et ut belle ait Ennodius, *ad impugnationis fidem, solum advocatur pro teste propositum.* (6) Utinam esset propositum, defensandæ et comparandæ veritatis, et non potius vindicandæ injuriæ, vel captandæ vanitatis! *Ignorantia cæca domina, obtrectatione alienæ scientiæ fumam sibi aucupatur.* (7) Quovis autem prætextu contentiose nimis et acriter disputetur, *viderint qui stoicum, et platonicum, et dialecticum Christianismum protulerunt* (8); et forte cum injuria veritatis.

At quanto dignior atque constantior christi-
anæ sapientiæ assertio (9), quæ confirmatur,

(1) Tert. L. de An. 2. — (2) L. 18. Civ. 41. — (3) D. Aug. L. 4. Civ. 14. — (4) Tert. L. de Pat. 2. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 2. — (6) L. 1. Ep. 6. — (7) Phil. Jud. L. de Migra. Abrah. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 7. — (9) Tert. L. de An. 1.

non philosophia incerta, varia et conten-tiosa, sed fide de certitudine unitate et simplicitate commendata. Fides est non du-bia, sed est certa, quia non a sensibus fal-lacibus, sed de cælo suam sumit originem. *Hæc sapientia de schola cæli.* (1) Fides non est varia, sed una. *Unus Deus, una fides, una est disciplina.* (2) Tandem fides non est conten-tiosa, sed simplex. *Hac simplicitate veritatis contraria subtiloquentiæ et philosophiæ, nihil perversi possumus sapere.* (3) Qui veritate erudiuntur, non sunt ignari nec in fide dubii, quia *habet fides lumen et firmitatem.* (4) Fi-dei certitudo major est intelligentia primorum principiorum, experientia sensuum, et cunctis scientiarum demonstrationibus: scientia in intellectu quoddam relinquit dubium; fides ab intellectu omnem dubitandi rationem propellit. Scientiæ dubium de ejus incertitu-dine procedit, fidei firmitas ab ejus certitu-dine oritur. Scientiæ principia sunt quædam propositiones universales, fundatæ auctori-tate hominum, erroris et fallaciæ capacium. Fides innitur auctoritati Dei, qui neque errare, neque fallere potest. Scientiæ objec-tum sunt creaturæ finitæ et imperfectæ: præ-cipuum fidei obsequium est Deus essentialiter immutabilis. Scientia sensuum operationibus innitur, fides infallibili divinæ revelationi-bus veritate fulcitur. Scientia indiget rationis luce, quæ sæpæ sæpius passionibus obnubi-latur, fides ad assensum eget supernaturali lumine gratiæ, quod passionum dissipat nu-bes. Tandem scientia est incerta, dubia et erronea; fides est vera, certa et infallibilis. *Fides nescia falli* (5): suam namque certitu-dinem mutuatur a Deo, qui est ejus tum principium, tum objectum. Principium, quia habitualis est a Deo infusa, et actualis non nisi cum Dei auxilio producitur. Objec-tum, a quo fides virtus theologica nuncu-patur et suam certitudinem mutuatur.

Quam Apostolus, Clemens Alexandrinus, et Theodoretus mire commendant. Apostolus fidei declarat certitudinem, eam nuncupans *argumentum non apparentium* (6); validius et efficacius cunctis scientiæ principiis, et mathematicæ demonstrationibus: nam, ut fatur Alexandrinus, *fides ergo, ut semel di-cam, est brevis et compendiosa eorum quæ urgent, cogitatio.* (7) Tandem fides vocitatur a Theodoro *animi adhæsiō et constantia.* (8) Hujus autem adhæsiōnis fulcrum est Dei verbum ejusque revelatio: et, ut fatur adhuc Theodoretus, *fides est indita animis citra*

(1) Tert. L. de An. 1. — (2) Tert. L. de Exh. Cast. 7. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 19. — (4) Clem. Alex. L. 1. Strom. 13. — (5) D. Bern. Serm. 29. in Cant. — (6) Hebr. 11. — (7) L. 7. Strom. 5. — (8) Orat. 1. de Græc. affect.

ambiguitatem aliquam dispositio. Hæc autem dispositio cunctas quæ sese in credendo offerunt difficultates, superat. Ut autem fides est scientia longe certior, ita est multo facilior et utilior.

III. PARS. *Fidem commendamus* (1) supra scientiam: tum quia sublimior et doctior; multa enim mysteria cognoscit, quæ scientia nullatenus attingere potest: tum quia certior; est namque particeps immutabilitatis veritatis divinæ revelantis, quæ est ejus objectum formale. Tum maxime competit *fidei prælatio* (2), quia est facilior et utilior. Etenim, 1. Mortales non possunt Deum cognoscere per scientiam, possunt tamen illum cognoscere per fidem; 2. Docti magno cum labore acquirunt scientiam; fideles absque labore possident fidem; 3. Homines ut plurimum non merentur per scientiam, Christiani vero multum merentur per fidem.

1. Asseverat Plato *Deum neque inveniri facilem, et inventum enarrari difficilem.* (3) Quapropter, ut docet Doctor Angelicus (4), salubriter divina providentia ordinavit ut ea etiam quæ ratione possunt investigari, fide teneantur. Sic cuncti mortales possunt absque dubitatione et errore Dei habere notitiam. Si enim necesse esset ad salutem, ut homines Deum per scientiam cognoscerent, trinum occurreret inconveniens: unum quod perpauca homines Dei haberent notitiam: multi enim ad Deum cognoscendum impediuntur; vel ob naturalem sciendi indispositionem; vel ob necessariam ad sustentandam vitam et familiam per labores, artes et negotio, occupationem; vel ob desidiam et ignaviam in qua vivunt. Alterum, quod qui studio et scientiæ vacarent, vix post longum tempus ad perfectam Dei pertingerent notitiam; tum propter hujus notitiæ sublimitatem; tum quia tempore juventutis ratio passionibus obtenebratur, quæ impediunt ne mens ad Deum investigandum vacet. Tertium, quia cognitio mere naturalis est obnoxia errori, ob intellectus debilitatem et dependentiam a sensibus. Propter has rationes, convenientissimum fuisse D. Thomas existimat, ut homines Deus ad sui cognitionem adduceret, non per scientiam ad quam comparandam multi sunt indispositi, sed per fidem, quæ est *rerum invisibilium apprehensio quedam naturæ compar et congruens.* (5) Idiotaë cuique et simplici Christiano detegens mysteria quæ naturam superant. Ejusmodi

supernaturalis cognitio *rudt fidei competeat*, (1) quæ minori difficultate acquiritur quam scientia, quæ nūmisi magno cum labore comparatur.

2. *Fidem Deus in primordiis arduam extorquens, nihil Deo indignum est, quod efficit Deo credere.* (2) Id patet ex Abrahamo, qui in spem, contra spem credidit; et, ut ait Apostolus, *non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam centum fere esset annorum, et emortuam vulvam Saræ* (3); sed confidenter Deo filium pollicitanti credidit. Eodem modo res supernaturales credendas proponit Deus, ut nostram experiatur fidem. *Ut mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi.* (4) Verum licet intellectus difficulter assentiatur veritatibus quas non evidenter cognoscit; longe difficilior est *curiositatis labor.* (5) Nam ut fatur Ecclesiasticus, *qui addit scientiam, addit et laborem* (6), non interruptum, sed continuum, non unius diei, sed multorum annorum, et sæpe sæpius totius vitæ. In artibus mechanicis et liberalibus labori succedit requies; at scientia nullam patitur requiem, die nocteque laborat: Aristomachus quinquaginta consumpsit annos in scrutanda apum republica. (7) Philiscus toto vitæ tempore in silvis remansit, ad examinanda apum examina. Aquila legit: *Qui addit scientiam addit et tormentum.* Exemplum Pythagoræ prodit Tertullianus, qui per septennium tumulatus fuit, *cum injuria bonæ valetudinis, cum fraude vitæ septennio excruciatæ infra terram, inedia, ignavia, umbra, ut ad notam clypei illius perveniret* (8): Clypei scilicet quem Euphorbus antea Delphis consecravit. Idem aliis accidit qui mentem suam torquent ut in scientia proficiant. *Profecto plaga, cordatis hominibus doctrina est.* Biblia regia legit: *Qui addit scientiam moritur in adolescentia sua.* Quapropter Gregorius Nazianzenus (9) Basilium magnum, martyrem appellat, non quod ferro occubuerit, sed quia assiduitate studii vitam suam minuerit. De laboribus quos toleravit homo in acquirenda scientia potest dici istud Davidicum: *Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.* (10) In aliis negotiis, homines insumunt vel divitias, vel domesticos, vel filios, vel amicos: at *trahitur de occultis sapientia* (11); et ut in araneæ comparatione remaneamus: *sicut aranea eviscerat se in telis suis* (12); ita homo stu-

(1) Tert. L. de Orat. 1. — (2) Tert. L. adv. Marc. 5. — (3) Tert. Apol. 46. — (4) L. 1. Cont. Gen. Cap. 4. — (5) Theod. L. 1. de Græc. Affect.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 26. — (3) Rom. 4. — (4) S. Leo. Serm. 10. de Pass. — (5) Tert. L. de Test. An. 1. — (6) Eccles. 1. — (7) Plin. L. 11. cap. 9. — (8) Tert. L. de An. 28. — (9) Greg. Naz. Orat. pro Basil. — (10) Psal. 58. — (11) Job. 28. — (12) Hug. Card.

dio litterarum vacans eviscerat se ut proficiat in scientia. Nam, ut belle ait Tertullianus, *late quærentur incerta, latius disputantur præsumpta. Quanta difficultas probandi, tanta operositas suadendi.* (1) Minori difficultate fides comparatur quam scientia, quia, ut prosequitur Tertullianus, *Christiano paucis ad scientiam hujus rei opus est: nam et certa semper in paucis; et amplius illi quærere non licet, quam quod a Deo discitur, quod autem a Deo discitur, totum est.* Hæc evidenter demonstrant quam immerito humana sapientia sit *fidem aspernata* (2), quæ hominem ad Dei notitiam absque labore et errore deducit, quod nequit exsequi scientia: nam Philosophus cum sua scientia Deum ignorat. At *Deum quilibet opifex Christianus et invenit, et ostendit, et quod in Deo quæritur, re ipsa assignat.* (3) Verum ut evidentius fidei dignoscatur prælatio, afferendum est tertium discrimen, quo scientia multum laborat, et persæpe parum meretur: fides vero parum laborat, et multum meretur.

3. Voluit Deus ut homo naturalem mentis deponeret tumorem; *ut et fides non mediocri præmio destinata, difficultate constaret.* (4) Intellectus absque ulla difficultate credit res quas sensus tangunt, ratio cognoscit, scientia evidenter intuetur: *Laus fidei non est visa credere* (5): imo econtra: *Hæc est laus fidei si quod creditur, non videtur.* (6) In scientia visio præcedit credulitatem, in religione credulitas visionem antecedit. *Fides semper prævenit visionem: credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Fides ergo est quod non vides credere, veritas, quod credidisti videre.* (7) Triplici visione remuneratur fides quæ credit quod non videt: 1. *Habet namque fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, et quibus certissime videt nondum se videre quod credit.* (8) 2. Fides credendo quod non intelligit, meretur intelligere quod credit: *Gradus pietatis fides; fidei fructus intellectus, ut perveniamus ad vitam æternam.* (9) 3. Homo meretur videre in cælo facie ad faciem quod in terra credidit et in ænigmatibus duntaxat cognovit: *Certa fides utramque inchoat cognitionem: cognitio vero certa non perficietur, nisi post hanc vitam cum videbimus facie ad faciem.* (10) Inde Christianum hortatur D. Augustinus: *Antequam videas quod videre nondum*

potes, crede; ambula per fidem, ut pervenias ad speciem; species non lætificat in patria, quem fides non consolatur in via. (1) Totuplex ac tantum fidei præmium, non immerito est comparandum intellectus demissione, labore, imo si necesse foret cruciatu, tormento, ipsaque morte: *Porro, etsi fidei propterea congruebat sublimitatis et claritatis aliqua prolatio, tale quid esse oportnerat illud emolumentum, quod magno constaret labore, cruciatu, tormento, morte.* (2) Minori etiam labore fides beatæ visionis consequitur præmium: at scientia multoties cum labore, cruciatu, tormento, morte, nihil meretur, neque ullam a Deo accipit mercedem. *Telas araneorum texuerunt.* (3) Loquitur de hominibus Propheta qui vacando scientiæ, sese ut aranæ eviscerant, et inutiliter laborant, quia de sua scientia nullum fructum reportant, imo plures ex scientia delinquendi desumunt ausam. Ut enim ait Moralis Philosophus, *antiqua sapientia nihil aliud quam vitanda et facienda præcepit, et tunc longe meliores erant viri.* (4) At unde illa in moribus mutatio? Hujus duplicem affert Seneca rationem: unam, quia *simplex illa et aperta virtus in obscuram et solertem scientiam versa est.* Alteram, quia scientiæ finis est, non recta morum compositio, sed arguta et contentiosa disputatio. *Docemur disputare, non vivere, inde concludit, postquam docti proclierunt, boni desunt: quod ipsa etiam experientia comprobatur. Idem evenit sciolis illis, ac Salomoni, qui sic de semetipso fatur: Possedi cor meum ut scirem doctrinam, erroresque, et stultitiam.* (5) Lyranus legit: *Stultitiam circa humana.* Cajetanus vero, *multitudinem imprudentiarum, quibus homines abundant.* Nulla sane major est stultitia quam totam insumere vitam, non in divinis credendis, sed in cognoscendis humanis. Nulla imprudentia damnabilior quam abuti scientia in malum, et in suum detrimentum. Quod de quodam sciolo lamentatur Salvianus: *O dolor! o lamentatio! cujus tu nunc lectionem tantum habes, virtutem non habes: qui quantum scientia, tantum interim conscientia abes.* (6) Nonne præcipua hujus temporis studia *subtiloquentiæ viribus, et philosophiæ regulis constant?* (7) Reviviscit apud Christianos methodus docendi et discendi Atheniensium apud quos *sapientiæ atque faciundæ caupones* (8), ut fatur Tertullianus, desiderabant discentes *sapientiæ dicendique acutissimos.* (9) Quanto dignius

(1) Tert. L. de An. 2. — (2) Tert. Apol. 47. — (3) Tert. Apol. 46. — (4) Tert. Apol. 21. — (5) D. Aug. L. de Ver. innoc. c. 261. — (6) D. Aug. Tract. 79. in Joan. — (7) D. Aug. L. de Ver. Innoc. Cap. 560. — (8) D. Aug. Ep. 85. ad Consent. — (9) D. August. Tract. 22. in Joan. — (10) D. Aug. L. 9. Trin.

(1) Serm. 44. de Diversis. — (2) Tert. Scorp. 6. — (3) Isa. 59. — (4) Senec. 96. — (5) Eccl. 1. — (6) L. 1. ad Eccl. — (7) Tert. L. 5. adv. Marc. 19. — (8) Tert. L. de An. 5. — (9) Tert. L. de An. 20.

D. Hieronymi desiderium, qui piam simplicitatem et rusticitatem doctæ blasphemix et eloquentiæ peccatrici præponit? *Lucifer et primus parens nolentes de sua fide vivere, sed de sua scientia, defecerunt.* (1) Christiani criminis illum non debent imitari exemplum, sed si in æternum vivere desiderant, credant oportet, et vitam suam, non ex scientia, sed ex fide componant. « Exigitur a nobis fides qua credimus quod non videmus, ut mereamur videre quod credimus. Quicumque irridet hanc fidem, ut ideo putet non sibi esse credendum, quia non videt quando venerit quod non credebat, erubescit, et confusus separatur, separatus damnatur. Qui autem crediderit, segregatur ad dexteram, et stabit cum magna fiducia et lætitia, inter illos quibus dicetur: Venite, benedicti. » (2)



CONCIO QUARTA.

TRINA est fides a Christiano necessario rejicienda. Prima est *fides pagana* (3), quæ divinam scindens unitatem, falsos deos multiplicat: christiana autem fides, unum duntaxat Deum colit et adorat: *Regula est autem fidei, illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse; nec alium præter mundi conditorem, qui omnia de nihilo produxerit.* (4) Secunda est fides charitate destituta, *plane frivola et frigida fides.* (5) Est frigida, quia igne charitatis non ardet; frivola, *magna est fides, sed nihil prodest, si non habeat charitatem.* (6) Insuper est fides mortua, qualis fuit apud hæreticum illum quem refert Tertullianus, *post fidem vivam in hæresim postea expirasse.* (7) Charitas est fidei vita, ideoque *mors fidei est separatio charitatis.* (8) Imo, ut addit Didymus, *fides mortua non est fides, sicut homo mortuus non est homo.* (9) Tertia est *fides nulla.* (10) Illa autem fides est inutilis, quæ non bene operatur. Fides ex D. Bernardo assimilatur flori, opera vero fructui et pomo. *Fidem, florem, fructum, actum intellige.* (11) Sicut autem inutilis est flos qui non excrescit in fructum, ita inutilis est fides, quæ non producit fructum bonorum operum: *Vita bona non veraciter dicitur, quæ perversæ credulitatis vitio depravatur: nec sufficit ad salutem fides recte credentis, si conversatio, moribus atque*

operibus turbatur obscænis. (1) Ut Christianus bonam ducat vitam, requiritur *fides bona* (2): hæc autem fides bona tria importat. credulitatem, charitatem et operationem, estque fides, 1. Obtemperans; 2. Amans; 3. Operans.

I. PARS. *Non enim omnium est credere, quod Christianorum est.* (3) Gentiles et idololatræ falsa numina colentes, non credunt quia verum Deum non agnoscunt: at *fides est ejus primum et maximum officium est, ut in verum Deum credatur.* (4) Hæretici non credunt, quia fides cum hæresi compati nequit. Hæretici autem sunt fide destituti, *nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis.* (5) Soli Christiani Catholici, et Ecclesiæ doctrinam constanter profitentes, possunt credere et de facto credunt, quoties fidei actus producunt. Quia *fidelis dicitur a fide, fides a credendo.* (6) Hoc titulo insignitus fuit Christianus in baptisate, in quo fidem habitualement infusam a Deo accepit, non ut remaneret otiosa, sed ut post usum rationis fidem actualem eliceret. Ad quod renatos videtur obligare sacerdos baptismi minister, dum eos ter interrogat, an credant Deum unum in Trinitate, an credant Ecclesiam, an credant vitam æternam; tres rationes denotans quibus ad fidem tenentur, ut, 1. Deo obsequantur; 2. Ecclesiæ membra habeantur; 3. Trinitatis aliorumque mysteriorum notitiam assequantur.

Christus fidei præceptor. (7) Tum quia fidem docet, tum quia fidem præcipit; ideoque Christo sive docenti, sive præcipienti, *fides nostra obsequium debet.* (8) Christo docenti debetur fides, ob infallibilem ejus veritatem. Nam *cui credendum est, si Christo veritati non est credendum?* (9) Aristoteles dicere solebat fidem esse gubernatricem quæ ad scholam ducebat discipulum. Exoptabat Plato, ut discipuli suum humiliter magistri auctoritati substernerent intellectum, neque curiose investigarent cur et quomodo intelligenda erant quæ docebat. Pythagoras quoque a discipulis exoptulabat, ut ejus eloquia velut oracula venerarentur, et absque ullo rationis examine crederent, istud semper ore promentes: *Magister dixit.* Christianorum præceptor, *Christus tantæ religionis illuminator* (10), cunctos in universum ma-

(1) Nicol. Cusan. L. 5. Excit. — (2) D. Aug. Serm. 64. de Verb. Dom. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 13. — (5) Tert. L. de Fug. in Pers. 3. — (6) D. August. Tract. 6. in Joan. — (7) Tert. L. de Pud. 19. — (8) D. Bern. Serm. 24. in Cant. — (9) In Ep. Jacob. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 18. — (11) Serm. 51. in Cant.

(1) S. Fulgen. L. de Remis. peccat. 1. (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 2. — (3) Tert. L. de An. 6. (4) D. Aug. L. 4. Civ. 20. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 52. — (6) D. Aug. Serm. 14. de Verb. Apost. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 20. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 16. — (9) D. Aug. Serm. 45. de Verb. Dom. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 17.

gistros, generis nobilitate, sapientiæ splendore, et virtutis prærogativa, longe superans, præcipit ut submisce ejus documenta credamus. *Dominus noster neque nos jubet discutere divina judicium, sed credere: nec rationem requirere, sed fidem simpliciter et immobiliter exhibere.* (1) Profecto cœlestis illius doctoris dignitas, a nobis merito exigit fidem, quia *nihil aliud est credere quam fidem habere* (2), quæ tanto magis est exhibenda, quanto dignior est Magister, et majori pollet veritate: *An asserentis persona discutitur? Deus est.* (3) Christus est Deus: inde concludit D. Ambrosius: *Si Deo non credimus, cui credemus?* (4) Et si, ut fatur dilectus Discipulus, testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est.

At proli dolor! quantumvis majus sit Dei quam hominis testimonium, mortales hominis testimonium recipientes, Dei testimonio fidem denegant. Talem ac tantam perversitatem merito obplorat D. Ambrosius. *Quam indignum, ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus?* (5) Nimis faciles sunt homines in credendo quæ de aliis persæpe falso referuntur. *Facile est homini seu vera seu falsa de altero homine credere* (6): detractoribus fidem adhibemus: *boni viri dicere nefas putamus, non credere:* (7) et tamen, o miseria! o perversitas! Deo, qui nec male loqui potest, neque mentiri, denegatur fides, *et irrationabile judicabitur, ut docenti Deo credere homines adhortemur?* (8) In eloquentia Ciceroni et Demostheni credunt Oratores; principiis ab Aristotele et Platone institutis, philosophi; aphorismis Hippocratis, medici; Euclidis elementis, mathematici; Deus solus est, cui Christiani non credunt: *Creditur Prisciano de grammatica, Quintiliano de rhetorica, Aristoteli de logica, et soli Deo credulitas denegatur.* (9) Homini morali, ignaro, fallibili, de rebus dubiis loquenti, adhibetur fides; Deo vero, immortalis, summe sapienti, infallibili, veraque loquenti non creditur, licet ei debeatur fides, et ut docenti, et ut præcipienti.

Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior est auctoritas imperantis. (10), Deus qui est nostræ mentis et rationis auctor, in utramque supremum habet dominium, potestque ab illis extorquere ut sensuum renuntient operationibus, logicæ discursibus, scientiæ conclusionibus,

ejusque veritati et verbo obsequium præsent. Et quamvis *nihil indignum quod efficit Deo credere* (1); multi tamen Deo imperanti non obtemperant, fidem homine indignam, et rationis nobilitatem depretiantem, falso existimantes. Quasi non sine dedecore et indignitate discipulus obsequatur magistro, servus domino, subditus regi, filius patri, creatura Deo. Quos duobus verbis ab errore revocat Augustinus; tum *quia auctoritati credere magnum compendium est* (2), foretque magnum dispendium Dei imperantis auctoritati non credere: at *Deus auctoritatem præstat disciplinæ.* (3) Tum quia meminisse debent post baptismum vocati non rationales, sed fideles, ut fidei præcepto etiam cum rationis injuria obediant. *Considera quod voceris fidelis et non rationalis, et accepto baptisate hoc dicimus, fidelis factus est* (4), testatusque est credere Deo et Ecclesiæ.

2. Quia *Christus caput est Ecclesiæ* (5): Ecclesia vero Christi corpus. *Ecclesia catholica sola corpus est Christi: extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.* (6) Ut autem baptizandus possit vivificari ab Spiritu Sancto, in baptisate se credere Ecclesiæ, ejusque fidem inviolabiliter tenere profitetur. *Recte catholicæ disciplinæ majestate institutum est, ut accedentibus ad religionem, fides persuadeatur ante omnia.* (7) Idcirco qui baptizantur, interrogantur a sacerdote an credant Deo? an credant Ecclesiæ? Nam, ut docet D. Augustinus, *fides in Ecclesia traditur.* (8) Quapropter fides Ecclesiæ *est fides nostra, id est, fides vera, fides recta, fides catholica, non opinione præsumptionis, sed testimonio lectionis collecta, nec hæretica temeritate inserta, sed apostolica veritate fundata* (9): imo ab ipsomet Christo supra firmam petram ita solidata, ut eam cunctæ orci vires evertere nequeant.

Mirum Ecclesiæ ædificium declarat Deus apud Prophetam evangelicum: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris; et ponam jaspidem propugnacula tua; et portas tuas in lapides desiderabiles.* (10) Lapidis hujus ædificii ordinate disponuntur, quia hierarchia ecclesiastica non secus ac angelica, in subordinatione sita est. Sapphiri cœlestia reverberantes corpora, apostolos denotant prædicatione et virtutis exemplo, cœli demonstrantes viam.

(1) D. Aug. Serm. 181. de Temp. — (2) D. Aug. Ep. 23. ad Bonifac. — (3) D. Amb. L. 4. in Luc. 5. — (4) 1. Epist. 5. — (5) L. 1. de Abrah. 15. — (6) D. Aug. Ep. 50. ad Bonifa. — (7) D. Amb. L. 4. in Luc. 5. — (8) Theodor. — (9) S. Anton. Paduan. — (10) Tert. L. de Pœn. 4.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 26. — (2) L. de Quant. An. c. 7. — (3) Serm. 1. de Fest. Trin. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 18. — (6) D. Aug. Ep. 50. ad Bonifa. — (7) D. Aug. L. de Utilit. credend. c. 13. — (8) L. de Agon. Christiana. cap. 15. — (9) D. Aug. Serm. 63. de Verb. Dom. — (10) Isa. 54.

Jaspis illusiones et phantasmata fugans, repræsentat Patres et Doctores catholicos, qui sua doctrina dissiparunt errorum tenebras, et hæreseos propulsarunt figmenta. Lapides sculpti quos septuaginta ex crystallo volunt confectos, incontaminatam Ecclesiæ significant fidem, quæ absque ulla corruptionis labe usque ad seculi consummationem servanda est. Tandem lapides desiderabiles innuunt divina dona, quæ largitur Spiritus Sanctus iis qui sunt uniti corpori Ecclesiæ, ejusque fidem profitentur. *Quantum quis amat Ecclesiam, tantum habet Spiritum Sanctum* (1), et quia Spiritus Sanctus est spiritus veritatis, Ecclesiæ tenens fidem, veritatem credit; quia Ecclesia est columna veritatis a Christo fundata, et Spiritu Sancto illustrata. *Potest fieri ut homo mentiatur, non potest fieri, ut veritas mentiatur: ex veritatis ore, cognosco Christum, ipsam veritatem; ex veritatis ore, cognosco Ecclesiam participem veritatis.* (2)

Ad prælibata attendant, qui adversus Ecclesiæ veritatem disseminant errores: sed subsequenter ex D. Augustino desumpta attempto volvant animo: *Quisquis a vera Ecclesia separatus fuerit, necesse est ut falsa loquatur.* (3) Addit, 2. D. Augustinus: *Quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solos celere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* (4) 3. Licet enim corpus ejus vivat vita naturali, anima ejus est destituta vita supernaturali, quæ in gratia et amore consistit: *Nec amare Deum, nec diligere potest, qui in Ecclesia ejus non est* (5); qui autem est charitate et gratia sanctificante denudatus: 4. Nomine Filii Dei non insignitur: *Si quis absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum Dei; nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* (6) Qui Ecclesiam non habent matrem, quantumvis christianum usurpent nomen, 5. Falso tamen et non secundum Christum illud sibi arrogat. *Non secundum Christum, qui non secundum veram fidem, et catholicam disciplinam Christiani vocantur.* (7) Cujusmodi sunt hæretici et schismatici, qui, 6. Ad Ecclesiam catholicam nullatenus pertinent. « Credimus et sanctam Ecclesiam utique catholicam: nam hæretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant, sed hæretici falsa de Deo sentiendo, ipsam fidem violant; schismatici

autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, nec schismatici. » (1) Illi soli ad Ecclesiam catholicam spectant, qui ejus fidem profitentur.

Tanti Ecclesiæ auctoritatem faciebat D. Augustinus ut dicere ausus sit: *Ego evangelio non crederem nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* (2) Ut ergo teneatur sincera fides et ab omnium pravæ opinionum labe purgata (3) sanctæ matris Ecclesiæ teneatur fides; « in qua omnis sacramenti terminatur auctoritas; Filii boni, amate tantam matrem; filii boni, nolite deserere quotidie vos requirentem; rependite vicem, amate amantem. Tanta est, talis est, regia prole fecunda est, non eam patiamini, aut filiorum malorum, aut pessimorum servorum injuriis atque insidiis macerari. Agite causas matris vestræ, exercete ejus amplissimam dignitatem: servus malus non insultet dominæ, hæreticus non insultet Ecclesiæ: lupus est, agnoscite: serpens est, ejus capita conquassate, » (4) et ut catholici filiique Dei habeatis: constantes estote in Ecclesiæ fide qua Trinitatem aliaque mysteria supernaturalia valeatis cognoscere.

3. *Mortuus est Dei Filius, prorsus credibile est, quia ineptum est: et sepultus resurrexit: certum est, quia impossibile.* (5) Divina mysteria quantumvis absurda et impossibilia sensui, rationi et scientiæ videantur, tanto magis credibilia sunt, quanto sunt creditu difficilia: *Fides fit credibilior ex incredibiliis creditis* (6), et humana mens submissius Deo obsequitur, divinamque recognoscit auctoritatem: *Sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet* (7); qui etenim divina humiliter credit mysteria, eorum notitiam meretur attingere: *sed qui credit, intelligit etiam altius uliquid.* (8) Verum, ut bene animadvertit D. Augustinus, « aliud est credere Deo, aliud credere Deum, aliud credere in Deum. Credere Deo est credere vera esse quæ loquitur; credere Deum, credere quia ipse est Deus; credere in Deum, diligere Deum. Credere vera esse quæ loquitur, multi et mali possunt; credere autem illum esse Deum, et dæmones possunt; credere vero in Deum, soli noverunt qui diligunt illum, » (9) qui credunt fide humiliter obtemperante et ardentem amante.

(1) D. Aug. Tract. 31. in Joan. — (2) D. Aug. in Psal. 57. — (3) In Psal. 57. — (4) Ep. 152. ad Donat. — (5) D. Aug. Tract. 3. de Symb. 11. — (6) D. Aug. Tract. 4. de Symb. 10. — (7) D. Aug. Serm. Dom. in Mont. c. 2.

(1) D. Aug. L. de Fide et Symb. c. 10. — (2) L. Cont. Epist. Fundam. c. 5. — (3) D. Aug. in psal. 7. — (4) D. Aug. Tract. 2. de Symb. c. 13. — (5) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (6) D. Aug. L. 1. de Peccator. Mer. 31. — (7) D. Greg. L. 35. Mor. 10. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 35. — (9) Serm. 181. de Temp.

II. PARS. Hæreticorum vita est *sine disciplina, ut fidei suæ congruens*. (1) Etenim cum fictitiam tantum fidem habeant, vivunt sine christiana disciplina, quæ charitatem nec non et bona opera desiderat: illi autem bona opera tanquam inutilia rejiciunt. Charitate quoque denudantur quæ fidem et spem necessario supponit: catholici autem *ex fide integræ* (2) commendantur: integratur autem fides per charitatem, quæ dicimur forma et anima fidei. Eadem enim præstat fidei ac animæ corpori. Trinum autem est animæ negotium. 1. Corpus informat, eique decorem subministrat; 2. Corpus vivificat; 3. Hominem in suo esse constituit, et ab aliis rebus discriminat. Non dissimiliter charitas, 1. Fidem informat et venustat; 2. Fidem vivificat; 3. Christianum in suo esse constituit, ab aliisque discriminat.

1. Dilectus Discipulus *fidem Spiritu Sancto vestit*. (3) Ut enim corpus veste decoratur, ita fides Spiritu Sancto vestita, divino illo indumento mirum in modum ornatur. Spiritus Sanctus nuncupatur a Ruperto, Ornatus Patris et Filii: *unus Pater et Filius cum eo, quo pariter uterque naturaliter ornatus est, Spiritu Sancto*. (4) Tres sanctissimæ personæ sunt æque perfectæ, natura divina est illis communis, et infinita divinitatis magnitudo nullam patitur perfectionis inæqualitatem. Pater et Filius per admirabilem circumcessionem in Spiritu Sancto, non secus ac Spiritus Sanctus in illis, et tamen solus Spiritus Sanctus ornatus elogio auguste decoratur. Spiritus Sanctus proprio caractere amor est, ideo speciatim nuncupatur ornatus Patris et Filii. Amore nitet divina paternitas, amore adornatur divina filiatio: Pater qui est productionum divinarum fons et scaturigo, generat Verbum, *non qualecunque, sed spirans amorem*. (5) Filius procedit a Patre *ut lumen de lumine accensum*: (6) Spiritus Sanctus utriusque amor et *sanctæ Trinitatis complementum* (7), est Patris et Filii ornatus. Ut autem Pater Spiritu Sancto adornatur, et Verbum divinum amore personali venustatur, sic fides Spiritu Sancto vestita gloriose pulchrescit, auguste decoratur. (8) Materia adornatur forma, charitas, quæ est donum Spiritus Sancti, est forma fidei: fides formata ornatur charitate, quæ est *forma gratiæ fidei*. (9) Corpus ab anima informatum, ab ea decoratur, suamque tandiu servat pulchritudinem quamdiu vivit et in

sanitate perseverat; corpus mortuum nihil aliud est quam cadaver fetidum et difforme: corpus etiam infirmum devenustatur, gratiam qua venustabatur amittens. *Fides sana* (1) decora est, suam mutuans venustatem a charitate, quæ est *caudor fidei* (2): forma eam informans, eique decorem et venustatem præstans. *Charitas est animæ pulchritudo, quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo*. (3) Quod ostendat Alcivius ex veri illa apud Sabinos fidei statua purpura induta, aureo coronata diademate in signum pulchritudinis et dignitatis, quam mutuatur a charitate quæ illam venustat et vivificat.

2. *Gratia fidem animavit*. (4) Loquitur Tertullianus de gratia sanctificante, quæ identificatur cum charitate qua animatur fides. Corpus humanum ab anima vivificatur: ex D. autem Augustino *fides dilectione animatur, sicut corpus anima vivificatur*. (5) Homo considerandus est, tum in natura, tum in religione, et utrobique componitur. In natura physice et realiter ex corpore et anima constituitur; in religione, fide et charitate moraliter coadunatur. Anima est forma essentialis corporis, cui vitam communicat naturalem; charitas est forma moralis, tum animæ, tum fidei vitam communicans supernaturalem. Quod ex mente Apostoli belle declarat Tertullianus. Apostolus duplicem distinguit hominem: exteriorem scilicet et interiorem. Homo exterior *consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est, sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes*. (6) Totum duntaxat ex anima et corpore compositum, est homo. *Porro, nec anima per semetipsam homo, quæ sigmento, jam homini appellato, postea inserta est: nec caro sine anima, homo; quæ post exsilium animæ, cadaver inscribitur: sed homo in sua natura ex unione animæ et corporis componitur: interior autem homo non substantiam ipsam, sed substantiæ saporem* (7) importat: nimirum fidem, gratiam et dilectionem: quod ipsemet Apostolus innuit ad Ephesios, scribens Christum habitare per fidem in cordibus: *Fidem quidem et dilectionem non substantiva animæ ponens, sed conceptiva*. (8) Christus habitat in corde tum per fidem, tum per charitatem: per fidem quidem, ut ait D. Augustinus, *si fides in nobis, Christus in nobis*. (9) Quod ex præcitate Apostoli loco demonstrat. Per chari-

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 46. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 56. — (4) In c. 1. Gen. — (5) D. Thom. — (6) Tert. Apol. 21. — (7) D. Cyr. Alex. L. 14. — (8) Thesaur. 9. — (9) Tert. L. 5. adv. Marc. 5.

(1) Tert. L. de Pœn. 6. — (2) Tert. L. de Pudic. 20. — (3) D. Aug. Tract. 9. in Ep. in Joan. Emblem. 9. — (4) Tert. L. de Res. 65. — (5) L. de Cogn. Ver. Vit. c. 37. — (6) Tert. L. de Res. 40. — (7) Tert. Ibid. — (8) Tert. Ibid. — (9) Tract. 49. in Joan.

tatem adhuc , quod ex dilecto Discipulo probat D. Augustinus : *Deus charitas est , et qui manet in charitate , in Deo manet , et Deus in eo ? Sit tibi domus Deus et esto domus Dei ; mane in Deo , ut maneat in te Deus.*

(1) Diversimode tamen Deus manet in cordibus per fidem et per charitatem. Per fidem , ut objectum quod fides actu credens apprehendit. *Christus enim in corde fides Christi est* (2) ; hoc namque proprium est intellectus , sua intellectione velut attrahere intra semetipsum objecta quorum fingit species , et quia fides in intellectu subjectatur , dum simul cum intellectu Christum cognoscit , velut intra intellectum adducit Christum : inde concludit D. Augustinus , *ergo fides tua de Christo , Christus est in corde tuo.* (3) Alia autem ratione habitat Deus in corde media charitate , non imaginaria tantum et per speciem objecti , sed vere et realiter velut in templo sibi dicato per specialem præsentiam. Ideo vult D. Augustinus ut unusquisque conscientiam suam attendat. *Si charitas ibi non habitat , non ibi habitat Deus ; si autem charitas ibi habitat , Deus ibi habitat.* (4) Anima in qua habitat Deus , vita supernaturali vivit , quia *charitas est vita animarum.* (5) Anima in qua Deus non habitat , etiamsi vivat vita naturali , vita tamen supernaturali mortua est : nam *sicut corpus sine anima mortuum est , sic anima sine charitate mortua reputabitur.* (6)

Eodem modo ratiocinandum est de fide a charitate separata , quæ est simul et semel vivens et mortua. Vivens , quia in intellectu credentis inhæret , tanquam virtus theologalis in sua specie perfecta , quæ non destruitur nisi per hæresim , vel impietatem. Quo sensu asseverat Tertullianus , *hæreses ad languorem et interitum fidei productas* (7) : imo actus fidei in se est vivus , tum naturaliter , tum supernaturaliter : naturaliter , quia est actus a vitali potentia , nempe intellectu , vitaliter procedens ; supernaturaliter , quia est actus fidei , quæ est virtus supernaturalis , et gratia iuchoata , gratia enim dat animæ vitam supernaturalem : fides adhuc separata a charitate est mortua : quia charitas plenam et perfectam vitam supernaturalem tribuit , tum fidei , tum homini : qua destitutus *per infirmitatem fidei suæ* (8) mortuus nuncupatur , eo modo quo brachium paralysi stupefactum dicitur mortuum , quia , etsi nutriatur , non tamen sentit : est itaque vivens quoad animam

vegetativam , mortuum quoad sensitivam. Eodem modo ait Bernardus : *Mortua fides est quæ non operatur ex dilectione , quasi non habens animam ipsam dilectionem , qua vegetetur et moveatur ad opera* (1) : licet enim fides sine charitate sit vera fides , non secus ac corpus mortuum est verum corpus , est tamen inanis deses , otiosa et quasi mortua. Nam *quid est fides quæ non operatur , nisi cadaver exanime ?* (2) Sic radix dicitur mortua de qua non germinant frondes , flores et fructus. Sic aqua stagnans , quia stat , nec fluit , dicitur mortua , quia caret motu , qui in viventibus est index et effectus vitæ : sic virtutes dicuntur mortuæ , si desit charitas , quæ est earum forma , non physica , sive essentialis , sive accidentalis , sed duntaxat mortalis.

Charitas est virtutum forma , quia tribuit , 1. Statum virtutis : ubi enim est charitas , ibi exulat vitium , regnat virtus , estque gratia et sanctitas , et homo virtute præditus , justus Dei Filius et Sanctus denominatur : quapropter oratio dominica incipit a testimonio Dei , et merito fidei , cum dicimus : *Pater noster qui es in cælis : nam et Deum oramus et fidem commendamus , cujus meritum est hæc appellatio. Scriptum est : Qui in eum crediderint , dedit eis potestatem , ut filii Dei vocentur.* (3) Hæc autem potestas reducitur ad actum per charitatem , quæ nuncupatur a D. Augustino *fidei fructus* (4) : quia fides disponit ad charitatem. 2. Charitas vocitatur forma et vita cæterarum virtutum , quia eas ordinat ad ultimum finem , scilicet ad Dei amorem , laudem et honorem : quomodo *multi bona fide* (5) in suis operibus Dei solius sibi proponunt gloriam. 3. Charitas et forma est vita cæterarum virtutum , quia tribuit eis vim et efficaciam merendi præmia æterna , quæ pollicetur Deus operibus in gratia et sanctitate factis. Sic justis amici Dei *in fide integri* (6) , immortalem merentur beatitudinem. Per charitatem autem integrantur , et a pravis Christianis discriminantur.

3. *Accepimus benedictionem spiritalem per fidem , ex qua vivet justus.* (7) Illa autem benedictio per quam vivit justus , est charitas , ad quam fides fuit dispositio prævia. Ut enim docet D. Augustinus , *charitas quæ est vita fidei ipsam non præcedit , sed sequitur ;* (8) redditque Christianum formaliter justum , eumque ab iniquis Christianis discriminat. Ut enim ait D. Augustinus , *qui diligunt Deum , non solum nomine Christiani sunt ,*

(1) Tract. 9. Ep. in Joan. — (2) D. Aug. in Psal. 120. — (3) Tract. 49. — (4) In Psal. 149. — (5) D. Aug. Tract. de Laud. Char. — (6) D. Aug. Tract. 9. in Joan. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 2. — (8) Tert. L. de Fug. in Pers. 9.

(1) D. Bern. 2. Epist. 42. — (2) D. Bern. Serm. 14. in Cant. — (3) Tert. L. de Orat. 2. — (4) Tract. de Laud. Char. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 44. — (7) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (8) L. de Spir. et Litt. c. 32.

sed et factis et vita, quia sine dilectione fides inanis est (1) : operatio enim sequitur esse. Verus perfecti Christiani character est dilectio; hac nota a non Christiano discernitur. Nam ut ratiocinatur Tertullianus, *dilectio summum fidei sacramentum* (2), hoc sacramento notatur vera et perfecta fides, et ab imperfecta et fucata distinguitur. Unde ad propositum D. Bernardus : *Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio.* (3) Hanc fidem exoptat a Christiano Apostolus, quæ per dilectionem operatur, seu, ut legit Tertullianus, *per dilectionem perficitur* (4) : quia Christiani perfectio fide per charitatem operante dignoscitur. Fides autem operatur per charitatem, non eo modo quo causa efficiens operatur per instrumentum, sed sicut dispositio operatur per formam ad quam disponit. Sic calor per formam ignis dicitur operari ligni inflammationem, lignumque ignire, et in ignem convertere. Sic fides operatur per charitatem, bona opera efficiendo, vel dispositive, vel directive, vel etiam effective, quia charitas quæ fidem informat, actus dilectionis Dei et proximi producit. Qui hoc modo operatur, sese perfectum demonstrat Christianum, quia dilectio *christiani nominis thesaurus* (5) ; qui autem non operatur per dilectionem sese christiano nomine demonstrat indignum. Et quemadmodum tyranni non homines, sed tigrides et leones vocitantur, hæretici non christiani, sed apostatæ et antichristi; homines barbari, non creaturæ rationales, sed belluæ feroces : sic fidelis non meretur nuncupari qui fidem suam bonis operibus non ostentat, sed pravis operibus contrarium probat. Quem idcirco sic pungit D. Bernardus : *Munus mortuum offers Deo : bene honoras Deum munere fetido : bene placas tuæ fidei interfector.* (6) Non quidem ipsius interfector fidei quæ cum peccato compatitur, sed vitæ ipsius fidei, nempe charitatis, quæ per peccatum lethale destruitur.

Hujusmodi autem fide informi et mortua, vere non constituitur in suo esse morali Christianus, nec ab Ethnicis et hæreticis discernitur. Nam, ut fatur D. Augustinus, *cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis.* (7) Sola « fides quæ per dilectionem operatur, est Christianorum, non dæmoniorum : dæmones credunt, sed non di-

ligunt : nam si non crederent, non dicerent : Quid nobis et tibi ? » (1) Idem prosequitur argumentum D. Augustinus ostendens similem et dissimilem fuisse dæmonum et Petri confessionem. Similem, quia iisdem fere terminis ac Petrus, Christum confessi sunt ; dissimilem, quia ob hanc confessionem Petrus beatus prædicatur, non autem dæmones. « Discernenda est ergo fides dæmonum a fide Sanctorum, nam dæmones dixerunt : Tu es Filius Dei : scimus quis sis ; et Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi ; et Dominus : Beatus es, Simon Bar-jona. O Domine, hoc dixerunt dæmones, quare ipsi non sunt beati ! quia hoc dixerunt timore, Petrus amore. Hanc fidem quæ per dilectionem operatur, dæmones non habent, sed soli servi Dei. » (2) Quod confirmat adhuc Jacobi auctoritate (3), occurrens evasioni quam afferre solent scelerosi Christiani. « Ne forte hoc dicere : Credidi, sufficit mihi, dicit Jacobus. Et dæmones credunt et contremiscunt. Magna est fides, sed nihil prodest si non habeat charitatem. Confitebantur et dæmones Christum credendo, sed non diligendo, fidem habebant, charitatem non habebant ; ideo dæmones erant : noli de fide gloriari, adhuc dæmonibus comparandus es : » (4) sed stude charitate ornari qua a dæmonibus discriminari possis. « Non omnis qui credit Christo, credit in Christum : nam dæmones credebant ei et non credebant in eum. Quid est credere in eum ? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Ipsa est fides quam de nobis exigit Deus, quæ per dilectionem operatur. » (5) Non fictam, non mortuam, non otiosam, sed veram, sed vivam, sed operantem.

III. PARS. Christianorum tria sunt genera : quidam sunt *orbi fide* (6) ; nonnulli sunt *fidei pravæ* (7) : apud alios est *fides sana* (8) ; quia est vera, et charitate vivificata. Hæretici vel impii sunt orbi fide, nam licet servaverint Christianismi characterem, quem susceperunt in baptismo, fidem nihilominus per hæresim, vel impietatem amiserunt : nam, ut fatur Tertullianus, *sauciatam fidem vel in hæresim, vel in seculum exspirant.* (9) Scelerosi catholici sunt fidei pravæ, veritatem fidei conservantes, sed suis criminibus eam devenustantes : *Quamquam et de operibus suis, ut dixit Dominus, revincuntur.* (10)

(1) D. Aug. Serm. 181. de Temp. — (2) Tert. L. de Pat. 12. — (3) D. Bern. Serm. 24. in Cant. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 4. — (5) Tert. L. de Pat. 12. — (6) D. Bern. Serm. 24. in Cant. — (7) Serm. 181. de Temp.

(1) D. Aug. Ep. 105. ad Sixtum. — (2) L. 50. Hom. Hom. 17. — (3) Tract. 6. in Joan. — (4) Cap. 2. — (5) D. Aug. Tract. 19. in Joan. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 42. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (8) Tert. L. de Pæn. 6. — (9) Tert. Scorp. 1. — (10) Tert. L. de Præsc. Hæret. 30.

Catholici vero virtutis studiosi, charitate accensi, habent bonam fidei valetulinem, et dominicæ disciplinæ sanitatem (1): nam fidei veritates redigunt ad praxim, vacantque bonis operibus, necessariis ad fidem, 1. Conservandam; 2. Manifestandam; 3. Præmiandam.

Si quis pondus intelligat baptismi (2), sese ad credendum et bene operandum adstrictum cognoscet. Deus illi communicavit simul cum Christiani caractere, virtutes theologicas, non ut otiosæ remaneant, sed ut producat earum actus dum attingit rationis usum et libertatis potitur exercitio. Ideo in baptis- mate, postquam solemniter se credere testatus est, lampadem accensam in manu desumpsit, quia vera fides est *fides observatrix*. (3) Fides speculativa non sufficit, sed practica adhuc requiritur. *Magna res est fides et salutaris, sed non sufficit sola, opus est et conversatione recta.* (4) Qui vere credit, est divinatorum mandatorum observator. *Qui credunt Deo, attendunt mandatis ejus* (5); qui autem habet charitatem, et vere credit, et bene operatur. Deum amans vere credit, quia *ubi perfecta charitas, ibi omnis fides.* (6) Neque solum speculative credit, sed bene adhuc operatur. Nam *quis salubriter credit, nisi ex fide quæ per dilectionem operatur?* (7) At sicut ille qui charitatem habet, bene credit et bene operatur, ita e converso charitate destitutus, neque bene operatur, neque bene credit: *Cum dilectio procul absuerit, fides pariter abscedit.* (8) Fidelis, cujus fides non est viva, ardens, perfecta, charitate formata, sed informis, mortua, otiosa; deses ad bona opera; facile labitur in peccata adeo gravia, ut tandem ipsam fidem amittat, fiatque infidelis. *Fides sine operibus est quasi lampas sine oleo.* (9) Lampas lucet si adsit oleum; oleo deficiente, exstinguitur. Fides bonis operibus alitur et conservatur, absque operibus emoritur et perit. Nemo æstimet bonos posse de Ecclesia recedere. *Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit; inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur.* (10) Bona opera sunt *necessaria fidei* (11) ad ejus conversationem. Unde D. Hieronymus ait hæreticos propter impuros mores et prava opera fidem amisisse. Idem Christianis impie viventibus non raro accidere, asseverat Gre-

gorius Magnus. *Divino judicio sæpe contingit ut per hoc quod nequiter vivunt; et illud perdant quod salubriter credunt; et sæpe cum bene vivere negligunt, etiam persequente nullo, usque ad perfidiam dilabuntur:* (1) Quapropter Timotheum hortatur Apostolus, ut conservet tum fidem, tum bonam conscientiam, qua deficiente, naufragatur fides. *Hubens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* (2) Loquitur de hæreticis qui depravatis suis moribus in hæresim prolapsi sunt. Mala conscientia est hæreseos fons: nunquam hæresis est primum peccatum, sed ex scelerosa vita nascitur. Et hoc quadruplici potissimum de causa: 1. Ob contrarietatem quæ est inter fidem et vitam criminiosam: fides malam redarguit vitam, et mala vita mavult fidei renuntiare quam ab illa redargui. 2. Ob vitiorum subordinationem, scelerosus de uno vitio in aliud facile prolabitur, et gradatim in barathrum et hæresim ruit. 3. Ob divinam punitionem juste impiis subtrahit Deus veritatis et fidei lumen, permittens ut cadant in reprobum sensum. 4. Ob inveteratam peccantium malitiam, qui ut liberius vitiis et voluptatibus indulgeant, negant inferni pœnam qua mulctantur reprobi. Quacunque autem de causa impius deserat fidem, est sui osor, ut Marcioni exprobrat Tertullianus: *Te quidem plane non amasti, cum ab Ecclesia et fide Christi recessisti* (3); et quod est descendendum magis, in hæresim incidisti. *Ita fidem meam deserens negator invenior.* (4)

Horum magnus est numerus, qui a fide defecerunt, et alios in errorem trahere satagunt. Quos propriis coloribus depingit D. Augustinus: *Sunt quidam qui justissime damnatas impietates adhuc liberius defendendas putant: et sunt qui occultius penetrant domos, et quod in aperto inclamare metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt magno timore compressi, sed adhuc in corde retinent quod ore jam proferre non audent, qui tamen possunt esse fratribus, ex priore ipsius dogmatis defensione, notissimi.* (5) Tria novatorum genera recenset D. Augustinus. Nonnulli formidine retractasse videntur errores: ejusmodi autem retractatio fuit duntaxat simulata et externa; in corde enim abdicatos conservant errores. Alii in occulto eos disseminant, alii tandem palam et publice prædicant: *Instruit Dominus multos esse venturos sub pellibus ovium rapaces lupos. Quoniam*

(1) Tert. L. de Pat. 1. — (2) Tert. L. de Bap. 18. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 4. — (4) D. Chrysost. Hom. 7. in Ep. ad Hebr. — (5) Eccles. 52. — (6) D. Ambr. Epist. 14. — (7) D. Aug. Tract. 87. in Jean. — (8) D. Hier. in cap. 5. Epist. ad Gal. — (9) D. Hieron. — (10) D. Cyp. L. de Unit. Eccles. — (11) Tert. L. de Pat. 5.

(1) In Cap. 5. Ezech. L. 25. Mor. 10. — (2) 1. Ep. ad Timoth. — (3) Tert. L. de Carn. Christ. 4. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 11. — (5) Epist. 150. ad Sixtum.

istæ sunt pelles ovium nisi nominis christiani extrinsecus superficies? qui lupi rapaces, nisi sensus et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi extrinsecus delitescentes? qui pseudoprophete sunt, nisi falsi prædicatores? Qui pseudapostoli, nisi adulteri evangelizatores? Qui antichristi interim et semper, nisi Christi rebelles? (1) Ne veri Christiani ab aliis pseudoprophetis pseudopostolis decipiantur, duo præstare debent: unum, fugere perversam eorum doctrinam et conversationem: *Memores tam dominicarum prævniationum quam apostolicarum litterarum, quæ nobis et futuras hæreses prævniarunt, et fugientias prævniarunt.* (2) Alterum, vacare bonis operibus necessariis ad fidei tum conservationem, tum manifestationem.

2. Christianus *veritatem ex fide præstat.* (3) Absque fide veritates religionis nequeunt bene cognosci, neque absque bonis operibus fides demonstrari. Quare fidelem bonis operibus vacantem nuncupat Tertullianus, *fidei suæ professorem* (4); quia fidem quam interiorius habet in corde, exteriorius bonis operibus profitetur. *Quis enim dubitet in ejus spiritu fidem veritatis habitare, in cujus vita videt fidei exstare virtutem!* (5) Quod probe sciens Salvianus bona opera vocitat, fidei testes; *quia Christianus nisi bona opera fecerit, fidem suam penitus probare non possit.* (6) Quo argumento utitur Jacobus ad contundendum illum qui otiosam fidem jactans, bona despiciat opera. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* (7) Bona namque opera sunt veræ fidei proles, fructus et fomenta. *Fides virtutum mater* (8), quæ in fidelium mentibus concipit, et in bonis operibus paritur. *Fides semen est quod exsurgere debet in spicam sanctæ operationis.* (9) Cor humanum est ager fertilis in quo divinum illud semen seminatum est, virtutum opera sunt uberissimi seminis illius proventus. *Cum fides operum fomes sit* (10), Christianos ad bene agendum inducit. Concupiscentia est perversus fomes ad malum inclinans; fides vero est bonus fomes ad bonum excitans; ex fructibus semina, ex prolibus parentes dignoscuntur, et ex bonis operibus ostenditur fides. Hanc fidei demonstrationem a Philemone expostulat Paulus. *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni.* Scilicet ut qui cognoscunt bona

opera quæ facis, ex illis tuam fidem evidenter videant, eo modo quo sol videtur in radio, et causa in effectu.

Modo unusquisque nostrum sibi specialiter appropriet verba Apostoli ad Corinthios, *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate.* (1) Videamus opera nostra *pro fide conscientiarum nostrarum* (2); et judicemus quales sumus. Christiani bene viventes, sunt perfecti fideles: *Fidem conversatione decorantes.* (3) At male viventes pravis operibus religionis negant veritatem, *quia sine operibus bonis nihil sibi per fidei supercilium usurpare debent* (4): quasi fides operibus vacua, sic fastuosum Christianorum supercilium et christianismi factus, sine re christianismi. « Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero; verum dicit, si fidem operibus tenet: vera etenim fides est, quod in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joannes ait: Qui dicit se nosse Deum et mandata ejus non custodit, mendax est. Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere: tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus compleamus. » (5) Gregorio suffragatur Chrysostomus: *Non quia sacrati fontis aquas ingressus, fidelis quispiam esse agnoscitur: sed a moribus, sed ab aspectu, sed ab incessu, a sermone, a comitibus.* (6) Si ad has standum esset regulas, quam pauci reperirentur hac tempestate veri Christiani, qui vacent bonis operibus necessariis ad fidem conservandam, manifestandam et præmiandam.

3. *Fides integra secunda est de salute* (7): fides scilicet perfecta; nam integrum dicitur, *quidquid perfectum, ut fides ipsa* (8): illa autem fides est integra et perfecta quæ omnia habet ad suam integritatem et perfectionem requisita: nimirum charitatem qua vivificatur et bona opera quibus fecundatur. Hac fide vult Apostolus nos accedere ad Deum. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* (9) Hæc plenitudo fidei consistit non solum in eo quod firmiter assentitur cunctis a Deo revelatis, sed potissimum in plenitudine charitatis, bonisque operibus. Ex D. Augustino, *fides sic est in anima ut radix bona, quæ pluviam in fructum ducit;*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 4. — (2) Tert. Ibid. — (3) Tert. Apol. 46. — (4) Tert. L. de Res. 59. — (5) D. Paulin. Ep. 25. — (6) L. 4. de Gubern. — (7) Cap. 2. Anton. in Meliss. — (8) Serm. 1. — (9) D. Petr. Dam. Serm. 19. de S. Autbuno. — (10) D. Paulin. Ep. 4.

(1) 2. Cor. 13. — (2) Tert. Apol. 27. — (3) Theophilact. Alex. Epist. Pach. 2. — (4) Salv. L. 4. Gubern. — (5) Greg. Mag. Hom. 29. in Evang. — (6) Hom. 4. in c. 1. Matth. — (7) Tert. L. de Bap. 18. — (8) Tert. L. de Orat. 1. — (9) Hebr. 10.

sum columna ignis ab Ægypti infidelitate veros Israëlitas deducens ad terram promissionis? Ego in militia spirituali sum prima bellatrix, ingenii humani debellans arcem in eaque Christi Domini elevans vexillum. Ego sum probatio de falsitate convincens hæreticos, argumentum qua mundana sapientia retunditur, stultaque demonstratur, galea salutis hominis defensans caput ab errantium jaculis. Ego in domo Dei sum prima lux, in templo Spiritus Sancti prima fax, in spirituali Ecclesiæ cælo aurora, Solis justitiæ annuntians adventum, navigantibus stella polaris, eos deducens ad portum salutis. Ego sum prima virtus theologica, Christiano divinitus data, ad ejus regulandam vitam. Ut autem innotescat quomodo Christiani vita sit a fide regulanda, animadvertite cum Tertulliano quod Deus in homine formando tria præsertim adhibuit: nimirum, intellectum seu sapientiam, voluntatem seu affectionem, manum seu opus. *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, et ipsa imprimis affectione.* (1) Ut autem Christianus in bonis formetur moribus, tria etiam debet adhibere: scilicet mentem, voluntatem et actionem, sed a fide regulatam: fides namque regulat, 1. Mentem seu cognitionem; 2. Voluntatem seu affectionem; 3. Manum seu actionem.

I. PARS. *Solem noctuæ nesciunt oculi.* (2) Sicut autem se habent noctuæ oculi ad materialem solem, ita mentis humanæ oculi ad divinam lucem: in homine christiano tres sunt oculi: oculi scilicet corporis, oculi mentis, et oculi fidei. Oculi corporis sunt illi et belluis communes, et sæpe sæpius aves acutiori pollent visu quam homo. Oculi mentis sunt illi aliisque hominibus sive gentilibus, sive hæreticis, communes. Oculi fidei ad illum duntaxat pertinent, quia, ut aliorum dictum est ex Tertulliano, *non omnium est credere quod Christianorum est.* (3) Tria sunt adhuc hominum genera: Quidam animales, alii rationales, tertii fideles. Animales sensus, fidei, iudices et arbitros existimant. *In homine caruali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi: quod solent videre, credunt; quod non solent videre, non credunt.* (4) Cujusmodi sunt Calvinistæ qui non credunt realem Christi præsentiam in Sacramento, quia nihil vident præter accidentia panis et vini. Homines rationales, augustiora quæque religionis mysteria, sola

ratione nosse præsumunt; et ut ait Augustinus, *mira et simplici ratione se introducturos ad Deum, et errore omni liberaturos.* (1) Talis fuit Abeilardus, de quo refert D. Bernardus: *Totum quod Deus est arbitratur Abeilardus, humana ratione se posse comprehendere, nec vult credere quidquid humana ratione non potest comprehendere.* (2) Tales sunt adhuc multi qui de ingenii acumine et scientiæ acquisitione tumescunt: *Garruli ratiocinatores, elatiores magis quam capaciores* (3): fideles vero, neque sensu, neque ratiocinatione religionis mysteria investigant, sed illa humiliter credunt, per fidem quæ est, 1. Magistra quæ hominem ignorantem erudit; 2. Stella quæ navigantem dirigit; 3. Columna, quæ itinerantem ducit.

1. Trinitas divinarum personarum, Verbi que humanatio sunt præcipua religionis mysteria, cognitu ad salutem necessaria: neutram tamen cognoscit ratio. Non Trinitatem: nam, *cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto? cui Spiritus Sanctus accommodatus sine fidei sacramento?* (4) Neque etiam Verbi incarnationem; quare eloquenter suo more Chrysologus hominem sic alloquitur: « Æstima quis sis, quantus sis et qualis sis, et tunc demum cogita utrum possis dominicæ nativitatæ penetrare secretum: utrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum Virginis temerarius discussor attendere; utrum possis ipsas Dei manus operantes sanctum sibi corporis templum intra alvum genitricis audax et curiosus arbiter intueri; conspectibus tuis absconditum seculis nudare mysterium, revelare tibi ipsis angelis invisibile sacramentum. » (5) Verum, ut bene animadvertit D. Bernardus, *fides recipit quod ratio non præsumit* (6), cognoscens tum sanctissimam Trinitatem, tum Verbi humanationem. Trinitatem quidem: est namque *fides obsignata in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto.* (7) Incarnationem etiam, quia, ut prosequitur Chrysologus, « conceptum Virginis noli discutere, sed crede; Deum voluisse nasci pie senti, quia facis injuriam si requiris; magnum dominicæ nativitatæ sacramentum fide percipe, quia ne minima quidem operum Dei assequi poteris sine fide, dicente Scriptura (8): Omnia opera ejus in fide: sed tu hic totum vis de ratione constare, ubi totum consistit ex fide. Quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione

(1) Tert. L. de Res. 6. — (2) Tert. L. de An. 8. — (3) Tert. L. de An. 6. — (4) D. Aug. Sermon. 147. de Temp.

(1) L. de Utilit. Cred. c. 1. — (2) Ep. 191. — (3) D. Aug. L. 1. de Trin. — (4) Tert. L. de An. 1. — (5) Ser. 141. — (6) De 12. Gradu. Humil. — (7) Tert. L. de Bapt. 6. — (8) Psal. 22.

Dei, non tua, homo: quid tam rationabile, nisi ut Deus quidquid voluerit possit; qui quod vult non potest, Deus non est. »

Homo in statu innocentiae cognovit Verbum divinitatem, tum humanitatem. Divinitatem, nam ut docet Doctor Subtilis, Deus contulit illi notionem distinctam divinitatis, non intuitivam, qua soli beati fruuntur, sed abstractivam. Humanitatem quoque, quam praevidit et vaticinatus est in extatico somno. At non habendo fidem, etiam quod videbatur habere, ademptum est illi (1): fuit namque ignorantia mulctatus, et ignorantiam universo generi suo tradidit. (2) Quia, ut passim docent Scholastici, peroriginale quatuor plagas acceperunt homines, quarum prima fuit intellectus ignorantia. Verum, ut belle ad propositum ait D. Augustinus, est fides sanitas mentis (3), quam ab ignorantia sanat, eique vires subministrat, quibus mysteriorum quae rationem superant, possit habere notitiam. Ex Guillelmo namque parisiensi, « fides est fortitudo vel generositas nostri intellectus: manifestum est enim quod credere improbabilia, fortitudinis est atque vigoris nostri intellectus: sicut amare damnosa, molesta, ignominiosa, fortitudinis nostrae voluntatis. » Charitas tribuit voluntati fortitudinem ut damnosa, molesta et ignominiosa amet: fides intellectum roborat, ut ea quae sensui, rationi et scientiae improbabilia videntur humiliter credat. Quia ut ratiocinatur Magnus Leo, magnarum hic vigor est mentium, et valde fidelium lumen est animarum, incunctanter credere, quae corporeo non videntur intuitu, et ibi figere desiderium quo nequeas inferre conspectum. (4)

In duobus potissimum consistit vigor ille quem menti largitur fides: 1. Quod supernaturalia mysteria cognoscat; 2. Quod ea humiliter credat, nec curiose per rationem scrutari praesumat. Hoc caelesti lumine vigorantur fideles, simplici et nota jam fide receptam sine ulla qualitatis quaestione (5), Ecclesiae doctrinam confitentes: Confitentes Deum simpliciter, argumentosi in spiritu et veritate (6): ad simplicem illam fidem cunctos hortatur D. Augustinus Christianos: Credite ex toto corde; credite non claudicantes, non haesitantes, non contra ipsam fidem humanis suspicionibus argumentantes. (7) Quam misera est illorum fides qui in credendo attendunt non ad Dei, sed ad regum auctoritatem; qui non caelestes gazas, sed terrenas quaerunt divitias; qui plus sophistarum argu-

tiis quam verbo Dei deferunt, qui Ecclesiae doctrinam vanis disputationibus pervertunt: qui illud duntaxat credunt, quod non fide, sed ratione cognoscunt. O quam misera est fides quam verba concinnant! O quam debilis, cujus quotidie dissipantur variis argumentationibus membra! O quam indefensa, quae regum, iudicum, divitum, desiderat per momenta patrocinia! O quam turpis et lubrica, de qua ludit aliena sententia! O quam adultera, quae non agnoscit quo auctore sit nata! (1) Belle describit Sanctus Zeno fictitiam fidem, 1. Politicorum, qui nullam habentes, simulant se habere omnimodam illorum a quibus divitias, honores, vel favores sperant; 2. Lutheranorum et Calvinistarum, qui Lutheri et Calvini profitentur doctrinam, non attendentes, quod uterque est apostata, ille a claustro ubi fuit Augustinianus, iste ab Ecclesia, in qua fuit Canonicus. 3. Anglorum, qui Henrici octavi regis salacissimi schisma, Ecclesiae auctoritati praeferebant, a fide defecerunt. 4. Cunctorum generatim haereticorum, qui, ut fatur Tertullianus, in hoc ab Ethnicis discriminantur, quod Ethnici non credendo credunt, et haeretici credendo non credunt. (2) Ethnici vera fide destituti, avitam idolorum religionem ita credunt, ut caeteras religionum sectas contempnant: at haeretici econverso fidem quam in baptismo susceperunt, despiciunt et amplexantur errores. Vel Ethnici non credendo credunt, quia ante nudi fide, christianam credunt et suscipiunt disciplinam: haeretici vero credendo non credunt, quia religionis mysteria quae suis argutis ratiocinationibus non possunt concipere et demonstrare, discredunt et negant. Christiane, si religionis desideras cognoscere sacramenta, sta in fide firmus, cognosce quae nescis, et crede nobiscum (3); aspice ad fidem quae est stella quae navigantem dirigit.

2. Praedictio morinae expeditionis (4) modum quo fides intellectum dirigit, probe declarat: qui hoc salum sulcant, stella polari diriguntur, verum statim ac lineam praetergressi sunt aequinoctialem, constellatio borealis non eis amplius deservit, indigentque antarctico polo ad suam regulandam navigationem. Non dissimiliter humana mens rationis lumine utitur ad veritates naturales cognoscendas. 2. Verum religionis mysteria, non rationis discursu, sed fidei auxilio debet investigare. Ratio est scala per quam ascenditur ad objecta, quae naturae non superant ordinem, sed his gradibus non attinguntur gra-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (2) Tert. Ibid. — (3) L. de Fide. c. 1. — (4) Serm. 2. de Ascens. — (5) Tert. L. de Res. 39. — (6) D. Cypr. — (7) Serm. 259. de Temp.

(1) S. Zen. Serm. de Fide. — (2) Tert. L. de Carn. Christ. 15. — (3) Tert. L. de An. 28. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 20.

tiæ sacramenta. Quemadmodum lux materialis corporis oculos elevat ad videnda duntaxat entia corporea, eosque in obscuritate et tenebris relinquit per ordinem ad entia spiritualia, quia illa et non ista sunt visui corporeo proportionata et sub objecto visus comprehenduntur, eodem modo rationis lumen quod mentem illustrat ad cognoscendas res naturaliter cognoscibiles, intellectum in tenebris derelinquit dum ad res supernaturales nititur. Sola fides est fax quæ ante illum præire debet, ut aliqualem earum assequatur notitiam. Deus Abrahamo (1) præcepit ut inspiceret cælum priusquam numeraret stellas, ut nos erudiret, quod in mysteriis religionis indagandis ratio fidem sequi tenetur, eodem modo quo cæcus ductorem suum. Et ut cum D. Anselmo loquar, *non fides per intellectum, sed intellectus per fidem quærendus est.* (2) Quântælibet in nocte accendantur faces, nuquam stellarum ostendent splendorem, earum lux ad occultandas potius quam ostentandas stellas deservit: quantolibet acumine polleant mentes, nuquam Trinitatis et Incarnationis attingent mysteria, hoc est ad impossibile niti, velle ratione cognoscere quæ rationis excedunt vires: *Aufer argumenta ubi fides quæritur.* (3)

Verus fidelis fidei ducatu, non rationis discursu regulatur. *Qui fidem quærit, rationem non quærit.* (4) Qui vero non fidem, sed rationem quærent, suam incredulitatem ostentant, seseque amittendi fidem exponunt periculo. Suam incredulitatem ostentant; quod affirmat Tertullianus de iis qui de resurrectione dubitant: *Digna incredulitas rei tantæ quæstionibus fidem torquere cœpit.* (5) Deinde sese exponunt periculo amittendi fidem, ni potius eam jam amisisse demonstrant, quod hac ratiocinatione probat Tertullianus: *Si enim vere quærent, nihil adhuc certi repererunt: et ideo quæcunque videntur interim terere, dubitationem suam ostendunt, quandiu quærent: cum enim quærent adhuc nondam tenent; cum autem non tenent, nondam crediderunt, non sunt Christiani* (6), et sic infaustum fidei et religionis patiuntur naufragium. Nam *invenabile excussis profundum est, inextricabile impactis naufragium est, inrespirabile devoratis hypobrichium: quicunque fluctus ejus offocant: omnis vortex ejus ad inferos desorbet.* (7) Alludit ad Charybdin Tertullianus, et ex periculis quibus sunt hic expositi nautæ, et ex naufragiis quæ sæpe sæpius evenire solent,

colligit vel naufragium, vel saltem naufragii periculum, in quo sunt impii de religione dubitantes, temereque ejus mysteria indagantes. Quanto feliciores, qui neque curiositate, neque dubitatione, neque incredulitate torquent christianæ disciplinæ sacramenta, sed ea humiliter credunt: procellosum hujus vitæ pelagus absque ullo naufragii periculo sulcant: *Inter hos scopulos et sinus inter hæc vada et freta idololatriæ velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secura si attonita* (1), fidelem ad portum deducens, velut stella quæ eum dirigit, et columna lucida quæ illum præcedit.

3. *Via munda et via sancta vocabitur: qui autem dispersi erunt, vadent in ea, et non errabunt, et non erit illic leo, nec ex bestiis pessimis quicquam invenietur illic.* (2) Via per quam transeundum est, est via hujus vitæ, quæ debet esse sancta ut nos ad patriam ducat: quæ est hujusmodi, est ab errore immunis. Per bestias illas pessimas intelligere possumus vel hæreticos, vel dæmones, vel vitia, quæ nos a cælo et a via quæ ducit ad cælum dimovere nituntur. Hujus autem viæ dux est fides viva et formata, quæ itinerantes præit ne in errorem vel peccatum cadant. Nam, ut addit Tertullianus, *cum via fidem demonstret, per quam ad Deum pervenimus, jam tunc eidem viæ, id est, fidei hæc erogationem et subjectionem bestiarum pollicetur.* Via fidem demonstrat, et fides viam illuminat. Via fidem demonstrat, quia toto tempore viæ mysteria religionis cognoscimus duntaxat per fidem, et hæc cognitio est dispositio ad visionem quam habent in cælo beati. Fides viam illuminat, nam, ut loquitur Laurentius Justinianus, *fides est viva, fida et salutaris columna* (3), quæ nos ducit inter hujus vitæ tenebras, quam *felix viaticum* (4) nuncupat Lippomanus. Fausto hoc viatico ducti Apostoli, totum peragrarunt orbem: fausto hoc adhuc viatico illustrantur Christianorum mentes, ne a veritate in errorem, a virtute in vitium cadant: nam, ut addit Tertullianus, huic viæ seu fidei ductrici subjectionem bestiarum pollicetur Deus, quia fides charitate animata vitia debellat, voluntatem et affectionem regulat.

Bene autem quod fidei et disciplinæ regulis convenit (5), non solum mentem et cognitionem dirigere ne erret, sed etiam voluntatem regulare ne peccet. Tripliciter voluntas potest peccare: vel per ignorantiam et cæcitatem, vel per malitiam et perversitatem,

(1) Gen. 15. — (2) Tract. de Sacram. Altar. c. 5. — (3) D. Aug. L. 1. de Trin. — (4) Chrysol. Serm. 58. — (5) Tert. L. de Res. 59. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 14. — (7) Tert. L. de Idol. 24.

(1) Tert. L. de Idol. 24. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 24. — (3) L. de Lign. Vit. c. 5. — (4) In Galen. — (5) Tert. L. de Pud. 19.

vel per ignaviam et infirmitatem. Est autem voluntati *fides præsidium* (1), illam regulans, splendore, timore et amore. 1. Splendore, ejus ignorantiam et cæcitatem illuminat; 2. Timore, a malitia et perversitate revocat; 3. Amore, eam ad bonum prosequendum sufflammat.

1. Debet Christianus *lucernas ardentis habere, id est, mentes a fide accensas, et operibus veritatis relucens*. (2) Ex D. autem Augustino, fides est lucerna, sed lucens et ardens: lucens, quia voluntatem illuminat; ardens, quia voluntatem sufflammat: fides voluntatem illuminat, etenim voluntas est potentia cæca, quæ nequit ferri in objectum quin sit præcognitum. Ad volitionem naturalem prærequiritur cognitio naturalis, ad volitionem supernaturalem prærequiritur cognitio supernaturalis qualis est fides. Unde Sanctus Leo: *Charitas robur fidei, fides fortitudo charitatis*. (3) Fides est lucerna ardens, quia ostentando voluntati excellentiam objecti amabilis, eam ad ejus amorem accendit; et ob hanc causam, *opus fidei est dilectio*. (4) Illustratur autem a fide voluntas, charitate sufflammata, objectique amabilitate excitata, bonis operibus relucet. Quod ex divinis processionibus potest elucidari, nam fides repræsentat personam Patris, qui est prima Trinitatis persona, et principium Filii quem memoria fecunda in luce et splendoribus generat. Voluntas charitate sufflammata illustrata a fide producit amorem, repræsentat voluntatem fecundam Patris et Filii, quæ irradiata Verbi generatione producit amorem personalem. Tandem voluntas charitate sufflammata et fide illustrata, repræsentat operationem divinam ad extra, quæ ab eadem potentia tribus personis communi procedit: bonum opus procedit a fide, voluntate et charitate; a charitate et voluntate efficienter; a fide dispositive, velut conditione sine qua voluntas non vellet, fides splendore illuminat, et timore a malo revocat.

2. *Divina alias enuntiatio Salomonis: Initium, inquit, sapientiæ metus in Deum*. (5) Ut autem asseverat Tertullianus, *porro timoris origo notitia est: quis enim timebit quod ignorat?* (6) Fides autem Christianos docet quæ timere decet: unde postquam Tertullianus fuisse adventum Christi in ultimo judicio, Angelorum lætitiâ, præscitorum tristitiâ, et pavorem descripsit, concludit: *Et tamen hæc quodammodo habemus per*

fidem spiritu imaginante repræsentata. Divina æternitas ad cunctas temporis differentias sese extendit, simulque præteritum, præsens et futurum complectitur. *Est fides præteritarum rerum, et præsentium, et futurarum: credimus enim mortuum Christum, quod jam præterit; credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est; credimus venturum ad iudicium, quod futurum est*. (1) Neque minus fide est certum Christum venturum ad iudicium ac natum fuisse in stabulo, et nunc sedere in cælo ad dexteram Patris. Certissima hæc de futuro iudicio notitia, timorem debet nostris ingerere cordibus, nosque ad disciplinæ christianæ observantiam stimulare ad instar primorum Christianorum qui de semetipsis testantur: *Ad istam disciplinam metu prædicati iudicii transvolamus*. (2) Fides ultimi iudicii primiceros Christianos a vitiis avocabat, ad virtutes urgebat. Ad quod ulterius accendebantur, et conspectu præsentis Dei et consideratione æterni supplicii, quod sustinent in inferno reprobi. Unde sic fantur apud Tertullianum: *Nos vero qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentis occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, et pro tenebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus non diuturneum timentes*. (3) Quæ admodum Dei timor nascens ex ejus præsentia, consideratione ultimi iudicii, et interminabilis pœnæ inferni, est certum fidei et sapientiæ iudicium: *Qui Deum timuerit omnium notitiam assecutus, plenam atque perfectam sapientiam obtinebit* (4): ita illi sese evidentem ostendant insipientes atque incredulos, qui Dei non verentur conspectum, neque pertimescunt interminabile inferni supplicium. Hoc argumento scelerosos Christianos insequuntur Gentiles apud Justinum Martyrem. Aut, inquit, Christiani credunt quod prædicant de ultimo iudicio et inferno, aut non credunt: si non credunt, sunt deceptores prædicare religionem quam non veram, sed falsam existimant. Si credunt, sunt stulti, vitam ducere criminiosam. Nam quæ major stultitia quam peccare in præsentia Dei cuncta cernentis, quam peccato unius momenti immortalem et æternam perdere felicitatem, quam non metuere iudicii terrores et inferni rigores?

Profecto *magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, apostolicæ resonant voces, prædi-*

(1) Tert. Scorp. 1. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 29. — (3) Serm. 7. de Quadrag. — (4) D. Aug. Tract. 10. in Joan. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 2. — (6) Tert. L. 2. ad Nat. 2.

(1) D. Aug. in Enchir. cap. 8. — (2) Tert. L. de Test. An. 2. — (3) Tert. Apol. 45. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 2.

gia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, daemones confitentur. (1) Post tot motiva credibilitatis, quæ religionem christianam evidenter demonstrant, Evangelio non credere, magna sane est stultitia: *sed longe major insania est, de Evangelii veritate non dubitare, vivere tamen quasi de ejus falsitate non dubitares.* Hæc est perversorum Christianorum stultitia, qui scientes quod humilitas est via ad cælum, et superbia e converso ducit ad infernum, aversantur humilitatem, et uti daemones vanitate tument; qui credentes quod avaritia cœlestibus denudat gazis, et tamen post terrenas anhelant divitias; qui credentes impudicos arceri a paradisi voluptatibus, et tamen gulæ et libidini indulgent; qui credentes ultimum judicium, et tamen vivunt absque ullo metu, nec attendunt quam exacta erit diei illius terribilis discussio, *quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal alstare, reddentes rationem, in primis ipsius fidei.* (2) Tertullianus ut martyres in carceribus pro fide detentos ad constantiam et patientiam induceret, volebat ut eorum spiritus colloqueretur cum carne, eique proponeret interminabilem coronam, quæ momentanea passione comparatur. *Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec jam de incommodis carceris, sed ipso agone et prælio cogitans.* (3) Non absimiliter Christianus cum fide sua colloquatur, et videat quænam sunt ejus documenta: *Quanquam in hujusmodi cum fide sua colloqui debet unusquisque.* (4) Per hujusmodi colloquium voluntatem fides timore avocabit a malo, et amore adhuc ad bonum sufflammabit.

3. *Quædam sunt voluntates bonæ mentis:* (5) scilicet quæ cœlesti lumine illustratæ, et divino igne sufflammatæ prosequuntur bonum; cœleste illud lumen a fide, divinum vero ignem a charitate, mutuantes. Spiritus Sanctus, qui est Spiritus veritatis, quique proprio caractere est amor, venit in mundum ad formandas voluntates bonæ mentis. Ideo apparuit sub linguis igneis, ut mentes veritatem doceat, voluntates igne charitatis accendat, et luce veritatis illustratæ voluntates et igne charitatis sufflammatæ, bonum prosequantur: *Quæ est ergo Paraclæti administratio nisi hæc, quod disciplina dirigitur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficiscitur?* (6) Nil aliud requiritur ad hoc ut christiana disciplina bene servetur, quod intellectus reformetur, quod voluntas de

bono in melius proficiat. Baptismi aquam commendat Tertullianus, *quæ vitam terrenam gubernat, et in cœlesti procurat.* (1) Quod de baptismi aqua fatur, asseverandum est de fide, quæ voluntatem regulans ad bonum, vitam terrenam gubernat, et cœlestem procurat. Bona opera cœlestem merentur vitam: voluntas autem bona, producit opera: *at fides est bonæ voluntatis, et justæ actionis genitrix* (2): quia regulat bonam voluntatem quæ bonum amat, et adhuc manum quæ bonum operatur.

III. PARS. Christianus *manibus suis a corde dictat.* (3) Fides in corde residens, manibus dictat easque ad actionem regulat. Manus ad trium præsertim ordinantur negotium: scilicet ad victum comparandum, ad strenue operandum, ad fortiter pugnandum: fides autem Christiani manibus a corde dictans eas ad trinum illud regulat munus: 1. Ad recte vivendum; 2. Ad bene agendum; 4. Ad generose certandum.

Est sane rationi conveniens *ut manibus unusquisque operetur.* (4) In homine Christiano duplex consideranda est vita. Naturalis una et corporea, moralis altero et christiana, ad utramque necessariæ sunt manus. Ad conservationem vitæ naturalis et corporeæ debet non manibus solis, sed totis membris victum elaborare (5): ad subsistentiam vitæ moralis et christianæ tenentur fideles *manibus agere quo vivant* (6); quod tunc exsequuntur, quando fides regulat manus, ejusque documenta redigit ad praxim. Laudanda est quidem fides speculativa, quæ revelatis a Deo humiliter credit: *Laudo fidem quæ ante credidit observandum, quam didicit* (7): sed major est gloria ejus si laboravit; (8) quia speculativa sola non sufficit; practica requiritur, quæ firmæ mentis adhæssioni *manum adhuc porrigit.* (9) A regulatis per fidem manibus, Christiani vitam censendam existimat Tertullianus: *A fide enim etiam ipsa vita nostra censetur.* (10) Quomodo intelligendus est Abacuc Propheta asseverans quod *justus in fide sua vivet* (11); quia scilicet vitam suam juxta fidei regulas componet. Tunc igitur Christianus *sua fide vivit.* (12) quando secundum fidei documenta vivit.

Baptismus conscientie interrogatio (13) nuncupatur a Gregorio Nazianzeno. Quid interrogat baptizati conscientia? Interrogat

(1) Pic. Mirad. Ep. 1. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 44. — (3) Tert. L. ad Mart. 4. — (4) Tert. L. de Exh. Cast. — (5) Tert. L. de Exh. Cast. 11. — (6) Tert. L. de Vel. Virg. 1.

(1) Tert. L. de Bapt. 3. — (2) D. Ambr. L. de Vocat. Gent. c. 8. — (3) Tert. L. de Idol. 23. — (4) Tert. L. de Idol. 5. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. Ibid. — (7) Tert. L. de Cor. Mil. 2. — (8) Tert. L. adv. Heimgog. 45. — (9) Tert. L. de Res. 55. — (10) Tert. L. de Monog. 11. — (11) Cap. 2. — (12) Tert. L. de Exh. Cast. 7. — (13) Orat. in Sanc. Bapt.

conscientia baptizatum quomodo vivat? an aquis sacramenti ablutus, denuo peccatorum maculis sit inquinatus? an gratia ad vitam revocatus, denuo sit sceleribus mortuus? Christiano criminoso interrogans conscientia, merito exprobrat: *Quid te cognovisse interest, cum iisdem incubas quibus retro ignarus?* (1) quid profuit tibi aquis baptismi mundari, cum non minus inquinatus existas? cur sanctitatem recepisti, cum criminosa ducas accepto baptismo vitam? Eodem modo *ipsius fidei conscientiam perrogemus* (2), an Christiani vita, suis regulis conformetur. Unusquisque ait D. Hieronymus ponat ante oculos mentis suæ symbolum Apostolorum incipiens a primo articulo: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ*, (3) deinde semetipsum interroget, uti Salvator Martham: *Credis hoc?* (4) Credis quod Deus existat, quod ab eo tuum esse acceperis, quod ab eo cæli et terræ usum mutaveris? Si credis, cur Dei donis adversus ipsum abuteris? cur Creatorem tuum religiose non colis? cur ita scelerose vivis ac si Deum non esse certo scires? prosequens sic cæteros Symboli articulos, *ex facto habet censum* (5) vitæ suæ, cognoscitque qualis sit, an impia, an christiana? Impia, si fidei articulis sit contraria; christiana, si ejus dogmatibus sit conformis: *His qui fungitur vivet; desinit vivere qui desinit* (6): fides etenim regulat manus ad probe vivendum et ad bene agendum.

2. *Fides informata* (7) solet bene manibus operari. (8) Duos homines recenset Propheta Evangelicus: unum, qui fidem habet, sed duntaxat in lingua, quia *manum in sinum condit* (9); alterum, qui fidem suam manu scribit: *Iste dicit: Domini Dei sum, et hic scribet in manu sua.* (10) Quia scilicet fidei *manum porrigit.* (11) Est autem illius *fides cruda, ne dixerim nulla* (12): quia non bene operans, nihil ei ad percipiendum fructum proficit: *Inutiliter flos apparet, ubi non sequitur fructus* (13); quia ut docet D. Augustinus, *fides sic est in anima ut radix bona, quæ pluviam in fructum ducit.* (14) Hujus autem fides est bene ad saporem maturata, quia sese *in omni opere fidei* (15) exercens, fructus percipit *de mercedibus et manuspretiis.* (16) Ille est *intersector veritatis* (17) quia,

fidei vitam et animam interficit. Uti enim corpus quod non movetur, nec ullos vitæ producit actus, est mortuum; quia *anima movet corpus, et conatus ejus, extrinsecus, foris parent. Ab illa est enim impiugi et pedes in incessum, et manus in contactum, et oculos in conspectum, et linguam in effatum, velut sigillario motu superficiem intus agitante* (1): ita fides quæ bene non operatur mortua est in semetipsa. Iste est *integrator veritatis* (2); quia, ut fatur ibidem Tertullianus, *veritatem ex fide præstat*; non solum religionis veritates firmiter credens, sed eas operibus demonstrans. Etenim, *ille veraciter credit qui exercet operando, quod credit.* (3) Ut enim ratiocinatur D. Augustinus, *fides appellata est ab eo, quia fit quod dicitur: duæ syllabæ sonant cum dicitur fides. Prima syllaba est a facto, secunda a dicto: interrogo ergo te, utrum credas? dices: Credo: jac quod dicis, et fides est.* (4)

In Christianum idolorum artificem insurgit Tertullianus, quem de idololatria convincit, etiam si se idololatram neget. *Potes lingua negasse quod manu confiteris, verbo destruere quod facto struis?* (5) Eodem modo redarguendi sunt scelerosi Christiani, qui quamvis sese fideles prædicent, *quamquam et de operibus suis revincuntur* (6), sunt etenim minus zelotes pro vera religione quam ethnici pro idololatria. Quod cum dolore fatetur Tertullianus: *O melior fides nationum in suam sectam: quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vindicat! Non dominicum diem, non Pentecosten, etiamsi nosset, nobiscum communicassent; timerent enim ne Christiani viderentur; nos ne ethnici pronuntiemur, non veremur* (7), ethnicorum more vivendo. Christianum fideliter credentem et ethnice viventem, *compositione monstruosum* (8) affirmat Tertullianus; et ut fatur D. Hieronymus, *ex contrariis diversisque naturis monstrum diceres esse compactum*: (9) nimirum ex fidei et infidei, Christiano et Pagano: *ut et ipsam fidem monstruosissimam induceret.* (10) Ex monstruosis namque Christiani scelerosi operibus, fides monstruosa existimatur: *Adeo et de genere conversationis qualitas fidei æstimari potest: doctrinæ index disciplina est.* (11) Monstruosa creditur Christiani criminosa fides, quæ manus ejus non regulat, nec ad

(1) Tert. L. de Pæn. 6. — (2) Tert. L. de Idol. 11. — (3) In 2. Cor. — (4) Joan. 11. — (5) Tert. L. adv. Herm. 33. — (6) Tert. L. de An. 25. — (7) Tert. L. 3. adv. Marc. 2. — (8) Tert. L. de Idol. 5. — (9) Tert. L. de Res. 28. — (10) Isa. 44.5. — (11) Tert. L. de An. 5. — (12) Tert. L. 4. adv. Marc. 18. — (13) D. Bern. Serin. 51. in Cant. — (14) Prefat. in Psal. 59. — (15) Tert. L. adv. Valent. 5. — (16) Tert. L. de Idol. 8. — (17) Tert. L. de Carn. Christ. 5.

(1) Tert. L. de An. 6. — (2) Tert. Apol. 46. — (3) D. Greg. Hom. 26. in Evang. — (4) Serm. 257. de Temp. — (5) Tert. L. de Idol. 6. — (6) Tert. L. de Præc. Hæret. 50. — (7) Tert. L. de Idol. 14. — (8) Tert. L. adv. Valent. 26. — (9) D. Hier. Epist. 15. — (10) Tert. L. 3. adv. Marc. 4. — (11) Tert. L. de Præc. Hæret. 43.

probe vivendum, nec ad bene agendum, nec ad generose certandum.

3. Dum Christianum aggreditur dæmon, tunc fides in expeditione sollicitior et disciplinatio. (1) Nunquam exercitus est sollicitior et disciplinatio quam dum non longe abest ab inimicorum castris, nec excubiæ vigilantiores nisi quando hostium pertimescunt incursus. Christiani vitiorum somno sopiti qui *fidei veritatis periculum non timent*, (2) a dæmonibus præventi, facile vincuntur; quos ideo Apostolorum princeps hortatur: « Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide. » (3) Christianus fide munitus dæmonum resistit incursibus. Quorum detegit insidias *fides si vigilat*. (4) Deinde fidelem armat, ne dæmonum feriatur jaculis. Idcirco Tertullianus Apostolum inducit, *assumere jubentem scutum fidei, in quo possimus omnia diaboli ignita tela extinguere*. (5) Vult Apostolus (6) nos in omni tentatione fidei gestare clypeum, qui omni armorum generi æquivalent: sed occurrit Origenes: *Siste, Paule, mecum cur fidelem in scuto collocas?* (7) Quam ob causam vis fidem esse potius scutum quam galeam, loriam, vel gladium? Quia *qui scuto totum corpus defendere cupit, brachiorum conatu illud in circuitu ducere oportet, sicut imminens inimici gladius vel sagitta postulat*. Quisquis totum corpus illæsum servare desiderat, brachio et manu necesse est ut sagaciter utatur, scutumque vertat, obvertat, elevet, demittat, apponatque ante caput, vel pectus, vel brachia, vel crura, aliasque corporis partes, quas vulnerare et contere intendit inimicus: *In omnibus sumentes scutum fidei* (8), ne caput vanitate et superbia; voluntas odio et inimicitia; cor injustitia et avaritia; venter gula et impudicitia; manus furto et rapina, a dæmone jaculentur. Sic clypeati *per fidem in tentatione victricem* (9) debellavimus tartareas potestates. At e contra, si fuerimus scuto fidei destituti et charitate nudati, bonisque operibus vacui, ignitis dæmonum feriemur telis, neque triumphatores cælestem ingredi poterimus Jerusalem. *Quicumque Christi fidelis, si scuto fidei tantum textus, ex hoc bello ad cælestem triumphum transire sperat, decipitur* (10): armandæ sunt scuto fidei manus, et in bonis exercendæ operibus: *Læva enim scutum fidei complec-*

(1) Tert. L. de Fug. in Pers. 1. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæc. 45. — (3) 1. Ep. 5. — (4) Tert. Scorp. 1. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 14. — (6) Ephes. 6. — (7) 1. ad Thes. 5. — (8) Ephes. 6. — (9) Tert. L. de Fug. in Pers. 2. — (10) Theodoret. in c. 6. Epist. ad Ephes.

tens; dextera christianas operationes exercere debet (1), quibus cæli mereatur ingressum.

.....

CONCIO SEXTA.

FIDES tua te salvum fecit. (2) Perperam hæretici ex hoc loco colligunt, solam fidem sine charitate et operibus, sufficere ad justificationem, et æternæ felicitatis assecutionem. Quia, ut animadvertit D. Augustinus, fides de qua loquitur Salvator est fides miraculorum, quam *fidelem sanam* (3) nuncupat. Hanc desiderabat in ægrotis Dominus, ut eis conferret sanitatem; in præsentem autem est disceptatio de fide theologica habituali, vel actuali, quæ, 1. Necessaria est ad salutem; 2. Sola sine operibus non sufficit ad salutem; 3. Demonstratur modus quo fides necessaria est ad salutem.

I. PARS. Negare fidem necessariam ad salutem, *de lumine fidem offendere est* (4): etenim fides necessaria est necessitate præcepti et necessitate medii: necessitate præcepti, quia a Deo imperatur, cui obtemperandum est. Necessitate medii, quia non nisi per fidem valemus accedere ad Deum. *Accedentem ad Deum oportet credere*, (5) ut in via inchoatam assequamur salutem. Trina cum Deo indigemus unione; unione intellectus, ut eum cognoscamus; unione voluntatis, ut eum diligamus; unione animæ ut illi placeamus. Fides autem necessaria est ut possimus uniri Deo, 1. Per cognitionem; 2. Per dilectionem; 3. Per gratiam et sanctitatem.

1. *Qui jam Deum norint, et sacramentum didicerint fidei*. (6) Qui fide Deum credunt ei uniuntur per cognitionem, ex tali autem unione mens: mirum in modum splendescit, et nobilitatur. Fidei cognitio ex unione cum Deo splendescit et illustratur: nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *Magna scientiæ pars est, scienti conjungi*. (7) Quo majori scientia pollet Deus, eo majorem exposcit a nobis credulitatem. Inde D. Augustinus Christum alloquitur: *Deus habet oculos cognitionis, tu habe credulitatis: quod videt Deus, crede tu, et credendo in mysteriorum intelligentia proficies*. Ex D. namque Augustino, *proficit intellectus ad intelligenda quæ credat, et fides proficit ad credenda quæ intelligat, et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur in ipso intellectu, proficit mens*. (8) Neque solum cognitio ex unione cum Deo

(1) Theodoret. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (3) D. Aug. Quæst. 25. Cont. Petit. — (4) Tert. L. adv. Valent. 3. — (5) Hebr. 11. — (6) Tert. L. de Pud. 18. — (7) In Ps. 56. — (8) In Psal. 118.

illustratur, sed mirum adhuc in modum nobilitatur. Intellectus noster uniri cum Deo potest, vel per rationis discursum, vel per actum fidei. Unio quæ habetur per rationem, est mere naturalis; quæ per fidem habetur, est supernaturalis; tum quia est actus habitus supernaturalis et infusi: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; donum enim Dei est* (1) Tum quia gratiæ auxilio produci- tur: *Vobis donatum est ut in illum credatis; tum quia supernaturalia attingit mysteria quæ ratio igitur. Quod mens humana, rationis investigatione non potest comprehendere, fidei plenitudo complectitur.* (2) Unio quæ habetur per rationem, est quidem nobilis, sed multo nobilior quæ habetur per fidem; hæc enim est sublimior elevatio mentis pro statu viæ, suam mutuans nobilitatem a principio, ab objecto, et a modo, quo principium attingit objectum. Principium complectitur intellectum primam animæ facultatem, et fidem habitualement, primam theologiam virtutem. Objectum est ipsemet Deus. Ut autem ait D. Chrysostomus, *a Deo petitur omnis fons et origo nobilitatis* (3): modus attingendi objectum est supernaturalis, tenetque velut medium inter scientiam naturalem, visionemque beatificam.

Imo visioni in multis assimilatur. Nam, 1. Visio est sublimior intellectus beati elevatio; fides est nobilior operatio quam intellectus viatoris possit producere; 2. Visio est prima unio quæ beatos cum divinis conjungit perfectionibus; fides est prima unio quæ Christianos unit veritati divinæ revelanti; 3. Visio est supernaturalis ex parte principii, ex parte objecti et ex modo attingendi objectum. His omnibus rationibus fides est supernaturalis; 4. Visio est initium beatitudinis patriæ, fides est initium salutis inchoatæ viæ; 5. Beati indigent visione ad hoc ut Deum intueantur facialiter: Christiani indigent fide ut divina cognoscant mysteria. 6. Visio est beatis necessaria ut ament Deum, eique uniantur per dilectionem. Fides est Christiano necessaria, ut ejus intellectus uniatur Deo per cognitionem, et voluntas per amorem.

2. Christianos desiderat Tertullianus *lucernas ardentibus habere, id est, mentes a fide accensas.* (4) Intellectus et voluntas sunt duæ alæ quibus ad summum bonum volat homo; duo brachia spiritualia quibus illud complectitur; ita ut amor, qui est voluntatis operatio, supponat notitiam, quæ est operatio intel-

lectus. Amor naturalis cognitionem naturalem supponit, amor supernaturalis supernaturalem notitiam. Etenim voluntas est potentia cæca quæ non fertur in incognitum. Amor beatificus visionem prærequirit, actus charitatis exigit in Christiano notitiam fidei, quæ, ut docet D. Augustinus (1), est prima virtus quæ habet vim conjungendi animam Deo. In cælo beati Deum necessario diligunt, quia eum facie ad faciem intuentur; in terra justi nequeunt Deum charitate diligere, nisi prius eum cognoscant per fidem: *Nisi fides prius habeatur, ad spirituales amorem nullo modo pertingitur.* (2) Inde concludit D. Bernardus: *Nemini potest esse spes salutis cum Dei ignorantia: quia nec amare quem nescit, nec habere potest quem non amat.* Quemadmodum amor viæ felicitatem, ita fides præcedere debet charitatem. *Propter quod et Apostolus Paulus fidem quæ per dilectionem operatur, commendat: quæ utique sine spe esse non potest. Proinde nec amor sine spe est; nec sine amore spes, nec utraque sine fide.* (3)

Fides et charitas abinvicem mutuo dependent. Est *charitas robor fidei, fides fortitudo charitatis.* (4) Charitas est robor fidei, cui largitur perfectionem: *Ubi perfecta charitas, ibi omnis fides.* (5) Fides est fortitudo charitatis, quia *opus fidei dilectio.* (6) Parva dilectio est opus fidei parvæ, perfecta dilectio est opus magnæ fidei. Tanto majores voluntates charitate formata producit dilectionis actus, quanto intellectus majori illustratur fide: *Quanto fides nostra altior, tanto spiritus noster charitatis capaxior est.* (7) Hac tempestate non sumus multum charitate fervidi. Nec mirum, *quantula fide sumus* (8): multi quidem habent fidem habitualement, per pauci fidem actualem exercent, nec objecta fidei attente considerant, *ut præ sola infantia fidei ignorent adhuc quid sibi agendum sit.* (9) Unica Dei perfectio serio per fidem considerata sufficeret ad excitandum ejus amorem, quanto a fortiori plures persæpe meditata? Et ob hanc causam discipulos ad exercendam fidem hortabatur Christus Dominus (10): *Quasi pronuba dictorum omnium cognitio, imo factorum, recte a Domino vita æterna est appellata, quasi mater et radix, virtute naturaque sua vitam æternam pariens* (11): quia qui Deum cognoscit diligit, eique placere contendit, producens trinam

(1) Ephes. 2. — (2) D. Ambr. 1. 4. in Luc. 5. — (3) Hem. 1. in Ep. ad Rom. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 19.

(1) L. de Agon. Chr. — (2) Greg. Mag. Hom. 6. in Ezech. — (3) D. Aug. in Enchir. c. 8. — (4) S. Leo. Ser. 7. Quadr. — (5) D. Amb. Ep. 54. — (6) D. Aug. Tract. 10. in Joan. — (7) Nicol. Cusan. L. 5. Excit. — (8) Tert. L. de Bapt. in. — (9) Tert. L. de Monog. 11. — (10) Marc. — (11) Cyril. Alex. in cap. 1. Joan.

cum eo unionem : unionem intellectus per cognitionem ; unionem voluntatis per amorem ; unionem animæ per gratiam et sanctitatem.

I. Anima Deo placet eique unitur per gratiam, quæ salutem fide invenerit. (1) Ex D. namque Augustino, constat neminem ad veram posse pervenire beatitudinem, nisi Deo placeat et neminem Deo placere posse nisi per fidem. (2) Ut autem hæc veritas melius dignoscatur, duplex distinguenda est beatitudo : una inchoata, quæ in Ecclesia militante reperitur ; consummata altera, qua duntaxat fruuntur Sancti in Ecclesia triumphante. Illa in gratia sanctificante sita est, hæc in gloria consistit, quæ suam gratiæ largitur consummationem. Neutram beatitudinem, ex sua natura, habere potest homo : *Creatura ex se beata esse non potest, quia ex nihilo creata est, sed ab illo a quo creata est* (3) : a Deo enim mutuatur gratia, qua inchoative, et gloria qua consummate beatur. Ad solum Deum spectat ex semetipso essentiali frui felicitate, participata autem felicitate non fruitur homo, nisi ex Dei dono : quod Regius Vates aperte declarat : *Gratiam et gloriam dabit Dominus* (4) : media et finem complectitur, utrumque a divina bonitate mutuatur homo. Est necessaria proportio inter media et finem : beatitudo quam sperat homo in cælo, est supernaturalis, hanc assequi nequit nisi per media supernaturalia : *Posse habere fidem et charitatem natura est hominum, sed habere donum Dei est et gratiæ.* (5) Homo ex sua natura est capax beatitudinis, ad quam naturali adhuc fertur inclinatione, hanc tamen nequit possidere absque Dei dono.

Quadruplex inchoatæ beatitudinis potest considerari causa : efficiens, meritoria, formalis, materialis, seu subjectiva. Causa efficiens est Deus qui primam gratiam sanctificantem largitur gratis. Causa meritoria est Christus qui eam suo sanguine comparavit ; causa formalis est gratia sanctificans qua homo formaliter sanctificatur ; homo vero justificatus est causa materialis seu, subjectiva gratiæ. Has quatuor justificationis causas insinuat Apostolus : *Justificati gratis gratia ipsius per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* (6) Quemadmodum autem in ordine naturæ causa formalis non introducitur in aliquod subjectum, nisi sit prius præviis dispositionibus præparatum : anima enim non informat corpus, nisi organizatum, ne-

que ignis lignum nisi prævio calore exsiccatum sit : ita gratia sanctificans, quæ est forma supernaturalis, non justificat hominem, nisi dispositiones ad justificationem præviæ precesserint : fides autem est prima dispositio ad justificationem requisita. Uti gratia requiritur velut dispositio necessaria ad gloriam, sic fides est necessaria ad gratiam justificantem, tanquam prævia dispositio : quod Apostolus pluribus, sed potissimum tribus in locis aperte docet. Nam epistola ad Hebræos, audacter pronuntiat : *Sine fide impossibile est placere Deo.* (1) Epistola ad Romanos (2), hos ex fide justificados asseverat, et Epistola ad Ephesios declarat : *Justificati estis ex fide* : (3) quod intelligitur dispositive, ut jam explanatum est. His locis ad justificationem necessariam fidem affirmat Paulus, sed non solam, ut demonstrandum est adversus Lutheranos et Calvinistas.

II. PARS. *Ablutionem delictorum fides impetrat, obsignata in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto.* (4) Quomodo autem peccata abluat et ad justificationem concurrat fides, non consentiunt hæretici et catholici. Hæretici solam fidem et peccata remittere, et justificationem obtinere affirmant, quia sola fides redemptionis beneficium apprehendit, fidelibusque Christi justitiam applicat. Ejusmodi errorem mordicus tumentur Lutherus et Calvinus, verum, 1. Lutherus redarguitur ; 2. Calvinus rejicitur ; 3. Doctrina catholica asseritur.

1. *Christiani veritatem integre præstant, ut qui salutem suam curant.* (5) Integre præstant veritatem, tum quia bonis operibus fidem integrant et perficiunt, veritates fidei ad proxim redigentes ; tum quia fidei veritatem demonstrant per bona opera, quæ sunt veræ fidei consequentiæ, et quasi illius appendices integrantes : quæ si desint, manca, mutila, imperfecta est fides. Quam imperfecta est Lutheranos fides, quos dubius Augustinus propriis depingit coloribus. « Alios novi quos ita insipientiæ ac imprudentiæ tenebrosa ignorantia fallit ac decipit, ut fidem quam habere se simulant, sine justitiæ operibus apud Deum sibi censeant profuturam, et hoc errore decepti sine metu crimina nefanda committunt : dum credunt Deum non criminum, sed perfidiæ tantum ultorem. » (6) His verbis doctrina Lutheri ad unguem describitur, qui in præsentī materia sic disserit : *Sola fides necessaria est ut justi simus : cætera omnia liberrima : neque præcepta, ne-*

(1) Tert. L. adv. Valent. 32. — (2) Serm. 28. de Temp. — (3) D. Aug. L. 12. Civ. 6. — (4) Psal. 83. — (5) D. Aug. L. de Prædest. Sanct. c. 5. — (6) Rom. 3.

(1) Cap. 11. — (2) Cap. 5. — (3) Cap. 2. — (4) Tert. L. de Bapt. 6. — (5) Tert. Apol. 46. — (6) L. de Vit. Christ. c. 13.

que prohibita. (1) Tres errores, imo tres impietates prodit Lutherus fidei veritates destruentes, bonos mores depravantes, civilem politicam labefactantes, omnem denique religionem et pietatem funditus evertentes: *Sola fides necessaria est.* Ex hoc Lutheri principio recte colligitur: ergo spes non est necessaria; ergo charitas non est necessaria; ergo humilitas non est necessaria; ergo justitia non est necessaria; ergo temperantia non est necessaria; et generaliter nulla virtus religionis est necessaria. Addit Lutherus: *Cætera omnia liberrima*, injustitiæ et latrocinia liberrima; impudiciæ et adulteria liberrima; detractiones et juramenta liberrima; insidiæ et homicidia liberrima, et cuncta in universum atrocissima quæque crimina liberrima. Tandem concludit Lutherus: *Cætera neque præcepta, neque prohibita.* Ergo chimericus est Decalogus prohibens idololatricam, verique Dei præcipiens cultum; inhibens malum et imperans bonum. Divina itaque lex *imaginaria: disciplina phantasma, et ipsa transfuntoria præcepta, secunda delicta.* (2) Hæ quatuor consequentiæ pluresque aliæ ejusmodi, recte colligi possunt ex perversa Lutheri doctrina: quæ *hoc nomine cessationis et defectionis operum, et impudentiæ, et malignitatis affinis est.* (3) Impudentiæ: quia adversus evidentes Scripturæ sacræ textus falsa dogmata docere præsumit: malignitatis, quia ad omne nefandum crimen inducit, religionem ipsumque Deum penitus destruit. Ut enim profunde ratiocinatur Tertullianus, *negant Deum timendum, itaque libera sunt illis omnia et soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est.* (4) Disciplina Dei lege et veritate, et timore innititur; qui autem neque veritatem, neque legis observationem, neque Dei timorem præ se ferunt, religionem non habent, Deumque non credunt qui est religionis objectum: cujusmodi sunt Lutherani: *At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et allectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia.* (5) Diligentiam attonitam vocat, quæ semper est in metu, ne quid peccet: electionem exploratam, ordinationem ecclesiasticam, quæ non fiebat nisi post

explorata et mature considerata eligendorum merita: communicationem deliberatam, conventus pietatis et orationis gratia factos ad quos nisi virtute probatissimi admittebantur: promotionem emeritam in qua præsidet quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: apparitionem devotam, quæ relucebat in mortificatione sensuum, præsertim oculorum: processionem modestam, in publicum enim procedebant fideles modesto habitu, vultuque demisso: subjectionem religiosam, qua divina mandata Ecclesiæque leges observabant: tandem Ecclesiam unitam, quia ejus fidem et disciplinam inviolabiliter custodiebant. *Proinde hæc pressioris apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt.* His testimoniis et catholica disciplina dignoscitur, Lutheri blasphemia redarguitur, et fides chimerica Calvinii rejicitur.

2. Ab ipso christianæ religionis exordio nonnulli ut excluderent baptismi necessitatem, solam fidem ad salutem sufficere clamitabant. *Hic ergo scelestissimi illi provocant quæstiones. Adeo dicunt: Baptismus non est necessarius, quibus fides satis est.* (1) Quod confirmare nitentur tum Abraham exemplo: *Nam et Abraham nullius aquæ nisi fidei sacramento Deo placuit;* tum ipso Christi Domini oraculo, *qui credenti cuique salutem pollicebatur: Fides tua te, aiebat, salvum fecit; et: Remittuntur tibi peccata, credenti utique, nec tamen tincto.* (2) Eodem fere modo utitur Calvinus, ut bonorum operum destruat necessitatem, solam fidem ad salutem necessariam affirmans, erroremque suum tribus præsertim Scripturæ locis confirmans.

1. Auctoritate Apostoli, qui Epistola ad Romanos sic scribit: *Virtus Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco. Justitia enim Dei revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.* (3) Ex hoc loco sic ratiocinatur Calvinus: Quis non videt principium pariter et fidem hic designari? Alioquin dicendum erat ex fide in opera: siquidam opera perficerent quod fides inchoat. 2. Affert Calvinus Abacuc Prophetam, dicentem: *Justus ex fide vivit.* (4) « Hoc Propheta valde improprie dixisset, nisi fides continuaret vitam. » 3. Oracula ab ipso dominico ore prolata affert Calvinus. *Quod si Prophetes Abacuc prænuuntiavit, habes et Apostolum Prophetas confirmantem, sicut et Christus* (5): Christus namque fidei tribuit Magdalene conversionem, cæci visum, servi Centurionis sanitatem:

(1) Comment. in cap. 2. Epist. ad Gal. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 12. — (4) Tert. L. de Pæsc. Hæret. 43. — (5) Tert. Ibid.

(1) Tert. L. de Bapt. 15. — (2) Tert. L. de Bapt. 12. — (3) Cap. 1. — (4) Cap. 2. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 3.

his arietibus Calvinus Ecclesiæ doctrinam penitus labefactasse prætendit.

Verum quam infirma sint Calvini tela constabit ex explanatione locorum Scripturæ quos affert. Quando enim Paulus asserit quod justitia revelatur ex fide in fidem, hoc potest intelligi, vel, 1. Cum D. Anselmo, ex fide unius Dei in fidem Trinitatis, ex fide primi adventus Christi, in fidem secundi adventus ejus ad judicandum; ex fide humanitatis Christi in fidem divinitatis ejus. Vel, 2. Cum D. Augustino, ex fide prædicantium, in fidem audientium et credentium. Vel, 3. Cum D. Ambrosio (1), ex fide promittentis Dei, in fidem hominis credentis Dei promissis. Vel, 4. Cum D. Thoma, ex fide Patrum, in fidem nepotum. Vel, 5. Cum Theodoro, ex fide rerum præteritarum in Christo, in fidem rerum futurarum in nobis. Vel, 6. Cum D. Chrysost., ex fide veteris Testamenti in fidem novi Testamenti, ad quam velut pædagogus illa nos ducit. Vel, 7. Tandem cum Theophylacto, ex fide incipiente et imperfecta, in fidem proficientem, perfectam, charitate formatam. Locus Abacuc Prophetæ in quo dicitur: Justus ex fide vivit, intelligendus est de vita supernaturali animæ quæ incipit a fide, crescit et perficitur per fidem charitate et gratia formatam; seseque in bonis operibus et observatione mandatorum Dei exercentem. (2) Sicut eo modo quo dicitur: Ex corde vita procedit, id est, quod homo ex corde vivat, et vitam hauriat, quia scilicet cor est radix vitæ, estque in homine primum vivens et ultimum moriens; per hoc tamen non excluduntur cerebrum, pulmo, jecur, stomachus, et cætera, quin ex iis quoque vivat, et vitam suam hauriat homo: ita pariter dicitur quod justus ex fide vivat, quia fides est initium, radix et quasi cor vitæ spiritualis. Per hoc tamen non excluduntur spes, charitas, aliæque virtutes, quin ex eis quoque vivat justus. Perperam et sophisticè argumentantur Calvinistæ ex hoc loco quem Paulus ex Abacuc refert Propheta: *Justus ex fide vivit* (3): ergo non vivit ex spe vel charitate: male enim ex propositione inde finita in materia contingenti inferunt universalem negativam non secus ac si dicerent: Panis alit hominem; ergo caro aut piscis non alit hominem: homo vivit per respirationem, ergo non vivit per cibum; homo est animal, ergo leo non est animal; fides justificat, ergo gratia et charitas non justificat. Quando enim Apostolus ait: Ex fide justificatur homo, non sola. *Quod absit ut sentiret vas electionis.* (4) Sub fide, non so-

lam fidem, ut volunt hæretici, intelligit Apostolus, sed spem, charitatem, gratiam et virtutes, quasi ramos in sua radice complectitur. Quando autem Christus Dominus tribuit fidei cæci visum, servi Centurionis sanitatem, hoc intelligendum est vel cum D. Augustino de fide miraculorum, qua credebant Christum posse eis conferre miraculose sanitatem et visum; vel de salute animæ quæ inchoatur per fidem tanquam per justificationis initium: completur per gratiam et sanctitatem, conservatur per bona opera ad assecutionem salutis consummatæ necessaria.

3. *Ideoque nec operationes necessarias sibi existimant, nec ulla disciplinæ munia observant.* (1) Quod de Valentinianis refert Tertullianus probe competit Calvinistis, qui cuncta opera etiam Spiritus Sancti directione et ducatu facta, inutilia existimant, tum ad justificationem, tum ad salutem et beatitudinem. (2) Quod ex Apostolo probant, qui pluribus in locis negat hominem justificari ex operibus legis, sed ex fide duntaxat: *Ut jam ex fidei libertate justificetur homo, non ex legis servitute: quia justus ex fide vivit.* (3) Verum dum Apostolus deprecat legis opera, intelligendus est de operibus legalibus et ceremonialibus legis mosaicæ: *in qua non justificatur operarius.* (4) Non enim externis legis mosaicæ ceremoniis addicta erat justitiæ collatio, sed internis fidei actibus: quomodo credidit Abraham Deo et deputatum est ei ad justitiam: *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in nativatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege.* (5) In lege naturali et mosaica per fidem nudam justificabantur et salvabantur homines; at in lege evangelica, non sufficit fides (6), sed debet addi vita fidei condigna. *Opus est quippe omni volenti cælum possidere, fidem operibus comitari.* (7) In lege mosaica, ante adventum Christi, erat in fide benedictio; at in lege evangelica, post Christi adventum, bene operantes cœlestem accipiunt benedictionem, et econverso prave operantes excluduntur a cœlo: *sed nobis quidem væ, si excesserimus in aliquo disciplinæ jugum: si obtorpuerimus in operibus sanctitatis atque justitiæ.* (8)

Acute animadvertit D. Chrysostomus quod

(1) L. de Spir. Litt. cap. 11. — (2) Prov. 4. — (3) Rom. 1. — (4) D. Aug. L. de Grat. et Liber. Arbit. c. 7.

(1) Tert. L. adv. Valent. 50. — (2) Art. 22. Conf. Calvin. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (4) Tert. Ibid. — (5) Tert. L. de Bapt. 15. — (6) D. Ambr. in c. 4. Ep. ad Hebr. — (7) Tert. L. 5. adv. Marc. 3. — (8) Tert. L. adv. Valent. 30.

Deus diem septimum in quo ab omni opere cessaverat, benedixit, non vero sex reliquos in quibus fuerat operatus: quia scilicet *sufficiebat pro omni benedictione, quod in singulis creaturæ productæ fuerint.* (1) Dies septimus quieti destinatus indiguit benedictione et consecratione divina; at sex reliqui dies ore diuino benedicti et consecrati non sunt; operatio illis pro omni benedictione et consecratione sufficebat; quasi superflua foret benedictio et sanctificatio sex primis diebus, qui bono opere sufficienter benedicti et sanctificati fuerant: non minori mentis acumine observat D. Augustinus, quod in creatione mundi a Moyse relata *non dictum est: Benedixit lucem; non dictum est: Benedixit cælum, sed cum ventum est ad ea quæ habitura erant semen fecunditatis: Benedixit ea Dominus:* quo denotatur bene operantium benedictio futura in ultimo iudicio, sicut non bene operantium maledictio. Illis enim dicet Christus Dominus: « Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare. » His autem dicet Salvator: « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. » Hæc evidenter demonstrant *quoniam non auditores legis justificabuntur, sed factores, secundum quod et Apostolus dicit.* (2) De Paulo loquitur Tertullianus, cui arridet Jacobus: *Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum* (3); qui, ut animadvertit D. Augustinus, suam conscripsit epistolam ad eos retundendos qui ex Paulo perperam intellecto sola fide et non operibus hominem justificari volebant. Cujusmodi sunt Calvinistæ Scripturam additione et immutatione depravantes: nam dum Apostolus ait: *Fides justificat, temerario ausu addunt: Sola fides justificat.* Nec attendunt quot ut quis *salvus sit suæ fidei* (4) addenda sunt opera. Sed ut nulla supersit in hac materia difficultas, explicandus est modus quo fides necessaria est ad salutem.

III. PARS. Christus fidei ostendit necessitatem, dicens cæco nato: *Fides tua te salvum fecit.* (5) Quomodo autem fides necessaria sit ad salutem belle declarat D. Augustinus: *Fides namque est bonorum omnium fundamentum; fides est humanæ salutis initium, sine ipsa nec in seculo quispiam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possibilem æternam.* (6) Fides igitur ex mente D. Augustini est, 1. Justificationis initium;

2. Spei fundamentum; 3. Necessarium ad consequendam salutem medium.

1. *Si Christianus es, crede.* (1) Nisi credas, non justificaberis, quia *fides est salutis humanæ initium, et radix omnis justificationis.* (2) Fides est salutis humanæ initium, tum quia habitualis est primum donum a Deo infusum; tum quia actualis est primus motus animæ in Deum; tum quia est initium vitæ supernaturalis, cunctas Christiani movens et regulans virtutes: nisi enim credat Deum justum, misericordem, summe bonum, ejus justitiam non timebit, in ejus misericordia non sperabit, neque bonitatem amabit: et ob hanc causam sæpius de fide quam de aliis dispositionibus ad justificationem loquitur Scriptura: quia fides cæteras præcedit, ut radix totius justificationis; tum quia alias dispositiones ad justificationem aliquo modo meretur: non quidem de condigno, sed velut de congruo: *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur* (3); tum quia fides cum gratiæ auxilio, ad aliarum dispositionum productionem concurrat, ad modum quo cognitio naturalis, ad volitiones naturales. Fides namque Deum summe amabilem proponit charitati: spei infinite misericordem; timori peccata punientem. Addit Concilium: *Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, anathema sit!* (4) Hoc anathemate feritur Lutherus, qui impie et temerarie huic Apostoli textui: *Arbitramur justificari hominem per fidem* (5), addidit *solum.* Quasi Apostolus sola fide sine ullis operibus hominem justificari arbitratus fuerit. Quod quam sit alienum a mente Apostoli ipsemet Paulus declarat: *Impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute.* (6) Quis non videt hic Apostolum præter fidem requirere opus fidei? Ut autem Paulus cum semetipso concilietur, et adhuc cum Jacobo, distinguenda sunt opera. Nam vel præcedunt fidem, vel eam subsequuntur. Quæ præcedunt fidem, nullo modo disponunt ad justificationem; quæ fidem subsequuntur, ad justificationem disponunt: idcirco dum Paulus asserit: *Arbitramur hominem justificari ex fide sine operibus* (7), loquitur de operibus quæ præcesserunt fidem, et dum Jacobus asseverat: *Ex operibus justificatur homo, et non ex fide,* loquitur de operibus quæ subsequuntur fidem: uterque enim tum fidem, tum opera ex fide facta ad justificationem requirit: Paulus quidem dum ait: *In*

(1) In cap. 2. Gen. — (2) Tert. L. de Exh. Carl. 7. — (3) Jacob. 2. in Psal. 51. — (4) Tert. Scorp. 10. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (6) Serm. 28. de Temp.

(1) Tert. L. de Carn. Christ. 2. — (2) Con. Trid. ses. 6. c. 8. — (3) D. Aug. L. de Præd. Sanct. c. 7. — (4) Sess. 7. c. 7. — (5) Rom. 5. — (6) 2. Thessal. 1. — (7) Rom. 3.

Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. (1) Jacobus etiam sic de Abrahamo loquens: *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est.* (2)

2. Fides igitur est necessaria *ut credentes justitiæ deputet, ut justos vivere faciat* (3), et spem vitæ æternæ sustineat. *Est autem fides sperandarum substantia rerum.* (4) Kemnitius aliique Calvinistæ per substantiam intelligunt expectationem certam misericordiæ a Deo promissæ, qua certo credunt nunquam frustrari vitæ promissis sibi in Christo factis: (5) id est, sese prædestinationis et salutis certos existimant. Quia, ut fatur Calvinus, (6) cœli regnum ad eos pertinet, neque eis ullo modo desse potest: sunt namque de sua felicitate securi, certitudine non tantum morali, sed infallibili. Quapropter divinam non metuunt justitiam, et ut ipsi fatentur, non debent ultimum timere judicium, in quo pro eis apparebit Christus. (7) Hac præsumptione tumidi, divina transgrediuntur mandata, bona despiciunt opera, atrocissima quæque patrant audacter scelera. Verum quam mendax sit calvinisticæ vitæ æternæ securitas, constat ex Ecclesiastico asseverante: *Qui sine timore est, non poterit justificari*: Calvinistæ sunt absque metu. Ergo non poterunt justificari, nec consequenter salvari. Porro *timor fundamentum est salutis, præsumptio impedimentum timoris* (8): quapropter veros Christianos hortatur Apostolorum Princeps: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini.*

Verum omissis hæreticis, tripliciter catholici expendunt Apostolum dicentem: Est autem fides sperandarum substantia rerum. Nonnulli existimant fidem nuncupari a Paulo substantiam, id est, opes, divitias, facultates. Ut enim ait D. Ambrosius, *bona substantia fides, in qua spei nostræ est patrimonium.* (9) Hac est etiam mens D. Augustini qui fidem sic commendat. *Nullæ sunt quippe majores divitiar, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major substantia quam est fides catholica, quæ fideles justificat, justos augmentat, regnis cœlestibus præparat.* (10) Alii fidem substantiam appellatam existimant, quia eadem spei præstat quæ substantia accidentibus. Quemadmodum autem substantia sustentat accidentia, ita fides spem: quare dicitur a Philone, *bonæ*

spei supplementum (1), fides ergo est basis et fundamentum rerum sperandarum, quæ absque fide nequeunt subsistere, non secus ac accidentia sine substantia. Tandem alii substantiam, id est, existentiam, seu subsistentiam interpretantur, quia futura tanta certitudine credimus, ac si essent præsentia et actu existerent. « Quoniam, ait D. Chrysostomus, ea quæ sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis tribuit substantiam. Resurrectio necdum facta est, et necdum est in substantia, sed fides facit eam subsistere in anima nostra. » Quod perpulchra similitudine declarat Doctor Angelicus: « Res sperandæ sunt sicut arbor in seminis virtute latens, ac per fidem quodammodo jam existunt in nobis sicut arborem quodammodo tenemus in semine. » Quo sensu *fides est voluntaria quædam, et certa prælibatio nondum propalata veritatis.* (2) Et ut fatur Alexandrinus Clemens, *fides est voluntaria anticipatio* (3); qua fidelis prælibat in via ea quæ ubertim gustabit in patria: *Ea enim jam habemus per fidem spiritu imaginante repræsentata.* (4) Quovis autem modo fides sperandarum rerum dicatur substantia ad ea consequenda est medium necessarium.

3. Æterna beatitudo comparanda est *ex fide sine dubio integra.* (5) Fides autem integra fidem, Spem, Charitatem complectitur: 1. fidem. *Constat neminem ad veram posse pervenire beatitudinem, nisi Deo placeat, et Deo neminem placere posse nisi per fidem.* (6) 2. Spem, quam fidei sanguinem vocitat Clemens Alexandrinus: *Sanguis fidei est spes in qua continetur, sicut sanguis ab anima: cum autem spes exspiraverit, perinde est ac si sanguis effluerit, vitalis fidei facultas dissolvitur.* (7) 3. Charitatem, qua fides perficitur et spes consummatur. Unde D. Bernardus: (8) « Merito Apostolus fidem sperandarum rerum substantiam esse desinit: quod videlicet non credita nemo sperare plus quam super inane pingere possit. *Dicit ergo fides: Parata sunt magna, et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis: dicit spes: Mihi illa servantur: nam tertia quidem charitas: Curro mihi, ait, ad illa.* O quam sublimes debent esse Christiani cogitationes! Fidelis de immortalis felicitate instructus, non terrena, caduca et præsentia, sed futura, cœlestia et æterna cogitare, desiderare, sperare, amare, de eis loqui, ea prosequi debet, nihilque æstimare et velle *nisi quod ultro fides ipsa*

(1) Galat. 5. — (2) Cap. 2. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 3. — (4) Hebr. 11. — (5) Art. 20. — (6) L. 4. Inst. c. 17. §. 2. — (7) Decim. 25. Catech. — (8) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (9) L. 2. de Pæn. 5. — (10) Sermon. 1. de Verb. Apost.

(1) L. de Abrah. — (2) D. Bern. L. 4. de Consid. Cap. 2. — (3) L. 2. Strom. 2. — (4) Tert. L. de Spect. 30. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 3. — (6) D. Aug. Sermon. 28. de Temp. — (7) L. 1. Pæd. 6. — (8) Sermon. 1. in Psal. 90. —

dictasset. (1) Quod fides odiendum dictat ipse aversatur; quod fugiendum, fugit; quod contemnendum, contemnit: et contra quod fides dictat existimandum, existimat; diligendum, diligit; prosequendum, prosequitur. *Inenarrabile est quod credimus; immensum est quod speramus; non est vulgare quod quærimus: ergo non debet esse vulgare quod vivimus.* (2) Animadvertit Gregorius Nyssenus (3) quod omnes arbores quas posuit Deus in paradiso terrestri, erant secundæ, nulla fuit infructuosa et sterilis: quo denotatur quod in Ecclesia militanti per paradysum terrestrem significata, cuncti fideles

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 2. — (2) Sixt. 3. in Biblioth. Patr. — (3) In c. 1. Gen.

debent esse fructuosi et bonis vacare operibus. Salus inchoata viæ et consummata patriæ, per Liam et Rachelem figurantur. Lia erit lippiens, sed secunda; Rachel pulchra, sed sterilis: Jacob duxit Liam antequam sibi matrimonio conjungeret Rachelem. Fides per Liam significatur, visio beatifica per Rachelem. In cælo beati vident Deum, sed amplius non merentur; in via fideles non potiuntur beatitudine, sed eam per fidem bene operantem mereri possunt. Bonis igitur incumbamus operibus, habentes *hanc regulam præstitutam, ut salutem quam non de privilegio status possidemus, de suffragio actus elaboramus.* (1)


(1) Tert. L. adv. Valent. 3o.



GRATIA.

SCHOLIUM.

Consideranda est gratiæ, 1. Penuria et necessitas; 2. Sufficiencia et universalitas; 3. Victoria et efficacia; 4. Condescendentia et suavitas; 5. Excellentia et dignitas; 6. Opulentia et utilitas.



CONCIO PRIMA.

OCCASIO defendendi divinam gratiam (1) sese offerens, a trino eam vindicamus errore: Pelagianorum scilicet, Semipelagianorum et novatorum. Pelagiani gratiæ negantes necessitatem, hominem solis naturæ viribus salutem posse consequi existimant. Semipelagiani gratiæ admittentes necessitatem, eam non gratis, sed ex intuitu alicujus bonæ dispositionis, vel conatus voluntatis, datam asseverant. Novatores vero gratiam inutilem, otiosam, insufficientem affirmant. Observatis hæreticorum erroribus adstruenda est, catholicorum sententia quæ agnoscit, 1. Hominem sine gratia interiori ad salutem insufficientem; 2. Deum homini gratiam gratis

(1) Tert. L. adv. Jud. 1.

largientem; 3. Gratiam homini sufficientem, ad salutem tribuentem.

I. PARS. *Abscondat itaque se serpens quantum potest, totam prudentiam in laterarum ambagibus torqueat, alte habitat, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga bestia.* (1) His verbis mire describitur Pelagius quem merito Sanctus Prosper Colubrum Britannicum vocitat, ob versipellem et sinuosam ejus doctrinam. Nam imprimis gratiam ad salutem necessariam negat: coactus autem postea aliquam fateri gratiam, nomine gratiæ, donum creationis et conservationis intelligit: verum quia *istam gratiam non commendat Apostolus qua creati,*

(1) Tert. L. adv. Valent. 3.

sed qua justificati sumus : ista est enim gratia per Jesum Christum : etiam Christus non pro hominibus ut conderentur , sed ut justificarentur mortuus est. (1) Ultra donum creationis et conservationis, tandem gratiam Christi confessus est Pelagius, non internam, sed externam, in lege duntaxat evangelica, christianæ doctrinæ prædicatione, dominicæque virtutis exemplo, sitam : quantumvis coluber ille tortuosus, venenum suum occultarit, et calliditatem suam in latebrarum ambagibus torserit, a Conciliis Carthaginensi et Milevitano fuit damnatus. Et merito ; quia ultra externam legis et prædicationis gratiam, *intelligenda est gratia per Jesum Christum, qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo, faciunt bonum : ut non solum monstrante illa, quid faciendum sit, sciant, verum etiam, ut præstante ipsa, faciant cum dilectione, quod sciunt.* (2) Absque illa autem supernaturali et interiori gratia, ad salutem consequendam insufficientis est homo ; ex, 1. Naturæ inopia et paupertate ; 2. Culpæ malitia et iniquitate ; 3. Facultatuum animæ impotentia in infirmitate.

1. Ita est inops et egena hominis natura, ut *homo nullius boni* (3) merito nuncupetur, non quod aliquod opus moraliter bonum non valeat operari ; nam ut quis quoddam bonum morale operetur tria duntaxat requirit Philosophus (4) : scilicet ut operetur, 1. Sciens ; 2. Volens ; 3. Propter finem honestum. Homo autem potest etiam naturaliter scire, verbi gratia, parentes honorandos ; voluntas etiam potest sequi rationis dictamen et velle honorare parentes ; tandem homo parentibus potest deferre honorem, ob finem honestum, nempe ex motivo gratitudinis. Cum autem homo nullius boni vocitatur a Tertulliano, hoc debet intelligi de bono in ordine ad salutem supernaturalem, ad quod solis naturæ viribus insufficientis est. Nam, ut docet D. Augustinus, *ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, quemque sufficere posse, consentiendum est* (5) : quia ut profunde ratiocinatur Tertullianus, *bonorum quorundam intolerabilis est magnitudo : ut ad capienda et præstanda ea, sola gratia divinæ inspirationis operetur.* (6) Loquitur de cœlesti felicitate quæ intolerabilis dicitur humanæ naturæ ; quæ eam naturaliter nequit comparare : quia cum sit supernaturalis, non nisi per media supernaturalia potest at-

tingi ; ad media autem supernaturalia necessario gratia requiritur : adeo indiga est humanæ naturæ paupertas, ut sine gratiæ ope non valeat precario emendicare opem gratiæ. *Quis enim invocavit, nisi quem prior ipse vocavit.* (1)

Magnum sane est discrimen inter Deum et hominem : *Dives est Deus, et nullius eget opibus ; potens est, nullius eget auxilio ; sapiens est, nullius indiget consilio.* (2) Homo vero indigens est, Deique eget auxilio ; quapropter dum bene operatur christiane vivit, felicitatemque meretur æternam. *Opus salutis non est hominis, sed Dei proprium :* (3) quia beatitudinem non meretur, nisi per Dei gratiam ; neque ullum operatur opus supernaturale, nisi per Dei auxilium, quod ejus insufficientiæ et indigentiam subvenit. Nam quod est supra naturam et supra hominem, non potest esse neque a natura, neque ab homine, sed a Deo duntaxat, qui est superior et natura et homine ; quique humanæ opitulatur inopiæ, ut possit cum gratia, quod non potest ex natura, quæ cum sit ex nihilo producta nihilum redolet de quo creata est. *Creatura ex se beata esse non potest, quia ex nihilo creata est, sed ab illo a quo creata est.* (4) A Deo naturam accepit homo, a Deo etiam accepit gratiam ; ab eodem mutuatur bene esse a quo mutuatus est esse : quemadmodum nihil fuit ut esset homo, ita creatus, nihil est ut sit bonus homo. A seipso nihil habet ad naturam, a seipso nihil habet ad gratiam, nihil fecit ut esset ; nihil malefecit ne esset, similiter nihil ex se fecit, ut bonus esset, multa tamen male fecit ne bonus esset : et sic homo insufficientis est ad salutem, tum ex naturæ inopia et paupertate, tum ex peccati malitia et iniquitate. *Ex quo enim homo culpam commisit, amisit et gratiam : a qua ille derelictus, factus est sine tutore puer sicut equus sine freno.* (5)

2. Licet anima sit Dei imago, prototypi tamen *exprimere non valuit non delinquendi felicitatem.* (6) Deus utpote essentialiter sanctus, est ita immunis a delicto, ut nullo modo possit peccare, ex quo non sequitur quod anima sit a delicto immunis : *Porro, imago veritati non usquequaque adæquabitur.* (7) Si anima ex se esset a peccato immunis, esset essentialiter sancta ; si esset essentialiter sancta, parem cum Deo haberet perfectionem, essetque Deus : quæ omnia implicant. Multum sane Deo inferior est anima, *habens illas utique lineas Dei, qua immortalis ani-*

(1) D. Aug. Epist. 150. — (2) D. Aug. L. de Correp. et Grät. cap. 2. — (3) Tert. L. de Pat. 1. — (4) 2. Ethic. 4. — (5) L. de Prædest. Sanct. c. 4. — (6) Tert. L. de Pat. 1.

(1) D. Aug. in Psal. 114. — (2) D. Chrysost. Hom. in Paul. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 22. — (4) D. Aug. L. 12. Civ. 16. — (5) Hildeb. Ep. 56. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 9. — (7) Tert. Ibid.

ma, qua libera et sui arbitrii, qua præscia plerumque, qua rationalis, capax intellectus et scientiæ: tamen et in his imago, et non usque ad ipsam vim divinitatis; sic nec usque ad integritatem a delicto; quia hoc soli Deo cedit, et hoc solum imagini non licet (1): quæ arbitrii abutens libertate, in peccatum cadit, seseque ad salutem ex culpæ perversitate insufficientem reddit. *Nemo dicat, sic hominem factum, ut de justitia quidem posset in peccatum ire, et de peccato ad justitiam redire non posset* (2): quoad enim homo est in statu viæ (nisi a Deo in sanctitate confirmetur), est mutabilis de justitia in peccatum, de peccato in justitiam. Diversimode tamen mutatur de justitia in peccatum, et de peccato in justitiam: nam *ut in peccatum, sufficit ei liberum arbitrium, quo seipsum vitiavit: ut autem redeat ad justitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est; opus habet vivificatore, quia mortuus est.* (3)

Res etiam inanimatæ propriæ inclinationis pondere absque ullo extraneo auxilio, ad nativam redeunt temperiem. Sic aqua ab igne calefacta, remoto igne, ex semetipsa ad naturale revertitur frigus. Homo vero a gratia cadens in peccatum, nequit propriis viribus a statu peccati redire ad statum gratiæ: *Non potest homo esse liber a dominante peccato, nisi Filius ipsum liberaverit.* (4) Indiget gratia, ut de malo in bonum convertatur, et divinam adipiscatur benevolentiam. *Nisi donum Dei esset ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur: Deus virtutum, converte nos* (5): ratio autem hujus discriminis est: tum quia aliæ res a naturali qualitate deturbatæ sunt ab agente extrinseco, et hoc per violentiam: homo autem non ab alio quam a semetipso, et propria voluntate, a gratia lapsus est in peccatum; tum quia aliæ res extrinsecus et violenter a nativâ temperie extractæ conservant semper inclinationem ad centrum, homo vero criminis ita objecto quod inordinate diligit, adhæret, ut nullam propensionem ad Deum habere videatur; tum quia aliæ res Deum non offendent, neque ejus incurrunt animadversionem; homo vero criminis suis sceleribus Deum graviter offendit; estque indignus, ut eum Deus placidis oculis intueri dignetur, minimamque ei largiatur gratiam. Quapropter *neesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur.* (6) Tum quia aliæ res ab ingentis qualitatibus per vim

divinæ, nativas non amittunt ullo modo vires, homo vero multum peccando debilitatur: *Calcatur vitiis, subduntur vitiis, et sic inhabiles ad virtutes, ad vitia habiles invenimur.* (1) Natura humana gratiæ viribus destituta, insufficientis est ad rem virtutis, tum ex naturæ inopia, tum ex peccati malitia, tum ex facultatum animæ impotentia.

3. Si homo innocentiam servasset statum. *Plus bonum florisset, sine mali afflatu* (2): at per originale humana natura sic est distorta, ut non ad bonum, sed ad malum feratur. *Peccatum humanam naturam fragilem, imbecilem, pronam fecerat ad lapsus et vitia.* (3) A primævo delicto *ægrota genus humanum, non solum morbis corporis, sed peccati.* (4) Cunctæ animæ facultates sauciatae et vulneratae sunt, et homo nascitur cum ignorantia, malitia et impotentia. *Homo peccans etiam illa quæ ad bonum pertinent cogitandi amisit facultatem: sic jacuit ditione oppressus.* (5) In homine criminis trinum reperitur nihilum: naturæ scilicet, culpæ et impotentiam. Nihilum naturæ, quia nihilum est terminus a quo productionis ejus; nihilum culpæ, quia peccando esse supernaturale gratiæ et charitatis redegit ad nihilum. *Si charitatem non habuero, nihil sum.* (6) Nihilum impotentiam quod restat in animæ facultatibus post peccatum. *Sine me nihil potestis facere;* (7) quia ex nihilo, nihil fit ut ex causa. Homo sceleris ex se nihil est, ex se nihil potest, et consequenter ex se nihil operatur, quia operari sequitur esse. Homo ad nihilum redactus, ex se potest patrare peccatum, quod est defectus et nihil, et nihilo ipso deterius et minus; et non potest efficere opus salutis. Oculus ex se potens est ad tenebras et ad non videndum, sed ad visionem nihil potest sine adjutorio lucis. *Homo audiens ab illo: Sine me nihil potestis facere: dicit ei et ipse: Adjutor meus es tu, ne derelinquas me.* (8) Si etenim natura sana et integra Dei egebat auxilio, sine quo nihil ex se poterat, quid languens et infirma poterit sine Dei adjutorio? *Cum ergo sine Dei gratia salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia posset reparare quam perdidit?* (9) Non idonei sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, quomodo exsequi opera salutis? Voluntas malo adherens nequit ad bonum reverti nisi per piam affectionem: affectio cœlestis supponit illustrationem, ad utramque impotentes sumus: « Quocirca si-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 9. — (2) D. Aug. L. de Nat. et Grat. c. 25. — (3) D. Aug. Ibid. — (4) D. Aug. L. 1. Cont. Julian. — (5) D. Aug. L. de Grat. et Liber. Arb. c. 4. — (6) D. August. Ep. 91. ad Conc. Carthag.

(1) Chrysol. Serm. 45. — (2) Tert. L. adv. Herm. 15. — (3) Chrysol. Serm. 116. — (4) D. Aug. Serm. 59. de Verb. Dom. — (5) D. Aug. de Incar. Verb. c. 15. — (6) 1. Cor. 15. — (7) Joan. 15. — (8) D. Aug. L. de Concept. et Grat. cap. 1. — (9) D. Aug. L. de Ver. Innoc. c. 337.

cut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum : sed in opere bono , et in incipiendo , et perficiendo sufficientia nostra ex Deo est : ita nemo sibi sufficit , vel ad incipiendam , vel perficiendam fidem , sed sufficientia nostra ex Deo est. Quoniam fides si non cogitetur nulla est ; quia ipsum credere nihil aliud est quam cum assentione cogitare : non enim omnis qui cogitat credit , cum ideo cogitent plerique ne credant : sed cogitat omnis qui credit : et nos non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis. » (1)

Agnoscat homo quam de se sit impotens ad negotium pietatis : tumorem mentis deprimat et de seipso humiliter sentiat : *Cum alia animalia Deus munierit veloci pedum cursu , aut velocibus pennis , aut unguibus , aut dentibus , aut cornibus , hominem solum sic disposuit , ut virtus illius sit ipse , ut infirmitatis suæ conscius , semper necessarium habeat dominum suum.* (2) Homo ex semetipso languens , infirmus et impotens , ad rem sanctitatis , virtutem et vigorem mutuatur a gratia. Ex se homo insufficientis ad pietatem , sufficientiam et facultatem ad bene operandum a Deo habet , qui dat non tantum velle , sed et posse , sed et perficere. Quo pauperior est humana natura , quo impotentior sine ope gratiæ , quo ad conversionem invalidior , eo humilior esse debet. Homo propriæ tenuitatis , infirmitatis , imbecillitatis , indigentiae et insufficientiae conscius , solerter exambiat auxiliarem Deum : Dei profecto postulabit auxilium ; si serio subsequentes D. Augustini consideret propositiones. *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante , venire ; nullum invitatum , nisi Deo auxiliante , operari ; nullum nisi orantem , auxiliari.* Prima propositio denotat necessitatem gratiæ prævenientis : nam *nemo venit ad Christum nisi tractus : Magna gratiæ commendatio.* (3) Secunda propositio innuit necessitatem gratiæ adjuvantis , ut illi quos vocavit et invitavit Deus agant : *Sic adjuvatur gratia velle nostrum , ut faciat quod jubetur : tunc enim inutile est velle , cum possumus : nam quid prodest , si quod non possumus , volumus ; aut quod possumus , nolumus ?* (4) Tandem tertia propositio ostendit sedulo vacandum orationi , et postulandam a Deo benefico et clemente tantopere necessariam gratiam tum prævenientem , tum adjuvantem : *Consequens erat ut observata*

Dei liberalitate , etiam clementiam ejus præcaremur. (1)

Multi tamen sunt homines qui peccatorum ponderibus oppressi , gratiam qua sublevantur , ex negligentia non expostulant , vel oblatam a Deo ex malitia recusant. Quo magis gratiæ auxilio indigent , eo criminiosiori desidia laborant ; et quo major est misericordia Dei gratiam offerentis , eo majori eam ingratitude et indignitate rejiciunt ; quos similes eis qui Christi faciem fœdaverunt , existimat D. Augustinus : *Tunc exspuerunt in faciem ejus : significavit eos qui præsentiam gratiæ suæ respuunt.* (2) Impii dominicæ passionis irrisores divinum Christi vultum infando sacrilegio fœdissime constupraverunt. Non absimiliter sordidissimis sputis faciem Christi Dei sordidant , qui gratiam dominica passione partam , ut rejectaneam negligunt , et plane respuunt. Ex Hugone Victorino (3) gratia est velut Christi facies , et nitor divini vultus : unde qui gratiam contemnunt , expuunt in faciem ejus , fiuntque immanissimi sacrilegii participes. Christiani , a tam horrendo cavete piaculo ; pulsanti Deo aperite ostium cordis vestri ; oblatam nolite recusare gratiam , sed eam humili et supplici oratione expostulate. *Igitur benedicti quos gratia Dei expectat : Petite de Patre , petite de Domino , petite et accipietis* (4) a Deo munifico , qui gratiam liberaliter et gratis largitur.

II. PARS. Creandi deos auctoritatem temerario ausu sibi arrogarunt Romani , quos ideo insequitur Tertullianus : *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur : nisi homini Deus placuerit , deus non erit : homo jam Deo propitius esse debet.* (5) Vera divinitas nequit de humano arbitratu pensitari : cum ex semetipsa infinita et essentiali polleat perfectione : et cum sit ens necessarium et immutabile , est absolute independens a voluntate humana , neque ab humano beneplacito in sua existentia dependet : aliter ratiocinandum est de homine , cujus gratia de divino arbitratu pensitatur ; ex mero namque beneplacito et pura liberalitate , Deus gratis largitur homini gratiam , 1. Excitantem , seu prævenientem ; 2. Adjuvantem ; 3. Perseverantem seu finalem.

1. Homo ex mera Dei liberalitate *gratiam divinæ dignationis consequitur.* (6) Ad perfectam donationem jus civile (7) tres expostulat condiciones : 1. Ut res data pertineat ad

(1) D. Aug. L. 1. de Præd. Sanct. 2. — (2) D. Chrys. c. 7. Matth. — (3) D. Aug. Tract. 26. in Joan. — (4) D. Aug. L. de Grat. et Liber. Arbit. c. 12.

(1) Tert. L. de Orat. 7. — (2) L. 1. de Quæst. Evang. c. 44. — (3) L. 4. Alleg. c. 12. — (4) Tert. L. de Bapt. 20. — (5) Tert. Apol. 6. — (6) Tert. L. adv. Jud. 1. — (7) §. de Donat.

eum cui datur, alias non esset pura donatio, sed simplex pollicitatio. 2. Ut donatio sit irrevocabilis: si enim posset a donante revocari, esset non simplex et absoluta donatio, sed duntaxat conditionata. 3. Ut donatio sit gratuita, absque ulla spe retributionis. Gratia est donatio a Deo facta: nam, ut docet D. Augustinus, *inter prædestinationem et gratiam hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio, gratia vero jam ipsa donatio* (1), in qua præfatæ reperiuntur conditiones: 1. Ita nobis datur ut sit in nostra libertate eam aut recipiendi, aut rejiciendi: *Licet quis sibi tribuat quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere quod sit vocatus.* (2) 2. Irrevocabiliter datur: Deus namque cunctis gratiam sufficientem largitur, imo gratiam sanctificantem et auxilia quæ ad illam conducunt, non dat animo ea revocandi. *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (3), neque hominem deserit, nisi prius ab homine deseratur. 3. Gratis Deus largitur homini gratiam; absque ullo respectu ad meritum ejus. *Gratia non secundum merita homini datur: alioquin gratia non est jam gratia: quæ ideo gratia vocatur, quia gratis datur.* (4) Quod fateri debent qui cum Semipelagianis nolunt errare: sic nuncupatis, quia Pelagiani gratiam tum prævenientem, tum adjuvantem negabant: Semipelagiani vero gratiam adjuvantem confitentes, prævenientem respuebant, salutem velut dividentes, unam partem tribuentes libero arbitrio, alteram divino auxilio: salutis initium naturæ, consummationem gratiæ; existimantes vere hominem non posse consequi absolute salutem, nec meritorium opus facere solo libero arbitrio sine gratia perveniente, posse velle benefacere, posseque conari ut beneficeret, Deumque ex intuitu conatus voluntatis conferre gratiam adjuvantem ad consummandum illud opus, quod a voluntate sola fuerat inchoatum. Verum *si sine Dei gratia per nos incepit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito veniat adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed merito nostro dabitur.* (5) Debito autem nostro tribuere gratiam, est ejus naturam destruere, Apostoloque contradicere. *Non ideo dictum esse putandum est: non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia nisi Dei adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione præventi non bene volumus.* (6) Si-

cut enim asserere quod homo solis naturæ viribus possit mereri salutem, Pelagianum est, ita quod absque gratia præveniente, possit velle et inchoare salutem, mererique gratiam adjuvantem Semipelagianum, utrumque hæreticum: ut enim ait Concilium Arausicanum, *si quis per naturæ vigorem aliquod bonum opus ad salutem pertinens cogitare ut expedit, aut elicere affirmat, hæretico fallitur spiritu* (1); tum quia homo criminiosus est Dei inimicus, gratia absolute indignus, nihilque nisi supplicium et infernum meretur: unde *si Deus vellet pro meritis agere, nihil inveniret nisi quod damnaret.* (2)

Diversimode se habet erga peccatorem Dei misericordia et justitia. Misericordia gratis largitur gratiam, justitia non infert gratis supplicium et pœnam; misericordia sua gratia prævenit peccatorem, peccator suis sceleribus prævenit justitiam; peccator non meretur naturæ viribus gratiæ prævenientis beneficium, meretur tamen suis criminibus inferni supplicium. Hæc omnia colligit D. Augustinus expendens hæc Apostoli verba: « Justificati gratis: quia gratis, ideo gratia, non enim gratis sine gratia: quia nihil boni feceramus, ut inde talia bona mereremur, magis quam non gratis inferretur supplicium, gratis præstitum est beneficium: nihil præcesserat meritis nostris, nisi unde damnari deberemus: ille autem non propter nostram justitiam, sed suam justitiam salvos nos fecit. Hæc est, inquam, gratia Dei, non tua: nihil fecisti, et tamen tantum bonum accepisti. Dic ergo Domino Deo tuo: Deus meus misericordia ejus præveniet me (3): præveniet enim te, quia nihil boni invenit in te: prævenisti supplicium ejus superbiendo, ille prævenit supplicium tuum peccata delendo. » (4) Peccator et Deus sese mutuo præveniunt, sed alia et alia ratione. Peccator suis sceleribus prævenit Dei justitiam, cujus meretur rigores; Deus prævenit peccatorem, gratis largiendo gratiam prævenientem: quapropter *ipsius justificationis exordium in adultis per Jesum Christum, gratia præveniente sumendum est.* (5) Unde quoties Scriptura nos hortatur præparare animam, converti ad Deum, ad Deum appropinquare, aliaque hujusmodi, semper subaudiendum est, ait D. Augustinus (6) cum Dei adiutorio, sine quo non valemus neque animam præparare, neque converti ad Deum, neque ad illum appropinquare. Nam, ut docet Tridentinum,

(1) L. de Prædest. Sanct. c. 10. — (2) D. Aug. L. 85. Quæst. qu. 68. — (3) Rom. 2. — (4) D. Aug. L. de Grat. et Liber. arbit. cap. 8. — (5) D. Aug. L. 2. ad Bonifac. 8. — (6) D. Aug. L. 1. Quæst. ad Simplician. qu. 2.

(1) Can. 7. — (2) D. Aug. in Ps. 97. — (3) Psal 58. — (4) Rom. 5. Serm. 1. de Apost. — (5) Conc. Trid. Sess. 6. Can. 5. — (6) L. 2. ad Bonif. 8.

cum dicitur in sacris Scripturis : Convertimini ad me , libertatis nostræ admonemur : cum respondeamus : Convertite nos , Domine , nos præveniri Dei gratia fatemur (1) : quam nobis gratis largitur Deus , non secus ac adjuvantem.

2. Divinæ gratiæ auxilia *cælestes imbres* (2) vocitat Tertullianus. De cælestibus illis imbribus loquitur Propheta aiens : *Descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum et serotinum.* (3) Imber matutinus est gratia actualis præveniens , seu antecedens , quæ dicitur adhuc operans , excitans. Præveniens , quia prævenit voluntatem ; antecedens , quia nostrum antecedit consensum ; operans , quia operatur in nobis sine nobis ; excitans , quia velut dormientem excitat hominem : serotinus est gratia adjuvans , consequens , cooperans. Dicitur autem adjuvans , quia nostros adjuvat conatus ; consequens , quia illos consequitur ; cooperans , quia nobiscum operatur ; cum alio autem operari , cooperari est. Deus volens convertere peccatorem , eumque iustificare , duo operatur : unum sine illo , aliud vero cum illo : sine illo operatur gratiam excitantem ejus voluntatem prævenientem ; cum illo operatur per gratiam adjuvantem. Gratia excitans consistit vel in prima et repentina cogitatione intellectus circa bonum faciendum et malum fugiendum : vel in prima et subitanea motione voluntatis , qua voluntas vult facere bonum. Gratia adjuvans consistit in auxilio supernaturali , cum quo facimus bonum : de qua loquitur D. Augustinus : *Gratia Dei cooperatorem sibi facit hominis spiritum , in opere bonorum factorum.* (4) Gratia excitans est in nobis sine nobis : quia licet intellectus concurrat vitaliter ad cognitionem , et voluntas ad volitionem , « nullus enim actus vitalis in potentia vitali producitur , nisi mediante illa potentia : » non concurrat tamen moraliter et libere , quia hujusmodi motus sunt indeliberati , quos Deus excitat in nobis , id est , sine nobis libere consentientibus : gratia adjuvans est in nobis , sed non sine nobis , quia quando bonum facimus , Deus concurrat nobiscum , nosque cum Deo , motu non solum vitali , sed etiam libero , utpote procedente a potentia vitali , gratia adjuvata , agente tum vitaliter , tum libere et moraliter , quæ sicut libere potest rejicere gratiam , ita libere potest cum gratia cooperari : nam , ut fatur D. Prosper de auxiliis loquens , *quæ si a quibusdam rejiciantur , humanæ voluntatis est ; si recipiantur , divinæ*

et humanæ voluntatis est. (1) Ut quis deficiat et pervertatur sufficit liberum arbitrium ; ut convertatur gratia et liberum arbitrium requiruntur ; quia malum ex integra causa , bonum ex quocunque defectu. Gratiam adjuvantem dat Deus hominibus , non ut homines nihil agant , sed ut gratia adjuti cum gratia libere agant. *Aguntur , ut agant , non ut ipsi nihil agant.* (2) Quod innuit Regius Vates Deum suum vocans adiutorem : « Dominus mihi adiutor. » (3) Non enim juvatur qui nihil agit , sed qui adjuvanti cooperatur. Nam , ut acute ratiocinatur D. Augustinus , *Si dicis , adiutor meus , aliquid agis : nam si nihil agis , quomodo ille adjuvat ?* (4) Nisi enim voluntas libere cum Deo adjuvante ageret , frustra Deus adiutor appellaretur. *Adiutor enim noster Deus dicitur , nec adjuvari potest , nisi qui etiam aliquid sponte conatur.* (5) Homo namque gratia præveniente vocatus ad suam conversionem non debet mere passive se habere , sed cum gratia adjuvante agere et effective concurrere , non secus ac libere sese peccando a Deo avertit , ita cum gratia sponte debet ad Deum per conversionem reverti.

Illa autem gratia adjuvans qua cum homo moraliter agit , et effective ad opus salutis concurrat , gratis a Deo datur absque ullo hominis merito : gratia enim et gratuitum opponuntur merito. *Qui omnino laborant , quantum possunt ostendere gratiam Dei secundum merita dari , hoc est gratiam non esse gratiam.* (6) Ratio autem a priori cur homo nequeat mereri gratiam adjuvantem , est quia ante hanc gratiam nullum opus morale meritorium valet producere : quia nullum opus virtutis voluntas operatur nisi cum gratia adjuvante. Deinde vel mereretur de condigno vel de congruo. Non de condigno , quia meritum de condigno supponit gratiam habitualement et sanctificantem : neque de congruo , quia meritum de congruo supponit gratiam actualem adjuvantem et cooperantem : quia , ut docent Theologi , principium meriti non cadit sub merito : prima autem gratia adjuvans est principium meriti : ergo mereri nequit. Quemadmodum idem eodem instanti naturæ sub eodem respectu nequit esse causa et effectus , quia causa præcedit effectum , ita gratia quæ est meriti causa , nequit esse meriti effectus : ideoque præcedit omne meritum : non secus ac causa suum effectum. *Quando ceperit homo habere merita bona , non sibi debet tribuere illa , sed*

(1) *Scès. c. 5.* — (2) *Tert. L. adv. Valent. 15.* — (3) *Joel. 7.* — (4) *In Psal. 77.*

(1) *L. 2. de Vocat. c. 26.* — (2) *D. Aug. L. de Cotrept. et Grat. cap. 2.* — (3) *Psal. 117.* — (4) *Tract. 4. in Ep. in Jean.* — (5) *D. Aug. L. 2. de Pecc. Mer. et Remissi. 5.* — (6) *D. Aug. L. de Grat. et Liber. Arb. c. 5.*

Deo, cui dicitur in psalmo: *Adjutor meus (1) esto, ne derelinquas me. Dicendo: Ne derelinquas me, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil valet ipse per se (2), sed per Dei auxilium qui ut bene operetur dat ei gratis gratiam adjuvantem, et ut in bono persistat, largitur ei adhuc gratiam perseverantem.*

3. *In die retributionis, nemo liberabitur nisi qui passione Christi fuerit obsignatus. (3) Ut autem anima appareat in iudicio particulari obsignata Christi sanguine, et meritorum accipiat retributionem, debet perseverare in gratia usque in finem: donum autem perseverantiæ est speciale donum a Deo gratis concessum. Si quis dixerit hominem justificatum posse sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare, anathema sit! (4) Licet etenim homo per gratiam habituales effectus sit Dei amicus, et per gratiam actualem additam habituali, quodlibet possit vitare divisive peccatum, quodlibet etiam divisive bonum facere opus, non tamen potest collective absque speciali gratiæ præsidio omne vitare peccatum; omneque opus bonum operari, quod faciendum occurrit toto vitæ curriculo. Ad utrumque requiritur peculiare gratiæ auxilium quod hominem in tentationibus protegat, et in bene operando roboret. Ex trino autem capite desumitur hujus specialis auxilii necessitas, 1. Ex voluntatis humanæ inconstantia et volubilitate; 2. Ex passionum et tentationum magnitudine; 3. Ex prona qua homo fertur in malum inclinatione.*

Nihil est homine mutabilius, qui ob mutabilitatem qua agitur recte chamæleonti comparatur: *Tamen et chamæleon mutare totus, nec alius valet. (5) Humana voluntas adeo est inconstans ut neque per horam in eadem volitione persistat, et uti chamæleon vento nutritur, de vento cibus (6), ita humana voluntas omni vento circumfertur, neque in bono firmari potest, nisi divinæ gratiæ beneficio. Voluntas nostra subjungitur atque conjungitur gratiæ Dei, de suo habens mutabilitatem si deficit; de gratiæ opitulatione si proficit. (7) Deus etenim qui fecit ventis pondus (8), humanam voluntatem firmat in bono per speciale gratiæ auxilium, quo in bono valeat perseverare. Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur. (9) Quod attendens Chrysologus exclamat: *Beati fratres quos culpa non per-**

cutit, non vulnerat crimen. (1) At unde hoc habent nisi ex speciali gratiæ auxilio? Anima ab his integra, imo non aliunde quam ex summa sanctitate elata. (2) Beatiores qui non solum non percutiuntur culpa, sed iudicenter bonis vacant operibus. A quibus observando recte agitis veciante vos Spiritu Sancto. (3) Sed beatissimi qui usque in finem in bono perseverant. Ascendisse ad justificationis vertices, colles mandatorum, est gratiæ singularis, et unicæ felicitatis insigne (4): quæ voluntatis humanæ sistit mobilitatem, et tentationem vel tollit, vel ejus violentiam mitigat, aut minuit magnitudinem.

Tentatio nihil aliud est quam motivum ad malum inducens et retrahens a bono. Tentatio autem potest oriri, vel, 1. Ex diaboli suggestionem: quapropter Christus ipse a diabolo tentatus, præsidem et artificem tentationis demonstravit (5); vel, 2. Ex concupiscentia et passione quam expertus est Apostolus: *Sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.* Vel, 3. Ex periculosa occasione: ex quavis autem parte oriatur tentatio, est vel levis, vel violenta. Levis parum afficit animum, leviter suadendo intellectum, et movendo voluntatem, violenta et gravis vehementer movet, suadet et afficit animum. Licet autem leves tentationes (divisive non collective sumptas) homo vincere possit sine gratia, non tamen valet pro longo tempore gravem superare tentationem absque gratiæ auxilio. Quapropter Dominus sciens quam sit debilis humana natura, et quam potens et astuta dæmonis malitia, *adjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut de avertendis in totum delictis supplicarem, Ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos patiaris induci in tentationem, ab eo utique qui tentat. (6) Innocentius primus victoriam tentationis ex concupiscentia et passione oriundæ, gratiæ tribuit. Quotidiana præstat Deus remedia, quibus nisi freti confisiquenitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. (7) Tandem gratia de tentationibus quæ ex occasionibus oriuntur victores nos efficit. Ut enim ait D. Augustinus, *si adulter non fuisti, hoc tibi dicit Dominus Deus tuus: Servabam te mihi ut non adulterrium committeres; suasor defuit, et ut hæc deessent, feci: adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentiret, ego terrui: agnosce ergo gratiam ejus, cui**

(1) Psal. 26. — (2) D. Aug. L. de Grat. et lib. Arbit. c. 6. — (3) Tert. L. adv. Jud. 11. — (4) Conc. Trid. Sess. 6. Cant. 2. — (5) Tert. L. de Pall. 3. — (6) Tert. Ibid. — (7) D. Prosp. L. 2. Vocat. Gent. 26. — (8) Job. 28. — (9) D. Aug. L. de Correp. et Grat. c. 12.

(1) Serm. 91. — (2) Tert. L. de Pud. 13. — (3) Tert. L. de Pud. 12. — (4) Chrysol. Serm. 91. — (5) Tert. L. de Orat. 8. — (6) Tert. Ibid. — (7) Epist. 91. inter August.

debes quod non admisisti. (1) Ut autem homo gravibus non succumbat tentationibus, *divina præsidia ministrant* (2), quæ largitur Deus gratis homini egenti ad perseverantiam speciali auxilio, ob pronam qua fertur in malum, inclinationem.

De qua sic fatur Apostolus: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato; non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* (3) Hominis corrupta natura, a bono sese avertens ad malum propendit. *Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumvenit iudicium?* (4) Et quasi parum sit hominem ignorantia et errori esse obnoxium, peccato adhuc ut plurimum dedecoratur. *Estne homo qui corde non peccet; non cogitatione delinquat; non offendat dubitatione; non lapsus tribulationis incurrat? Moyses dubitat, Aaron deviat, Petrus negat* (5), et ut addit Tertullianus, *Saul bonus præ cæteris, livore postea evertitur; David, vir bonus secundum eor Domini, postea cædis et stupri reus est; Salomon omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur.* (6) « Nusquam est securitas, neque in cælo, ubi cecidit Angelus, neque in paradiso, ubi cecidit Adam; neque in schola Christi, ubi cecidit Judas. » (7) Ut quis possit stare, speciali eget Dei gratia. Qui peculiari hoc proteguntur auxilio, sustinentur ne cadant. *Cur non et prospere cedat, ut pressuris, et angustiis, et impedimentis non ita lacessatur, habens jam divinæ gratiæ patrociniū.* (8)

Agnoscat homo divinam munificentiam, qui gratis perseverantiæ largitur donum, et si in peccatum non cadit, si tentationibus resistit, si bonum operatur, gratias Deo agat, recognoscatque et suam infirmitatem, et gratiæ potestatem, cui opus salutis tribuat. *Ipsi gratiæ deputabantur, si qua honesta, sancta, edificatoria, vocatoria.* (9) Neque sit præsumptione tumidus, sed humilitate dejectus, nesciens an sit in bono perseveraturus nec ne. *Nemo sibi aliquid certi absoluta certitudine polliceatur. Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent* (10), perseverantiæ ignorantia et incertitudo, metum ingenerare debet cordibus: ad quod nos Apostolus hortatur: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini: Deus est enim qui operatur in nobis*

et velle et perficere pro bona voluntate sua.

(1) Licet enim Deus infinite bonus et pius, simulque omnipotens, pie operetur in nobis ut bene velimus, et potenter efficiat, ut perseveranter perficiamus, quia tamen illud velle et perficere Dei in nobis, est nobis ignotum, cum metu et tremore debemus operari, et humiliter perseverantiæ donum a Deo implorare. *Quisque dum nescit, an in bono perseveraturus sit, humiliter et sollicitè Dei gratiam imploret, cum eaque casum cavere et in gratia perseverare satagat* (2): quæ homini ex se insufficienti, sufficientiam tribuit ad salutem.

III. PARS. Homo ad salutem consequendam nihil ex semetipso habet nisi *insufficientiam*. (3) Insufficientiam potentiæ et facultatis; quia intellectus ejus non est sufficiens cogitare aliquid sine gratia præveniente; insufficientiam causæ et operationis, quia absque gratia adjuvante, ejus voluntas nequit effective producere opus salutis; insufficientiam naturæ et condignitatis, quia absque gratia sanctificante, ejus anima non refertur ad gloriam, neque eam de condigno valet mereri. At a gratia *sufficientiam* (4) mutuatur homo, 1. A gratia præveniente, sufficientiam facultatis; 2. A gratia adjuvante, sufficientiam causalitatis; 3. A gratia sanctificante, sufficientiam condignitatis.

1. *Quoniam Deus qui dixit ex tenebris lucem lucescere, reluxit in cordibus nostris, ad illuminationem agnitionis suæ.* (5) Dæmon, ut hominem pervertat, eum a lumine gratiæ ad peccati tenebras deducit; Deus econtra, ut convertat hominem, a tenebris peccati ad gratiæ lumen illum deducit: Diabolus peccatoris obtenebrat intellectum, Deus vero mentem ejus suis irradiationibus illustrat, juxta vaticinium Esaïæ Prophetæ: *Ille dabit illuminatos cordis oculos; qui etiam exteriores oculos luce ditavit.* (6) Homo etiam in statu naturæ corruptæ, non habet mentis oculos obtenebratos, nec circa veritates naturales sive mechanicas ut artes, sive theoricæ, ut scientias; neque etiam circa veritates morales: potest namque absque gratiæ auxilio plures cognoscere veritates naturales, ut constat ex philosophis gentilibus, quos scientiarum possessores vocitat D. Augustinus. *Insita sunt nobis omnium artium semina: magisterque ex occulto Deus producit ingenia: ex seminibus scilicet insitis, et occultis per infantiam quæ sunt et intellectus:*

(1) L. 50. Rom. Hom. 25. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 12. — (3) Rom. 7. — (4) Chrysost. Serm. 45. — (5) Chrysost. Serm. 91. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 3. — (7) D. Bern. Serm. de ligno, Feno et Stipula. — (8) Tert. L. 2. ad Ux. 7. — (9) Tert. L. de An. 47. — (10) Conc. Trid. Sess. 6. c. 13.

(1) Philip. 2. — (2) D. Aug. L. de Bon. Persever. c. 3. — (3) Tert. L. 1. ad Ux. 4. — (4) Tert. Ibid. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 17.

ex his enim producuntur ingenia. (1) Plures adhuc cognoscere potest veritates : virtutem verbi gratia in communi esse amandam, vitium fugiendum; eleemosynam quoque hic et nunc largiendam, intemperantiam fugiendam. Ut enim ait D. Chrysostomus, *sufficientem magistrum habemus conscientiam nostram, et fieri non potest ut quis illo adjumento privetur, nam simul cum formatione hominis, insita est scientia faciendorum, et non faciendorum.* (2) Ambæ hujusmodi notiones respiciunt Deum ut Creatorem et Auctorem naturæ, non ut Redemptorem et Auctorem gratiæ. (3) Idcirco Christus non est mortuus ut homines essent periti in artibus et scientiis, sed ut essent fideles, et veritates supernaturales religionis cognoscerent; quas sine gratiæ auxilio non valent cognoscere. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, posse hominem credere sicut oportet, anathema sit!* (4) Ejusmodi cogitationes quæ vera supernaturalia respiciunt non habet homo ex sua natura. Sane *divini muneris est cum recte cogitamus* (5); et, ut fatur Tertullianus, *nos per Dei gratiam, intellectum consecuti sacramentorum ejus*: et ob hanc causam Spiritus Sanctus qui has infundit illustrationes, nuncupatur a Chrysostomo: *Mentis perfectio, spiritualis mentalium nostrorum oculorum sol, interni hominis lumen, lucifer in pectoris cælo.* (6) Quod operatur sol in mundo, id ipsum operatur Spiritus Sanctus in animo. Sol tenebras quæ terram obscurant, dissipat, lumen communicat, quo res cognoscantur, calorem diffundit, quo semina et arbores fecundentur: sic Spiritus Sanctus divinis illustrationibus et piis affectionibus tollit errorem, inserit veritatem, nutrit charitatem. (7) Lux solis non solum velut fax opera nostra illustrat, sed adhuc excitat, evigilat, animat occultas virtutes seminum et radicum; neque parum concurrat ad producendos flores et fructus qui videntur in mundo. Absque impressione activitatis lucis et caloris solaris, semina et arbores forent languida et velut otiosa: gratia quoque præveniens, suis illustrationibus irradiat hominem ut credat, Christiani fidem excitat ut bona producat opera quorum est radix et semen, et gratia adjuvans ad bene operandum sufficientiam causalitatis subministrat.

2. Quædam sunt divinæ liberalitatis, quæ-

(1) Tert. L. de An. 20. — (2) Hom. 54. in Gen. — (3) D. Aug. Ep. 105. — (4) Conc. Trid. sess. 6. Cant. 3. — (5) Conc. Araus. 2. Cant. 9. — (6) Serm. 1. Pentec. — (7) D. Aug. L. de Bon. Viduit. 18.

dum nostræ operationis (1): quædam vero sunt simul et divinæ liberalitatis et nostræ operationis: gratia præveniens est divinæ liberalitatis; receptio vel rejectio hujus gratiæ, est nostræ operationis; opus vero salutis est et divinæ liberalitatis et nostræ operationis simul: quia tum a gratia adjuvante, tum a nostra voluntate producitur. A voluntate, quia cum sit opus vitale et morale, debet esse a potentia vitali et libera. A gratia etiam, quia cum sit supernaturale, debet a causa supernaturali produci: deinde absque gratiæ adjutorio, neque intellectus supernaturaliter voluntatem irradiaret, neque voluntas opus supernaturale produceret. *Hæ enim substantiæ sui cujusque sunt hominis; spiritus vero et virtus extrinsecus conferuntur ex Dei gratia.* (2) Gratia adjuvans ita necessaria est ad salutis opus, ut absque ejus auxilio, neque etiam justificatus, quidquam possit operari ad salutem pertinens. *Necessarium est homini ut gratia non solum justificetur impius, sed etiam cum fuerit jam justificatus ambulet cum eo.* (3) Quod comparatione familiari declarat D. Augustinus: « Sicut oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic et homo etiam perfecte justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, perfecte vivere non potest. » (4) Id ipsum docet Concilium Tridentinum: « Christus Jesus tanquam caput in membra, in ipsos justificados virtutem influit, quæ bona eorum opera semper antecedit, concomitatur et sequitur. » (5) Ratione scilicet gratiæ actualis quæ est antecedens, quia prævenit et excitat intellectum et voluntatem: concomitans, quia adjuvat voluntatem et cum ea producit dispositiones ad justificationem; consequens, quia in justificatis concurrat ad opus salutis: ut autem ait Tertullianus, *lumen ipsum illud verum, quod est in persona Christi, vitam in se continet* (6), non solum quia vita divina pollet quam accepit a Patre in splendenti sua generatione, verum etiam quia sua passione meruit gratiam prævenientem, quæ hominem ad bonum excitat: adjuvantem, quæ cum voluntate bonum operatur, sanctificantem quæ supernaturalem animæ largitur vitam. Unde Cyrillus Alexandrinus: *Unigenitus Dei Filius principium et substantia omnium tam visibilium quam invisibilium, in ipsis vita erat.* (7) Belle Christi favor et gratia, dicitur substantia pietatis et animæ vita: subsis-

(1) Tert. L. 1. ad Ux. 8. — (2) Tert. L. de An. 35. — (3) D. Aug. L. de Grat. et liber. arbit. cap. 6. — (4) L. de Nat. et grat. c. 22. — (5) Sess. 6. c. 16. — (6) Tert. L. de Res. 44. — (7) L. 1. in Joan. 6.

tentia est terminus et perfectio hominis, ejus fulcrum et stabilitas : ad operandum impotens est homo absque subsistentiæ fulcramento. Non absimiliter gratia dicitur subsistentia virtutis, ejus perfectio et sustentaculum, potentia seu vigor ad operandum rem sanctitatis. Gratia sanctificans est adhuc animæ vita : quod est anima corpori, hoc est animæ gratia. Anima vivificat corpus, gratia vivificat animam, eique tribuit cum gloria condignitatem et proportionem.

3. *Duos Ponticus deos, passus infelix hujus præsumptionis iunctum, de simplici capitulo dominicæ pronuntiationis, in homines, non in deos, dispnentis, exempla illa bonæ et malæ arboris, quod neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus : id est, neque mens vel fides bona, malas edat operas, neque mala bonas.* (1) Ex eadem parabola dominico ore prolata, alii *convertibilem negant naturam, quia arbor bona malos non ferat fructus, nec mala bonos.* (2) Verum licet ejusmodi propositiones possint intelligi reduplicative, et, ut dicitur in sensu composito, non tamen specificative et in sensu diviso. Nam si arbor mala nullo modo possit bonos facere fructus, inferri potest : *Ergo si ita est, neque de lapidibus filios Abraham suscitare poterit Deus; nec gemina viperarum facere pœnitentiæ fructus; et erravit Apostolus scribens : Eratis et vos aliquando tenebræ : et, fuimus et nos aliquando natura filii iræ.* (3) Ut autem animadvertit Tertullianus, *sed nunquam discordabunt sententiæ sanctæ : lapides filii Abraham fient, si in fidem Abraham formentur; et gemina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis exspuerint; non dabit arbor mala bonos fructus, si non inseratur; et bona malos dabit, si non colatur.* (4) Arbori agrestiori ac steriliori inseri solet surculus arboris melioris et feracioris, ut per eum deponat agrestem suam sterilitatem, fructusque meliores et copiosiores producat. Homo ex sua natura est velut arbor agrestis, non valens bonos et dulces edere fructus, sed malos duntaxat et amaros, ei tamen inseritur gratia, ut a celesti illo germine dulcoratus et melior effectus acorem pristinum convertat in dulcedinem, et virtutis et pietatis producat fructus. Sicut enim arbor silvestris quæ prius nihil producebat, aut nonnisi pruna agrestia, per inoculationem et insitionem piri producit pira dulcia et sapida; ita anima inculta et cupiditatibus luxurians, quæ prius nonnisi opera gulæ, luxuriæ, superbæ et

avaritiæ producebat, per insitionem gratiæ sanctificantis excolitur, innovatur, perpolitur, melioratur, succumque cœlestem imbibens, induens, producit pira suavissima sobrietatis, castitatis, humilitatis, charitatis, efficitque actiones cœlestes respondentes semini divino et germi gratiæ, surculoque cœlesti sibi insito.

Ut arbor producat fructus, tria necessaria sunt : 1. Radicis virtus et fecunditas ; 2. Solis lux et calor ; 3. Imbrium largitas. Radix necessaria est tanquam principium ; effusio luminis et coloris, veit causa excitans et movens ; pluvie vero quasi auxilium. Pariter ut homo tanquam arbor bona opera salutis producat, indiget, 1. Radicis fecunditate ; 2. Causa excitante semina virtutum in animabus occulta et languida ; 3. Auxilio siderum et imbrium, quod adjuvet radicis fecunditatem. Primum habet homo per insitionem gratiæ sanctificantis, quæ in arbore mala et silvestri additur tanquam fructus *boni atque optimi semen* (1) et germen. Secundum habet a gratiæ prævenientis illustrationibus et affectionibus. Quare D. Bernardus acute animadvertit in istud : « Dilectus meus mihi et ego illi (2) : » quod prius anima sancta dicit dilectum sibi adesse per gratiam, quam seipsam dilecto per amorem. *Rectius locuta est, non prætendens meritum, sed præmittens beneficium : et se præventam dilecti gratia confitens.* (3) Tertium vero a gratiæ actualis auxilio mutuatur. *Quis enim sine auxilio gratiæ, fructus potest asferre justitiæ ?* (4) Quod evidenter apparet in ficulnea, quam vidit Dominus (5), et arbore quam conspexit Ezechiel. Ficulnea quam vidit Dominus, erat sterilis et infecunda, ideo in eam maledictionem vibravit. Arbor vero de qua loquitur Propheta (6), per omne tempus foliis exornabatur, et cunctis mensibus uberes producebat fructus. Unde huic arbori, tanta fructuum abundantia ? *Quia aquæ ejus de sanctuario egrediebantur.* (7) Anima nostra ex semetipsa est arbusta agrestis et infecunda : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* (8) Unde ut valeat fructus virtutis producere, debet prius cœlesti irrorari rore, et aquis gratiæ sanctificantis fecundari. De quibus loquitur Salvator : « Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » (9) Dicitur non stagnum aquarum, sed fons, stagnum enim aliquando sistit in aquis, fons vero semper est manans et dans aquas. *Fiet in eo fons continue fundens,*

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 2. — (2) Tert. L. de An. 21. — (3) Tert. — (4) Tert. Ibid.

(1) Tert. L. adv. Hermog. 13. — (2) Cant. 2. — (3) Serm. 67. in Cant. — (4) D. Prosper. Ep. 84. — (5) Marc. 11. — (6) Cap. 47. — (7) D. Hieron. — (8) Psal. 142 — (9) Joan. 4.

quia semper manat, nec est otiosus. (1) Fons aquæ vivæ appellatur, quia, ait D. Ambrosius, *ex eo sitientia corda cælestis aquæ gratia irrigantur*. Tandem addit: Fons aquæ salientis in vitam æternam: quia opera in gratia et sanctitate facta sunt meritoria gloriæ, et in vitam ducunt æternam. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ*. (2) At cur Apostolus dicit thronum gratiæ, non thronum gloriæ, cum thronus gloriam denotet, et ad majestatem suam manifestandam throno uti soleant reges? Quia scilicet gratia est semen gloriæ; ideoque qui accedit ad gratiam, virtute jam ac in radice accedit ad gloriam.

.....

CONCIO SECUNDA.

QUANTUMVIS sit gratia Spiritus Sancti dedicata (3), ab Ecclesia catholica venerata, a Conciliis approbata, a Patribus propugnata, a multis tamen impugnatur. Pelagius ejus necessitatem negat, asseverans quod homo solis naturæ viribus absque ullo interioris gratiæ auxilio valet et legem servare et consequi salutem. Calvinus gratiæ necessitatem adstruens, ejusque sufficientiam et generalitatem destruens, vult Deum non solum ex prævisione massæ Adami damnatæ pro sua justitia, quibusdam destinasse gratiam, aliis denegasse, verum etiam ante prævisionem peccati originalis, pro suæ majestatis auctoritate nonnullos elegisse velut vasa honoris, alios positive reprobasse tanquam vasa contumeliæ. At *inter hos scopulos et sinus, inter hæc vada et freta idololatriæ velificata spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, segura si attonita*. (4) Nam ne in Scyllam Pelagii incidat, agnoscit gratiæ interioris necessitatem. *Interrogemus singulos. Dic, Epicuræ, quæ res faciant beatum. Respondet: Voluptas corporis. Dic, Stoice. Respondet: Virtus animi. Dic, Christiane. Respondet: Donum Dei* (5) gratuitum et supernaturale, sine quo nequit sibi æternam comparare beatitudinem: et ne fides circa Calvinum Charybædem naufragetur, gratiæ sufficientis lumen quod cunctis generaliter hominibus offertur, recognoscit. De quo sic fatur D. Augustinus. *Illud autem non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda quæ Deo credunt, et ad ejus præcepta servanda convertuntur: quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen illuminat*

omnem hominem venientem in hunc mundum. (1) Ut autem hæc veritas evidentius pateat, Deus sub trina ratione considerandus est: ut hominum creator, ut hominum reparator, et ut hominum gubernator. 1. Ut creator, vult omnium hominum salutem; 2. Ut reparator, mortuus est propter omnium hominum salutem; 3. Ut gubernator, providit cunctis hominibus media sufficientia ad salutem.

I. PARS. *Deus universitatis conditor* (2), specialiter se habet erga hominem. Tanquam creator bonitate præditus, benefactor liberalis et munificus, pater misericors et benignus: 1. Creator bonitate præditus, non ad mortem et damnationem, sed ad vitam et salutem formavit hominem; 2. Benefactor liberalis et munificus, vult cunctorum hominum salutem; 3. Pater misericors et benignus delinquentes filios recipit ad pœnitentiam et salutem.

1. *Deus hominis plasmator* (3): et ut aliorum docet Tertullianus, *perfectus in omnibus*. (4) Non esset autem perfectus in omnibus, nisi esset infinite bonus; quapropter ne de defectu perfectionis culpetur Deus, *exhibe perfectam quoque bonitatem ejus*. Ita essentialis est Deo bonitas ut Deus nequeat esse nisi sit bonus: quod ita evidens apparet rationi, ut nullatenus probatione indigeat: *Longum est ut Deum meum bonum ostendam: Deum interim sufficit dici, ut necesse sit bonum credi; malum enim Deum qui præsumpserit, constare in utroque non poterit: aut Deum negare debet, quem malum existimavit: aut bonum dicere, quem Deum pronuntiavit*. (5) Quam injuriosa divinæ bonitati Calvinii impietas, asseverantis Deum ab æterno ante omnem criminum præscientiam majorem hominum partem positive reprobasse, voluisseque innumeros homines perire sine causa, (6) absque illorum demerito; non alia ratione nisi quia sunt de nihilo producti, et ipse est supremus eorum Dominus, qui ut suam ostendet auctoritatem ad modum figuli, efficit vasa ignominiae, et vasa honoris et gloriæ: dicens: Sit pro ratione voluntas. Nam ut fatur Calvinus, *quos ergo Deus præterit, reprobatur: neque alia de causa, nisi quod ab hæreditate, quam filiis suis prædestinat, illos vult excludere* (7), quo nihii horribilius. *Decretum quidem horribile, fateor* (8), addit Calvinus, divinæ derogans perfectioni. Nam si, ut vult Moralis Philosophus, *non minus sunt turpia principi multa supplicia, quam medico multa funera,*

(1) Hug. Gard. L. de Fil. Divin. c. 9. — (2) Hebr. 4. — (3) Tert. L. de Bapt. 19. — (4) Tert. L. de Idol. 24. — (5) D. Aug. L. de Sect. Philosop.

(1) L. 1. de Gen. Cont. Manich. 3. — (2) Tert. L. adv. Jud. 2. — (3) Tert. L. adv. Jud. 2. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (5) Tert. Scorp. 5. — (6) Tert. Scorp. 1. — (7) L. 3. Inst. c. 22. §. 11. — (8) L. 3. Inst. c. 25. §. 7.

Quanto turpius Deo majorem hominum partem, absque ullo eorum demerito, æternis devovisse pœnis? Nonne licet *de parte majore pereuntium imperfectum bonitatis arguere Deum* (1), illique arrogare invidiam, malitiam, injustitiam, fallaciam, imprudentiam, sævitiam? 1. Invidiam, nam aut illos reprobovit nolens, aut volens. Si nolens, fuit coactus; si coactus, non libere reprobovit, fuitque impotens. Utrumque Deo repugnat, qui libere ad extra operatur, facitque quidquid vult *de potentia copia*. (2) Si volens, ergo fuit invidus damnando absque ulla ratione tot homines quos de nihilo produxit, et ad sui formavit imaginem. 2. Malitiam, *sicut enim bonitatis operatio est quæ facit salvos, ita malignitatis, quæ non facit salvos*. (3) 3. Injustitiam, imponendo reprobis præcepta nec largiendo gratiam ad observantiam eorum necessariam: *Itaque nec illud expectabit retractari a nobis, an observari voluerit disciplinam quam voluit instituere, et an merito ulciscatur desertam, quam voluit observatam: quando frustra instituisset, si observari eam nolisset, et frustas observari voluisset, si vindicare noluisset*. (4) Frustra autem Deus imponit legem observatu impossibilem. Nonne in die judicii possent illi potiori de causa dicere quam evangelicus servus: *Scio quia homo durus sis, metis ubi non seminasti, et congregas ibi non sparsisti*. (5) 4. Fallaciam, vocando homines qui nequeunt venire, obligando ad leges quas non possunt servare, promittendo coronam quam non valent comparare, minando mortem æternam ad quam sunt inevitabiliter damnati. Nonne merito exclamarent: *O Dominum futilem, instabilem, infidelem, rescindentem quæ instituit*, (6) et aliud agentem quam quod in sacris paginis declaravit! 5. Imprudentiam, a virtute eos avocans et ad vitium stimulans. Qui enim hoc detinentur errore, sic ratiocinantur: Aut sumus de numero electorum, aut de numero præscitorum. Si de numero electorum, quidquid mali fecerimus, salvabimur; quia decretum prædestinans præcedit omnium meritorum et demeritorum scientiam, estque absolutum et immutabile. Si vero sumus de numero præscitorum, quidquid fecerimus boni, necessario damnabimur: quapropter, quia exiguum est spatium vitæ nostræ, non prætereat nos flos temporis; indulgeamus gulæ, vacemus libidini, cunctaque nefanda patremus facinora: sic loquuntur infelices

Calvini discipuli gladiatorum instar, qui, ut refert D. Augustinus, agnoscentes se velut victimas, morti destinatos, *prius volebant explere libidinem quam effundere sanguinem*. (1) 6. Sævitiā. Crudelis Nero cum gaudio Romanorum cædem et Romæ incendium conspiciebat; Hannibal quoque intuens cadavera quadraginta millium hostium quos in prælio interfecerat, se nunquam pulchrius vidisse spectaculum testabatur. Ex Calvino etiam Deus lætatur ex conspectu tot reproborum qui absque ullo demerito ignibus cruciantur æternis. Nam, *pluribus pereuntibus quomodo perfecta defenditur bonitas ex majore parte cessatrix? Paucis aliqua, pluribus nulla: cedens perditioni, partiaria exitii*. (2) Nonne satius fuisset infaustis illis sine crimine reprobis, aut nullo modo fuisse, aut non homines, sed vel arbores, vel belluas fuisse? Nonne de quodlibet illorum dicendum esset quod de proditore dixit alias Salvator: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille?* (3) Nonne de illis verificaretur Ecclesiastici effatum: *Laudavi magis mortuos quam viventes, feliciorēque utroque judicavi, qui necdum natus est?* (4) Nonne eorum quivis hæc desperationis verba proferret: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo?* (5) Nonne possent creatori Deo exprobrare: *Quid enim proderunt tot nobis collatæ naturæ dotes, si illis reputamur revera quasi taurus ad victimam?* (6)

Absit ut Deo tot arrogemus defectus, eumque de sævitia et crudelitate arguamus: *An Deus hominum mundi sanguinem flagitat: maxime si taurorum et hircorum recusat*, (7) et si ut profunde meditatur Tertullianus; *pœnitentiam peccatoris mavult quam mortem, quomodo peccatorum desiderat mortem?* Quod vero peccatorum non desideret mortem, asseverat ipsemet Deus (Ezechiel. 18.) *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a vitiis suis et vivat?* Quod adhuc jurejurando confirmat: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat*. (8) Ne ullus valeat dubitare: *Jurans etiam, Vivo dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Deo credimus!* (9) Quam miserrimi Calvini discipuli, qui divinæ asseverationi, jurejurando confirmatæ, non credunt, sed contra expressam Dei declarationem, qua non mortem, sed hominum

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 7. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (4) Tert. Scorp. 3. — (5) Matth. 24. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 7.

(1) L. de Civ. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (3) Matth. 26. — (4) Cap. 4. — (5) Cap. 3. — (6) Tert. L. de Orat. 7. — (7) Tert. Scorp. 1. — (8) Ezech. 33. — (9) Tert. L. de Pœn. 4.

vitam se desiderare testatur, Deum majorem hominum partem, positive, ante prævisa eorum demerita reprobantem inducunt (1): quod sine crudelitate non potest cogitari, nec sine impietate affirmari. Nam, ut eloquenter ratiocinatur Chrysologus, *quamvis sufficit illa sententia quæ dicit: Deus mortem non fecit: quare eam tam trucem, tam immitem nonnulli a Deo velint esse conditam, scire non possum* (2): *Nemo sine piaculo æstimat tam pium, tam bonum Deum mortem creare potuisse, cujus universus mundus dolore continuo, gemitu, lacrymis, accusat et detestatur auctorem. Si mors etiam penes homines est criminum pœna, quo ausu concreta homini et pœna ante creditur innocenti Deo insita esse, quam vita?* (3) Si impios existimat Chrysologus eos qui Deum mortis etiam temporalis credunt auctorem, quale, quæso, Calvinistarum piaculum, qui ei æternam tribuunt præscitorum mortem?

Quanto feliciores Christiani veri et catholici, qui a tam horrendo facinore Deum prædicant immunem! *Ita non in mortem institutum hominem probat, qui nunc cupit in vitam restitutum, mallens peccatoris pœnitentiam quam mortem.* (4) Quod non ignorans princeps humani generis Adam, sibi, non Deo attribuit delictum, delictique pœnam. *Adam nunquam figulo suo dixit: Non prudenter definxisti me, confessus est seductionem, non occultavit seductricem, non blasphemavit creatorem, nec reprehendit auctorem, quem a primordio sui bonum et optimum invenerat, et ipse si forte judicem fecerat a primordio.* (5) Adamus Deum bonum et justum profitetur, bonum de sua voluntate, justum de Adami malitia et iniquitate: nam divina bonitas hominem operata est: *Bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo, bonitas inflavit animam, non mortuam, sed vivam; bonitas præfecit universis fruendis atque regnandis, etiam cognominandis; bonitas amplius delicias adjecit homini, ut quamquam totius orbis possidens, in amœnioribus moraretur, translatus in paradysum. Eadem bonitas et adjutorium prospexit, ne quid non boni; bonitas erogavit legem, consulens homini quo Deo adhæreret: cujus legis observantæ consilium, bonitas pariter adscripsit: Qua die autem ederitis, morte moriemini: benignissime enim demonstravit exitum transgressionis, ne ignorantia periculi negligentiam juvaret obsequii.* (5) Vide quam merito Adamus bonum et optimum

suum recognoscit auctorem, a quo tot naturæ dotes, tot gratiæ dona acceperat, et quem sua culpa et suo crimine expertus judicem fuerat. *Igitur usque ad delictum hominis, Deus a primordio tantum bonus, exinde judex et severus, et quod Marcionitæ volunt, sævus. Statim sudor et labor panis; sed ante ex omni ligno victus immunis, et alimenta secunda; exinde homo ad terram, sed ante de terra; exinde ad mortem, sed ante ad vitam: ita prior bonitas Dei secundum naturam; severitas posterior secundum causam: illa ingenua, hæc accidens; illa propria, hæc accommodata; illa edita, hæc adhibita: nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec causa dissimulatam evasisse severitatem.* (1) His verbis mirum in modum declarat Tertullianus, quomodo Deus ex se non instituit hominem ad mortem et damnationem, sed ad vitam et salutem. Verum sicut Deus homini vitæ statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit (2) Deus ex bonitate homini vitæ statum induxit: homo vero ex malitia, sibi mortis statum attraxit.

Quod ut melius dignoscatur admittenda sunt cum theologis in ordine prædestinationis et reprobationis quatuor instantia rationis. In primo instanti cunctos generatim homines vult Deus salvos fieri: *Deus quantum est ex se homines non ad perditionem creavit, sed ad vitam æternam.* (3) In secundo instanti Deus gratis vult cunctis hominibus largiri gratias sufficientes ad salutem: quapropter nonnulli duplicem admittunt prædestinationem: unam ad gratiam, quæ est ante prævisa hominum merita; alteram ad gloriam post prævisa merita. De prima loquitur D. Augustinus: *Prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est præparatio; gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.* (4) In tertio instanti, prævisis justorum meritis, Deus eos prædestinat ad gloriam, vult eis dare æternam beatitudinem, velut mercedem bonorum operum. De hac prædestinatione ad gloriam intelligendus est Apostolus: *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri.* (5) In quarto instanti, prævisis impii sceleribus, reprobat illos Deus et æternis juste mancipat suppliciis, et ita ipsi soli ob sua scelera sunt ratio et motivum cur divina justitia illos condemnet. Nam Dei bonitas voluit illis quantum est ex se conferre salutem. Inde concludendum est cum Sancto Prospero: *Qui dicit quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum uu-*

(1) Scot. in 3. Dist. 41. qu. 1. — (2) Serm. 72. — (3) Sap. 1. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 8. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 4.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 11. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 8. — (3) Orig. Tract. 34. in Mat. — (4) L. de Prædest. Sanct. cap. 10. — (5) Hebr. 6.

merum prædestinatorum, durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui et omnes homines vult salvos fieri (1), qui cum sit creator optimus et benefactor munificus, cunctorum hominum vult salutem.

2. Hic quoque liberalitas magis quam acerbitatis Dei præest. (2) Nisi enim Deus vellet omnium salutem, nec jam imperfecta bonitas, imo et exigua, et defecta, et exhausta. (3) Plus audet Tertullianus et concludit: Si Deus non vult omnium, sed paucorum salutem, erit jam non bonitas, sed malitia perfectior, magis non faciens salvos, dum paucos facit. Deus autem non est de imperfectione, malignitate et acerbitate culpandus, sed de perfectione, liberalitate et bonitate laudandus. Ideoque bonitatem si solum proficitur et totam nulli deesse debet. Etenim si majori hominum parti deesset, totam non profiteretur bonitatem. Non poteris et in creatorem referre bonitatem, in omnes defectiorem. His ratiocinationibus defectum et malitiam a Deo arcet Tertullianus, illumque de bonitate commendat: Bona igitur erit et voluntas ejus, qui nisi bonus non erit Deus. (4) Deus tanquam benefactor munificus cunctorum hominum vult salutem. Bona autem Dei voluntas omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. (5)

Neque intelligendus est, 1. Apostolus de voluntate signi, quia scilicet Deus omnibus hominibus proponit doctrinam, fidem et præcepta salutis: quia hæc signi voluntas non est proprie voluntas, sed æquivoce duntaxat. Eo modo quo testamentum seu scriptura testatoris, voluntas appellatur testatoris, quia est signum voluntatis ejus, sic præceptum, prohibitio; consilium, permissio, operatio, vocantur signa divinæ voluntatis: quia Deus præcipiendo, prohibendo, consulendo, permittendo, operando, significat se quidquam aut velle aut nolle impedire: hæc ergo voluntas signi qui non sufficit, quia Deus vere, sincere et propria volitione, cunctorum hominum desiderat salutem. Amator hominum Deus, vult omnes homines salvos facere, propter quod solem oriri facit super bonos et malos. (6) Idem docet Clemens Romanus quod se didicisse ab Apostolis, imo ab ipsomet Christo testatur. Nos ergo qui digni facti sumus, ut essemus testes adventus ipsius cum Jacobo fratre Domini, et aliis septuaginta duobus, et septem dia-

conis ejus, ex ore Domini nostri Jesu Christi audivimus, et perfecte scientes dicimus, quæ sit voluntas Dei bona, placens et perfecta per Jesum Christum nobis demonstrata, ut nullus intereat, sed universi homines unanimi sententia credentes ei, et unanimum laudem ferentes in eum, vivant in æternum. (1)

Neque, 2. De volitione inefficaci et simplicis complacentiæ qua Deus diligit ens creatum in esse essentiæ spectatum, vultque salvos fieri etiam dæmones aliosque reprobos actu damnatos. Homines quoque possibles qui nunquam erunt, in quorum tamen salute tanquam in re bona secundum esse essentiæ, necessario simplicem habet complacentiam; sed de vera, sincera et propria volitione, efficaci quantum est ex parte Dei qui hominibus media ad salutem necessaria subministrat. De qua loquitur D. Chrysostomus: Est voluntas vehemens cum desiderio, qua Deus mirum in modum cupit et vehementer desiderat nostram salutem. (2) Neque, 3. Intelligendus est Apostolus, sive metaphorice; ita ut Deus velit omnium salutem, quia facit ut nos eam velimus, nobis inspirando hoc desiderium quemadmodum spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (3); quia scilicet nos gemere, et postulare facit sive per distributionem accommodam, ita ut sensus sit: Deus vult omnes homines salvos fieri, scilicet qui salvi fiunt, eo modo quo dicitur: Cælum tegit omnia, nempe quæ tegit; sive per distributionem incompletam, seu pro generibus singulorum, ut sensus sit: Ex omni hominum sexu, ætate, gente ac statu, velle Deum aliquos salvos fieri: ut cum dicitur: Omne animal fuit in arca Noe, id est, omnia genera animalium, seu ex quovis genere animalium aliquod individuum hujus generis: sed per distributionem completam, seu pro singulis generum: ita ut Deus velit in universum singula naturæ humanæ salvare individua: quomodo Paulum intelligit D. Augustinus. Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene aut male utentes justissime judicentur, quod cum sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum Evangelio ejus non credunt, nec ideo tamen eam vincunt: verum tamen seipsos fraudant magno et summo bono, experturi in suppliciis potestatem, cujus in donis misericordiam contempserunt. (4) Hic autem liber de Spiritu et littera fuit recognitus ab Auctore, nec ullo modo retractatus. (5) Neque in Persona Pelagianorum locutus est

(1) In Resp. ad 2. object. Vincent. — (2) Tert. Scorp. 6. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (4) Tert. Scorp. 5. — (5) 1. Epist. ad Timoth. — (6) S. Iguat. Ep. 6. ad Philadelp.

(1) L. 2. Const. cap. 59. — (2) Hom. 1. in Ep. ad Eph. — (3) Rom. 8. — (4) L. de Spir. et Litt. c. 35. — (5) Cap. 10.

Augustinus, sed ex propria, ut constat tum ex antecedentibus et consequentibus, tum ex libro I. Retractationum ubi docet cunctos homines a gratia præventos posse, si velint, divinæ obtemperare voluntati: *Verum est hoc posse omnes homines, si velint, sed præparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere charitatis, ut possint.*

Sententia igitur Pauli sumenda est per distributionem completam pro singulis generum, ut sonant ejus verba. *Magis religiosum est veritatem de sua auctoritate simplicitatis defendi, quam sensus divinæ propositionis exspostulat.* (1) Maxime quia juxta D. Augustinum verba Scripturæ proprie sunt intelligenda, nisi ex tali intellectu aliquid sequatur inconueniens: nullum autem est inconueniens, intelligere Apostolum de distributione completa. Imo supra memoratæ restrictiones sunt præter mentem Apostoli et etiam contra rationem. Apostolus enim vult nos, non pro aliquibus, aut solis salvandis, sed pro omnibus omnino hominibus orare; et ut satur Tertullianus, *omnis salutis in promerendo Deo petitores.* (3) Cujus hanc subdit rationem: quia hoc acceptum est Deo, qui vult omnes homines salvos fieri: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore Domino Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Paulus absque ulla exceptione vult fieri orationes pro omnibus hominibus: at Deus vult omnium hominum salutem eodem modo quo vult nos pro illis orare: ergo absque ulla exceptione vult cunctorum hominum salutem.

Sic Apostolum intelligunt cuncti Patres. Tædiosum foret cunctos referre: sufficiat D. Prosperi, D. Hieronymi et D. Chrysostomi auctoritas. D. Prosper, verus Augustini discipulus, ejusque doctrinæ propugnator accerrimus, sic Apostoli explanat locum. *Sincerissime credendum est atque profitendum, Deum velle ut omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus cujus ista est sententia, sollicitè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus supplicetur: quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, Salvantis est donum.* (4) Eodem modo ratiocinatur D. Hieronymus, primus gratiæ adversus Pelagium defensor, qui voluntatem salvandi omnes plenam rationis et consilii nuncupat. *Vult Deus ea quæ*

cunque sunt plena rationis atque consilii: vult Deus salvare omnes, scilicet quia nullus absque propria voluntate salvatur, vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit et ipse in nobis suum adimplere consilium. (1) His accedit D. Chrysostomus, fidelis interpret Pauli, cujus encomium commendans sic factur: *Ipse quidem vult omnes homines salvos fieri, sed non omnium voluntas ejus voluntati obsequitur.* (2) Ideoque non salvantur, quia nolunt Deo obtemperare qui pro sua liberalitate vult omnium salutem: *Si voluerimus quod nostrum est facere, nihil prohibet nos eadem bona consequi cum Sanctis: liberalis enim Dominus vult omnes homines salvos fieri.* (3)

Et ut omnem tollat verborum ambiguitatem, D. Chrysostomus duplicem in Deo agnoscit voluntatem: *Est voluntas prima, qua vult ut non pereant qui peccaverunt; est voluntas secunda, ut qui persistunt in criminibus, contaminati pereant.* Duplicem illam voluntatem in Deo recognoscit D. Damascenus. *Neque latendum est Deum præcedenter velle omnes salvari: non enim ad puniendum nos plasmavit, sed ut efficiat nos bonitatis suæ participes, ut bonus; peccantes autem puniri vult ut justus.* Dicitur igitur prima præcedens voluntas, ex ipso existens; secunda sequens ex nostra causa existens. (4) Eandem doctrinam tuetur Doctor Angelicus (5); quam judicis exemplo declarat: *Judex justus præcedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult omnem homicidam suspendi: similiter Deus antecedenter vult omnes homines salvare; consequenter vero punire scelerosos desiderat.* Eadem est mens Doctoris Subtilis, cunctorumque in universum theologorum, qui voluntatem Dei efficacem dividunt in antecedentem et consequentem: antecedens est qua quidpiam vult Deus quantum est ex parte sua, subministrando media sufficientia, quibus homo possit illud consequi. Consequens est, qua quidpiam vult Deus absolute spectatis omnibus ad effectum requisitis. Voluntas antecedens dicitur conditionata, qua Deus vult aliquid quantum est ex parte sua, si homo vult ad id concurrere, nisi aliunde ponatur obstaculum. Consequens dicitur absoluta qua Deus, ut jam dictum est, vult aliquem effectum, spectatis absolute omnibus ad illum requisitis: Deus autem voluntate antecedente, vult omnes homines salvos fieri, quia quantum in se, vult omnium salutem, ad illam-

(1) Tert. L. de Res. 50. — (2) L. 3. de Doct. Christ. c. 10. — (3) Tert. L. de Pæn. 6. — (4) L. 2. de Res. pro Aug. ad Object. 12.

(1) In c. 2. Ephes. — (2) Hom. de Laud. Paul. — (3) D. Chrysost. Hom. 2. in c. 2. Gen. — (4) L. 2. de Fid. Orthod. c. 29. — (5) 1. p. q. 22. a. in 1. Dist. Qu. uniti

que sufficientia præparat media, quibus homo salutem possit consequi : voluntate vero consequenti, spectatis omnibus ad salutem consequendam requisitis, non vult omnes salvos fieri : vel quia non omnes volunt salvi fieri, seu cum mediis salutis operari ; vel quia ordo causarum quibus humana vita subjicitur, ponit impedimentum, ob quod non applicantur omnibus media ad salutem ordinata. Calvinistæ non bene attendentes ad Dei bonitatem, qua quantum est ex parte sua vult omnium hominum salutem, et ad hominum libertatem, qua Deo salvare volenti suam denegant cooperationem : soli Deo hominum tribuunt damnationem. *Cæterum, facile est offendentes statim in hominis ruinam, antequam conditionem ejus inspexerint, in auctorem referre quod accidit, quia nec auctoris examinata sit ratio. Denique, et bonitas Dei a primordio hominum perspecta, persuadebit nihil a Deo mali evenire potuisse et libertas hominis recogitata, se potius ream ostendit quod commisit.* (1)

Quædam sunt quæ Deus se solo vult : quædam vero quæ non vult, nisi cum libera hominis cooperatione. In rebus quæ Deus se solo vult, voluntas ejus adimpletur, vel immediate per suam omnipotentiam cui nihil potest resistere : vel œconomice et politice per quodvis instrumentum quod suprema ejus auctoritas ad id elegit : res vero quas vult duntaxat simul cum causis liberis, non nisi cum earum consensu vult. Ratio hujus differentię est, quia illas operatur Deus ut causa totalis et adæquata ; harum vero est tantummodo causa partialis et inadæquata, quas non vult nisi homo quæ est alia causa partialis et inadæquata libere velit. *Quædam sunt divinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ a Domino indulgentur, sua gratia gubernantur ; quæ ab homine captantur, stultio perpetrantur.* (2) De voluntate qua se solo vult Deus loquitur Joseph aïens : Nunquid possumus voluntati Dei resistere ? (3) De eadem fatur adhuc Esther : Domine, Deus omnipotens, cuncta sunt in dispositione tua posita, et nemo est qui tuæ possit resistere voluntati. (4) De voluntate qua Deus vult tantummodo de consensu causæ liberæ, loquitur Apostolus, ut commentatur D. Ambrosius : *Si Deus, qui omnipotens dicitur, omnes homines vult salvos fieri, cur non impletur ejus voluntas ? Sed in locutione sensus est, conditio latet : vult enim Deus omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum :*

non enim sic vult ut nolentes salventur, sed vult illos salvos fieri, si et ipsi velint. Idcirco Deus, qui voluntate antecedenti vult omnes salvos fieri, voluntate consequenti vult damnare eos qui nolunt uti mediis sibi ad salutem oblatis. Idcirco scelerosum insequitur D. Augustinus : *Quare eligis mortem et deseris vitam, et magis vis sequi diabolum ad luxuriam, quam obtemperare Christo qui te invitat ad vitam æternam ?* (1) Et aliorum postquam dixit, quod multi qui ad cœnam vocati erant, non venerunt, addit : *Qui vocatus non venit, sicut non habet meritum præmii, ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexit.* (2) Constat itaque ex mente D. Augustini, gratiæ Doctoris, D. Prosperi, D. Augustini discipuli et interpretatoris, D. Ambrosii ejusdem Augustini magistri et præceptoris, D. Hieronymi, primi gratiæ propugnatoris et Augustini in indagandis fidei veritatibus consiliarii et explanatoris, Deum velle omnium hominum salutem : *Fitque manifestum quod diversis atque innumeris modis, omnes homines vult Deus salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire : sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur ; qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur* (3) ; quos ideo voluntate consequenti vult ex sua justitia damnare, sicut voluntate antecedenti, vult ex sua liberalitate salvare.

Huc definitione omnia Deo salva sunt ; et natura bonitatis, et ratio dispositionis, et præscientiæ copia. (4) Natura bonitatis, qua Deus antecedenter vult omnes homines salvos fieri. Ratio dispositionis, qua cunctis hominibus media sufficientia ad salutem subministrat. Præscientiæ copia, qua videns hominem media salutis libere recusantem, atrocissimæque crimina usque ad finem patrantem, illum consequenter in pœnam suorum criminum, vult damnare. *Accipe igitur et causam, qui apud Deum discis, tam optimum quam et justum : de suo optimum, de nostro justum. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset, ex naturæ proprietate : at nunc etiam justum eum patitur, ex causæ necessitate.* (5) Antecedenter Deus est bonus ex naturæ proprietate, quia cum sit liberalis et munificus, vult omnium hominum salutem : etenim *nihil tam dignum Deo quam salus hominis* (6) : consequenter est justus ex causæ necessitate, bonorum præmians merita, malorum vero puniens demerita.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (2) Tert. L. 1. ad Ux. 8. — (3) Gen. 50. — (4) Esth. cap. 15.

(1) L. 50. Hom. Hom. 12. — (2) L. 80. Quæst. qu. 68. — (3) D. Prosp. L. 2. de Vocat. Gent. 28. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 7. — (5) Tert. L. de Res. 14. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 27.

rita : *Et bono enim et juvando et malo puniendo , justitiam exhibens. Utramque sententium bono præstat : hinc vindicans istud , inde remunerans illud.* (1)

Calvine , agnosce igitur bonitatem Dei nostri (2) : qui serio vult omnium hominum salutem ; et recognosce adhuc quomodo non vult omnium salutem : in illo est *societas et conspiratio bonitatis atque justitiæ.* (3) Societas bonitatis qua vult omnium salutem ; societas justitiæ qua non vult omnium salutem ; bonitas præcedit , justitia consequitur : bonitas ante ullam prævisionem meriti et demeriti , vult omnibus liberaliter aperire cælum. Justitia , post prævisionem impœnitentiæ finalis vult criminosos dejicere in infernum : erga istos se habet Deus ut iudex justus , *severitas debitum est justitiæ* (4) : erga illos se habet , tanquam benefactor munificus , qui cunctorum misericorditer vult salutem , et tanquam pater benignus qui delinquentes filios recipit ad pœnitentiam et salutem.

3. Parentes innata inclinatione feruntur ad filiorum amorem : *Appellatio ista pietatis est* (5) : qui a pietate degenerant , paterno indigni sunt nomine , suntque ipsis belluis immaniores , quæ tenerrime suos diligunt fœtus. Hanc crudelitatem Jerusalem per Jeremiam exprobrat Deus. *Lamiæ nudaverunt mammas , lactaverunt catulos suos : filia autem populi mei crudelis quasi struthio in deserto.* (6) Deus cunctorum est Pater hominum : *Quamquam frequentissime Dominus patrem nobis pronuntiavit Deum.* (7) Cœlestis ille Pater , et essentialiter *bonus natura solus Deus* (8) , omnes in universum diligit filios , neque est struthioni comparandus crudelissimæ avi , quæ *duratur super filios suos quasi non sint sui* (9) , super arenam amittens ova , neque illis incubans : Absit ut talia de Deo sentiamus , ut illi attribuamus struthionis feritatem , esset autem immisericors si post productos homines , illos absolute desereret , eorumque salutem minime curaret. Quantum ab illa crudelitate sit alienus *mitissimus Deus* , (10) ipsemet declarat sibi patris et matris arrogans dilectionem , seseque cum gallina conferens. Non quod non omnes in teneritudine superet parentes , quia *tam pater nemo , tam pius nemo* (11) : sed ut bene animadvertit D. Chrysostomus , ut ex parentum dilectione cognoscamus quanta sit divini amoris

erga homines magnitudo : « Deus suum nobis nostræ salutis amorem significaturus , gallicularum charitatem , patrum curam , matrum misericordiam , virorum profert amorem : non quia nos tantum duntaxat amet , sed quia his exemplis atque regulis non alia apud nos majora sunt amoris signa et argumenta : nam quod multo magis nos deamet : Etsi , ait , mater filiorum uteri sui obliviscatur , et vir uxorem dimissam , cum alio pollutam revertentem non recipiat , peccatores Deus recipit. » (1)

Quam impie de divino amore sentit Calvinus sacrilego suo ore aieus : *Deus impios destinavit creare ut damnaret* (2) ; Deum his verbis non ut patrem benignum , sed ut crudelem tyrannum repræsentans ! Tantam blasphemiam damnat Princeps Apostolorum Petrus , dum Deum inducit patientem et expectantem peccatorum conversionem , quia nullius vult perditionem , sed cunctorum pœnitentiam. *Patienter agit propter vos , nolens aliquem perire , sed omnes ad pœnitentiam reverti.* (3) Tria notatu dignissima asseverat Apostolus : 1. Quod Deus est patiens et longanimis , quia ex amore quo peccatores diligit eos expectat ut resipiscant et salventur. Tandem Dei amorem nuncupat Paulus , *divitias bonitatis ejus , et patientiæ , et longanimitatis* (4) : ut per divitias denotet dilectionis abundantiam , et exuberantem Dei benignitatem : non enim dicit Deum habere bonitatem , patientiam et longanimitatem , sed immensas bonitatis , patientiæ et longanimitatis possidere divitias , quibus peccatores diligit , eorum ingratitude patienter sustinet : eisque misericorditer præstat pœnitentiæ tempus. *Sicut et ipse Jonus ad Dominum : Propterea præveni profugere in Tharsos , quia cognoveram te esse misericordem , et miserescentem , patientem et plurimum misericordiæ , pœnitentem malitiarum.* (5) Cujus hanc præbet rationem Petrus. Quia , 2. Deus neminem vult perire , neque eos ante prævisa eorum demerita positive reprobat ut falso docet Calvinus. Tam horrendum piaculum merito exsecratur D. Augustinus. *Nefas est Deo adscribere causas peccatorum , et omnium ruinarum.* (6) Calvini blasphemiam proprio ore condemnat ipsemet Christus : *Non est voluntas ante Patrem nostrum , ut pereat unus ex his pusillis.* (7) Qui etenim pereunt contra cœlestis Patris voluntatem peccata committunt , quæ sunt causa perditionis ipsorum , respuentes paternam beni-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 4. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 16. — (5) Tert. L. de Orat. 2. — (6) Thron. 45. — (7) Tert. L. de Orat. 2. — (8) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (9) Job. 39. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 19. — (11) Tert. L. de Pœn. 8.

(1) Hom. in Gen. — (2) In c. 9. Rom. v. 17. — (3) 2. Petr. 3. — (4) Rom. 2. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (6) L. de Artic. sibi falso impositis. c. 10. — (7) Matth. 18.

gnitatem, ut iudicis experiantur severitatem. *Usque adeo iustitia etiam plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, et patrem, et matrem, et dominum: patrem clementia, dominum disciplina; patrem potestate blanda, dominum severa; patrem diligendum pie, dominum timendum necessarie; diligendum, quia malit misericordiam quam sacrificium, et timendum, quia nolit peccatum; diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris quam mortem, et timendum, quia nolit peccatores sui jam non pœnitentes.* (1) Quare ne cogatur non pœnitentes punire, peccatorum pœnitentiam, 3. desiderat, quod D. Augustinus, Sapientis auctoritate munitus, declarat, sic Deum alloquens: *Deliciæ meæ sint Scripturæ tuæ, non fallar in eis, non fallam ex eis: misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam: diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odians aliquid constituisti aut fecisti: quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses; aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? Parcens autem omnibus, quia tua sunt, Domine, qui amas animas.* (2) Hic solus Sapientiae locus stultam Calvinii impietatem penitus destruit. Etenim dum Calvinus asserit Deum nonnullos duntaxat amare quos prædestinavit ad gloriam, alios vero odisse quos reprobavit ad damnationem, Sapiens illum de mendacio redarguit, dicens quod Deus diligit omnia quæ sunt, et nihil odit eorum quæ fecit: nec enim odians aliquid constituit aut fecit. Dum Calvinus vult Deum paucos eligere ad ostensionem potentiae suæ, Sapiens vult Deum ob suam potentiam misereri generaliter omnium: Misereris omnium, quia omnia potes. Dum Calvinus Dei bonitatem ad bonum naturæ restringit, Deumque majori hominum parti auxilia gratiæ ad salutem necessaria denegantem inducit, Sapiens declarat neminem posse in mundo subsistere nisi illum Deus vellet salvare, neque conservari, nisi ad salutem vocaretur; quomodo quod a te vocatum non esset conservaretur? Tandem dum Calvinus docet Deum ex massa Adami damnata nonnullos velle salvare velut patrem misericordem: alios vero damnare tanquam iudicem severum, Sapiens asserit quod Deus omnium miseretur; omnibus pœnitentiæ largitur tempus, omnes diligit animas quas sibi tanquam pater benignus vindicat.

Magnam erga peccatores misericordiam commendant exempla, ut patet ex Ninivitis in veteri Testamento, et Prodigio in novo

Testamento: utrumque exemplum prodit Tertullianus: Ninivitarum quidem de Jona loquens: *Bene igitur quod præmisit optimi Dei titulum, patientissimi scilicet super malos, et abundantissimi misericordiae et miserationis super agnoscentes et deplangentes delicta sua: quales tunc Ninivitæ.* (1) Atrocissima Ninivitarum fuerunt crimina, illis tamen pœnitentiæ tempus dedit Deus, et pœnitentes et delicta sua plangentes misericorditer suscepit, scelerumque largitus est veniam: Prodigus quoque luxuria et iniquitate famosus, de sua vita pœnitens, paternum recuperavit affectum. *Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, et post inopiam pœnitentem libens suscipit: immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiserat, cariorum senserat quem lucri fecerat. Quis ille nobis intelligendus est pater? Deus scilicet. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo quam de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pœniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquant pecus, si patrem reptas vel offensum: Deliqui, dicens, pater, nec dignus ego jam vocari tuus.* (2) His exemplis mirum in modum erga pœnitentes elucet Dei miseratio, qui non aliquos duntaxat, sed omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. *Non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti.* (3) Sicut enim Deus erga non pœnitentes et in peccatis morientes suam ostendit justitiam: *Sic et adhibet misericordiam propter errantes, et patientiam propter non resipiscentes, et præstantiam propter merentes, et quidquid bonis opus est.* (4) Sua misericordia errantes quærit Deus, sua patientia non resipiscentes exspectat, sua præstantia bonos præmiat, malos condemnat: gratias tamen necessarias cunctis largitur, quas sua passione meruit Christus, qui ut naturæ corruptæ reparator, mortuus est propter omnium hominum salutem.

II. PARS. Certum est divinum Verbum non fuisse humanatum, neque Christum cruci patibulatum, ut rebelles et apostatas redimeret Angelos: *Nam etsi Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum diabolo et Angelis ejus, nunquam tamen illis restitutio repromissa est: nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus a Patre: quod*

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 15. — (2) L. Confess. — Sap. 11.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (2) Tert. L. de Pœn. 8. — (3) Tert. Ibid. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 16.

Pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit. (1) Certum est adhuc potuisse Deum ex præsuppositione peccati Adæ producere volitionem de omnibus hominibus damnandis: cum enim cuncti Adami posterii (exceptis Christo Domino et Deipara Virgine), in suo capite peccaverint: in patre peccarunt, et condemnati sunt-filii: *sed etsi benedictio patrum, semini quoque eorum destinabatur, sine ullo adhuc merito ejus; cur non et reatus patrum in filios redundaret? Sicut gratia, ita et offensa, ut per totum genus et gratia decurreret, et offensa, salvo eo quod postea decerni habebat.* (2) Quod si Deus ob massam damnatam potuit cunctis hominibus denegare salutem, et infligere damnationem, quanto a fortiori potuit ex illa massa nonnullos pro sua misericordia eligere ad vitam, alios vero pro sua justitia mancipare morti et damnationi pro illis fungi officio reparatoris et redemptoris, pro istis vero nullam offerre redemptionem? An id de facto factum sit procedit quæstio: An Deus ex massa Adami damnata ante omnem meriti et demeriti prævisionem alios positive prædestinaverit, alios reprobaverit? An omnium hominum Christus sit redemptor, vel quorundam duntaxat. Calvinus et ejus asseclæ volunt Christum pro solis electis mortuum fuisse, non pro cæteris hominibus etiam fidelibus, et ut ipsi fantur, *Christum non magis Patrem pro salute eorum qui prædestinati non sunt, etiam fidelium, orasse, quam pro diaboli liberatione.* (3) Hanc opinionem ut impiam et hæreticam damnavit Ecclesia quæ firmissime tenet Christum mortuum esse pro omnibus, non solum, 1. Quantum ad sufficientiam pretii, quia solvit pretium plusquam sufficiens ad singulorum hominum salutem; neque, 2. In quantum humanam reparavit naturam quæ singulis hominibus competit; neque, 3. Quoad causam communem, quia mortuus est pro peccato originali, in quo singuli homines peccaverunt; neque, 4. Pro omnibus fidelibus, sive electis, sive reprobis, quia fides quam habent est effectus passionis Christi; neque, 5. Pro omnibus generibus singulorum, id est, pro aliquibus, ex quavis gente, natione et conditione oriundis: sed vere et generatim pro omnibus et singulis hominibus mortuus est Christus, sive fidelibus, sive infidelibus, sive electis, sive præscitis, quibus gratiam, passionis suæ fructum largiri quantum ex se decrevit: *Omnibus ubique tribuitur æqualiter, non regis apud illum major gratia; non*

barbari alicujus inferior lætitia, non dignitatum aut natalium cujusquam discreta merita, omnibus æqualis, omnibus rex, omnibus judex, omnibus Deus et Dominus (1), omnibus Redemptor, pro quibus fudit sanguinem, mortemque subiit, ut constat ex, 1. Divino Scripturæ sacræ oraculo; 2. Venerando Ecclesiæ et Patrum testimonio; 3. Suscepto a Christo redemptoris officio.

1. Quod Christus omni homini liberando collatus sit a Deo optimo (2), validius probari non potest quam divinæ determinationis inobscurabili regula. (3) Deus etenim quo plenius et impressius, tam ipsum, quam dispositiones ejus et voluntates adiremus, ius instrumentum adjecit litteraturæ, si quis velit de Deo inquirere, et inquisito invenire, et invento credere. (4) Cœlesti illa face illustratus, nullum cadendi in errorem incurret periculum; quapropter in præsentia materia jam offerimus majestatem Scripturarum (5) quas belle Tertullianus cœlestes et divinas nuncupat: quia Deum scilicet agnoscunt auctorem. *Legimus omnem Scripturam ædificationi habilem divinitus inspirari* (6), quæ in vetus et novum Testamentum dividitur. Vetus prophetarum vaticinia, novum Christi Apostolorumque ejus oracula continet. *Nec enim affectamus omnes Scripturas evolvere, in singulis capitulis plenam majestatem et auctoritatem contestantes.* (7) Et quia, ut fatur ipsemet Christus, *in tribus testibus stabit omne verbum* (8), tres duntaxat Apostolos quos Dominus peculiaribus dotavit prærogativis, in testes advocabimus, scilicet Petrum, Joannem et Paulum.

Petrus contubernium Christi sui agnoscens individuitate ejus (9), voluntatem salvandi omnes in Deo recognoscit, asseverans nolle neminem perire, ut supra relatam est. Si enim neminem vult perire, vult omnes salvare, quia inter nolle salvare et velle salvare non datur medium, sicut nec inter nolle perire et velle perire. Itaque si neminem vult perire, omnes vult salvare, et hoc per passionem Christi, qui est hominum Salvator. Quod Propheta fuerat vaticinatus: *Omnis caro videbit salutare Dei.* (10) Per carnem hominem ex carne compositum intelligit. *Nisi aut aliud est homo quam caro.* (11) Per salutare Dei intelligit Dei filium qui incorporatus est ut salutem hominis operaretur. (12)

(1) Tert. L. de Carn. Christ. 14. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 15. — (3) Jansen. L. 30. c. 20.

(1) Tert. L. adv. Jud. 7. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 2. — (3) Tert. L. de An. 5. — (4) Tert. Apol. 18. — (5) Tert. Apol. 20. — (6) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 3. — (7) Tert. L. adv. Prax. 11. — (8) Tert. L. de Bapt. 6. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 22. — (10) Tert. L. de Res. 59. — (11) Tert. L. de Carn. Christ. 5. — (12) Tert. L. de Carn. Christ. 14.

De quo fatur Regius Vates: *Deus noster Deus salvas faciendi* (1); seu, ut habet hebraea lectio: *Deus noster Deus ad salutes*. Dicitur noster, quia per incarnationem factus est noster: illud autem salutare Dei videbit omnis caro, quia pro omnium hominum salute humanatus est. Unde, ut belle ait D. Bernardus, *possunt omnes dicere: Creator meus es tu; possunt omnes homines dicere: Redemptor meus es tu.* (2) Deinde si Christus non esset eunctorum hominum Salvator; maxime quia pro reprobis non est mortuus: at ex D. Petro etiam reprobos sua passione sufficienter redemit: *Eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem* (3), et consequenter ex depositione Petri, Christus omnium est Redemptor. Quis autem audeat in dubium revocare auctoritatem principis Apostolorum, aut de errore et mendacio culpae Petrum *aedificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum, et solvendi et alligandi in cælis potestatem?* (4)

Post Petri testimonium, prodamus in medium Joannem dilectissimum Domino, peccatori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem præmonstravit; quem loco suo, filium Mariæ demandavit. (5) Dilectus ille discipulus tot privilegiis a Domino commendatus, cujus auctoritas tanto magis est acceptanda quod ad testandam Christi divinitatem et humanitatem suam conscripsit Evangelium. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus, quia verum est testimonium ejus.* (6) Hic autem Joannes cujus verum est testimonium, Christum pro totius mundi peccatis propitiationem factum asseverat. *Ipsæ est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* (7) Dicitur propitiatio seu propitiator, quia sese in cruce victimam pro peccatis offerens, pro eis satisfacit Deo Patri, eumque reconciliavit hominibus. « Quamvis enim in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi: acceperunt justi, non dederunt coronas: et de fidelium fortitudine, exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ: singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit: cum inter filios hominum, solus Dominus noster Jesus Christus exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati. » (8)

(1) Psal. 67. — (2) Serm. 1. in psal. Qui habitat. — (5) 2. Pet. 2. — (4) Tert. L. de Præsc. Hærel. 22. — (5) Tert. Ibid. — (6) Joan. 19. — (7) 1. Ep. 2. — (8) D. Leo. Ser. 12. de Pass.

Quia est propitiator, non pro Judæorum duntaxat, sed omnium gentium peccatis; non pro fidelibus tantum, sed etiam pro infidelibus passus est Christus, eisque meruit gratiam et gloriam, si in eum credere, ejusque merita complecti velint. Nam, ut addit Sanctus Leo, *effusio pro injustis sanguinis justitiam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.*

Nihil est autem a Joanne testatum de redemptione pro singulis hominibus, quod non sit a Paulo affirmatum. *Totius itaque sacramenti interest, nihil credere a Joanne concessum, quod a Paulo sit denegatum. Hanc æqualitatem Spiritus Sancti qui observaverit, ab ipso deducetur in sensus ejus.* (1) Spiritus Sanctus ex æquo Joannem et Paulum docuit, eisque inspiravit veritates fidei, quas suis scriptis postea consignarunt: quapropter post Joannem, adducimus in testimonium Paulum *Apostolum Christi, Doctorem nationum in fide et veritate, vas electionis, Ecclesiarum conditorem, censorem disciplinarum.* (2) Videamus quid de hominum redemptione docuerit et scripserit: *Sed et Paulus, utpote ejusdem Evangelii, et discipulus, et magister, et testis, quia ejusdem ipsius Christi Apostolus confirmat Christum* (3) pro cunctis universaliter hominibus mortuum: *qui est Salvator omnium, maxime fidelium.* (4) Quantum ex parte sua Salvator est omnium hominum, qui media quibus possint consequi salutem, sua passione meruit: tamen maxime fidelium est Salvator, quia his fidem, spem, gratiam, maxima et proxima salutis adjumenta actu contulit, hosque præ aliis curat et diligit. At licet Deus magis diligat fideles justos amicos suos quam infideles impios, et inimicos, omnium tamen Salvator et Redemptor est Christus. Quod eadem epistola apertis terminis declarat Paulus: *Unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* (5) In Christo solus Deus non est Mediator, nec solus homo; sed homo Deus, qui exercuit opera Mediatoris seu redemptionis nostræ in humanitate assumpta, ideoque principium quod talium operum est Deus: seu hic homo qui Deus est. Principium vero quo est humanitas, in qua et per quam perfecta sunt omnia opera, omnesque actiones et passiones mediatoris Christi, qui dedit semetipsum redemptionem,

(1) Tert. L. de Pud. 19. — (2) Tert. L. de Pud. 14. — (5) Tert. L. de Carn. Christ. 22. — (4) 1. Timoth. 4. — (5) 1. Timoth. 2.

non tantum pro electis, neque solummodo pro fidelibus sive prædestinatis, sive reprobis, sed generaliter pro universis et singulis hominibus: quia scilicet *omnes peccaverunt et egent gloria Dei.* (1) D. Cyrillus Alexandrinus per gloriam intelligit Christum seu Dei Filium, qui est splendor gloriæ (2): D. vero Augustinus gratiam Christi passione comparatam qua cuncti indigent homines, ut a peccatis valeant mundari, justificari, gloriamque quæ est gratia consummata adipisci: quo sensu aliorum ait Apostolus: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus* (3), omnibus absque ulla exceptione; in quorum persona prosequitur Paulus: *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Christus semetipsum tradidit, quia ultro se morti tradidit, quam obtulit Patri, in pretium nostræ redemptionis uti nos redimeret a potestate diaboli, *pretio sanguinis Christi liberati a potestate dæmonis dicimur redempti.* (4) 2. Ut nos mundaret a macula peccati: *Bonum aurum est sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum.* (5) 3. Ut nobis gratiam ad salutem necessariam mereretur. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ in Christo Jesu.* (6) Atqui omnes in universum homines erant dæmonis tyrannidi subditi, omnes peccati maculis sordidati, omnes gratia sibi ad salutem necessaria denudati: ergo ex mente Pauli Christus est omnium hominum redemptor: *Bene autem quod Apostolis, et fidei regulis convenit.* (7) Hujusmodi veritas Apostolorum auctoritate firmata, probatur adhuc venerando Ecclesiæ et Patrum testimonio.

2. *Constat proinde omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei.* (8) Referamus modo quid censuerint Ecclesiæ de Christo redemptore. *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt; ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in*

insulam relegatur: videamus quid iudicet, quid docuerit. (1) Celestinus, Summus Pontifex, paulo post obitum D. Augustini, nonnullos hæreticos Prædestinianos nuncupatos anathemate damnavit, eo quod ex quibusdam locis tanti Doctoris male intellectis docuerint Deum velle duntaxat quorundam non cunctorum hominum salutem, Christumque pro solis illis prædestinatis, et non pro aliis passum et mortuum fuisse. Lucidus quoque presbyter ejusdem erroris fautor postea damnatus fuit a tertio Concilio Arelatensi anno 524, celebrato sub pontificatu Joannis primi; Goteschalcus monachus tumultum diu huic errorem ad lucem revocavit anno salutis nongentesimo. Verum a duobus Conciliis provincialibus condemnatus fuit, Moguntino scilicet et Remensi sub Rabano et Hincmaro, harum civitatum Archiepiscopis, Nicolao Summo Pontifice. Lutherus et Calvinus eundem errorem mordicus propugnantes a Concilio Tridentino sunt anathemate damnati, et anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, Innocentius decimus quinque Jansenii damnavit propositiones, præsertim istam: *Semipelagianum est dicere Christum, pro omnibus omnino hominibus mortuum fuisse, aut sanguinem fuisse.* Hanc censuram Alexander septimus deinceps diplomate novaque censura confirmavit: aut sententia toties damnata, est falsa existimanda, aut Ecclesia de errore culpanda: *Ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est; exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum: cæterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* (2)

Quam juste præfatum errorem, tot Concilia et Pontifices damnaverint, quam vera sit doctrina Ecclesiæ, credentis Christum pro omnibus hominibus generaliter mortuum, constat ex communi Patrum consensu quorum testimonium in fidei materiis maximi momenti est: apud Tertullianum: *Mihi autem cum Archetypis erit limes principalium magistrorum; non cum adfectatis ducibus passivorum discipulorum. Nec undique dicemur ipsi nobis fluxisse materias, quas tot jam viri sanctitate et præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus et prodiderunt et retulerunt: ut Justinus Philosophus et Martyr, ut Miltiades Ecclesiarum sophista, ut Irenæus om-*

(1) Rom. 3. — (2) L. 1. de Vocat. Merit. 27. — (3) Ep. ad Tit. 2. — (4) Orig. Hom. 6. in Exod. — (5) D. Amb. Præfat. in Psal. 35. — (6) Rom. 3. — (7) Tert. L. de Pud. 19. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 21.

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 36. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 28.

nium doctrinarum curiosissimus explorator, ut Proculus noster, virginis senectæ, et christianæ eloquentiæ dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi. (1) Archetypus magistros nuncupat vetustiores et principes, quos sibi velut doctrinæ limites proponit, passivos discipulos, vulgares vocitat: Miltiadem Ecclesiarum appellat sophistam, non probroso nomine, sed quod in disputando acutissimo polleret ingenio: virginem vero senectam, quia virginalem pudicitiam Deo consecratam usque ad ultimam senectutem inviolabiliter servavit, horum mentem in rebus fidei sequendam existimat. Videamus quid de præsententi sentiant quæstione; audiatur hac supra re Tertulianus: *Creator et secundum naturæ ordinem, primum in proximos docuit benignitatem, emissurus eam postea et in extraneos; et secundum rationem dispositionis suæ, primo in Judæos, postea et in omne hominum genus. Ideoque quoad intra Israël erat sacramentum, merito in solos fratres misericordiam mandabat. At ubi Christo dedit gentes hæreditatem, et possessionem terminos terræ, et cepit expungi quod dictum est per Osee: Non populus meus, populus meus; et non misericordiam consecuta, misericordiam consecuta; natio scilicet; exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excipiens in miseratione, sicut in vocatione.* (2) Qui neminem excludit, cunctos complectitur homines. Christus neminem excludit, neque in miseratione, qua crucis subiit supplicium, neque in vocatione qua ad salutem vocat: ergo pro omnibus misericorditer effudit sanguinem et cunctis benigne offert gratiam. Alias si singulos non redemisset homines, imperfectus quodammodo fuisset Salvator. *Salvator est, non horum quidem, illorum vero non, sed omnium: quomodo autem est Salvator et Dominus, si non est omnium Dominus et Salvator?* (3) Sicut ad perfectionem Creatoris spectat se solo absque Angelorum ministerio, ut *Menandro et Marco placet* (4) cunctos creasse homines, ne cum illis hominum productionem partiri quodammodo videretur, ita ad perfectionem Salvatoris pertinet, absque Angelorum consortio homines redemisse: alias *non unus salutificator, si duo salutis artifices.* (5) In creatione Deus suam ostentavit bonitatem; cunctos homines de nihilo naturæ producens, in redemptione sua Christus demonstrat misericordiam de nihilo pec-

cati cunctos redimens homines. « *Mysticus ille Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit. Ideo autem passus est ut tolleretur peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat. Non ideo sol est ortus omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prærogativam servat: quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit.* » (1) Eodem modo ratiocinandum est de sole justitiæ, qui omnibus ortus est quantum ex parte sua. « *In hoc patet quantum Deus homines diligit, et eos velit omnes salvos fieri, si perversitas eorum non obstiterit. Quia Mediator quem Deus inter se et homines posuit, mortem sustinuit pro omnibus, ut omnes sua morte redimeret: et ideo qui non salvantur, non est quod de Deo vel de Mediatore possint conqueri, sed de seipsis, qui nec redemptionem, nec salutem, quam Deus obtulit, noluerunt accipere.* » (2) Neque dicant Calvinistæ Christum duntaxat pro fidelibus mortuum fuisse, quia, ut docet D. Chrysostomus, *non solum pro fidelibus, sed pro universo mundo gustavit mortem.* (3) Si Christus pro omnibus hominibus non sustinuit mortem, *mentitur Joannes Baptista, et digito Christum et voce demonstrans: Ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in seculo quorum Christus peccata non tulerit.* (4) Omnium autem quantum est ex se, peccata delevit. *Propter debitum omnibus commune ipse pro omnibus patiens.* (5) Adami ruinam reparavit: perfecteque redemptoris officium consummavit: juxta istud Apostoli: *Decebat eum propter quem omnia, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* (6) Consummavit autem Salvatoris munus, cunctos homines per suam passionem redimens, quos Adamus per suum peccatum perdidit. *Propterea ipse multos in hæreditatem habebit; pro eo quod tradita est in mortem anima ejus: ostensa enim causa gratiæ ejus, pro injuria scilicet mortis repensandæ.* (7) Christum mortuum fuisse ut Redemptoris obiret munus nemo dubitat: neque etiam ipsi qui volunt Dei Filium humanatum, etiamsi Adamus non peccasset. Tunc enim incorporatus fuisset ut glorificator, sed non ut redemptor; decretum namque humanæ redemptionis supponit prævisionem peccati originalis, et Christus peregit redemptoris officium, ut

(1) Tert. L. adv. Valent. 5. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 16. — (3) Clem. Alex. 7. Strop. — (4) Tert. L. de Res. 5. — (5) Tert. L. de Carn. Christ. 14.

(1) D. Amb. in Psal. 118. — (1) D. Ansel. in 1. Ep. ad Tim. 4. — (5) Hom. 4. in Ep. ad Hebr. — (4) Ep. 83. — (5) D. Athan. L. de Incarn. Verb. — (6) Hebr. — (7) Tert. L. adv. Jud. 11.

corruptam per culpam humanam repararet naturam. *Quasi aliis fuerit necessarius quam egentibus salute.* (1) Certum est Dei gloriam esse finem principalem, tum humanationis Verbi, tum passionis Christi. Ultra hunc præcipuum, quadruplicem adhuc finem subordinatum refert Scriptura: 1. Ut dissolveret opera diaboli, et ut *solus hominem liberaret a solo et singulari serpente dejectum.* (2) 2. Ut a mundo mendacii et erroris fugaret tenebras, eumque luce veritatis irradiaret, juxta prophetiæ vaticinium: *Populi qui sedetis in tenebris, videte lumen magnum: sedentes in umbra mortis, lumen ortum est super vos.* (3) 3. Ut hominem a peccato liberaret salvumque faceret quod perierat: quare postquam Tertullianus Christi nativitatem, vitam et mortem dinumeravit, sic concludit: *Horum bonorum unus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa.* (4) 4. Ut sua morte hominibus conferret vitam: *Lignum attulit fructum suum. Non illud lignum in paradiso, quod mortem dedit protoplastis, sed lignum passionis Christi, unde vita pendens a vobis credita non est.* (5) Pungit Judæos non credentes in Christum, qui sua morte hominibus obtinuit vitam. Ex his quatuor finibus, propter quos Redemptoris officium peregit Christus, generatim pro omnibus passus et mortuus creditur. Nam venit dissolvere opera diaboli, illuminare sedentes in tenebris, salvare quod perierat, et mortuis conferre vitam. Atqui omnes homines, exceptis Christo et Deipara, erant dæmonis mancipia, mendacii et erroris caligine contenebrati, per originale perierant, et mortem animæ incurrerant. Ergo omnes generaliter et sufficienter per Christum redempti sunt. *Omnes citra omnem exceptionem instaurati sumus per cœlestem Adam, qui primi Adæ participes fuimus, et a serpente decepti et mortui peccato.* (6)

Apostolus Christum Adamo opponit, quia *per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: ut separaret quidem auctorem mortis Adam, Christum resurrectionis.* (7) Trinæ morti nos addixit peccando *Adam princeps generis et delicti.* (8) Morti scilicet corporis, morti animæ et morti æternæ. Morti corporis quæ consistit in separatione animæ et corporis; morti animæ, quæ consistit in amissione gratiæ; morti æternæ, quæ consistit in damnatione et separatione a Deo, debita peccato et peccatoribus.

(1) Tert. l. adv. Valent. 26. — (2) Tert. l. de Carn. Christ. 14. — (3) Tert. l. 4. adv. Marc. 7. — (4) Tert. l. de Pæn. 2. — (5) Tert. l. adv. Jud. 13. — (6) Greg. Naz. Orat. 23. — (7) Tert. l. de Res. 48. — (8) Tert. l. de Exh. Cast. 2.

Christus vero sua morte triplicem vitam trinæ illi morti oppositam meruit. *Duos homines beatus Apostolus hodie retulit humano generi dedisse principium: Adam videlicet et Christum: duos homines pares corpore, sed merito dispares.* (1) Adam namque est purus homo, Christus homo Deus; Adam inobsequens et scelerosus, Christus obediens et sanctus; Adam auctor mortis et damnationis hominum, Christus auctor vitæ et salutis hominum; Adam cunctos homines morti mancipavit. *Homo damnatur in mortem, ob unius arbusculæ delibationem; et pereunt jam omnes qui paradisi nullum cespitem norunt.* (2) Christus cunctis hominibus meruit vitam et salutem. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* (3) Nam ut ratiocinatur Apostolus de Christo loquens, *quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* (4) Inepta videtur ratiocinatio et ad propositum impertinens in qua consequentia ponitur loco antecedentis. Nonne aptior foret conclusio: omnes mortui sunt in Adamo in quo originale contraxerunt peccatum: ergo Christus pro omnibus mortuus est? Verum optime ratiocinatur Apostolus: supponit enim tanquam fide certum Christum pro omnibus mortuum. Inde recte colligit omnes homines fuisse in Adamo mortuos cum Christus pro omnibus mortuus sit: quod deinceps velut consequentiam deducit: *Omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Quod fuse demonstrat Apostolus ex multiplici antithesi qua Christum Adamo opponit; illius gratiam hujus peccato, illius redemptionem hujus damnationi. *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* (5) Multi, id est, omnes. Dicit tamen potius multos quam omnes, ut multitudinem posterorum Adæ significet, quia omnes possunt esse pauci. Quasi dicat Paulus: Sicut Adam omnibus nocuit, ita Christus omnibus profuit: ille omnibus reatum mortis transtulit, iste omnibus gratiam quæ confert animæ vitam meruit; ille sua indignitate peccatique gravitate, ex justitia iram Dei æternamque damnationem incurrit; iste suis meritis et satisfactionibus longe Adami demerita excellentibus ex rigida justitia Deo pro cunctis hominibus satisfecit. « Ecce unum et unum Adam et Christus: per illum peccatum regnavit in mortem; per istum gratia regnavit

(1) Chrysol. Serm. 97. — (2) Tert. l. 1. adv. Marc. 22. — (3) Tert. l. de Res. 48. — (4) 2. Cor. 5. — (5) Rom. 5.

in vitam. Denique duo hæc principia vitæ et mortis ; absolutionis et pœnæ , desideratæ libertatis et damnationis extremæ , is qui sequitur sermo Apostoli aperit , et declarat. » (1) *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem , sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Nullus a morte et damnatione in Adamo contracta excluditur ; nullus a redemptione etiam per Christum facta excluditur. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum , multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Christi justitia non est minus potens ad largiendam vitam quam Adami malitia ad communicandam mortem : Per unum et unum aut mors regnat , aut vita conceditur. Quid hic ergo addere potest sermo interpretis , quibus adjunges silentium ? omnis æmulum succumbit intentio. « Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem , sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ : sicut fonti fluvius , sic fructus semini : ita origini deservit , aut addita aut erepta posteritas. » (2) Vide hic duo regna : unum mortis , in quo regnavit Adam , adeoque peccatum ; alterum vitæ , in quo regnavit Christus , Christique gratia. Regnum Adami ad omnes homines sese extendit , regnum Christi ad cunctos etiam homines ampliatur : regnum vitæ mortis destruxit imperium : nam , ut concludit Apostolus , *ubi abundavit delictum , superabundavit gratia : ut sicut regnavit peccatum in mortem , ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam , per Jesum Christum Dominum nostrum.* Qui ex rigore justitiæ satisfecit Deo pro Adami delicto ; abundanter omnes redemit homines , nullum a fructu passionis excludere desiderans. *Recta fides non mortem , non interitum hominis , auctori Deo deputat , sed salutem. Mors sit hominis , sit peccati , ut vita creata , et reddita solum credatur esse per Christum.* (3) Qui pro cunctis hominibus mortuus est , et sua morte singulis vitam meruit : quos *ille fons generis Adam* (4) mancipaverat morti : *Nemo ab hujus alacritatis participatione severitur : una cunctis lætitiæ communis est ratio : quia Dominus noster peccati mortisque destructor , sicut nullum a peccato liberum reperit , ita liberandis omnibus venit.* (5) Quibus ut gubernator providus , media ad salutem sufficientia subministrat.

(1) Chrysol. Serm. 92. — (2) Chrysol. Ibid. — (3) Chrysol. Ibid. — (4) Tert. L. de An. 43. — (5) D. Leo. Serm. 1. Nat.

III. PARS. *Qui credimus Deum etiam in terris egisse , et humani habitus humilitatem suscepisse ex causa humanæ salutis , longe sumus a sententia eorum qui nolunt Deum curare quidquam.* (1) Duplex est Dei providentia : una naturalis , alia supernaturalis. Illa est ordinatio ad finem naturalem , diciturque universalis ; quia cunctas complectitur creaturas , quas Deus juxta naturam ipsarum suaviter disponit ordinatque ad finem sibi propositum : hæc est ordinatio ad finem supernaturalem , nempe æternam beatitudinem ; dicitur singularis , quia creaturas duntaxat intellectuales et rationales respicit , quæ solæ sunt capaces beatitudinis. Hæc autem ordinatio est vel absoluta et simpliciter efficax ; vel conditionata et efficax secundum quid ; scilicet ex parte Dei , nisi aliquid obsit aut desit ex parte causæ secundæ , quam Deus sinit agere motus suos. Providentiam naturalem aliorum probavimus adversus Epicureos (2) qui Deum stupentem , otiosum , nihilque curantem existimant : de providentia supernaturali procedit quæstio. Certum est autem ordinatione absoluta et simpliciter efficaci non omnes homines esse ordinatos ad beatitudinem ; alias cuncti essent beati : illi enim de facto salvantur quibus Deus voluntate consequenti vult salutem , et Christi redemptio complete perfectissime et efficaciter applicatur. Diximus autem in superioribus Deum voluntate consequenti nolle salutem cunctorum hominum , sed eorum duntaxat qui salvantur. Constat etiam ex Tridentino de Christo redemptore loquente , *quod etsi ille pro omnibus mortuus sit , non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt ; sed hi duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur.* (3) De ordinatione igitur conditionata quæritur : an scilicet Deus cunctos in universum homines ordinaverit ad salutem , paratusque sit quantum est ex parte sua dare omnibus medium sufficiens ad eam consequendam. Hoc Calvinistæ negant , voluntque Deum ex prævisione peccati originalis denegare hujusmodi auxilium in fidelibus infantibus , ante susceptum remedium morientibus , reprobis etiam fidelibus , quos omnes ex prævisione massæ Adami corruptæ positive reprobos clamitant. Verum Ecclesia catholica calvinisticum condemnat errorem , certoque credit Deum non denegare auxilium sufficiens ad salutem , 1. In fidelibus et Ethnicis ; 2. Infantibus et parvulis ; 3. Peccatoribus et reprobis.

1. *Deus omnipotens providentissima gratia*

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 16. — (2) Prædic. tom. 2. Tract. de Deo, Conc. 4. — (3) Sess. 6, c. 3.

sua effundens de spiritu suo in omnem carnem (1), nulli hominum auxilium ad salutem sufficiens denegat. Aliud est enim Deum non dare aliquid, aliud vero denegare: non dare importat duntaxat non positionem effectus, unde quaque illa proveniat; denegare denotat non positionem effectus ex parte Dei: ita ut licet aliæ causæ ad præstandum homini auxilium satis sint dispositæ, Deus nolit vel tale auxilium conferre, vel impediatur convenientem causarum dispositionem. Calvinistæ docent Deum denegare ejusmodi auxilium, aliasque impedire causas extrinsecas, quæ ad illorum salutem possent concurrere: quemadmodum Paulus et Barnabas (2) impediti sunt a Spiritu Sancto ne in Asia annuntiarent Evangelium. Catholici vero agnoscunt duo auxiliorum genera. Quædam sunt remote sufficientia, ut merita Christi qui omnibus meruit sufficienter gratiam et gloriam: prædicatio Evangelii per universum orbem et in lege Moysis prædicatio viæ salutis per Patriarchas et Prophetas facta: denique sacramentorum ministri, similesque causæ remotæ ad salutem necessariæ: alia proxime sufficientia, sub quibus intelligitur, non solum quidquid interius per modum actus vel habitus ad acquirendam salutem necessarium esse potest; ut gratia præveniens, operans, sanctificans, fides, spes, charitas, sed etiam causæ et occasiones extrinsecæ, ad salutem consequendam necessariæ; ut auditio verbi Dei, sacramentorum susceptio, passionis applicatio. Hac distinctione supposita, tria asseverant: 1. Deum non dare omnibus infidelibus auxilium proxime sufficiens ad salutem: sunt enim nunc fueruntque retroactis seculis multi infideles quibus non est prædicata fides. (3) Quomodo autem possunt audire sine prædicante, aut credere nisi audiant? (4) 2. Deum nemini denegare auxilium illud proxime ad salutem sufficiens: quia Deus voluntate antecedenti neminem vult perire, imo cunctos salvari desiderat. Si autem quibusdam denegaret auxilium proxime sufficiens, non vellet omnium salutem aliquemque perire vellet (5): quia non potest quis salvus fieri, absque auxilio proxime sufficienti ad suscipiendam fidem, nec potest sine illo auxilio non perire. 3. Deum cunctis ethnicis et infidelibus dare aliquando auxilium remote sufficiens, quo si bene uterentur, daret ulteriora auxilia usque ad illud quod ultime sufficeret ad fidem suscipiendam. Dixi aliquando, quia non omni momento

illud auxilium dat Deus: tum quia non omni momento homo est talis auxilii capax; ut cum dormit, ebrius est, vel aliter impeditur; tum quia hoc non est necesse ad sufficientiam mediorum salutis, quantum est ex parte Dei, ad quam satis est quod Deus pro loco et tempore ita aliquando hominem opportune excitet ad salutem, ut si tunc velit cum gratia adjuvante cooperari, possit vel immediate fidem suscipere, vel aliquid præstare per quod obtineat ulteriora auxilia ad credendum. Quod si tunc præsentis excitationi divinæ, cooperari non vult, sibi et non Deo imputare debet quod non salvetur: quia Deus quantum est ex parte sua illi non denegat auxilium gratiæ remote sufficiens.

Sententia catholica sic elucidata probatur auctoritate Patrum, qui de hujusmodi gratiæ auxilio intelligunt istud Joannis absque ulla exceptione aientis: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (1); quod de lumine gratiæ expendunt, quo *Deus illuminator vindicatur nationum*. (2) Lumen ad divinum Verbum pertinet, quia procedit a Patre ut lumen de lumine, ut dicitur in Symbolo Nysseno, *sed et Christus verum lumen nationibus effulsit* (3), non solum ratione prædicationis suæ Apostolorumque ejus; post humanationem namque Verbi *nulla jam gens Dei extranea est, in omnem terram et in terminos orbis Evangelio coruscante* (4): sed etiam ratione gratiæ interioris qua cunctorum hominum mentes illuminat, quare *non verbum Dei et æternam hanc lucem, sed imbecillitatem suam mundus accuset: illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura, negligit ulterius currere, suffodit illuminationem, et contempsit hanc gratiam*. (5) Eodem fere modo de divina illa illustratione fatur D. Chrysostomus: « Illuminat profecto quantum in ipso est: si qui autem sponte sua ad hujus lucis radios, aciem dirigere noluerunt, non ex natura, sed ex malitia, suaque sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Gratia in omnes diffusa est: non Judæum, non Græcum, non barbarum excipit aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat: quia autem ejus munere frui neglexerunt, hanc suam cæcitate sibi ipsis imputent: cum enim detur omnibus, omnibus pateat, a nemine prohibetur, perdit quidam et nequam homines propria duntaxat malitia ingredi recusant, » (6) nolentes recipere lucem quæ eis offertur,

(1) Tert. L. de Res. 63. — (2) Act. 16. — (3) Rom. 10. — (4) 2. Petr. 3. — (5) 1. ad Timot. 2.

(1) Joan. 1. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 7. — (3) Tert. L. de Res. 59. — (4) Tert. L. de An. 49. — (5) Cyril. Alex. L. 1. in Joan. 11. — (6) Hom. 7. in Joan.

quæque mentes interioris gratiæ fulgoribus illustrat.

Homo ex corpore et anima compositus exterius et interius illuminatur. Corpus ejus materiali et externa luce, anima vero spiritali et interna. Deus omnium hominum corpora luce materiali illuminat: *rorem lucis hujus super justos et injustos æqualiter spargit* (1); cunctorum quoque mentes gratiæ suæ radiis illustrat: *Imbres etiam et soles suos pervyquante Deo justis et injustis* (2), non solum fidelibus scelerosis, sed etiam ethnicis et infidelibus: *omnia sua ex æquo et profanis et suis præstat* (3); D. Cyprianus Tertulliani discipulus ex illuminatione universali solis materialis, infert generalem Solis justitiæ illustrationem. « Si dies æqualiter omnibus nascitur, et si sol super omnes pari et æquali luce diffunditur, quanto magis Christus, sol et dies verus, in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ æqualiter largitur? unde apparet Christi indulgentiam et cœlestem gratiam æqualiter omnibus dividi, sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ. » (4) Eodem modo loquitur D. Ambrosius supra relatus, qui postquam dixit: Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, ut ostendat se loqui non tantum de luce et gratia externa, sed etiam de interna, statim addit: *Docet autem Deus et mentes singulorum illuminat et claritatem cognitionis infundit, si tu aperias ostia cordis tui et cœlestis gratiæ, recipias claritatem.* Non potest autem cor aperiri nisi per gratiam interiorem, quam nobis largiri Deum paratum asseverat D. Augustinus. « Paratus est suam lucem dare nobis, non solum visibilem, sed intelligibilem et spiritualem; sed nos non semper parati sumus accipere cum inclinamur in alia, et rerum temporalium cupiditate tenebratur. » (5) Et ne quis existimet Augustinum in persona duntaxat vel prædestinatorum, vel Christianorum locutum, aliorum ipsemet sanctus Doctor lucem illam cœlestem et divinam, omnibus hominibus communem asseverat. « Communis est veritas omnibus, non est mea, neque tua, non illius aut illius; omnibus est communis: et fortasse in medio est, ut in circuitu ejus omnes sint qui diligunt veritatem; quidquid enim omnibus commune est, in medio est, ut tantum distet ab omnibus, et tamen propinquet omnibus; quod non est in medio quasi privatum fit. Quod publicum est in medio ponitur, ut omnes qui veniunt perci-

piant et illuminentur. » (1) Hac autem cœlesti luce illuminati sunt plures homines in quavis lege, sive naturali, sive mosaica, sive evangelica, qui neque inter Patriarchas, aut Judæos, aut Christianos dinumerantur. In omni tempore veros Deus habuit cultores, *operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei.* (2) Neque solum qui in lege sive naturali, sive mosaica, sive evangelica, inter Patriarchas et Judæos, vel Christianos vixerunt; verum plures alii qui inter illos non dinumerantur, sunt salutem consecuti. « Antiquos justos Dei gratia justificari veritas christiana non dubitat, sive in eis justis quos sancta Scriptura commemorat, sive in eis justis quos ea non commemorat, sed tamen fuisse credendum est, vel inde usque ad latam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israël, sicut fuerant prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut Job » (3), multique alii quos Scriptura non commemorat.

Verisimile non est quod Deus denegaverit auxilium ad salutem necessarium innumeris hominibus, quibus, 1. Animas dedit salutis capaces. *Non Latinis, nec Argivis solis anima de cœlo cadit* (4); quibus, 2. Ante Moysen sui dedit notitiam: etenim *major popularitas generis humani, ne nominis quidem Moysis compotes, nedum instrumenti, Deum Moysis tamen norunt; etiam tantam idololatria dominationem obumbrante, seorsum tamen illum quasi proprio nomine Deum perhibent, et Deum deorum, et, Si Deus dederit, et, Quod Deo placet, et, Deo commendo. Vide an noverint quem omnia posse testantur: nec hoc ullis Moysis libris debent. Ante animaquam prophetia. Animæ enim a primordio conscientia Dei dos est: eadem nec alia et in Ægyptiis, et in Syriis, et in Ponticis. Judæorum enim Deum dicunt animæ Deum* (5); quibus, 3. Legem observandam tradidit: *Cur etenim Deus universarum gentium sator, legem per Moysen uni populo dedisse credatur, et non omnibus gentibus attribuisse dicatur? Nisi enim omnibus eam dedisset, nullo pacto ad eam etiam proselytos ex gentibus accessum habere permetteret: sed ut congruit bonitati Dei et æquitati ipsius, utpote plasmatoris generis humani, omnibus gentibus eandem legem dedit, quam certis et statutis temporibus observari præcepit, quando voluit, et per quos voluit, et sicut voluit.* (6) Legem autem non poterant observare absque aliquo

(1) Tert. L. de Pat. 2. — (2) Tert. L. de An. 47. — (3) Tert. L. de Test. An. 2. — (4) Ep. 76. — (5) L. 2. de Serm. Dom. in Monte.

(1) In Psal. 75. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (3) D. Aug. L. de Pecc. Orig. cont. Pelag. — (4) Tert. L. de Test. An. 6. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 10. — (6) Tert. L. 2. adv. Jud. 2.

Dei auxilio, quod credendum non est denegasse tot viris quos auctores de virtute commendant, ut de sapientia Socratem, de justitia Aristidem (1), Scipionem, Phocionem, Catonem, Cratem, multosque alios virtutibus illustres.

Præsertim cum, 4. Ante legem mosaicam et evangelicam, tantam a mortalibus non exigeret Deus justitiam: *Nihil sine ætate est, et omnia tempus expectant. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri: granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur: deinde rami et frondes invalescunt, et totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquandiu et informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic et justitia (nam idem Deus justitiæ et creaturæ) primo fuit in rudimentis natura, Deum metuens: dehinc per Legem et prophetas promovit in infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem.* (2) Belle, quamvis longiuscule, refert Tertullianus varios perfectionis gradus, qui reperiuntur inter cultores Dei, in lege naturali, mosaica et evangelica: quos per pulchra comparatione declarat. Sicut enim homo ætate maturus, majori pollet judicio quam juvenis, et juvenis infantem prudentia longe superat, ita disciplina et religio perfectior est in christiana quam in lege mosaica; lex quoque mosaica aliquid addit cultui legis naturalis; lex enim naturalis non admittebat circumcisionem, lex vero mosaica Israëlitas circumcidi præcipiebat: tandem lex evangelica suscipiendi baptismi imponit necessitatem: *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, que retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege.* (3)

Hujus autem dispositionis trinam effert Tertullianus rationem: 1. Dei voluntatem: *Quid enim mirum, si is auget disciplinam, qui instituit? si is perficit, qui cepit? nec adimamus hanc Dei potestatem pro temporum conditione legis præcepta reformantem in hominis salutem.* (4) 2. Diaboli malitiam et perversitatem, ne minori cura Deus hominum provideret saluti, quam dæmon eorum

perditioni. *Quale est enim ut diabolo semper operante et adjicente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei, aut cessaverit, aut proficere destiterit?* (1) 3. Hominis imbecillitatem: *Cum propterea Paracletum miserit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum perduceretur disciplina, ab illo vicario Domini Spiritu Sancto.* (2) Legem igitur evangelicam præcedit lex mosaica, et ante legem mosaicam fuit lex naturalis cunctis generatum hominibus data. Hujus legis observatione Gentiles etiam religiose Deum colebant, *ut non jam ad Moysis legem ita attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore Deus et gentibus exhibuit, et repromissam per Prophetas in melius reformavit.* (3) Sicut autem ante legem Moysi scriptam erat lex naturalis, que naturaliter intelligebatur, et a patribus custodiebatur (4), ita etiam et tempore legis mosaicæ et evangelicæ existebat et custodiebatur ex tunc nunc lex naturalis apud ethnicos qui nihil unquam de lege sive mosaica, sive evangelica audierant: a quibus, ut volunt multi Patres, Deus non exigebat tantam fidem quantam in lege vel mosaica, vel evangelica.

Certum est absque fide neminem posse placere Deo, neque hanc fidem habere quempiam ex se solis naturæ viribus; est enim donum supernaturale divinitus datum: *Nemo penitus gloriatur fidem se ex proprio sensu genuisse in se, per quam Deo credere possit; sed agnoscat tam ante legem, quam sub lege et post legem, per illuminationem quæ a Deo Patre est, unicuique revelatum ad salutem.* (5) Hæc tamen fides ad plura sese extendit objecta in lege evangelica, quam in mosaica, et in mosaica quam in naturali. In lege enim evangelica, fides expressa sanctissimæ Trinitatis et humanationis Verbi requiritur, quam non exigebat Deus in lege naturali: imo, ut vult D. Chrysostomus, simplices de populo judaico expressam illam Trinitatis et Incarnationis non habebant fidem: quantum a fortiori Gentiles, quibus ex D. Anselmo (6) sufficiebat fides hæc ab Apostolo requisita: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator est?* (7) Quod expresse docet Justinus martyr: *Qui enim ratione vixerunt, Christiani sunt, licet non novisse Deum existimati sunt.* (8) Non vult dicere Justinus

(1) Tert. Apol. 11. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (3) Tert. L. de Bapt. 13. — (4) Tert. L. adv. Jud. 2.

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 1. — (2) Tert. Ibid. — (3) Tert. L. adv. Jud. 2. — (4) Tert. Ibid. — (5) D. Aug. Ep. 150. ad Sixt. — (6) Hom. 37. in Matth. — (7) Hebr. 11. — (8) Apol. 2.

quod illi nullam de Deo habuerint notitiam, sed quod fides, quia juxta rectam rationis regulam vivebant, erat exigua per comparationem ad notitiam mysteriorum divinatorum, quam habebant Judæorum primates in lege mosaica, et Christiani in lege evangelica. Plus audet Alexandrinus Clemens, vultque homines ante incarnationem probe et laudabiliter viventes, fuisse salutem consecutos, vel per legem mosaicam (1), vel per philosophiam. Verum non excludit notitiam veræ divinitatis, quam habebant a fide et gratia. Quo sensu ait Picus Mirandulanus: *Quod si natura rudimentum est gratiæ, utique et philosophia est inchoatio religionis.* (2) Quia scilicet philosophi moraliter viventes, non tantum ponebant obstaculum ad illuminationem fidei, quantum Gentiles scelerosi contra dictamen rationis, et sapientiæ regulas conversantes. Huc adducit Chrysologus parabolam patris illius duos filios habentis, « duos scilicet populos, judaicum gentilemque, sed judaicum seniore prudentia legis fecit, gentilem paganitatis stultitia reddidit juniorem. » (3) Junior ad patrem accedens ait: « Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit: » Et quæ est ista portio? quæ est? habitus, sermo, scientia, ratio, judicium, quæ hominem præ cæteris animantibus, in terrena habitatione contingunt: hæc est juxta Apostolorum lex naturæ: et ideo divisit illis substantiam suam, dando juniore quinquè ista quæ diximus beneficia naturæ: seniore quinquè legis libros divinitus inscribendo; per quæ substantia impar merito, numero par esset, humanum teneret ista ordinem, divino illa subsisteret instituto. Utraque tamen lex filios utrosque ad notitiam patris perduceret, ad reverentiam sui servaret auctoris. » Imo, ut docet Tertullianus, cunctis hominibus innata est Dei notitia, ad cujus probationem animæ testimonium advocat, quæ naturaliter *Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, et quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum, Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet.* (4) Quot et quantas Dei perfectiones anima naturaliter cognoscit? Veritatem scilicet, magnitudinem, bonitatem, liberalitatem, justitiam, præsentiam, misericordiam: unde exclamat Tertullianus: *O testimonium animæ naturaliter christianæ!* Vel quia præfatas naturaliter cognoscit perfectiones, quarum supernaturalem notitiam Christianus habet etiam per fidem; vel quia regulando suam

vitam, juxta cognitionem quam habet de Deo, tollit obicem ad suscipiendam christianam disciplinam.

Sol ignis. (1) Deus est ignis, sed lucens et ardens, sua gratia illuminans hominum mentes voluntatesque sufflamans: et sicut nulli hominum denegatur lux illa cœlestis, ita nemini denegatur calor ille divinus. Quia, ut ait D. Augustinus, expendens istud Davidicum: « Non est qui se abscondat a calore ejus (2), » *nullum mortalium permisit excusare se de umbra mortis, ipsam enim penetravit Verbi calor*, significans omnes habere gratiam aliquando sufficientem ut ex umbra infidelitatis, mediante prædicationis fervore ad lumen fidei perveniant. Neque fidelium duntaxat sufflammat voluntates Verbi calor, sed etiam infidelium *dignatio Dei et in ethnicos.* (3) Sunt enim ex æquo cum fidelibus facti capaces beatitudinis. Deus qui pro sua bonitate dedit eis felicitatis desiderium, quantum est ex parte sua ordinavit eos ad sui visionem et amorem: ne inclinatio illa quam largitus est eis insatiata remaneret: *Natura nihil facit frustra, nec necessarium quidquam omittit.* (4) Frustra autem Deus infidelium animas capaces effecisset beatitudinis, si eis nolisset conferre auxilium quodammodo sufficiens ad salutem consequendam: in vanum Christus suum pro cunctis hominibus fudisset sanguinem, nisi infidelibus gratiam sufficientem ad salutem meruisset: quod Christus sit mortuus universaliter pro omnibus, satis superque probatum est, divusque Augustinus aperte declarat: *Videte quid dederit, et invenietis quid emerit, sanguis Christi pretium est, quid valet, nisi totum orbem? Quid, nisi omnes gentes? Pro toto dedit, quantum dedit; judicabit orbem terrarum in æquitate; non partem judicabit, quia non partem emit; totum habet judicare, qui pro toto pretium dedit.* (5) Christus tot redemit homines quot judicabit: cunctos judicabit, ergo cunctos redemit. Quare in die judicii et Judæis mortem ejus injuste prosequentibus, et militibus Romanis crudeliter crucifigentibus exprobrabit Salvator: *Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ inflixistis? agnoscitis latus quod pupugistis? quoniam et per vos et propter vos apertum est, et tamen intrare nolulistis.* (6)

Christus venit in mundum ut adimpleret officium pastoris, medici et redemptoris: ut scilicet oves deperditas quæreret, ægrotos

(1) L. 5. Strom. — (2) L. Heptapl. Præm. — (3) Ser. 5 — (4) Apol. 17.

(1) Tert. L. de An. 9. — (2) Psal. 18. — (3) Tert. L. de An. 47. — (4) Aris. L. 3. de An. — (5) In Psal. 45. — (6) D. Aug. L. 2. de Symb. ad Catech. 8.

sanaret, et homines sceleratos redimeret : at omnes homines sive fideles, sive infideles, errabant, ægrotabant, criminibusque erant sordidati ; et ita non pro fidelibus duntaxat, sed etiam pro infidelibus munus adimplevit pastoris, medici et redemptoris : 1. Pastoris, nec dicat Calvini sectator : *Sed ovis proprie Christianus, et grex Domini Ecclesiæ populus, et Pastor bonus Christus : et ideo Christianus in ove intelligendus, qui ab Ecclesiæ grege erraverit.* (1) Nam ut acute colligit Tertullianus, si per illam ovem perditam intelligendus est Christianus, ergo nihil ad Pharisæorum mussitationem respondisse vis Dominum, sed ad tuam præsumptionem : et tamen ita eam vindicare debebis, ut neges in ethnicum competere, quæ in Christianum existimas convenire. Temerarium est autem asserere Christum ad rem non respondisse. *Præscribimus enim ex natura disciplinæ, ex lege auris et linguæ, ex mentis sanitate ea responderi, quæ provocantur (id est, ad ea quæ provocant.)* (2) Quomodo intelligenda sit Salvatoris responsio, de Christiano an de ethnico, dignoscendum est ex mussitatione Pharisæorum : *Provocabat, ut opinor, quod Pharisæi publicanos et peccatores ethnicos admittentem Dominum, et cum illis de victu communicantem indignati mussitabant.* Ecce tibi, pharisaicæ mussitationis, murmurationis et provocationis incentivum. *Ad hoc Dominus, pecudis perditæ restitutionem cui alii configurasse credendum est, quam ethnico perditæ, de quo agebatur, non de Christiano, qui adhuc nemo.* Deinde omissa provocatione Pharisæorum et responsione Domini : *Dic mihi, nonne omne hominum genus, unius Dei grex est ? Nonne universarum gentium idem Deus, et Dominus, et Pastor est ? Quis magis perit a Deo quam ethnicus quandiu errat ? Quis magis requiritur a Deo, quam ethnicus quando revocatur a Christo ? Et ita ethnicorum pastor, et adhuc medicus, est Christus. Remediator valetudinum, remedia medicinarum contulit* (3), quantum est ex se, cunctis ægrotantibus : at omnes generatim homines, sive fideles, sive infideles ægrotabant : ergo infidelibus etiam paravit remedia queis sanentur, si velint. *Sanabit te, opus est ut sanari velis. Sanat omnino ille omnem languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius quam ut tanquam in manu tua, sic habeas in voluntate tua sanitatem tuam ?* (4) Tandem, 3. Agnoscere debemus Christum esse verum disceptatorem et elimatorem humanarum macularum (5) : atqui

omnes homines sunt peccatis maculati, ergo ut Redemptor cunctorum suo sanguine maculas sufficienter mundavit. *Certe Christus dilexit hominem in immunditiis. Propter eum descendit ; propter eum prædicavit ; propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, et mortem crucis : amavit utique quem magno redemit* (1) ; non fidelem duntaxat et amicum, sed etiam infidelem et inimicum. *Præbuit se palpandum amicis, qui se præbuit crucifigendum inimicis : medicus tamen omnium, et istorum impietatis, et illorum incredulitatis.* (2) Et si quis non velit Christi crucifixores fuisse Gentiles, D. Augustinus Dominum mundum, in quo etiam Gentiles sunt, sic alloquentem inducit : *O munde immunde, venit qui te redimat, et turbaris, et hunc tu vis perdere quando ille te disposuit liberare.* (3) Quod Tertullianus ex parabola drachmæ perditæ demonstrat. *Proinde in drachmæ parabola, ethnicum drachmam interpretamur ; etsi in domo amisam, quasi in Ecclesia ; etsi ad lucernæ lumen repertam, quasi ad Dei verbum. At qui totus hic mundus una omnium domus est, in quo magis in ethnico gratia Dei inlucet, qui in tenebris invenitur, quam Christiano, qui jam in Dei luce est.* (4)

Dicet fortasse hæreticus : Si Christus pro omnibus hominibus mortuus est, si Deus cunctis media ad salutem sufficientia largitur : cur tot ethnici virtutes morales sectantes, conversi non sunt ad fidem ? cur tot sunt barbari qui nihil unquam de fide et religione audierunt ? Ad primam partem hujus objectionis respondet Tertullianus, philosophos qui aliquod virtutis moralis specimen præ se ferebant, fuisse homines gloriæ libidinosos, (5) multisque vitiis mancipatos. « Lego partem sententiæ Atticæ in Socratem, corruptor adoloscensium pronuntiatur : lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat : Pythagoras apud Thurias, Zenon apud Prienenses tyrannidem affectant : Anaxagoras depositum denegavit hospitibus : Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato Dionysio ventris gratia venditur : Aristippus in purpura, sub magna gravitatis superficie nepotatur, et Hippias dum civitati insidias disponit, occiditur. » Idem dicendum est de aliis qui suis sceleribus obicem posuerunt ad auxilia salutis, quæ Deus quantum est ex se, cunctis dare hominibus desiderat. Quia, ut satur Apostolus, cum cognovissent Deum, non si-

(1) Tert. L. de Pud. 7. — (2) Tert. Ibid. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 8. — (4) D. Aug. in Psal. 102. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 35.

(1) Tert. L. de Carn. Christ. 4. — (2) D. Aug. — (3) L. 2. de Symb. ad Catech. 8. — (4) Tert. L. de Pud. 7. — (5) Apol. 47.

cut Deum glorificaverunt. *Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere quem ignorare non possunt.* (1) Secundam objectionis partem vidit Sanctus Prosper, validamque præbuit responsionem. *In extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.* (2) Quapropter infidelibus quibus fides prædicata non est, non omnino defuit auxilium remote sufficiens ad salutem: quod si bene usi fuissent, ad auxilia ulteriora pervenissent, usque ad illud quod proxime sufficeret, ad credendum, Deo sic disposituro, ut per ministerium hominis, vel Angeli, vel ab ipsomet Deo, fuisset illis annuntiata fides concessaque a Deo vocatio interna sufficiens ad credendum. Idem de Barbaris pro tunc existentibus dicendum est: *Apud Barbaros enim Christus.* (3) Ut enim ait D. Thomas: « Si quis in sylvis enutritus ductum naturalis rationis sequitur in appetitu boni et fuga mali, certissime tenendum est, quod et Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum mitteret, sicut misit Petrum ad Cornelium. » (4) Idem aliorum docet Angelicus Doctor. « Quod etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest, per id quod in naturali ratione est: unde dicitur quod si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est faciat, Deus illi revelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittere. » (5)

Ex his D. Thomæ verbis desumptum est effatum istud in schola usitatum: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Quod intelligi non debet de faciente quod in se est ex solis viribus naturæ « ad declinandum Semipelagianorum errorem, qui dicebant hominem conaudo, desiderando et petendo, per solas naturæ vires promoveri gratiam ad salutem necessariam », sed de faciente quod in se est cum auxilio gratiæ, cui Deus non est denegaturus auxilium gratiæ congruum ad salutem facile consequendam. Infideli etenim cum auxilio gratiæ naturali in substantia, supernaturali vero in modo, quod consistit in quadam cognitione certisque quibusdam motibus et inspirationibus a Deo datis, quæ longe superant motus quos causæ secundæ inspirare possunt: facienti quod in se est ad observandam legem naturæ, Deus

denegaturus non est gratiam supernaturalem ad salutem necessariam. Nam, cum velit omnium salutem, nihil quærit quam ulteriores posse communicare gratias infideli, qui vitando peccatum tollit impedimentum ob quod Deus juste illas denegat. Quod D. Augustinus et D. Prosper asseverant, D. quidem Augustinus: *Nulla est anima quamvis perversa, quæ tamen ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus: quis enim scripsit in cordibus hominum legem naturalem, nisi Deus?* (1) D. quoque Prosper, *adhibita semper est universis hominibus quædam superna mensura doctrine, quæ etsi parioris, occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut Dominus judicavit quibusdam ad remedium omnibus ad testimonium.* (2) Et ob hanc causam Paulus et Barnabas impediti sunt a Spiritu Sancto, ne in Asia prædicarent verbum Dei: non quod Asiatici non habuerint auxilium commune et remote sufficiens, sed quia propter peccata quæ commiserant in legem naturæ, sese reddiderant indignos auxilii specialis et proxime sufficientis, quod eis juste denegavit Deus, qui parvulis non denegat auxilium sufficiens ad salutem.

2. Cuncti homines (exceptis Christo et Deipara), sunt *hæreditarii rei* (3), quia hæreditario jure ab Adamo culpam hæderunt: non quod parvuli propria voluntate peccaverint, sed quia in Adamo voluntarie peccante peccaverunt: *Siquidem ille princeps et generis et delicti, Adam, voluit, quod deliquit.* (4) Plane deslendus parens, qui nos criminis sui reliquit hæredes, qui non solum collata bona perdidit, sed omnes posteros suos peccato obnoxios reliquit. *O dura hæreditas ac crudelis! O miseri, quibus nec adipisci libuit, nec renuntiare licuit nos hæredes!* (5) Supposita autem veritate peccati originalis contra Pelagium, quæritur an Deus cunctis parvulis concedat auxilium sufficiens ad salutem. Calvinus vult Deum ex prævisione peccati originalis positive reprobasse cunctos infidelium filios (6); alii hanc reprobationem positivam extendunt adhuc ad plures fidelium parvulos, qui vel moriuntur in utero materno, vel postquam sunt in lucem editi, absque parentum culpa, et ministrorum negligentia, baptismi non suscipiunt sacramentum: *Plerumque festinantibus parentibus, et paratis ministris, ut baptismus detur, Deo tamen nolente non datur.* (7) Idem dicendum est de puerulis qui in lege vel na-

(1) Tert. Apol. 17. — (2) L. de Vocat. Gent. cap. 17. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 12. — (4) Q. 14. de Verit. a. ad 1. — (5) Act. 10. in 2. dist. 28. q. 1. a 4.

(1) In Psal. 95. — (2) L. 2. de Vocat. Gen. 14. — (3) Tert. L. de Orat. 11. — (4) Tert. L. de Exh. Cast. 2. — (5) Chrysol. Sermon. 111. — (6) L. 41. Inst. c. 15. §. 20. — (7) D. Aug. L. de Bono. Persever. 12.

turali, vel mosaica, non susceperunt remedium peccati originalis, si ejusmodi remedium fuit aliqua ceremonia externa et sensibilis.

Certum est parvulis non dari gratias sufficientes proprie sumptas, quæ consistunt in certis quibusdam motionibus, quæ intellectum illustrent, et voluntatem pulsant ad bene operandum: cum enim parvuli careant usu rationis et exercitio libertatis, nequeantque ullos elicere actus humanos, non sunt capaces gratiæ sufficientis, indigent tamen auxilio sufficienti, quo deleatur originale delictum. Hujusmodi autem auxilium est vel remote, vel proxime sufficiens. Remote sufficiens est remedium scilicet originalis peccati. Proxime sufficiens est applicatio illius remedii! Cunctis parvulis non datur auxilium proxime sufficiens, ut experientia constat in illis parvulis quibus non applicatur remedium peccati originalis, ex defectu vel aquæ ad baptizandum, vel ministri qui sciat aut velit baptizare, vel causarum naturalium quibus indiget parvulus, ut in lucem edatur, et in lucem editus vivat donec ad baptismum perveniat: nulli tamen parvulorum ex intuitu peccati originalis denegare Deus voluit voluntate consequenti, media sufficientia ad salutem, et qui contrarium docent, offendunt Creatoris providentiam, cœlestis Patris clementiam, sanguinis redemptoris pretium et opulentiam.

Calvine, *nemo te sustinebit improvidentiam adscribentem Deo ei, quem Deum non negans, confiteris et providum.* (1) Ad Dei autem providentiam pertinere videtur, nulli parvulorum denegare medium sufficiens ad salutem: nullus etenim vult quantum est ex se efficaciter aliquem finem, nisi velit quodammodo dare media ad illum finem: Deus autem voluntate antecedente vult omnium hominum salutem, nisi ipsi homines, vel aliæ causæ obsint, vel desint: sub cunctis hominibus etiam parvuli comprehenduntur; et consequenter, quantum est ex se vult conferre media sufficientia, nam et pro omnibus instituit remedium originalis peccati, ordinavitque ministros qui tale remedium applicarent: commisit parentum amoris curam, ut eis applicetur. Cum constet *in parvulis nec scientiam esse, nec conscientiam* (2), consentaneum fuit ut applicatio hujus remedii dependeret a voluntate ministrorum et cura parentum; ut sicut per voluntatem alienam contraxerunt peccatum, ita ab aliena voluntate applicetur peccati remedium. *Non irre-*

ligiose arbitror credi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: qua utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvantur: omnia namque exordia parvulorum, totaque illa principia, necdum rationalis infantivæ sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullomodo eis nisi per alios consuli potest; et consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu. (1) Quasi dicat parvulos eodem modo habere media sufficientia ad salutem, quo adulti in quorum sunt potestate habent media sufficientia ad fidem, et ad bonam voluntatem applicandi parvulis fidei sacramentum. Ad utrumque media sufficientia habent adulti. Ad suscipiendam quidem fidem: cum enim Deus quantum est ex se, velit eos salvare, nec valeant salutem consequi sine fide; dat eis media sufficientia tum ad fidem suscipiendam, tum ad bonam voluntatem applicandi parvulis fidei sacramentum, ad hoc enim excitantur a Deo. *Nam et ipsi portantur ad Ecclesiam, et si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt ut sanentur: accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut fateantur: ut quemadmodum quod ægri sunt, alio peccante prægravantur, sic cum sani sunt, alio pro eis confitente salvantur.* (2)

Nec obstat quod applicatio illius remedii persæpe impediatur a causis extrinsecis; ut cum infans moritur in utero materno, vel deest aqua quæ est materia baptismi, vel parentes negligunt baptismum pueri, vel minister non vult conferre sacramentum: hoc evenit per accidens, non ex parte Dei, sed ex defectu causarum extrinsecarum, quæ posuerunt obicem: Deus autem ut conferret auxilium gratiæ, non debuit pervertere ordinem naturæ; et ut gubernator universalis non debuit impedire causas secundas agere motus suos; quemadmodum medicus remedium præparans, præbensque servis ut darent ægroto sufficienter quantum est ex se providit ad ægroti sanitatem; quamvis ægrotus non sumpserit remedium; vel quia vas in quo continetur frangitur, vel quia servi impediuntur ne ministrent; vel quia ministri justitiæ ægrotantem ut reum apprehendunt, quos non repellit medicus quantumvis possit, quia bonum reipublicæ expostulat, ut criminis punitur ægrotus. Non absimiliter

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (2) D. Aug. L. 5. Cont. Jul. c. 12.

(1) D. Prosp. L. 2. de Vocal. Gen. 2. — (2) D. Aug. Serm. 10. de Verb. Apost.

Deus instituens remedium originalis, ordinansque ministros ad illud applicandum, sufficienter videtur quantum est ex se providisse parvulis auxilium sufficiens; licet aliquando ministri impediuntur, influxus cœlorum eis afferant mortem, aliæque causæ extrinsecæ non concurrant ad administrationem remedii, quas Deus ut universalis gubernator non debet impedire ne agant suos motus; alias destrueret ordinem in universo positum. Ad hanc providentiam non attendunt qui volunt Deum denegare parvulis media sufficientia ad salutem; nec considerant quod si ea denegaret, esset injuriosus Christo, humanæ naturæ, parvulis, sibi metipsi: Christo, agens contra pactum cum ipso initum de acceptanda ejus morte in redemptionem cunctorum hominum absque ulla exceptione; humanæ naturæ, quæ tali pretio exhibito privaretur jure per Christum acquisito, ad sufficientiam mediorum salutis, quibusdam exclusis a participatione talium mediorum; parvulis, eis denegando media sibi per Christum comparata; sibi, a paterno degenerans amore.

Pater omnium qui conditor universitatis,
 (1) nihil odit eorum quæ fecit; imo erga homines paternum demonstrat affectum. Amor ita videtur patri connaturalis, ut a paterna degeneret dignitate qui innatum deponit amorem. *Plane nec pater, in quem non competat amor propter pietatem.* (2) Quam injuriosus divinæ bonitati Calvinus, qui prædicat Deum non ut patrem clementem et benignum, sed ut tyrannum crudelem et inhumanum, qui deliciatur de tot parvulorum perditione quibus denegat auxilium sufficiens ad salutem! *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam.* (3) Nec mirum si Saturnus extraneorum exoptabat necem, suorum vorator et carnifex. *Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat.* (4) Deus puerorum non vult necem quibus desiderat vitam, neque eis denegat media ad salutem cum eos quantum est ex parte sua ad immortalem ordinaverit felicitatem. Tertullianus acriter persequitur parentem naturam impediens generationem quem Pharaone inhumanior asseverat qui nascentes Judæorum enecabat filios. *Non erit inhumanior duritia Pharaonis, nascentium enecatrix; nam ille animas adimit, hic non dat. Ille aufert de vita, hic non admittit in vitam. Nihil apud ambos de homicidio differt; sub*

utroque homo interficitur; sub altero jum editus, sub altera edendus. (1) Nonne Deus a fortiori posset de crudelitate redargui, si tot parvulos quos creavit æternæ destinaret damnationi; nonne satius illis fuisset nunquam nasci, quam absque ulla propria et voluntaria culpa in æternum Dei visione et amore privari? *Nescio an hoc quoque optimo Deo congruat. Quomodo salvum volet, quem vetat nasci* (2): sollicite curans ut in utero materno intereat: *Quomodo habebit, in quo bonitatem suam esse non patitur, nolens ut in baptismo esse supernaturale gratiæ suscipiat?* Quantum ab illa immanitate sit alienus cœlestis Pater, evidenter demonstrat amor vehemens quo prosequitur parvulos. *Deus adeo diligit parvulos ut apud Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos periclitantes edicto Pharaonis.* (3)

Impie Calvine, noli arrogare Deo crudelitatem qui sibi paternum vindicat affectum. Desine decantare ejus duritiam erga parvulos, quorum propugnatores abunde remunerat. Sed ut tuæ blandiaris sævitæ, *veni, demerge ferrum in infantem nullius inimicum.* (4) Siste, barbære, nonne audis Christum feritatem tuam damnantem, tibi que præcipientem ut sinas ad illum venire parvulos, talium est enim regnum cœlorum? (5) Licet enim nonnulli cœlo frustrentur ex defectu vel impedimento causarum secundarum, tamen quantum est ex se, cunctorum est Redemptor, et pro omnibus generaliter suum sanguinem fudit: si etenim quosdam a fructu redemptionis voluisset excludere, nonne ei probe competeret sævitia quam Jovi exprobrat Tertullianus? *Jovem Christianum et solum Patris filium de crudelitate.* (6) Tantum abest ut Christo Redemptori aliqua crudelitatis possit adscribi umbra, quin imo erga ipsos peccatores magna de charitate commendatur: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* (7) Inter homines nullus est tantæ charitatis ut velit mori pro viro justo; pauci adhuc et rarissimi sunt qui pro suis amicis, benefactoribus et parentibus, subeant mortem: Christus tamen adeo charitate fragravit ut mortuus sit, non pro amicis solum, sed pro inimicis; non pro justis duntaxat, sed pro injustis; non tantum pro quibusdam peccatoribus, sed pro cunctis in universum; non pro solis adultis, sed generaliter pro omnibus hominibus sive adultis,

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (3) Tert. Apol. 9. — (4) Tert. Ibid.

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 29. — (2) Tert. Ibid. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 25. — (4) Tert. Apol. 8. — (5) Matth. 19. — (6) Tert. Apol. 9. — (7) Rom. 5.

sive parvulis. Calvinus hoc negans de mendacio arguit Apostolum (1), qui pro omnibus mortuum Christum prædicat, divique Augustini destruere doctrinam contendit, qui ita certum asseverat Christum pro parvulis mortuum, ac certum est parvulos in Adamo contraxisse peccatum. *Ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum: ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum: nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum.* (2) Calvine, tu negas Christum pro cunctis parvulis mortuum, et D. Augustinus negat te esse Christianum: quia Christianus ille non est qui non habet fidem, fidem vero non habet, qui non credit Apostolo dicenti omnes generatim homines in Adamo peccasse, Christumque mortuum esse pro omnibus qui in Adamo peccaverunt. *Dixit enim ad Corinthios: Quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt et pro omnibus mortuus est: ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus: impingo, infercio, inculco recusanti.* (3) Vide quanta animi contentione, ratiocinationis fortitudine, sermonis vivacitate, D. Augustinus nitatur probare Christum mortuum pro natura Adami corrupta, *quæ magno redempta est, sanguine scilicet Domini* (4) redemptoris cunctorum hominum, qui sub illa massa comprehenduntur, sive sint infideles, sive parvuli, sive reprobi.

3. Calvinistæ adhuc volunt præscitos fuisse a Deo positive reprobatos, neque ullo modo Christi sanguine redemptos, *et totum hoc ut alienando a Christo, a spe etiam salutis expellant.* (5) Quia si soli prædestinati sunt a Christo redempti, nullusque sciat an sit prædestinatus, nullus potest sperare in Christum redemptorem; cumque reproborum major sit quam prædestinatorum numerus, quis potius se de præscitorum, quam de electorum numero existimabit; idcirco nec in Christum credit, nec in illum sperabit, nec illum diligit, neque illi vivet: et tamen ex Apostolo, *Christus mortuus est pro omnibus, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* (6) Verum ut penitus Calvinisticus destruat error, reprobi non potuerunt salvari, aut quia eis Deus auxilia ad salutem sufficientia denegavit; aut quia Christus pro eis non oravit, sanguinemque fudit; aut quia eos Deus induravit, cooperandique vocationi libertatem abstulit:

neutrum illorum verum est: ergo reprobi potuerunt salvari.

A Deo pollicito scilicet et gratiam Spiritus Sancti. (1) Deus autem stat promissis, alias neque verus esset in suis sermonibus, neque fidelis in suis pollicitationibus. Absit ut Deo mendacium, fallaciam et infidelitatem adscribamus. *Quauquam habeanus ipsum Deum idoneum pollicitatorem, et fidelem sponso-rem* (2), qui nobis promissam largitur gratiam. At *cujus gratia, nisi cujus et promissio gratiæ?* (3) Illam gratiam largitur fidelis pollicitator Deus, cujus fuit promissio: verum *cujus promissionis?* *Factæ per Joelem.* (4) Audiamus Joelem, et videamus quid de illa pollicitatione referat: *In novissimis diebus, effundam de Spiritu meo in omnem carnem, id est, et in nationes, non solum in Judæos ad quos et prophetando universorum prophetarum emisit ora* (5), sed etiam in nationes, *gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum universo orbi illuminaturus esset.* Gratiam suam universo orbi cunctisque nationibus sive Judæis, sive Gentilibus pollicitus est Deus, itaque gratia sufficiens cunctis debet dari hominibus, sive prædestinatis, sive reprobis, ut factæ respondeat promissioni, et promissio congruat divinæ fidelitati. *Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed ejus qui bene utitur malis: item, quanto satius hæc ipsa in eis dona Dei esse fatereris?* item, *quanto tolerabilius illas, quas in impiis dicis esse virtutes Deo quam eorum tribueres voluntati?* *Quauquam ergo ille Deo non fuerit acquisitus, sed tantum a dominatu luxuriæ liberatus, tamen ne id ipsum quod melior factus est humano operi tribuere, sed divino:* (6) *faterique cunctis dari gratiam sufficientem: alias nullum esset actuale peccatum.* Nam quando quis peccat, vel non potest vitare peccatum, vel potest. Si non potest, non peccat: etenim *culpæ adscribi non potest, quod nullo modo vitari potest.* (7) Si potest, ergo habet gratiam qua possit; non efficacem, quia non devitat peccatum, ergo sufficientem. *Omnes possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum* (8): deinde impossibile non præcipit: *Plus a te Deus non exigit quam tibi intus dedit.* (9) Si autem non daretur gratia sufficiens, Deus impossibile præ-

(1) 2. Cor. 5. — (2) L. 6. Cont. Julian. 1. — (3) D. Aug. L. 6. Cont. Julian. 6. — (4) Tert. L. de Pud. 6. — (5) Tert. L. adv. Valent. 26. — (6) 2. Cor. 5.

(1) Tert. L. de An. 47. — (2) Tert. L. adv. Jud. 1. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 4. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (5) Tert. L. de Pæn. 2. — (6) D. Aug. Ep. 85. — (7) D. Aug. L. de Corrupt. et Grat. c. 9. — (8) D. Aug. Serm. 117. de Divers. — (9) D. Aug. in Psal. 36.

eiperet : præcipit enim observationem mandatorum , quæ non nisi cum gratia possunt observari. *Jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis.* (1) Tandem gratia sufficiens illis pro quibus mortuus est Christus, non datur nisi intuitu meritorum Christi, Christus autem mortuus est etiam pro reprobis.

Christus mortuus est pro prædestinatis et reprobis. Pro prædestinatis qui *laverunt vestimentum suum, et candidaverunt ipsum in sanguine Agni* (2), efficaciter, complete et perfectissime: quia ultimum effectum suæ passionis perceperunt, nempe gloriam. Pro reprobis vero minus perfecte, sufficienter et incomplete, quia receperunt gratiam sufficientem quæ est effectus passionis Christi. Non gloriam quæ est ultimus et finalis effectus mortis ejus; et hoc ex defectu suæ cooperationis, non ex defectu passionis. Nam, *cui rei misit Filium suum? Uteos qui sub lege erant redimeret, et ut adoptionem filiorum reciperemus, utique nationes, quæ filii non eramus.* (3) De redemptione perfecta, efficaci et completa, loquitur D. Augustinus, quando illam solis appropriat prædestinatis. *Misit Deus Filium suum propter præscitos, et prædestinatos, justificandos et glorificandos.* (4) Deinde de æterno Patre loquens: *Tradidit illum pro nobis, præscitis, prædestinatis, justificatis.* (5) Tandem dum asserit: *Non perit unus ex illis pro quibus Christus mortuus est* (6), de redemptione incompleta et sufficienti fatur idem D. Augustinus, docens pluribus locis Christum etiam pro reprobis mortuum. *Venit lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatare persuasit. Et pastore fugiente peribit infirmus pro quo mortuus est Christus.* (7) Idem asserit de Judæis et satellitibus qui crucifixerunt Dominum. *Populi spernentes propter superbiam suam, humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, et fecerunt damnatorem suum* (8): de quibus adhuc: *Expandi manus meas ad populum incredulum. In cruce positus, Sitio, dixit, quamvis hoc non dederint quod sitiebat: ipsos enim ille sitiebat, illi acetum dederunt.* (9) Quod speciatim de Juda proditore asseverat. *Vendidit a quo redimi debuit: imo a quo redemptus est: Vendidit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat.* (10) Judas a Domino redemptus damnatus est, ergo non pro solis prædestinatis, sed etiam reprobis

mortuus est Christus. Et ut ait D. Chrysostomus, *litavit Christus semetipsum pro inimicis, pro his qui se oderant, pro aversis a se.* (1) D. Prosper redemptionem sufficientem recognoscit: postquam enim probavit Christum pro omnibus mortuum, concludit: *Nulla igitur ratio dubitandi est Jesum Christum pro impiis et peccatoribus mortuum, a quorum numero si quis liber inventus est, non pro omnibus mortuus est Christus.* (2) Deinde expendens locum epistolæ primæ ad Timotheum (3), quo Christus dicitur Salvator omnium maxime fidelium, utriusque redemptionis incompletæ et completæ meminit: *Quia est Salvator omnium; firmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem; adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ ad salutem æternam specialiter beneficiis evehatur.*

Ex his patet conciliatio D. Augustini cum semetipso, qui vere dicit Christum mortuum esse pro solis prædestinatis, et non mortuum pro solis prædestinatis. Hæ duæ propositiones videntur contradictoriæ, non sunt tamen, quia sub diversa ratione intelligendæ sunt. Christus pro solis prædestinatis mortuus est complete et efficaciter, mortuus est pro aliis a prædestinatis, incomplete et sufficienter. *Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ejus profuit.* (4) Illis enim prodest qui sibi applicant merita Christi, qui gratiæ cooperantes ad instar Pauli adimplent in corporibus suis ea quæ desunt passionum Christi. Non enim sentimus cum Semipelagianis, Christum pro omnibus ita efficaciter mortuum ut nihil eis supersit agendum, vel saltem illud posse operari solis naturæ viribus, sed credimus absque auxilio quod nobis Christus sua passione meruit, nihil ex nobis posse operari ad salutem. *Verum est omnes homines posse si velint; sed præparatur voluntas a Domino.* (5) Deinde cooperandum gratiæ, ut Christi redemptio sit completa et efficax. *Non est enim salvus morte Christi, qui non est crucifixus in Christo.* (6) Ex defectu illius applicationis et cooperationis reprobi non sunt salvati, et ideo non efficaciter et complete, sed incomplete duntaxat et sufficienter redempti sunt.

Neque ea quæ adversus redemptionem universalem pro cunctis hominibus afferuntur

(1) D. Aug. L. de Nat. et Grat. c. 69. — (2) Tert. Scorp. 12. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 4. — (4) Serm. de Verb. Apost. — (5) Tract. 45. in Joan. — (6) Epist. 102. ad Evodium. — (7) Epist. 180. — (8) Tract. 4. in Joan. — (9) In Psal. 61. — (10) L. 2. de Symb. ad Cathec. 2. in psal. 65.

(1) Hom. 7. in 1. ad Timoth. — (2) L. 2. de Vocat. Gent. 16. — (3) Cap. 4. — (4) D. Prosp. ad c. Gallor. object. 9. — (5) D. Aug. L. 1. de Gen. ad litt. 8. — (6) D. Prosp. Resp. 6. ad Gall.

sunt magni momenti; ut cum Regius Vates ait: *Misit redemptionem populo suo* (1); cum Paulus asseverat: *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea* (2); cum ipsemet Christus declarat: *Pono animam pro ovibus meis* (3); cum adhuc ait: *Non pro mundo rogo.* (4) Nam verum est Christum mortuum esse pro populo suo, pro sua Ecclesia, pro suis ovibus; nam Dei populus ex cunctis hominibus adunatur, quia omnes produxit, et ad eum pertinent tanquam Creatorem, imo Redemptorem, quia quantum est ex parte sua passus est ut essent salvati. Ecclesia cunctos Christianos justos et peccatores continet: in ovili oves bonæ et malæ continentur. Deinde concessio quod per populum, Ecclesiam et oves, soli prædestinati intelligantur, pro quibus Christus efficaciter et complete mortuus est; non sequitur quod non sit mortuus pro reprobis incomplete et sufficienter. « Quod hac similitudine declarat Subtilis Doctor: Sicut de rege statuente bonas leges et præfigente ministros ad custodiam illarum, potest dici quod vult omnes suos subditos quiete et pacifice vivere; quia scilicet ex parte sua præbet media sufficientia ad quietem omnium subditorum; licet quosdam efficaciter absolute non velit quiete vivere, sed punire ob eorum demerita; eodem modo Christus est cunctorum Redemptor, vultque redemptionem suam cunctis efficacem, confert eis auxilia sufficientia ut complete redimantur et salvi fiant. » (5) Quia tamen illis mediis sufficientibus usi non sunt reprobi, complete non redimuntur, sed incomplete; non salvantur, sed damnantur. Eodem modo solvendum est istud Dominicum: *Non pro mundo rogo.* Christus pro reprobis non rogavit efficaciter et complete, quasi ejus oratio habitura sit suum effectum finalem in illis; rogavit tamen sufficienter et incomplete, obtinendo illis gratias sufficientes, quibus potuissent consequi salutem, si eis bene usi fuissent. Neque sequitur ex reproborum damnatione, quod mors Christi fuerit frustranea, per illam enim meruit gratias sufficientes ad salutem, si quantum ex se fuissent cooperati: quo sensu asseverat Paulus Christum exauditum pro sua reverentia, quia obtinuit a Patre gratias quibus reprobi fuissent salutem consecuti; nam ita non fuerunt peccatis obdurati, ut usum libertatis amiserint.

Neque etiam obduratis deest gratia sufficientis et liberi arbitrii potestas, qua possint salvari. *Dei patientia adducit quemlibet pec-*

(1) Psal. 110. — (2) Ephes. 5. — (3) Joan. 10. — (4) Joan. 17. — (5) In 1. Dist. 46. au. unic.

catorem dum adhuc in vita est. (1) Si vivit peccator, quandiu vivit, potest pœnitere, converti et salvari. Ab hoc numero non excipitur obduratus: quia *nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate despoliat.* (2) Neque etiam ipsemet Pharaonem quem induratum a Deo refert Scriptura: et ob hanc causam asseverat D. Augustinus « immundissimos Manichæos sacrilego furore Scripturam veteris Testamenti reprehendere solere: quod in ea referatur: Dominum obdurasse cor Pharaonis. » (3) Imo ut prosequitur D. Augustinus, quibusdam clericis solere id scrupulum generare, dicentibus intra se: Cur enim iniquitas illa Pharaoni imputatur, cum Dominus cor illius obdurasse referatur? Quorum quærela justa fuisset si Pharaoni denegasset Deus auxilium sufficiens ad pœnitentiam et conversionem: quia non habens gratiam qua potuisset converti, non peccasset non pœnitendo: sicut non peccaret ille qui carens oculis non respiceret, aut qui non habens pedes, non ambularet: quia nullus ad impossibile tenetur. Falsum est autem non potuisse obedire mandato Dei per Moysem sibi insinuato: D. namque Augustinus expresse docet *Pharaonem noluisse obtemperare vocationi divinæ, et sic esse induratum illi cor, et tantam cæcitate mentis passum, ut tot Dei signis non crederet.* (4) Non dicit D. Augustinus Pharaonem non potuisse credere, sed non credidisse, etiamsi vocatus fuerit vocatione interna, quæ est proprie gratia excitans et præveniens. Asserit enim illam *vocationem fuisse cognitionem rei gestæ a Deo, quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per Joseph, ob quod populo Israël humanitas debebatur, non crudelitas.*

Et ut illorum clericorum scrupulum tollat D. August. explicat modum quo Pharaon fuit induratus respondetque *obdurationem illam debere accipi, ut intelligamus, quia obduratio non Deo compellente perficitur, sed Dei remissione vel indulgentia generatur; ac sic Pharaonem, non divina potentia, sed divina patientia credenda est obdurasse.* (5) Si autem Deus substraxisset Pharaoni auxilium necessarium ad conversionem, compellente Dei potentia, ejus effecta fuisset obduratio: quia Dei voluntas, quæ est idem cum potentia divina, fuisset causa quod non potuisset converti: at ex D. Augustino obduratus est Pha-

(1) D. Aug. Serm. 11. de Verb. Dom. — (2) D. Prosp. ad object. Vincent. 15. — (3) Serm. 88. de Temp. — (4) Lib. 85. Quæst. quæst. 68. — (5) Serm. 88. de Trino.

rao, non divina potentia, sed divina patientia, quod occasionaliter est intelligendum. *Indurat cor Pharaonis, sed meruerat in exitium subministrari; qui jam negaverat Deum; qui jam legatos ejus toties superbus excusserat; qui jam populo laborem operis adjeccerat.* (1) Etenim cum Deus sæpe Pharaonem vocasset, et interius per gratiam, et exterius per Moysen, et miracula ab eo patrata, eumque patienter exspectasset ad pœnitentiam, vocantique Deo malitiose restitisset Pharao, Deus substraxit auxilium non sufficiens, sed abundans, quo Pharaonis facile fuisset superata malitia. Sic Deus Pharaonem induravit, non positive, sed negative, *non impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* (2) Substrahendo scilicet auxilium efficax, quo per suam malitiam sese præstiterat indignum. Nam, *obdurare Deum est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid quo sit homo deterior; sed tantum quo sit melior non erogatur.* (3) Quia licet conferat illi gratiam, qua bene utens posset obtinere gratiam efficacem tollereque indurationem, non tamen confert illi gratiam congruam et proxime sufficientem, quam talem prævidet, ut eam vocatus non spernat, quia *cujus miseretur sic eum vocat quemadmodum scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* (4) Sicque non semper Deus obcæcatis et induratis largitur gratiam proxime sufficientem, qua stante obduratione, possint operari bonum. Quomodo D. Augustinus intelligit Paulum dicentem de Deo (5): *Quem vult indurat. Etenim indurare Deus dicitur eum quem mollire noluerit; sic etiam excæcare dicitur eum quem illuminare noluerit.* (6) Illis tamen largitur gratiam remote sufficientem, quo obcæcationem et indurationem valeant auferre, vel saltem aliquo modo mereri ut auferatur a Deo. Et ita licet obdurati non possint converti stante induratione, habent tamen gratiam sufficientem, qua induratio possit expelli, jejunando enim, orando, eleemosynas largiendo, ex gratiæ instinctu, obtinere a Deo possunt, ut obduratio tollatur.

Gratiam proxime sufficientem non dedit Deus Pharaoni obdurato, cujus obdurationis remota causa occasionalis fuit divina patientia tandiu contempta; proxima causa occasionalis fuit divina desertio non largiens gratiam proxime sufficientem, causa vero efficiens fuit propria voluntas obdurati Pharaonis

gratiam remote sufficientem rejicientis, convertique nolentis: quod ostentat Tertulianus de Nabuchodonosor pœnitentia et Pharaonis impœnitentia loquens: *Pœnitentia Babylonium regem in regna restituit. Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesim operatus, unguium aquilinum in morem efferatione, et capilli incuria horrorem leoninum præferente. Pro merito malæ tractationis! quem homines perhorrebant, Deus recipiebat. Contra autem Ægyptius imperator, qui populum Dei aliquando afflictum diu Domino suo denegatum persecutus, in prælium irruit, post tot documenta plagarum, discidio maris, quod soli populo pervium licebat, revolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim et ministerium ejus exomologesim abjecerat.* (1) Vide quomodo Pharao periit quia non pœnituit: non pœnituit quia voluntarie gratiam qua poterat converti abjecit. Econtra Nabuchodonosor gratiæ excitanti cooperans, pœnitentiamque agens, Deo reconciliatus est. Utriusque regis exemplum proponit adhuc D. Augustinus: *Nabuchodonosor pœnitentiam meruit facere fructuosam, non autem Pharao: quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo reges; quantum ad causam, ambo populum Dei captivum possidentes; quantum ad pœnam, ambo flagellis Dei clementer admoniti; quid ergo fines eorum fecit diversos, nisi quia unus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio?* (2) Nabuchodonosor pœnituit, quia gratiæ respondit; Pharao in obduratione remansit, quia gratiam abjecit, nec suum ei ad pœnitentiam consensum præbere voluit.

Nec obstat quod D. Augustinus innuat gratiam ad obtemperandum defuisse Pharaoni, docens non peccasse non obtemperando Deo: *Non ergo hoc illi imputatur quod tunc non obtemperavit, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* (3) Licet enim tunc proxime et formaliter non imputaretur quod Deo non obtemperaverit, imputabatur tamen primario et radicitus, quia paulatim per priora peccata infidelitatis, quæ tot visis signis commiserat, meruit indurari; cumque fuerit causa efficiens hujus indurationis, non excusabatur a peccato. Seu, ut alii volunt, inobedientiam non fuisse, Pharaoni obdurato per se imputatam: quia obduratus non

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 14. — (2) D. Aug. Epist. 105. — (3) D. Aug. L. 1. ad Simplicianum quæst. 2. — (4) D. Aug. ibid. — (5) Rom. 9. — (6) Lib. de Præd. et grat. c. 4.

(1) Tert. L. de Pœn. 12. — (2) Lib. de Præd. et Grat. — (3) Lib. Exposit in Epist. ad Rom. propos. 62.

lorum, quos atrociam quæque scelera insignes reddiderunt, quosque ad se non attraxit Deus, nisi *maximo adjutorio* (1), ut patet in Matthæo publicano, quem in Apostolum commutavit. *Ut qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor, et de impietatis schola ad pietatis magisterium perveniret, fieretque Doctor misericordiarum, qui avaritiæ fuerat institutor.* (2) Taceo Magdalenas et Samaritanas, *infelicissimas illas libidinum publicarum victimas* (3), quæ divino sufflammatae sunt charitatis incendio, postquam impuro Veneris exarserunt ardore. Quis non miretur victoriam quam de Saulo, infensissimo Christianorum inimico et persecutore, reportavit gratia? *Aversus quippe a fide quam vastabat, eique vehementer adversus, repente est ad illam gratia potentior conversus.* (4) Sed nunquam gloriosius gratia triumphavit quam de Augustino, hæretico famosissimo, salacissimo et superbissimo, qui pertinaciter per quindecim annos divinæ restitit vocationi: verum *instantia divinæ gratiæ victus* (5) ejusque imperio mancipatus, divinæ gratiæ prædicat triumphos, et quam potens sit et efficax vis ejus, experientia doctus, publice profitetur. *Deo me convertente ad eam fidem quam miserrima et luctuosissima loquacitate vastabam; prædicavi non solum aversas a recta fide, sed aversas etiam rectæ fidei, Deum sua gratia, ad se convertere hominum voluntates.* (6) Non est quæstio in præsentem de maximo illo adjutorio potentiorique gratia qua Deus nonnullos specialiter vocat, sed de gratia efficaci communiter sumpta, quæ est 1. Profunda et inscrutabilis; 2. Fecunda et amabilis; 3. Impedita et lacrymabilis.

I. PARS. Humana sapientia est *temeraria interpret divinæ naturæ, et dispositionis* (7): ut patet ex quæstione de gratiæ efficacia, tandiu *contentioso fune* (8) agitata, nedum resoluta. Quidam enim eam ponunt in reali gratiæ influxu, qui physice voluntatem ita prædeterminat ad agendum, ut illo posito non possit non agere, sed necessario agat: nonnulli in præmotione quadam morali, quæ consistit in hoc quod tanta sit gratia, ut licet voluntas possit illi absolute et physice reluctari, non potest tamen resistere nisi magna cum difficultate, neque unquam illi de facto resistit. In hoc autem a prædeterminatione physica discriminatur, quod hæc necessario involvat effectum; illa vero infallibiliter,

(1) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 8. — (2) Chrysol. Serm. 50. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 12. — (4) D. Aug. L. de Prædest. Sanct. — (5) Tert. L. de An. 57. — (6) Lib. de Don. Pers. — (7) Tert. L. de Præsc. Har. 7. — (8) Tert. L. adv. Jud. 1.

sed non necessario. Alii in incerta congruitate et contemperatione gratiæ cum humana voluntate, quam Deus prævidet consensuram infallibiliter si ei gratia tali loco tempore et modo datur. Verum *Esaias jam tum Apostolus, prospiciens hæretica corda: Quis, inquit, cognovit sensum Domini, aut quis illi consiliarius fuit? aut ad quem consultavit? aut viam intellectus et scientiæ quis demonstravit ei?* (1) An homo qui est ignorantiae abyssus, viam scientiæ Deo demonstravit, qui est sapientiæ abyssus, aut conscius et particeps consiliorum ejus fuit, aut mentem et Dei cogitationem cognovit? Præsertim in efficacia gratiæ, quæ est potius admiratione veneranda quam curiose investiganda: *Munera divina de profundo Dei judicio veniunt: mirari ea possumus, investigare non possumus.* (2) Judiciorum Dei profunditas timorem simul et venerationem ingenerat animo D. Augustini. *Novi cum Paulo Apostolo expavescere, quod etiam cum consideravit expavit, et expavescens exclamavit: O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei! Quam inscrutabilia sunt judicia ejus!* (3) Græca lectio loco altitudinis ponit profundum. O alta profunditas! o profunda altitudo! Quod si Augustinus, si Paulus hujus abyssi non valent penetrare profundum, quanto magis inscrutabilis est judiciorum Dei profunditas illis qui efficaciam gratiæ constituunt in 1. Physica prædeterminatione; 2. Morali præmotione; 3. Voluntatis congrua vocatione?

1. *Quis enim cognovit sensum Domini? De quo exclamat: O profundum divitiarum et sophiæ, ut ininventibilia judicia ejus, et ininvestigabiles viæ ejus!* (4) Judicia autem Dei non essent ininventibilia, neque viæ ejus ininvestigabiles, si divinæ gratiæ efficacitas in physica prædeterminatione ab humana sapientia adinventâ consisteret. Nam attendendo ad verba Apostoli: *Quid hæc magis sapiunt, quam quæ nec inveniri nec investigari nisi a solo Deo possent?* (5) Impertinenter autem locutus esset Apostolus, si prædeterminantes Dei judicia quæ in efficacia gratiæ consistunt, investigassent: quia non ininvestigabilia, seu potius *investigabilia, si sunt investigata et inventa.* (6) Tunc enim non Deus solus illa posset investigare, cum ea homines de facto investigassent. Deinde hujusmodi physica prædeterminatio videtur contraria Concilio Tridentino, D. Augustino, et libero arbitrio. Concilio Tridentino docenti: *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo mo-*

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (2) D. Aug. Serm. 12. de Mar. — (3) Serm. 224. — (4) Tert. L. adv. Herem. 45. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. ibid.

tum et excitatum non posse dissentire si velit, anathema sit. (1) D. Augustino asseveranti, voluntatem esse indifferentem ad consentiendum, vel non consentiendum divinæ gratiæ: *Nemo enim nisi Deus facere arbores potest; sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, et esse arbor mala.* (2) Tandem libero voluntatis arbitrio, quo viator indifferenter se habet ad bonum et malum; et *mediæ (quod aiunt) aginæ æquilibrato impetu fertur.* (3) Prædeterminatione autem physica illam voluntatis tollit indifferentiam: *Plane si huc et illuc, aut in alterum magis proclivaret, tunc inconcinnitatis et inæqualitatis denotari mereretur.* (4) Nam posita tali prædeterminatione physica voluntas potest consentire, aut non consentire; vel necessario suum præbet consensum. Si primum, non determinatur physice; quia per prædeterminationem ita determinatur voluntas ut non possit resistere, alias non esset physica prædeterminatio; si secundum, non est indifferens, tollitur libertas moralis ad meritum et demeritum requisita. *Porro si neque ad bonum, neque ad malum pronior erat motus, utique inter bonum et malum agebatur.* (5) Deinde si prædeterminatio physica non obest libertati morali, maxime quia est tantum conditionata, aut in sensu composito: sed hoc non impedit quin prædeterminatio physica tollat indifferentiam voluntatis, ejusque moralem libertatem: tum enim necessitas conditionata non tollit libertatem, quando a nobis dependet conditio, ut patet in homine corrente: supposito enim quod currat, necessario currit: quando vero conditio est independens a nostra voluntate, tunc tollit libertatem, ut in præsentia materia accidit, ubi voluntas nostra divinum non potest impedire decretum de gratia prædeterminante nobis concedenda; neque etiam quin ex tali decreto sequatur ille physicus influxus voluntatem determinans. Deinde necessitas in sensu composito non tollit libertatem, quando id quod componitur cum libertate, dependet ab illa: ut exempli causa prædestinatus libere salvatur, licet in sensu composito libere salvetur, in quantum prædestinatus, salus enim hominis prædestinati est libera, quia prædestinatio dependet ab ejus cooperatione prævisa. Quando autem conditio quæ cum voluntate ponitur, non pendet ab ea, tunc necessitas in sensu composito tollit libertatem, ut accidit in proposito ubi gratia prædeterminans, a solo

Deo, non a nostra voluntate dependet; quia decretum illam ordinans nostram cooperationem antecedit. Ex D. autem Augustino *liberum arbitrium non ideo tollitur, quia juvatur; sed adeo juvatur, quia non tollitur.* (1) Et ita non obstante illa prædeterminatione physica, adorandum, non scrutandum est inscrutabile et divinum gratiæ efficacis iudicium: quod non comprehendunt præmotionis morales assertores.

2. *Cui et Apostolus condecit: O profundum divitiarum et sapiæ Dei! ut ininvestigabilia iudicia ejus! utique Dei iudicis, et ininvestigabiles viæ ejus, utique intellectus et scientiæ!* (2) Semper Apostolus Dei miratur iudicia, neque ullo modo indagare præsumit. « Cum ergo hæc divinorum operum mysteria, supra mensuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis suæ profundissimo excessu, totam expositionis rationem, transtulit ad stuporem, et admirator eorum quæ protulerat, exclamavit et dixit: O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei!»

(3) D. Augustinus, humilitatis Apostolicæ æmulator, de gratiæ efficacia ferre non audet iudicium, ne iudicando incidat in errorem. *Nemo venit ad Christum nisi tractus; magna gratiæ commendatio. Quare ipsum trahat, et illum non trahat, noli velle iudicare si non vis errare. Semel accipe et intellige: non traheris, ora ut traharis.* (4) Pauli stuporem et Augustini timorem non imitantur qui efficaciam gratiæ in morali præmotione constituunt: neque idcirco sunt ab errandi periculo immunes. Si enim in præmotione morali consisteret gratiæ efficacia, qui majorem haberent gratiam, semper agerent; qui vero minorem haberent, non agerent. Consequens est falsum: aliquando enim qui minorem habent gratiam, non vero qui majorem habent, convertuntur: ut ex Evangelio patet ubi Christus Judæos arguens, ait: *Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* (5) Dubium non est Ninivitas minores habuisse gratias quam Judæos, quos beneficiis et favoribus Deus cumulaverat; ad quos primario missus fuerat Christus Dominus; quos Prophetæ docuerant, et quibus Apostoli prædicaverant antequam gentibus annuntiarent Evangelium. *Tantum Judæis erat apud Deum gratiæ, ob insignem justitiam et fidem originalium auctorum.* (6) Deinde vel voluntas suam potest denegare consensum

(1) Sess. 6. Can. 6. — (2) Lib. 2. Cont. Felic. Monach. 4. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 41. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. ibid.

(1) Epist. 89. ad Hilar. qu. 2. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (3) D. Amb. L. 5. de Vocat. Gent. 5. — (4) Tract. 26. in Joan. — (5) Matih. 12. — (6) Tert. Apolog. 21.

huic præmotiōni morali, vel non potest. Si potest, tollitur ejusmodi præmotio, quæ tantam admittit gratiam ut eam moraliter nequeat respicere. Si vero suum non potest denegare consensum, voluntas non est libera moraliter; quod est destruere moralem libertatem, quæ in indifferentia sita est. *Tota libertas in utramque partem concessa est homini, ut sui dominus constanter occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vitando: quoniam et alias positum hominem sub judicio Dei, oportebat justum illum efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet.* (1) Neque melius elucidat gratiæ efficaciam congrua vocatio.

3. *Ut illi quoque Scripturæ ratio constet; Quis cognovit sensum Domini? aut quis illi consiliarius fuit? aut quem consultatus est?* (2) scilicet cum gratiæ largitur efficaciam; quam Apostolus inscrutabile Dei consilium vocat. Cui consentit D. Augustinus: *Valde remota a sensibus hæc schola in qua Deus auditur et docet: Multos videmus venire ad Filium quia multos videmus credere in Christum; sed ubi et quomodo a Patre audierunt et didicerunt, non videmus; nimirum gratia ista secretu est.* (3) Hoc tamen inscrutabile Dei consilium investigarunt, qui gratiæ efficaciam constituunt in congruitate qua Deus voluntati humanæ se contemperat, quam ab æterno ante ullum divinæ voluntatis decretum, et præscientiam cooperationis humanæ cognovit Deus per scientiam mediam cooperaturam, si tali tempore loco et modo vocaretur. Hujus opinionis est antesignanus Pater Molina, sicut et scientiæ mediæ, seu conditionatæ, in qua sitam existimat « totam rationem conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione; quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagianam hæresim fuisse exorituram, neque Lutheranos tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuisse negaturos, ostendentes cum divina gratia, præscientia et prædestinatione cohærere non posse, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuisse turbandos, ad Pelagianosque defecturos, facileque reliquias illas Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi et Hilarii fit mentio, fuisse extinguendas: concertationes denique inter Catholicos facile fuisse componendas. » (4) Hucusque Pater Molina pro sua humilitate ad-

dens, « hanc suam rationem conciliandi libertatem arbitrii, cum divina prædestinatione, a nemine quem viderit hucusque traditam. » Verum quidam etiam ex scientiæ mediæ assertoribus hanc necessariam non existimant ad præfatam concordiam: conciliant namque alia ratione providentiam cum humana libertate; scilicet asserentes Deum sua providentia præparasse creato arbitrio concursus generalem indeterminatum et indifferentem, quod arbitrium creatum libere determinat ad actionem, tam quoad speciem, quam quoad exercitium actionis: et ita præscientia et providentia tantum abest ut destruat arbitrii libertatem, quin immo ad futuritionem actus liberi supponit determinationem humanæ voluntatis. Nonnulli adhuc quorum magnus est numerus, scientiam mediam fictitiam existimant, nullam aliam admittentes in Deo præter scientiam simplicis intelligentiæ et scientiam visionis. Deinde Patres et Theologorum primates facile illam conciliandi gratiam cum libertate viam non cognoverunt, efficaciamque gratiæ semper existimarunt mysterium incomprehensibile et inexplicabile, semper ad altitudinem sapientiæ recurrentes. Verisimile autem non est, si hæc concordiæ ratio esset necessaria, ignoratam fuisse a tot sanctis viris summo ingenio præditis, summoque studio in materiis de gratia versatis, solumque Patrem Molinam tale concordiæ donum tot seculis absconditum, cum tanto Ecclesiæ detrimento, vel a divina revelatione, vel propria labore comparasse, præ D. Paulo quem talis notitia latuit, præ D. Augustino qui Paulum imitatus, semper ad inscrutabile Dei stupet judicium: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita? duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! et, Nunquid iniquitas est apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores.* (1) Id ipsum docet pluribus in locis quorum unum afferre sufficiat. *Cur illum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus et ininvestigabiles viæ ejus: melius enim et hic audimus et dicimus: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? quam dicere audeamus, quasi noverimus, quod occultum esse voluit.* (2)

At quantumvis obstupescat D. Augustinus, quantumvis gratiæ mysteria inscrutabilia prædicet, dicet ei scientiæ conditionatæ con-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 17. — (3) Lib. de Prædest. Sanct. c. 8. — (4) Molin. in Concordia. q. 23. a 4. et 5. Disp. 1. Memb. Ult.

(1) D. Aug. L. de Spir. et Lit. 34. — (2) Lib. de Prædest. Sanct. c. 9.

græque vocationis assertor. Non est, Augustine, quod tantopere obstupescas, cur nos ad investigabilia Dei iudicia remittis? Quam ob causam errorem et præcipitium pertimescis? Ecce plana et aperta evadendi via; ecce notitia gratiæ perspicue elucidata. Ideo uni ita suadetur ut persuadetur, alteri vero non; ideo ex vocatis unus credit, alter vero non credit; ideo unus liberatur a Deo, et non alter, quia unus et non alter prius ratione se determinat ad opus salutis, quam Deus ad illud concurrat, suaque determinatione Dei gratiam ad opus salutis efficiendum determinat; ideoque gratia æterno decreto uni, et non alteri, præparata est efficax: quia ille prævisus est cum his vel illis conditionibus determinaturus Dei gratiam sibi ad efficiendum opus salutis oblatam: hic vero prævisus est non sic determinaturus gratiam sibi ad bene operandum præparatam.

Verum hæc non tollunt D. Augustini stuporem et timorem. *Cur illum potius quam illum liberet aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum ejus tam magnum profundum: veruntamen caveat præcipitium.* (1) Idem accidit Molinæ ac illi qui incidit in Scyllam cupiens vitare Charibdim. Vana hæc ratio conciliandi libertatem cum gratia, quæ adeo videtur facilis, maximis est involuta difficultatibus. Nam, 1. Quomodo Deus ante decretum suæ voluntatis cognoscit per scientiam mediam contingentia conditionate futura, quæ non habent determinatam veritatem, et consequenter scibilitatem, nisi per tale decretum? 2. Cum causa prima et causa secunda eadem actione indivisibili concurrant, quomodo causa secunda prius natura se determinat quam prima? 3. Cum concursus liberi arbitrii sit creatus contineaturque intra latitudinem entis, quomodo potest esse independens a concursu Dei? 4. Positis sub conditione talibus circumstantiis quibus congrue voluntas humana vocatur, vel potest dissentire vel non. Si potest dissentire, gratia non est infallibiliter efficax; si non potest dissentire, ejus libertas tollitur: 5. Fundamentum ejusmodi concordie est inintelligibile, innititur enim in eo quod creatum arbitrium prius se determinet ad actum liberum quam Deus concurrat ad illum; ideoque voluntas concurrenti ex parte Dei supponat præscientiam conditionatam concursus creati arbitrii, et tamen inter utriusque arbitrii concursum nulla est distinctio, nullus ordo prioris, nisi secundum rationem. Quis pos-

sit intelligere rationis distinctionem quæ simpliciter est nonens et nihil, esse fundamentum conciliandi gratiam efficacem et liberam voluntatem? Quid enim, si ratio nihil conciperet de illorum concursuum distinctione, dissolveretur concordia gratiæ efficaci, et libertatis creatæ? Deinde, quomodo Deus qui non concipit ut distincta, quæ ex natura rei non sunt distincta, talis concordie intelliget rationem? An forte, præfata conciliationis auctores *consultiores sibi met videntur Deo* (1), concipientes admirandam illam facillimamque concordie rationem, quam concipere non valet Deus, *quasi cognoscat aliquis quæ sint in Deo, nisi spiritus Dei?* (2) Fateamur potius Deum concordiam gratiæ et voluntatis perfectissime concipere, nos vero eam ignorare: illud solum tanquam certissimum tenentes, efficacem gratiam effectu suo frustrari non posse, et nihilominus creatam libertatem, quod placuerit agere posse, licet modum non dignoscamus quo Deus suæ gratiæ efficaciam libero arbitrio suavissime coaptat. *Cur ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, et si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt iudicia.* (3)

Nec obstat quod D. Augustinus in præfata congruitate gratiæ efficaciam constituere videatur. *Nullius Deus frustra miseretur, cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.* (4) Postquam de efficaciter vocatis locutus est Augustinus, de ineffaciter vocatis sic edisserit: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur.* Hæc, inquam, non obstant: tum quia assertores sive physice prædeterminationis, sive moralis præmotionis, sententiam suam etiam D. Augustini auctoritate fulciunt. Nam prædeterminantes afferunt D. Augustinum asseverantem voluntatem esse gratiæ velut pedisequam, deinde ex eodem Sancto Patre, *voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, et ut perseveret delectabilem perpetuitatem, et insuperabilem fortitudinem.* (5) Addit Augustinus: *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur.* (6) Auctores etiam moralis præmotionis locorum D. Augustini

(1) D. Aug. Ep. 105. ad Sixt.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (2) Tert. ibid. — (3) D. Aug. 1 p. 105. ad Sixt. — (4) Lib. 1. ad Simplician. qu. 2. — (5) l. de Correp. et Gral. c. 8. — (6) Cap. 10.

congeriem cumulant, quibus suam mentem tueantur; ut quoties D. Augustinus gratiam efficacem, victricem delectationem vocitat, asseritque hominem voluptate trahi, hac suavitate ad observanda mandata nos allicit. *Gratia nos delectat, eaque fit in nobis ut incipiamus et amemus quod præcipit nobis.* (1) Hac delectatione nobis quæ latebant aperit: *Ut ergo innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est.* (2) Hac delectatione, noxia concupiscentiæ delectatio rejicitur. *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, dat Dominus suavitatem beneficam, qua delectatur amplius continentia.* (3) Hac delectatione charitas roboratur et carnem vincit: *Concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis, ut e.e fide justus vivat, justeque vivat inquantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ.* (4) Hac delectatio a Deo postulanda est, ut tollatur virtutis impedimentum. *Per fulem confugiat ad Dei misericordiam, ut det quod jubet, atque inspirata animæ suavitate, per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.* (5) Tum quia loca D. Augustini (6) quibus gratiæ congruitas innotuit, nullo negotio solvuntur, non secus ac ea quæ produnt prædeterminantes physici, et moralis præmotionis auctores. Cum enim D. Augustinus asserit Deum vocare voluntates eo modo quo novit illis esse congruum ut respondeant, non dicit congruitatem illam esse intrinsecam gratiæ, sed tantum per cooperationem prævisam, quam voluntates sunt ei daturæ in tempore. Ab æterno enim decrevit Deus dare gratias indifferentes omnibus hominibus; differentes tamen, aliis majores, aliis minores, omnibus sufficientes. Postea vidit qui essent cooperaturi, qui non per scientiam mediam, sed per scientiam visionis, quæ supponit decretum voluntatis suæ; quos autem vidit cooperaturos, prædestinavit; quos vidit non cooperaturos, reprobavit. Deinde in tempore dedit gratias prædestinatis quibus sunt infallibiliter cooperaturi; collatio enim gratiæ quæ fit in tempore, debet esse conformis decreto Dei æterno. Eadem facilitate solvuntur loca D. Augustini quæ afferunt physici prædeterminantes: cum enim dicit gratiam esse irresistibilem, irrepudiabilem, ineluctabilem, sumit gratiam efficacem completam, in tota sua latitudine sumptam, prout habet

operationem annexam. Tunc enim non potest non agere, alias ageret et non ageret; esset efficax et non esset efficax: sumpta tamen gratia incomplete, prout precise abstrahit ab operatione, repudiari potest. Eodem modo solvuntur loca pro moralis præmotionis assertoribus asserta; suaves enim illæ delectationes non tollunt absolute moralem voluntatis libertatem, sicut nec graves tentationes quando urgent; voluntas semper illis resistere valet, etsi magna cum difficultate; quo modo explicandus est D. Augustinus, ne sibi contrarius videatur, qui ea quæ de gratia scripsit, non desiderat velut oracula suscipi, et pertinaciter propugnari. *In quæ scripsimus, ita nostra vel aliorum exercentur vel erudiatur infirmitas; ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur auctoritas.* (1) Hoc namque constituit discrimen inter libros canonicos et Sanctorum Patrum scripta, quod in illis nihil est reprehensibile, in his vero reperitur multoties aliquid reprehensione dignum. *Invenitur aliquid quod merito reprehendi possit in christianis et piis litteris oratorum, et non invenitur in litteris piscatorum:* et ita mirum non est si ad explicandam gratiæ efficaciam ad inscrutabile Dei judicium assurgat. *Sufficit homini scire quod non est iniquitas apud Deum, jam quomodo ista dispensat? Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Si ergo ad honorem gratiæ pertinemus, non simus ingrati, tribuendo nobis quod accepimus* (2): sed cunctas nostras operationes referamus ad Deum, qui pro sua bonitate et misericordia largitus est nobis gratiam fecundam et amabilem.

II. PARS. *Et deducet te, inquit, magnitudo dexteræ tuæ; virtus scilicet gratiæ spiritualis.* (3) Multa bona habemus a gratia, nam insufficientiæ nostræ sufficientiam præstat, torporem nostrum excitat, impotentiam adjuvat, ad fidem et religionem vocat, viresque ad præliandum et operandum subministrat. Quoad sumus in seculo, sumus peccatis obnoxii, tentationibus expositi, ad servandam Dei legem adstricti; et quomodo fugere peccata, tentationibus resistere, divina præcepta custodire poterimus? *Respondebo: Si Spiritus dederit.* (4) Spiritus Sancti gratia supplet defectus naturæ vitiatæ, nobisque præbet vires et arma quibus valeamus 1. Peccata vitare; 2. Tentationes superare; 3. Divina præcepta servare.

(1) Tract. 26. in Joan. — (2) L. 2. in Bonifac. 9 — (3) L. 2. de Peccat. merit. 17. — (4) L. de Contin. c. 5. — (5) In Enchir. c. 18. — (6) Lib. de Spir. et Lit. c. 29.

(1) Lib. de octo. Dulcitiæ Quæst. q. q. 5. — (2) D. August. L. 1. Cont. Duas Ep. Pelag. cap. 20. — (3) Tert. Lib. adv. Jud. 9 — (4) Tert. Lib. 2. ad Uxor. 2.

1. *Sed homo malus.* (1) Homo in bonitate creatus fuerat, quia ultra bonitatem entis quam a suo acceperat auctore, supernaturalem justitiæ originalis et gratiæ mutuarat bonitatem. *At contraria propositione oblique et figuraliter exprobrans, ideo malum hominem quia a Deo bono abscesserit.* (2) Primus parens a Deo bono per culpam recedens malus et criminosus effectus est suosque posteros scelerosos, et ad peccatum et malitiam pronos reddidit: *Nam et rivulus tenuis ex suo fonte, surculus modicus de sua fronde, qualitatem originis continet.* (3) Regius Vates probe sciens quantam propensionem ad malum et peccatum homines ab Adamo hæreditarunt, præ stupore clamat: *Delicta quis intelligit?* (4) Aquila legit: *Ignorantias quis intelligit?* D. Hieronymus vertit: *Erroribus quis intelligit?* D. vero Ambrosius interpretatur: *Lapsus quis intelligit?* (5) Tot sunt ignorantiae quæ involvunt hominum ingenia, tot sunt lapsus in quos corruunt, tot sunt peccata quæ committere solent, ut David quantumvis divina sapientia illustratus ea ignoret. Talis ac tanta hominum ad peccata propensio, gratiæ exspostulat auxilium, ut lapsus ad quos proni sunt valeant vitare. *Quanto magis regnat in uno quoque gratia, tanto minus dominatur iniquitas* (6) Lotharingiæ Cardinalis pyramidem erexit cui erat hedera annexa, cum hoc schemate: *Te stante virebo.* Ut Christianus valeat stare nec cadere in peccatum, auxilio gratiæ sustentari debet; nullatenus cadet si efficaci sustentetur gratia, quæ est *semen illud arcanum electorum quod sibi imbuunt* (7), et quo imbuti peccata vitant, et de illis victoriam reportant: *Victoria qua peccatum vincimus, nihil est aliud quam donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium* (8), quo et peccata fugit et tentationes superat.

2. Christus Dominus hortans discipulos: *Vigilate et orate, ne incidatis in tentationem*, his verbis denotat *neminem intentatum regna cælestia consecuturum.* (9) Non loquitur de tentatione qua Deus suos etiam probat amicos, sed de tentatione quæ procedit vel a dæmone ad malum instigante, vel de passione rationem exagitante, vel de concupiscentia adversus voluntatis rectitudinem decertante. Hæc autem tentatio triplici motivo potest superari: 1. Propter aliud

peccatum, quomodo vincitur actus luxuriæ ob avaritiam; 2. Propter amorem Dei: sic Christianus vincit animadversionem et appetitum vindictæ; 3. Propter honestatem ut quando quis resistit gulæ ob honestatem sobrietatis. Primo modo tentatio vincitur sine gratia; secundo modo tentatio non vincitur nisi cum gratia. De tertio modo vincendi tentationem, scilicet propter honestatem, procedit quæstio: circa quam errarunt Pelagius et Baius: Pelagius docuit liberum arbitrium sine gratia omnes posse superare tentationes; Baius voluit nullam quantumvis tentationem posse sine gratia vinci. Uterque damnatus fuit, et merito Pelagius quidem a Cœlestino primo: *Nemo etiam baptizatus idoneus est ad superandas diaboli insidias et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* (1) Fuit etiam Pelagius damnatus a Concilio Diospolitano relato a D. Augustino. *Quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis et illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei fateatur Pelagius, nostram provenire victoriam.* (2) Baius etiam damnatus fuit a Pio V et Gregorio XIII. Experientia namque constat posse oriri tentationes adeo leves, ut possint facile superari per actum honestatis contrarium, vel propter sanitatem, vel propter timorem infamiæ et pœnæ; quo sensu ait Tertullianus: *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit.* (3) Inter hæc extrema, media tenenda est via: licet enim tentatio levis, imo gravis, modico tempore durans possit vinci sine gratia, ad vincendam tamen gravem tentationem longo tempore durantem, requiritur gratia. *Pugna contra concupiscentiam: Deo desistente ab adjutorio laborare potes, vincere non potes.* (4) Quod declarat Innocentius primus Summus Pontifex epistola ad Episcopos Galliæ quæ est inter Augustinianas: *Quotidiana præstat Deus remedia, quibus nisi freti, confisque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, iterum non adjuvante vincamur.* Dum enim gravis urget tentatio, recta debet excitari cogitatio quæ voluntatem incliniet ad boni honesti dilectionem, ex cujus amore gravis illa tentatio vincatur. Talis autem cogitatio est ut plurimum a gratia excitante; imo talis cogitatio excitata saltem pro longo tempore nequit sine gratia præferre bonum honestum

(1) Tert. L. de Test. Anim. 2. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. L. de Spect. 7. — (4) Psal. 18. — (5) In Psal. 50. — (6) D. Aug. in Psal. 118. — (7) Tert. L. de Carn. Christ. 19. — (8) D. Aug. L. de Grat. et Liber. Arbit. c. 4. — (9) Tert. L. de Bapt. 20.

(1) Ep. ad Gallos. — (2) Ep. 106. — (3) Tert. Apol. 1. — (4) D. Aug. in Psal. 106.

utili et delectabili. « Cæterum si tu innocentiae, si justitiae viam teneas, si illapsa firmitate vestigii tui incedas, si in Deum viribus totis ac toto corde suspensus, hoc sis tantum, quod esse cœpisti. » *Tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiae spiritalis augetur.* (1) Incrementata concupiscentia et vehemens tentatio non potest superari nisi per gratiae augmentum: quapropter Apostolus *Deo gratias dicit, quod nobis victoriam utique referre præstiterit* (2) de passionibus, quas facile detriumphamus, dum *Spiritum Sanctum percipimus intrinsecus debellatorem, victoremque vitiorum, et passiones forinsecus exclusæ, pulsant, tentent, provocent, sed concidunt ad nostrorum gloriam triumphorum.* (3) Prostratis autem per gratiam passionibus et tentationibus, gratia nos adjuvat ad divina custodienda mandata.

3. Legem observatu impossibilem non dedit Deus homini: *Non enim poneretur lex ei qui non haberet obsequium debitum legi, in sua potestate.* (4) Licet enim homo in statu naturæ lapsæ totam Dei legem servare nequeat solis naturæ viribus, potest tamen illam custodire auxiliante gratia, quam Deus nulli denegat: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et dat ut possis.* (5) Jubet primo facere quod possumus, id est, ut mediante gratia sufficienti, præcepta custodiamus observatu facilia: quod si ea servare non possumus cum gratia communi remote vel proxime sufficienti, ob graves tentationes et vehementes passiones quæ occurrunt, jubet ut petamus quod non possumus, id est, ut petamus gratiam specialem, mediante qua vincamus tentationes præceptaque servemus: postulatam autem hanc specialem gratiam dat Deus, ut possimus, et præcepta de facto custodiamus. Hæc verba mutuavit Concilium a D. Augustino: qui inde colligit: *Eo quippe ipso quod credimus Deum bonum et justum nihil potuisse impossibile jubere, monemur per hoc quid in facilibus faciendum sit, et petendum in difficilioribus.* (6) Lutherani et Calvinistæ docentes præcepta divina etiam cum gratiæ auxilio esse observatu impossibilia, damnati sunt a Concilio Tridentino: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratia constituta esse impossibilia, anathema sit!* (7) Hoc anathemate feritur hoc dog-

ma: « Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentibus quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis gratia quæ possibilis fiant. »

(1) In hac propositionem insurgit Innocentius X, Summus Pontifex: « Hanc propositionem declaramus temerariam, impiam, blasphematoriam, jam anathematisatam et hæreticam, et ut talem damnamus. » Pontificio fulmine eam adhuc ferit Alexander VII, quam execratur D. Hieronymus(2), D. quoque Basilius impiam asseverat: *Impium est dicere Spiritus divini præcepta esse impossibilia.* Qui blasphemam illam et impiam doctrinam sustinent, Deum accusant insipientiæ, injustitiæ et sævitiæ. Insipientiæ: *Quis enim non clamet stultum esse condemnare illum qui potestatem non habet servandi ea quæ præcipiuntur?* (3) Injustitiæ: nam, ut addit ibidem D. Augustinus, *summæ iniquitatis est aliquem tenere reum, quando non facit id quod non potest facere.* Sævitiæ, damnando ad æterna supplicia hominem qui non servaverit præcepta quæ nullo modo potest servare. Constat namque ex D. Augustino *neminem vituperatione suppliciove dignum, qui id non facit quod facere non potest.* (4) Absit ut Deum accusemus, eique adscribamus tot defectus, essentiali ejus sapientiæ, justitiæ et misericordiæ ex adverso contrarios. *Ne accuses Dominum, nihil impossibile jubet.* (5) Redarguamus potius cum D. Augustino impietatem eorum qui Deum præcepta impossibilia dedisse temerarie asseverant: *Execramur etiam blasphemiam eorum qui dicunt impossibile homini aliquid esse præceptum.* (6)

Quo faciliora sunt cum gratiæ auxilio divina præcepta, eo magis urgetur homo ad eorum observationem, fitque criminiosior et majori supplicio mulctandus, si ea non custodit. *Quanto perpetrabile est, uti nostræ potestatis, tanto culpabilius est non observare quod possis.* (7) Hoc namque est discrimen inter consilium et præceptum, quod homo non tenetur sequi consilium, neque puniendus est si illud non amplectatur; sed tenetur ad observationem præcepti, incurritque pœnam si illud non observat: *suasum impune quis negligat, quam jussum.* (8) Deus autem suorum præceptorum observationem non consulit, jam non suadet, sed

(1) C. Cypri. Ep. 2. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (3) Chrysost. Serm. 115. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 5. — (5) Trident. Sess. 6. c. 11. — (6) L. de Nat. et Grat. cap. 45. cap. 69. — (7) Sess. 6. Cant. 18.

(1) Jansen. L. 3. de Grat. Chr. 11. — (2) In Expos. Symbol. ad Damas. — (3) D. Aug. L. de Fide. Cont. Manic. c. 19. — (4) Lib. de duab. Animab. c. 11. — (5) D. Chrysost. Hom. 8. de Pernit. — (6) Serm. 191. — (7) Tert. L. 2. ad Uxor. 1. — (8) Tert. ibid.

exerte jubet. (1) Imo ut validius nos ad observantiam induceret, *adjecit pondus legis suæ*; tum supremam suam interponendo auctoritatem, tum ordinando observatoribus æternam mercedem, inobsequentibus interminabilem pœnam: *igitur nisi obsequimur, periclitamur.* (2) Hac pœna mulctantur qui legem Dei non custodiunt; non custodiunt autem, quia ab eis est gratia impedita et lacrymabilis.

III. PARS. Quantumvis gratia sit ex semetipsa potens ad debellandos dæmones, domandas passiones, exstinguendos concupiscentiæ æstus, servandaque divina mandata, in hominibus qui suum ei præbent consensum, verumtamen *si desunt, irritam et ingratam reddunt, velut exarmatam et naufragam.* (3) Vanam et inutilem reddunt gratiam, eam exarmant, eique naufragium parant, vel per negligentiam, vel per imprudentiam, vel per malitiam. 1. Per negligentiam, gratiam sibi necessariam in oratione non petunt; 2. per imprudentiam, gratiæ susceptionem impediunt; 3. per malitiam, oblatam gratiam rejiciunt.

1. Christus Dominus in oratione dominica Christianos stimulans ad orationem ne succumbant tentationibus, innuit quanta debet esse *sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ.* (4) Quo majus est cadendi periculum, eo major debet esse sollicitudo ad postulandam in oratione gratiam. Primpili Christiani probe scientes quod sæpe sæpius modestia, sobrietas, et interdum castitas in conviviis naufragantur, adversus hæc omnia gratiæ præsidio sese muniabant, nec prius accumbebant mensæ quam eam in oratione postulassent. *Non prius discumbitur quam oratio prægustetur.* (5) Divinum illud præsidium postulabant fideles, præsertim tempore persecutionis, ne suppliciorum timor, carnicum crudelitas, et tyrannorum astutia eos avocaret a fide. *Seil quando Deus magis creditur, nisi in tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est; tunc et fides in expeditione sollicitior, et disciplinatio, in jejuniis, et stationibus, et orationibus, et humilitate, in alterutra diligentia.* (6) His pietatis vacabant operibus, implorantes divinam misericordiam, ut eis suam benigne largiretur gratiam, qua muniti possent se defendere a dæmonum astutia, tyrannorum sævitia, tortorum immanitate, tormentorum crudelitate. Quantas acceperint ob oratione vires adversus atrocissima quæque crudelitatis ingenia, ipsimet declarant. *Sic itaque nos ad*

Deum expansos ungu læ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gludii guttura destruncent, bestię insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. (1) Unde illis inter tot suppliciorum genera, tanta animi fortitudo? Nimirum a gratia, quam a Deo imploraverant, fervide orantes manibus expansis. Miratur merito Philo Judæus quomodo Abraham cum trecentis duntaxat domesticis, facillime debellaverit quinque reges potentissimos, victoria de Lothi reportata adhuc tumidos, numero-soque exercitu stipatos; verum Abrahami triumphus divino præsidio debetur, quod Melchisedech suis obtinuit orationibus, quas belle Philo *victoriales preces* (2) nuncupat. Preces victoriam negotiantur, quia obtinent gratias quibus obtinetur victoria.

Quandiu sumus in hoc seculo, aggredimur undique ab hostibus validissimis, habemus adversus nos dæmones, circa nos mundi oblectationes, intra nos concupiscentiam et passiones, undique obsidemur, undique tentamur, potentiore indigemus præsidio ne in prælio succumbamus. Sola gratia nos a tantis valet liberare periculis, *quoniam gratia transcendit necessitatem.* (3) Gratiæ officiositas, non modo nostræ subveniendæ necessitati occurrit, sed longe illam transcendit. Parum est Deo, auxilia sua cum nostra necessitate taxare, gratiam nobis ultra necessitatem offert: non modo nos ab hostium incursibus liberare desiderat, sed ulterius nos de illis victores efficere exoptat, modo præsidia gratiæ in oratione postulemus. *Humanam opponit necessitatem, quasi deprecatricem.* (4) At proh dolor! in tanta gratiæ necessitate, in tantis periculis, multi per negligentiam nolunt vacare orationi, ut a Deo obtineant gratiam tantopere illis necessariam. Sine gratia non possunt passionum frænare impetus, concupiscentiæ temperare æstus, dæmonum sustinere conflictus, et pro sua negligentia gratiam non postulant. Sine gratia non possunt neque virtutum supernaturalium actus elicere, neque divina præcepta custodire, neque immortalem beatitudinem acquirere, et tamen adeo sunt negligentes ut eam non expostulent. Sine gratia sunt in periculo æternæ damnationis, et tamen ut se ab æterna eximant miseria, gratiam non quærunt. Ea est Christianorum infelicitas qui salutis negligentia laborant: nec minus infausti, qui per imprudentiam gratiæ susceptionem differunt.

2. *Quæ voluntas sine concupiscentiæ sti-*

(1) Tert. L. 2. ad Uxor. 1. — (2) Tert. L. 2. ad Uxor. 1. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 9. — (4) Tert. L. de Orat. 9. — (5) Tert. Apol. 59. — (6) Tert. L. de Fug. in Pers. 1.

(1) Tert. Apol. 50. — (2) Lib. de Cong. quærend. erudit. — (3) Orig. Hom. 52. — (4) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 12.

mulo est? Sed et cura accedet voluntati. Quis volet, quod non concupiscet? Quis enim volet quid, et concupiscet, et non curabit? (1) Quando quis aliquid amat, ejus possessionem desiderat; qui alicujus rei possessionem exoptat, cuncta quibus illam potest consequi sollicitè curat. Homines seculo dediti, terrena bona quæ possident vehementi diligunt amore, et quæ non habent, omni studio et sollicitudine sibi comparare nituntur: in fortunæ augmento totam suam adhibent curam, prudentiamque constituunt. *Secularibus satisfacientes sumus.* (2) Verius dixisset, nimium prudentes sumus: nimia hæc terrenorum sollicitudo gratiæ impedit negotium, ut patet ex parabola hominis Evangelici cunctos ad cœnam magnam vocantis. « Et cœperunt simul omnes excusare: primus dixit ei: Villam emi et necesse habeo exire, et videre illam; rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. » (3) In primo qui sese excusavit eo quod emisset villam, denotatur superbia seu ambitio. *In villa dominatio notatur. Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere, et dominari delectat.* (4) In secundo sese excusante eo quod quinque boum emisset juga, denotatur avaritia, sicut enim jugum boves ligat et constringit, ita avaritia ligat et illaqueat animas. *Qui volunt divites fieri incidunt in laqueum diaboli.* (5) In tertio inurbane dicenti: Uxorem duxi et non possum venire, *quid per uxorem nisi carnis voluptas accipitur?* (6) Nimia quæ impenditur sollicitudo in captandis voluptatibus, divitiis et honoribus, a cura salutis evocat homines, impeditque ne gratiæ præbeant consensum et christiane vivant. Quibus idem exprobari posset quod D. Paulinus cuidam Jovio tributario. *Omniū Poetarum floribus spiras, omniū oratorum fluminibus exundas, philosophiæ fontibus irrigaris. Quæso cum Tullium legis aut Demosthenem, ubi tunc tributa tua? ut istis occuperis immunis et liber es, ut Dei sapientiam discas, tributarius et occupatus es? Vacat ut sis philosophus, non vacat ut sis Christianus.* (7) Potest-ne major concipi imprudentia? Quam vere dicit Salvator: *Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis.* (8) Plus enim temporis et studii adhibent in comparandis fortunæ bonis, quam Christiani in adipiscendis pretiosis gratiæ

thesauris. Quos sic hortatur Gregorius Nazianzenus: *Vobis providendum est ne ad gratiam incunctanter accedatis; verum summam celeritatem adhibeatis* (1) in ejus possessione, ne mundanorum prudentia vestram imprudentiam condemnet. Magna equidem Christianorum iniquitas, qui ob negligentiam in oratione gratiam non petunt: major eorum qui ob imprudentiam gratiæ efficaciam impediunt, sed maxima eorum qui per malitiam gratiam rejiciunt.

3. *Porro, ut frugum seminibus, una generis cujusque forma est; processus tamen varii. Alia integra statu evadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant pro conditione cœli et soli, et pro ratione operis et curæ, pro temporum eventu, pro licentia casuum.* (2) Belle declarat Tertullianus causam cur idem semen non eodem modo pullulat: aliud enim abunde fructificat, aliud vero degenerat, et hoc multiplici de causa, quam ipse refert. Eodem modo ratiocinandum est de gratia semine cœlesti et divino quod aliquando secundatur dum adest hominis consensus, aliquando sterile est, vel ob varios qui accidunt casus et causarum extrinsecarum impedimenta; vel ob defectum curæ et operis; vel ob conditionem soli, id est, hominis in quo velut in agro seminatur. Quod evidentur comprobatur ex prima parabola quam proposuit Christus, ab Evangelista relata. « Exiit qui seminat seminare semen suum, et dum seminat, aliud cecidit secus viam et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud; et aliud cecidit super petram, et natum aruit, quia non habebat humorem; et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud; et aliud cecidit in terram bonam, et fecit fructum. » (3) Hujus parabolæ trinam expositionem subministrat Tertullianus. 1. Per semen illud a Deo seminatum, Christianam et Catholicam intelligit doctrinam, quæ conculcata fuit a dæmone, quem legis *avenarum superseminatorem, et frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem vocat.* (4) Avena autem quam loco frumenti superseminat diabolus, est hæresis et mendacium quod fide et veritate posterius est. *Ex illius quoque parabolæ patrocínio, quæ bonum semen frumenti a Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterum ab inimico diabolo postea supeducit, proprie doctrinarum distinctionem figurat.* (5) 2. Per semen illud a Domino semi-

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (2) Tert. L. 1. ad Uxor. 1. — (3) Luc. 14. — (4) D. Aug. Serm. 3. de Verb. Dom. — (5) 1. Timoth. 6. — (6) Greg. Magn. Hom. 56. — (7) Epist. 56. — (8) Luc. 16.

(1) Orat. in Sanct. Baptisma. — (2) Tert. L. de An. 20. — (3) Luc. 8. — (4) Tert. L. de An. 16. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 31.

natum Dei verbum intelligit, *quia et alibi verbum Dei seminis similitudo est* (1): quod a prædicatoribus seminatum cadit diversimode, prout audientium disposita sunt corda. 3. Per illud semen intelligit gratiam quæ cum sit Christi meritis comparata, constat *per eum seminalia cæli, ad terram deferri* (2): et licet cunctis generatim hominibus fiat *dispersio seminum* (3); quibus scilicet dantur gratiæ sufficientes per projecta *in terram seminalia* (4) significatæ, non tamen in omnibus fructum afferunt. Non satis est *semina sumpsisse* (5), requiritur adhuc studium et labor ut *opere semina evadant* (6) frugifera. Si terra sit vel *semini stupida* (7), vel inculta, aut si inter spinas vel secus viam, vel super petram projiciatur semen, fructus frustra expectatur, non ex defectu seminis; *etiam fructus omnis jam in semine est* (8) radicaliter, quia gratia in actu primo est efficax, et incomplete fecunda; sed ex defectu soli, quod non concurrat ad seminis fecunditatem: spinæ, nimirum sollicitudines seculi, suffocant illud; non radicator in viis cunctis tentationibus expositis. Petræ, nempe corda peccatis obdurata, non suscipiunt sed rejiciunt illud.

Idem scelerosis illis Christianis gratiam respicientibus accidit, quod Judæis qui non recipientes *Christum fontem aquæ vivæ* (9), in pœnam suæ malitiæ et incredulitatis gratias proxime sufficientes non habuerunt: *et istam sitim divini Spiritus eos passuros dixerat propheta Esaias dicens: Ecce servientes mihi potabuntur vos autem sitiatis.* (10) Christiani qui fideliter gratiæ cooperantur, qui bonis sedulo vacant operibus, abundantiores suscipiunt gratias, quibus cœlestibus bonis fecundentur. Sicut peccatores sceleribus assueti gratiam sibi oblatam infauste recusant, ita Christiani virtutum studiosi feliciter suscipiunt divinum semen, quo fructus proferant cœlo dignos. *Ita facilius hujusmodi lucrifunt, in quos Dei gratia consuetudinem fecit.* (11) Scelerosi suis criminibus impediunt abundantem gratiæ largitatem; justis suis virtutibus donorum cœlestium merentur affluentiam, et *dominiæ gratiæ quasi visceratione quadam fruuntur, jejulantibus cæteris a salute* (12): quia suis iniquitatibus sese præstiterunt indignos gratia abundantem et proxime sufficientem, qua

consequitur salutem. Christiane, si non vis jejunare a salute, noli contemnere et rejicere gratiam, et ut cœlum valeas adipisci, esto gratiæ fidelis, tuum illi præbe consensum, et produce cum illa fructus vitæ æternæ.



CONCIO QUARTA.

Quot *patrocina naturæ, quot privilegia gratiæ?* (1) Multa quidem privilegia humanæ naturæ largitus est Deus, quam effecit *molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem* (2): sed multo plura dedit Deus homini gratiæ dona, quibus naturam nobilitat: verum tanta concinnitate ut ejus privilegia non destruat, dum ei suum auxilium præstat: *Utraque alteri necessaria est, et industriæ gratia, et gratiæ industria, et vicariam opem sibi communicant.* (3) Gratia est necessaria naturæ, sine qua potest quidem male agere, sed non potest salutis opus efficere. *Hæc est disciplina Christiana quod nemo facit bene nisi gratia: quod facit homo male, ipsius est hominis; quod facit bene de beneficio Dei facit.* (4) Natura est necessaria gratiæ, cui suum debet præbere consensum, ut gratia possit ei justitiam conferre. Nam ex vulgari illo D. Augustini effato, hominem alloquentis: *Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei; qui fecit te sine te non justificabit te sine te.* (5) Natura et gratia vicariam opem sibi communicant; nam natura est subjectum gratiæ, gratia vero est auxilium simul et decus naturæ; per quam Deus vocat hominem, 1. Multiformiter; 2. Suaviter; 3. Sapienter.

I. PARS. Quot modis hominem allicere nititur Deus! *Et jubet, et suadet, et præcipit, et rogat, et hortatur, et comminatur.* (6) In multiformiti illa varique gratia quam homini donat Spiritus Sanctus, D. Augustinus velut divinæ Trinitatis agnoscit imaginem. In Trinitate, origo Patri attribuitur; Filio, cognitio; Spiritui Sancto, dilectio. Origo Patri, quia est prima persona improducta; cognitio Filio, quia est notitia genita; dilectio Spiritui Sancto, quia est charitas spirata. *Gratia est initium existendi, ratio cognoscendi, lex amandi: 1. Ut imago Patris, est initium existendi; 2. Ut imago Filii, est*

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 51. — (2) Tert. L. 2. ad Nat. 12. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 16. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 15. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 55. — (6) Tert. L. 2. ad Nat. 12. — (7) Tert. L. de An. 26. — (8) Tert. Apolog. 18. — (9) Tert. L. adv. Jud. 15. — (10) Tert. ibid. — (11) Tert. L. 2. adv. Marc. 7. — (12) Tert. L. adv. Jud. 14.

(1) Tert. L. de Bapt. 9. — (2) Tert. L. de Res. 9. — (3) Gilbert. Serm. 7. in Cant. — (4) D. Aug. in Psal. 95. — (5) Serm. 15. de Verb. Apost. — (6) Tert. L. 2. ad. Uxor. 2.

ratio cognoscendi; 3. Ut imago Spiritus Sancti, est lex amandi.

1. *Nihil sine origine, nisi Deus solus*(1), qui cum sit prima rerum omnium causa, nullum suæ divinitatis agnoscit auctorem: homo vero cum sit in tempore productus, sui esse habet originem; et quia *omne omnium genus censum ad originem refert*. (2) Duplex in homine Christiano recensenda est origo: una naturalis, altera supernaturalis. Illam habet a protoparente. *De olivæ nucleo, et nuce persivi, et grano piperis sub terra temperato, arbor exurgit in ramos, in speciem sui generis. Eam si transferas, vel de brachiis ejus in aliam sobolem utaris, cui deputabitur quod de traduce provenit? num illi grano, aut nuci, aut nucleo? Nam cum tertius gradus secundo adscribitur, æque primo secundus, sic tertius redigitur ad primum transmissus per secundum*. (3) Hac comparatione belle declarat Tertullianus cunctorum hominum originem referendam esse ad Adamum, quem vocat *granum primordiale*; quod bonum fuerat a Deo seminatam, sed ipsiusmet Adami malitia deinde corruptum. Originem supernaturalem homo habet a Deo, a quo per gratiam spiritualiter generatur. *Sed ex Deo natus est. Quasi credentes in nomine ejus designet*. (4) Hæc autem spiritualis generatio erat homini necessaria ad salutem. *Quisquis carnaliter generatur, generari spiritualiter opus habet, ut ad regnum Dei perducat*. (5) Nemo etenim potest Dei regnum consequi nisi sit mundatus a peccato quod accepit ab originis naturalis principe. *Et stirpis humanæ et offensus in Deum princeps Adam*. (6)

Quod si Christianus taxetur, *ex originis censu* (7) origo naturalis est probrosa et noxia: probrosa, quia eum dedecorat. *Facit hoc et ad originis maculam*. (8) Quod sit scelerosa utpote protoparente sceleroso procedens. Noxia, quia hominem toxicat, eique simul cum macula peccati mortem communicat. Nam sicut rivulus qui a fonte venenoso procedit est venenosus, ita homo ex massa corrupta generatus est venenosus et mortalis, quia scilicet *defecerat ille qui est originis fons*. (9) Origo supernaturalis est decora et utilis, carnalem originem reparans: et quemadmodum hæc peccatum confert et mortem, ita illa gratiam largitur et vitam:

Simul itaque peccato et morti primi hominis obnoxii nascuntur in carne, et simul justitiæ, vitæque æternæ secundi hominis sociati renascuntur in baptismo. (1)

Neutra origo a nobis est. Non naturalis, quia parentes generant nos sine nobis, et generando originale communicant delictum absque nostræ voluntatis consensu. Neque etiam supernaturalis, quia Deus primam nobis largitur gratiam sine nobis libere volentibus, quæ ita est gratuita ut nullatenus possimus, neque illam producere, neque mereri, neque etiam ad illam nos disponere. Non possumus producere gratiam; quia pura natura non potest ens supernaturale producere: neque mereri, quia principium meriti non cadit sub merito. Neque ad illam nos disponere: si etenim ad gratiam possemus nos naturaliter disponere, hoc esset uno ex his tribus modis: vel remotissime, vel remote, vel proxime. Non remotissime, facientes scilicet aliquod opus naturale ad quod Deus respiciens teneatur dare gratiam, vel ex natura actus, vel ex promissione divina. Non ex natura actus: hoc enim Pelagianum sapit. Neque ex promissione divina: hujus enim promissionis nullum reperitur in Scriptura vestigium. Non possumus adhuc remote nos disponere ad gratiam, ita ut aliquod opus naturale faciamus, cui Deus teneatur conferre gratiam actualem, mediante qua eliciamus opus aliquod supernaturale dignum et meritorium gratiæ habitualis: hoc enim Semipelagianum redolet, destruitque gratiam prævenientem, qua Deus nos prævenit antequam mereamur aliquid, quia nullum datur meritum sine gratia habituali vel actuali. Tandem non possumus nos disponere, proxime scilicet, et facere aliquod opus naturale, cui Deus teneatur infallibiliter conferre gratiam habitualement. Nam, ut docet Trident. *Ipsius justificationis exordium in adultis per Jesum Christum, præveniente gratia, sumendum est*. (2) Inde concludit D. Augustinus: *Non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa monitione motus ad fidem* (3): quia gratia tanquam imago Patris est initium existendi, et ut imago Filii, est ratio cognoscendi.

2. *De gratia Christi agnitio deducitur*. (4) Mysteria quæ superioris sunt ordinis, et na-

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (2) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 12. — (4) Tert. L. de Carn. Christ. 18. — (5) D. Aug. L. de Pcc. Mer. 16. — (6) Tert. L. de Pæn. 12. — (7) Tert. L. de Cor. Mil. 10. — (8) Tert. L. de Spect. 5. — (9) Tert. L. de An. 24.

(1) D. Ang. L. 1. de Pcc. Mer. 16. — (2) Sess. 6. Cant. 5. — (3) L. 1. Quæst. ad Simplician. quæst. 2. — (4) Tert. L. adv. Jud. 9.

turæ superant vires, nequeunt rationis discursu cognosci. Non quod in se cognoscibilia non sint, sed quia ratio debilis est, et ad eorum notitiam non assurgit. *Non magnitudo lucis hebetat oculos; quæ solis a Deo creata est oculis, sed oculorum infirmitas lucis totam sustinere non potest et ferre lucem.* (1) Duo cognoscibilium genera distinguit Apostolus. Quædam vocat nota Dei, alia profunda Dei nuncupat. Illa naturæ non superant ordinem, ista supernaturalia dicuntur: illa patent intellectui, hæc occultantur rationi, neque nisi gratiæ auxilio possunt attingi: quia nihil agit extra vim suam naturalem nisi per aliquam formam extrinsecus superadditam. Aqua calefacere non potest, nisi calorem ab igne susceperit, neque intellectus objecta supernaturalia cognoscere, nisi ad hanc notitiam divino elevetur auxilio. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, posse hominem credere sicut oportet, anathema sit!* (2) Concilium Pelagium damnat docentem nihil aliud requiri ad hoc ut intellectus assentiatur veritatibus christianis et credat, præter prædicationem et miraculorum operationem. Contrarium expressis terminis ab Apostolo docetur. *Gratia salvi facti estis per fidem, non ex vobis: donum Domini Dei est.* (3)

Duplex est gratia. Alia externa, alia interna. Illa cuncta complectitur, externa quæ ex divina ordinatione possunt concurrere ad hominis salutem. Hæc est speciale Dei auxilium nobis, ad consequendam salutem gratis concessum. Illa est extra animam, in quam non agit, nisi medio corpore: non enim adultus credit verbo Dei, nisi audiat concionem. Hæc interius animæ infunditur: Ad illam possunt concurrere homines, hanc solus Deus infundit. *Da mihi navim vacuum, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, et nusquam esse spiritum venti; nonne tardat omnis quantuscunque est apparatus, si desit operatio spiritus? Ita fieri solet: licet sit ampla sermonis suppellex, et mens profunda, et eloquentia et intelligentia, si non adsit spiritus, qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia.* (4) Frustra suis concionibus prædicator ferit aures corporis, nisi Dei gratia interius illustret oculos mentis. *Utique eloquium divinum et vim et gratiam præstabat.* (5)

Hoc fuit Christo peculiare conferre gratiam internam eis quibus annuntiabat verbum Dei. Alii concionatores aures duntaxat

exterius pulsant, sed Deus interius illustrationes infundit, *ille spiritus demoniacæ et angelicæ paraturæ, noster ob divortium æmulus, et ob Dei gratiam invidus* (1), exterius duntaxat afficere potest, et si malas interdum menti ingerit cogitationes; hoc indirecte facit, quia scilicet movet phantasiam et decipit sensus, a quibus intellectus in suis operationibus dependet. Deus solus mentis et voluntatis humanæ auctor, harum facultatum supremum possidet dominium, quas pro sua auctoritate potest immediate sua gratia illustrare et movere. Ut enim optime ad propositum ait D. Bernardus: *Inest Angelus suggerens bona, non ingerens; inest hortans ad bonum, non bonum creans: Deus sic inest, ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur, ut participetur. Angelus ergo cum anima, Deus in anima: ille ut contubernalis animæ inest, Deus ut vita.* (2)

Gratiam illam actualem et prævenientem, quam Deus infundit intellectui, D. Augustinus vocitat vocationem, auditionem a Patre, admonitionem, lucem, certam scientiam, primam visorum suasionem. *Major pene vis hominum ex visionibus Deum discunt.* (3) Quandiu terra tenebris obvolvitur, oculi corporis nequeunt intueri res sensibiles: eodem modo ratiocinandum est de oculis mentis, qui ad salutem necessaria non vident quamdiu sunt in nocte. *Deus est lumen, nos sine illo tenebræ: si ab eo recesseris, in tuis tenebris remanebis; si ad eum accesseris, non de tuo lucebis: ergo lux in Domino: ergo tenebræ sine Domino.* (4) Nicolaus Cabasilas (5), in Bibliotheca Patrum, utitur comparatione solis, ut demonstret methodum qua Deus sua gratia mentes illustrat. Sol ut sua luce suoque calore sublunaria fecundet, terræque frugibus præbeat incrementum, præmittit auroram, quæ noctis tenebras dissipat resque materiales visibiles præstat, et sic paulatim supra hemispherium ascendit, suamque lucem abunde diffundit. Non dissimiliter priusquam Deus animæ largiatur supernaturalem justificationis vitam, mentem gratia præveniente velut aurora illustrat, fugatisque ignorantiae, erroris et peccati tenebris, visionibus eam docet; illi namque manifestat virtutis pulchritudinem peccati deformitatem, mundi vanitatem, vitæ brevitatem, mortis incertitudinem, iudicii veritatem, inferni pœnam interminabilem, cœli felicitatem, aliaque multa queis

(1) Chrysost. Serm. 112. — (2) Conc. Trid. Sess. 6. Can. 5. — (3) Ephes. 2. — (4) D. Chrysost. Hom. de Spirit. Sancti. — (5) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 7.

(1) Tert. Apol. 27. — (2) L. 5. de Consider. 5. — (3) Tert. L. de An. 47. — (4) D. Aug. in Psal. 26. — (5) L. 6. de Vita in Chr.

animam a malo avocet, et a bene vivendum stimulet.

Has gratias prævenientes mentem illustrantes vocitat adhuc D. Augustinus (1), justitiæ solis Christi vicarias, Dei Filius est lux vera ab æterno Patre dimanans; per quam Pater cuncta cognoscit. Gratia illustrans est lux a Sole justitiæ emanans, per quam illustrata mens quæ ad salutem spectant vult: Dei Filius, *secundum hæc enim, vicarium se Patris ostendat, per quem Pater et videretur in factis, et audiretur in verbis, et cognosceretur in Filio, facta et verba Patris administrante.* (2) Gratia præveniens sese Filii vicariam demonstrat dum nos vocat, admonet et illustrat, sive exterius per conciones, pietatis conversationes, virtutis operationes, adversitates et correctiones, in quibus omnibus Deus videtur; sive interius per bonas cogitationes. Dei Filius *ad humana semper colloquia descendit: ab Adam usque ad Patriarchus et Prophetas; in visione, in somnio, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper, quem erat persecuturus in finem.* (3) His omnibus modis etiam nunc mentem illustrat, quod fuerat pollicitus Vati Regio postulanti: « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. » Cui Dominus: « Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac qua gradieris: » Ostendam tibi et malum quod debes fugere, et bonum quod teneris præstare. Et quia, ut ait D. Augustinus, *nolunt homines facere quod justum est: ut ergo innotescat, quod latebat: et suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est.* (4) Quæ est tum ratio cognoscendi, tum lex amandi.

3. *Spiritualia charismata cognoscimus* (5) gratias scilicet prævenientes, quæ pias voluntati ingerunt affectiones. Ut in divinis splendens Verbi generatio præcedit ardentem Spiritus Sancti processionem, ita in opere salutis mentis illustratio antecedit pium voluntatis affectum, et quemadmodum Spiritus Sancti processio necessario sequitur Filii generationem, ita piæ voluntatis affectio mentis sequitur illustrationem: *Inspiratio dilectionis ut cognita sancto amore faciamus, proprie gratia est.* (6) Gratia mentem illustrans diversimode nuncupatur: gratia quoque voluntatem movens et excitans varia sortitur nomina: hanc enim appellat Concilium Tridentinum; *tactum*

cordis (1); Arousicanum, *suavitatem in consentiundo*; D. Augustinus, *voluptatem* (2); quia trahit sua quemque voluptas, *victricem delectationem, amorem et dilectionem.* Voluntas malo consentit, et terrenis bonis inhiat, quia in his bonis fucatis et apparentibus quandam gustat voluptatem. Ut eam Deus ad se alliciat, victrici trahit delectatione, quæ tanto major est quanto major est veri et summi boni dilectio: quia, ut ratiocinatur D. Augustinus, *tanto magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus, summum atque incommutabile bonum. Ut diligatur Deus, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (3), qui sua gratia et boni dilectione, voluntatem vocat suaviter.

II. PARS. Si unquam ab hominibus erratum, maxime circa liberum voluntatis arbitrium. Stoici cuncta quæ eis accidunt fato adscribunt; *mentis malæ impetus fato imputant: nolunt enim suum esse, quod malum agnoscunt.* (4) Astrologi immerito iudicarii nuncupati, voluntatem inevitabiliter ab stellis agi præsumunt: *propterea non putant Deum requirendum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi.* (5) Lutherus Ecclesiæ Catholicæ osor, ejusque doctrinæ persecutor, quia *omnis rei displicentis etiam opinio reprobat* (6), negat liberum voluntatis arbitrium, asserens esse merum figmentum, et titulum sine re. Calvinus liberum arbitrium a coactione duntaxat liberat, omnemque indifferentiam tollens, illum cum necessitate componit: quo Deus a voluntatem movet, non qualiter multis seculis traditum est et creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragare. (7) Aliorsum (8) adversus Stoicos providentiam Dei, sine qua nihil evenit, satis superque propugnativimus. Astrologos redarguit D. Augustinus, ab stellarum influxu humanam vindicans libertatem: *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis humanæ, quo vel bene, vel male vivitur, propter justum iudicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* (9) Omissis Stoicis et Astrologis, amplexanda est vera Ecclesiæ doctrina, quæ in homine 1. Liberum arbitrium agnoscit; 2. Cui gratia

(1) Tract. 1. in Joan. — (2) Tert. Lib. adv. Prax. 24. — (3) Tert. Lib. adv. Prax. 16. — (4) Lib. de Peccat. Mer. et Remiss. c. 17. — (5) Tert. L. de An. 9. — (6) D. Aug. L. 4. ad Bonifac. 4.

(1) Sess. 6. c. 5. Cant. 7. — (2) Lib. 2. de Peccat. Mer. et Remiss. c. 17. — (3) Ibid. — (4) Tert. Apol. 1. — (5) Tert. L. de Idol. 9. — (6) Tert. L. de Carn. Christ. 3. — (7) Art. 56. Assertion. damnat. a Leo 10. L. 2. Inst. c. 3. §. 10. — (8) Tertull. Prædic. t. 2. Tract. de Deo. Concio 4. — (9) Lib. 2. Cont. Faustun. 5.

nullam necessitatem inponit; 3. Cujus indifferentiam gratia non tollit.

1. *Liberum et sui arbitrii et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem et similitudinem Dei in illo animalvertens, quam ejusmodi status formam.* (1) Hæc ratio de errore Lutherum convincit, qui liberum arbitrium hominis fictitium existimat: alias imago Dei in homine esset chimerica, quæ potissimum in libertate consistit. Calvinus confratri præstat auxilium, asseritque per Adami peccatum deperditum esse liberum voluntatis arbitrium.

« Qui Christi discipulos esse professi in homine perduto, et in spirituale exitium demerso, liberum arbitrium adhuc quærent, inter philosophorum placita, et cœlestem doctrinam partiendo, plane desipiunt, ut per hoc nec cœlum nec terram attingant.» (2) Verum eadem ratio contra Lutherum allata, adversus Calvinum militat: quia Dei imago non est ab Adami peccato perduto, at in libertate sita est Dei imago. *Neque enim facie et corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est; sed in substantia animæ, ad formam Dei respondentis, et arbitrii sui libertate et potestate signatus.* (3) Tertulliano arridet D. Augustinus, qui cæcos nuncupat liberum hominis arbitrium negantes. *Datum est animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut ne ista ipsa quidam vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant.* (4) Eorum autem cæcitas hac ratione demonstratur: nam vel homo in statu naturæ corruptæ caret libero arbitrio ad faciendas actiones naturales, vel ad faciendas actiones supernaturales cum gratiæ auxilio. Non primum: liberum est enim etiam hominibus scelerosis ambulare, sedere, manducare, bibere. *Hoc cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et in orbe terrarum genus humanum.* (5) Nec secundum: quia, ut docet D. Augustinus, *credit divinis eloquiis: quia et liberum est hominis arbitrium et gratia Dei, sine cujus adjutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere.* (6) Calvinus ita tamen est obcæcatus ut non credat philosophiæ neque rationi, neque majori hominum numero, neque divino eloquio, neque D. Augustino qui Calvinisticum dogma res-

puit. *Per peccatum Adæ, arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus; sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis et cogitationis adjuta.* (1) Quod adhuc ostentat ex his Apostoli verbis: « Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.» (2) *His verbis videtur non recte intelligentibus velut auferre liberum arbitrium: sed quomodo aufert cum dicat: Velle adjacet mihi? certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adjacet nobis, sed quod perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati: unde nos gratia liberat Conditoris subditos sibi per fidem: hoc restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut se supplivi pietate, convertat ad eum cujus dono eam possit implere.*

Nec obstat quod D. Augustinus dicat Adamum peccando semetipsum et liberum arbitrium perdidisse: *Nam libero arbitrio male utendo, se perdidit et ipsum* (3): inde concludit cunctos qui originalem contraxerunt culpam, liberum perdidisse arbitrium: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati gravitate perdidimus.* (4) Hæc, inquam, non obstant, quia D. Augustinus facile explicatur, alias sibi ipsi contradiceret: dum enim ait quod Adam male utendo libero arbitrio, se perdidit et liberum arbitrium, respondeo quod eodem modo perdidit liberum arbitrium quo se perdidit: atqui non perdidit peccando suam naturam ex corpore et anima compositam, suam voluntatem, ergo neque liberi arbitrii naturam, quæ est idem cum voluntate; 2. Magnum est discrimen inter substantiam liberi arbitrii et inter qualitatem. Liberi arbitrii substantia est voluntati essentialis, nec amitti potest, qualitas est libero arbitrio accidentalis, potestque deperdi, illamque Adamus de facto perdidit per peccatum: perdidit enim perfectissimum illum agendi modum quem habebat in statu innocentiae, ex adjuncta justitia originali, et, ut ipsemet factus, naturæ bonum perdidit pariter et vigorem arbitrii; non tamen electionem: ne non suum esset quod emendaret peccatum. (5) Verum quia hoc dicit dubius Augustinus, audiamus verum Augustinum sese ita clare explicantem; ut omnibus passione non obte-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 5. — (2) Lib. 1. Instit. cap. 13. — (3) Tert. ibid. — (4) Lib. de Quant. An. cap. 36. — (5) D. August. Lib. de Duob. Anim. — (6) Epist. 46. ad Valenti.

(1) Lib. 2. Cont. duas. Ep. Pelag. cap. 5. — (2) L. 1. Quæst. ad Simplic. quæst. 1. — (3) In Enchir. cap. 30. — (4) Epist. 107. ad Vitalem. — (5) Lib. de Spir. et An. cap. 48.

nebratis mens ejus evidentissime pateat. *Quis autem dicat quod primo hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia ad bene agendum justeque vivendum.* (1) Ex mente vero veri Augustini homo scelerosus perdidit libertatem, non simpliciter, sed secundum quid; non a substantia, sed a qualitate; non a natura, sed a peccato, a mortalitate, a miseria, a concupiscentia, quæ sunt pœnæ originalis delicti; non perdidit tamen essentialiter liberi arbitrii quo ex semetipso potest velle malum, et cum gratiæ auxilio et velle et facere bonum; quod ipse Augustinus ibidem declarat: *Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non desiit, ut per ipsum peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, et amore peccati, et hoc eis placeat, quod eis libet, unde et Apostolus: Cum essetis, inquit, servi peccato, liberi fuistis justitiæ. Ecce ostendit etiam peccato minime potuisse nisi aliqua libertate servire, liberi autem a justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberati autem a peccato non fiunt, nisi per gratiam Salvatoris.* Eodem modo sese explicat D. Augustinus dum ait: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati gravitate perdidimus.* Non dicit quod absolute liberum perdidimus arbitrium, sed ad diligendum Deum duntaxat dilectione supernaturali quæ supponit fidem: neutra sine gratia habetur; quia, ut addit ibidem D. Augustinus, *quapropter ut in Deum credamus et pie vivamus; non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Non quia velle non debemus et currere, sed quia in nobis operatur et velle et currere* (2), largiendo gratiam prævenientem qua velimus, et adjuvantem qua curramus, credamus, diligamus, superemus obstacula concupiscentiæ; quæ post peccatum impediunt; ne faciliter ut in statu innocentiae faciamus bonum. *Major quippe libertas necessaria est adversus tot et tantas testationes, quæ in paradiso non fuerunt.* (3) Gratiam autem qua tentationes illas possimus vincere et salutis facere negotium, largitur Spiritus Sanctus tanta cum suavitate, ut nullam libero arbitrio ad agendum imponat necessitatem.

2. Tertullianus merito miratur *providentiam Spiritus Sancti* (4); qui adeo suaviter homini largitur gratiam ut nullam ei agendi

necessitatem imponat, quamvis Calvinus affirmet: « Sic efficaciter divinitus gubernari piorum corda, ut inflexibili effectus sequantur. » (1) Contrarium docet D. Augustinus qui Dei providentiam aliter cum creaturis irrationalibus, aliter cum rationalibus operantem agnoscit: cum illis necessario, quia libero carent arbitrio; cum istis libere, quia libertate pollent. *Deus bipartito opere providentiæ suæ, præest universæ creaturæ, naturis, ut fiant: voluntatibus, ut sine jussu, vel permissu, nihil fiant.* (2) Si autem homo non libere, sed necessario ageret, nullum inter illum et belluam esset in agendo discrimen. Quare D. Augustinus sic Deum alloquitur: *Ideo sequitur me pœna, quia dedisti mihi liberum arbitrium: si enim non dedisses liberum arbitrium, et per hanc rationem pecoribus me non faceres meliorem, non me sequeretur damnatio justa peccantem.* (3) Si enim homo necessario et non libere ageret, non esset pecoribus melior, neque juste damnaretur dum peccat. *Qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat; nihil mali fecit, qui nihil sua voluntate fecit.* (4) Sicut autem qui aliquid necessario facit non peccat, ita qui necessitate agit bonum opus et mercede dignum, non potest facere: utrumque impedit necessitas, et ad utrumque requiritur libertas. Quia, ut ibidem ratiocinatur D. Augustinus: *Animæ rationali quæ est in homine dedit Deus liberum arbitrium: sic enim posset habere merita, si voluntate non necessitate boni essemus: cum ergo oporteat non necessitate bonum esse, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium.* Utrumque complectitur Tertullianus: *Homo liber et suæ potestatis: quia si careret hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proinde et malo sicut bono famulus.* (5)

In homine duplex est bonitas: una naturalis, alia moralis. Illa pecoribus antistat, ista de bonis moribus censetur. Ut de utraque æstimetur, non necessitate sed libertate agere debet; alias neque esset pecoribus melior, neque moraliter operari et mereri posset. *Deus hominem inæstimabilem fecit, et ei liberum voluntatis arbitrium dedit: non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, non voluntate serviret.* (6) Deinde ad bonum opus quod facit homo, ex mente D.

(1) Lib. 1. Cont. duas. Ep. Pelag. 2. — (2) Epist. 107. ad Vitalem. — (3) D. Aug. L. de Corrupt. et Grat. 12. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 7.

(1) Lib. 2. de Instit. c. 10. — (2) Lib. 8. de Gen. ad Litter. 25. — (3) In Psal. 101. — (4) D. Aug. L. Cont. Fortun. Disp. 2. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (6) D. Aug. L. de Agon. Chr. c. 10.

Augustini duo concurrunt : gratia et liberum arbitrium. Primum ostendit Paulus, confitens se ab urgente tentatione liberatum per Christi gratiam. *Cur non dixit potius per meum liberum arbitrium, nisi quia libertas sine gratia, non est libertas, sed contumacia?* (1) Secundum demonstrat Dilectus Discipulus dicens : « Omnis qui habet spem hanc in ipso castificat semetipsum. » *Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, ut diceret castificat semetipsum : Quis nos castificat nisi Deus? sed Deus te nolentem non castificat : ergo quod adjungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum : castificas te, non de te, sed de illo qui venit ut habitet in te* (2), quique sua gratia ita te prævenit, ut nullam agendi tibi imponat necessitatem, vel voluntatis indifferentiam tollat.

3. *Ut ergo bonum jam suum haberet homo, emancipatum sibi a Deo, et fieret proprietas jam boni in homine, et quodummodo natura, de institutione adscripta est illi, quasi libripens emancipati a Deo boni, libertas et potestas arbitrii, quæ efficeret bonum, ut proprium, jam sponte præstari ab homine; quoniam et hoc ratio bonitatis exigeret voluntarie exercendæ.* (3) Homo a Deo libertate donatus, est emancipatus et sui juris factus, et hæc libertas ut bonum naturæ est illi naturalis; et quia rerum ab alienatione, quas emancipatus jure possidebat, fiebat per æs et libram, homo per libertatem a Deo emancipatus, est libripens, id est, arbiter mancipationis. Ut autem libripens potest vertere stateram in quamcunque partem voluerit, hanc voluntatis indifferentiam libertati essentialem vult Tertullianus : *Tota ergo libertas in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vitando.* (4) Adversus negantes libertatis indifferentiam cruciatibus non rationibus agendum vult Scotus; tandiu enim verberandi essent quoadusque faterentur esse in voluntate verberantium posse desistere a verberatione. Illam voluntatis indifferentiam negat Calvinus (5) in Adæ posteris, potissimum in operibus quæ respiciunt salutem. Verum Tertullianus longe Calvino doctior, illam agnoscit in Adami nepotibus, et in operibus salutis. In Adami quidem posteris : *Sic et in posteris legibus Creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem : sed nec alias totum ordinem*

disciplinæ per præcepta dispositum, avocante Deo, et minante, et exhortante, nisi et ad obsequium et ad contemptum libero et voluntario homine. (1) In operibus quoque salutis, quia in potestate quam habet voluntas facere bonum vel malum, consentire vel dissentire gratiæ, consistit opus moraliter bonum aut malum, ratio meriti et demeriti, iudicium Dei præmiantis bonos et punientis malos. *Quoniam et alias positum hominem sub iudicio Dei, oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterum, nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. In hoc et lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressionem sponte committenda; ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii.* (2) Quatuor, easque solidissimas affert Tertullianus rationes, quibus voluntatis in eligendo bono vel malo demonstrat indifferentiam.

1. Quia libertas est naturalis homini qui est libripens sui juris, suæque potestatis; 2. Quia lex dari nequit nisi homini voluntario et libero, habenti potestatem servandi illam vel non servandi; 3. Quia absque hac indifferentia voluntatis nullum est meritum et demeritum; 4. Quia Deus iudex non præmiat aut punit, nisi eos qui sponte bonum et malum faciunt.

Post Tertulliani mentem, videamus quid sentiat D. Augustinus de indifferentia voluntatis ad consentiendum vel dissentiendum gratiæ, faciendum bonum vel malum. *In omnibus misericordia Dei prævenit nos; consentire autem vel dissentire vocationi Dei, propriæ voluntatis est.* (3) Deinde versans istud Apostoli : « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum » (4), ait : *Cui dicitur, noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis convincitur; velle enim et nolle, propriæ voluntatis est.* (5) Disputans adhuc adversus Felicem Manichæum, ex propriis adversarii verbis probat esse liberum arbitrium, atque inde peccare quemquam si velit, non peccare si nolit. (6) Eodem libro asserit esse in voluntate hominum servare legem vel non servare. *Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est si velit.* (7) Ut autem aliorum docet : *Unde hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit* (8); tandem ex modo loquen-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 5. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (3) Lib. de Spir. et Litt. c. 34. — (4) Rom. 12. — (5) Lib. de Grat. et Lib. Arb. cap. 5. — (6) Lib. 2. adv. Felic. cap. 3. — (7) Cap. 5. — (8) Lib. de Spir. et Litt. cap. 31.

(1) Ep. 89. ad Hilar. quæst. 3. — (2) D. Aug. Tract. 4. in Ep. Ioan. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. — (4) Tert. ibid. — (5) L. 1. Instit. c. 13.

di Scripturæ, libertatis indifferentiam demonstrat. *Ubi dicitur: Noli hoc et noli illud; et ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum, in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* (1)

Quædam sunt quæ libere facit Deus sine homine: nonnulla quæ homo libere facit sine Deo: alia quæ Deus simul cum homine libere operatur. Deus sine homine libere hominem fecit. *Hominem quoque Dei bonitas, et quidem operantior operata est.* (2) Tertulliano arridet D. Augustinus, hominem ex Adami massa generatum alloquens: *Non erat in potestate tua, ut non nascereris ex Adam: est in potestate tua ut credas in Christum.* (3) Nonnulla facit homo libere quæ non facit Deus: homo enim peccat, non Deus. *Libertas enim arbitrii non ei culpam suam respicit, a quo data est; sed a quo non ut debuit administrata est. Quod denique malum describes creatori? Si delictum hominis, non erit Dei, quod est hominis: nec idem habendus est delicti auctor, qui invenitur interdictor, immo et condemnator.* (4) Tandem alia sunt quæ libere fiunt a Deo et ab homine simul: opus scilicet salutis. *Bonum quod agimus, et Dei est, et nostrum: Dei per prævenientem gratiam; nostrum, per obsequentem liberam voluntatem.* (5) Totum tamen est Dei, cuius gratia quidquid est in illo supernaturale operatur; totum nostrum quia voluntas producit quidquid est in illo liberum: totum gratiæ, quæ voluntatem ad bene agendum excitat, et excitatam adhuc voluntatem ut bene operetur adjuvat; totum voluntatis quæ gratiæ prævenienti libere suum consensum præbet, et libere adhuc cum gratia adjuvante agit. *Utrumque ipsius est quia ipse præparat voluntatem: et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis* (6), quos Dei gratia vocat sapienter.

III. PARS. *Hæc ratio servabatur apud providentiam Dei omnia modulantis* (7), instar citharædi, citharæ harmoniam modulantis et ad concentum temperantis. Hanc modulationem servat divina providentia, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ: *quia Deus omnium conditor, nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit.* (8) Divina providentia mirum in modum elucet, disponens res naturales sapienter, et dirigens eas suaviter; sed multo magis rutilat sapien-

ter gubernans hominem in negotio salutis: Nam, 1. Ad ejus indolem sese contemperat; 2. Voluntatem ejus adjuvat; 3. Et ut non improbabilius nonnulli volunt, gratiæ suæ efficaciam et complementum quodammodo ab hominis cooperatione mutuat.

1. Miratur Tertullianus *animam semine uniformem, fœtu multiformem* (1): nam etsi cuncti homines in una et eadem specie conveniant, eandem habeant essentialiter naturam, easdem animæ potentias et facultates, magnam tamen ingenii, indolis et morum patiuntur diversitatem: alii etenim sunt ad artes et scientias apti, alii inepti, alii bonæ indolis ad virtutes propensi, alii malæ indolis ad vitia inclinati; alii bonis moribus conspicui, alii depravatis moribus infames: tantam in eadem natura et specie morum, indolis et ingenii varietatem, nonnulli ad nationes et gentes referunt. *Tamen vulgata jam res est gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt; Sallustius vanos Mauros, et feroces Dalmatas pulsat; mendaces Cretas etiam apostolus inurit.* (2) Alii hanc diversitatem referunt, non ad totam unam nationem seu gentem, sed ad loca et climata. *Thebis ebetes et brutos nasci delatum est, Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colitum pueri mense citius eloquuntur, præcoce lingua: siquidem et Plato in Timæo Minervam affirmat; cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam: unde et ipse in legibus, medillo et Clinicæ præcipit condendæ civitati locum procurari.* Quidam talem diversitatem in sanguinis qualitate collocant: *sed Empedocles, causam argutæ indolis et obtusæ, in sanguinis qualitate constituit; perfectum ac profectum de doctrina disciplinaque deducit.* Nonnulli eam in temperamento corporis et organorum dispositione constituunt. *Fortasse an et de corpore et valetudine aliquid accedat: opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit; paralysis mentem prodigit, phthisis servat.* Alii eam referunt ad occupationes, negotia, studia. *Quanto magis de accidentibus habebuntur, quæ citra corpulentiam et valentiam, vel acuum, vel obtundunt? Acuum doctrinæ disciplinæ, artes et experientia, negotia, studia: obtundunt insecitiæ, ignaviæ, desidiæ, libidines, inexperientiæ, otia, vitia.* Alii in eis agnoscunt potestatem aliquam superiorem; estque vel fatum, vel fortuna, vel diabolus, vel

(1) Lib. de Grat. et Lib. Arbit. c. 2. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 4. — (3) In Titul. Psal. 71. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 9. — (5) D. Greg. L. 53. Mor. 20. — (6) D. Aug. L. 1. Retract. 25. — (7) Tert. Lib. de Jejun. 4. — (8) Tert. L. de Pæd. 1.

(1) Tert. L. de An. 20. — (2) Tert. ibid.

Deus, juxta cujusque sententiam; *super hæc, si et alia, quæ præsumunt potestates: enimvero præsumunt, secundum nos quidem Deus Dominus, et diabolus æmulus; secundum autem communem opinionem, providentiæ fatum et necessitas, et fortunæ arbitrii libertas.*

Verum licet cœli influxus, terræ solum, prosapia generis, sanguinis qualitas, corporis temperies, organorum dispositio, parentum, propensio, negotiorum et disciplinarum studium, aliquomodo concurrant ad ingenii acumen, indolis bonitatem, ingenium tamen ad susceptionem Christianæ disciplinæ aptum, et indoles ad virtutem prona, a Deo potissimum procedunt: unde dicuntur subsidiarii prædestinationis effectus, quia scilicet conferuntur ex intentione providentiæ et decreto prædestinationis, quatenus prævidentur, non quidem ut sint causæ meritoriae vel dispositivæ ad gratiam et gloriam, quod Pelagianum redolet, sed prout sunt subsidia prædestinato, cui inserviunt, ut promptior sit ad amplectendam fidem, facilius sectetur virtutem, salutem cum gratiæ auxilio operetur et gloriam consequatur æternam. *Apparet habere quosdam ipso ingenio, divisum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* (1) Christianus in religionis gymnasio est eruditus. *Sed et illam Dei industriam sentiat* (2), qui gratiam suam non leviter effundit, sed sese attemperat, non ad merita naturæ, sed ad naturæ propensionem. *Deus non pro magnitudine gratiæ suæ beneficus est, nimirum infinitæ ac incomprehensibilis: sed attemperat se ad vires eorum quos dignatur sua beneficentia: neque enim sicut Deus ad benefaciendum natura propensus est, ita creaturi ad recipienda beneficia.* (3) Belle ad propositum ait Philo Judæus, divinam munificentiam se attemperare ad vires naturales eorum quibus benefacit; non quidem ad naturam; « quia ut multoties contra Pelagianos et Semipelagianos dictum est, natura propriis suis viribus non valet mereri gratiam, nec ad illam se disponere, » sed ad innatam naturæ inclinationem.

Ex Genesi, « Spiritus Domini ferebatur super aquas. » (4) Ut autem commentatur D. Augustinus, *aquæ nomine significatur materia subjecta operi, ex qua Spiritus Domini fabricavit cœlum et terram, cunctasque*

creaturas, quæ intra eorum ambitum continentur. Ad quid super aquas seu super subjectam operi materiam ferebatur Spiritus Domini? Respondet Diodorus apud Lippomanum: *Quando et quomodo creaturas cæteras pro suo nutu disponderet, in similitudinem videlicet fabri, cujus voluntas, fabricandis rebus, solet superferri.* Spiritus Sanctus ad modum artificis prope aquam, id est, juxta materiam accingitur operi faciundo, opportunam et connaturalem materiam, singulis creaturis ad sua munera aptam destinans, et, ut ait Hugo Cardinalis: Spiritus Domini ferebatur super aquas; *Spiritus tanquam voluntas artificis super materiam ædificii faciendi, quid, de quo faciat considerans.* Sicut peritus architectus postquam palatii faciendi formavit ideam, materiam considerat, ex qua ædificandum est palatium, aptamque materiam diversis muneribus destinat, nonnullos eligit lapides ad fundamenta jacienda, alios ad erigenda mœnia, quosdam ad structuræ elegantiam; sic Spiritus Domini velut artifex peritissimus, materiam cœlis, piscibus, animantibus, singulisque creaturis, congruam aptavit. Non minori artificio utitur Deus in largiendo hominibus gratiam, ac in aptando convenientem singulis creaturis materiam. Quod acute animadvertit Basilius Seleucus (1), expendens istud Matthæi: « Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. » *Pater dum probat, non simpliciter gratificatur, exspectat mores nostros, donum dum parat, non leviter effundit gratiam.* 1. Exspectat mores nostros, non merita, sed naturæ inclinationem probat, cujuscunque indolem et ministerium, ne leviter largiatur gratiam.

2. Non temere Christus Dominus *affectedit de naviculariorum collegio allegere* (2) Apostolos; sed ut suam gratiam, naturæ accommodaret ministerio: nam hominis indita propensio, seu agnata inclinatio, velut prophetia est futuri ministerii, ut patet ex Andrea et Petro piscatoribus, quorum piscandi negotium fuit prophetia ministerii Apostolici ad quod eos assumpsit Salvator: nam, ut fatur ibidem Tertullianus, *de tot generibus operum quid utique ad piscaturam respexit, ut ab illa in Apostolos sumeret Simonem et filios Zebedæi? Non enim simplex factum videri potest, de quo argumentum processurum erat, dicens Petro trepidanti de copiosa indagine piscium: Ne time, abhinc enim homines eris capiens. Hoc enim*

(1) D. Aug. Lib. de Bon. Persever. cap. 14. — (2) Tert. Lib. 2. adv. Marc. 18. — (3) Philo Jud. Lib. de Mund. Opific. — (4) Cap. 1.

(1) Orat. 24. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 9.

dicto, intellectum illis suggerebat adimpletæ prophetiæ, se eum esse qui per Hieremium pronuntiaret: *Eecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur illos: homines scilicet.* Apostolos ex piscatione materialium piscium ad piscationem hominum transfert, quam fuerat vaticinatus, non solum Hieremias, sed etiam ipsemet Petrus et Andreas piscatorum fungentes ministerio, et ut ait D. Chrysostomus, expendens verba queis eos vocavit Dominus, *future dignitatis gratiam, artificii opere prophetabant.* (1) Humana piscatio, cœlestis piscationis officium portendebat; Petri et Andreæ cognatum piscandi opus, præ sagium erat ad piscandi homines dignitatem: sic enim Deus hominum inclinationi accommodat ministerium, ut innatum studium sit instar prophetiæ futuri muneris. Sic Paulum legis mosaicæ acerrimum zelatorem designat Deus, ut ardens christianam zelet disciplinam. Sic Matthæum de telonio ad cœlestis mercimonie usuras transportat. Sic Petrum, et Andream, et filios Zebedæi a navicula et captura piscium, ad hominum piscationem transfert; sic assumit propensionem nature, ut gratiæ famuletur, et facilius consequatur salus.

Ut patet exemplo Davidis, quem præ Eliab fratre ejus natu majore elegit Deus in regem (2): Saule ob inobedientiam ne amplius regnaret repudiato, præcepit Samueli Deus ut pergeret in Bethleem, victimas immolandi prætextu, et plenum oleo cornu deferens, unum ex filiis Isai inauguraret in Israël regem. Venit ergo in Bethleem, sanctificavit Isai et filios ejus, vocavitque eos ad sacrificium. « Cumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est Christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem stature ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominum ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. » At Deus puerulum et natu minimum Davidem elegit: Eliab vero natu maximum repudiavit. Nonnulli id factum putant, ob arrogantem Eliabi superbiam, alii propter furentem ejus iracundiam, quidam ob ejus propensionem ad lasciviam: D. vero Chrysostomus ob non bonam ejus indolem, ad susceptionem gratiæ inidoneam. *Nunquid magnitudinem erroris quærimus? ingenuitatem animæ desideramus: nolo pulchritudinem corporis, honestatem mentis requiro.* (3) Eliab magna statura corporis, et venusto faciei pollebat decore; verum reji-

citur, quia inhonestas erat velut appendix pulchritudinis ejus: David vero, etsi minor, nec tantæ venustatis, accipitur ob bonam ejus indolem, mentisque honestatem. Quasi dicat Deus: *Providi in filiis Israël mihi regem. Vidi, o Propheta, animam gratiæ receptricem; vidi, o Propheta, animam ad Spiritus receptionem bene compositam.* (1) Anima Davidis erat gratiæ receptrix, quia bona ejus indoles, eam gratiæ susceptionem aptabat: at contra Eliabi anima ob pravam ejus indolem, erat ad gratiæ susceptionem inidonea et male disposita. Quaresic prosequitur Seleucus: Num coram Domino Christus ejus? *et cornu invergens propheta, rejectaneum ut ungeret, cogebat: sed oleum fluere recusabat, ne cum errante propheta faceret, et fluxa natura sursum detinebatur, gratiæ legibus obsecuta, caputque a quo resiliabat gratia, relinquebat aridum.* Deus prævidens bonam Davidis indolem ad recipiendam gratiam probe dispositam, et e converso Eliabum ob pravam suam indolem gratiam rejecturum, elegit Davidem, in quem recipiendam prospiciebat gratiam; recusavit vero Eliab, a cujus anima velut a durissima petra resilire gratiam præsciebat.

Quot sunt hac ætate a quibus resilit gratia, qui divinam vocationem rejiciunt? Quod denotatum vult D. Augustinus (2) in parabola invitantis ad nuptias; in qua alius abiit in villam, ad recreandum animum, alius ad negotiationem suam, reliqui vero tenuerunt servos et occiderunt. Ibi denotantur tria hominum genera qui gratiam respuunt, negotiis scilicet dediti, voluptatibus irretiti, malitia obcæcati. A primis per negligentiam suo effectu frustratur; a secundis per pravam affectionem rejicitur; a tertiis per malitiam, repulsam patitur. Cave, Christiane, ne a te resiliat gratia, vocanti Deo præbe auditum, suscipe gratiam quam tibi offert, ut voluntatem tuam adjuvet, ad faciendum opus salutis.

3. O quam felices qui inventi a Dei gratia fuerint! (3) Gratia cunctos generatim quærit homines: *Ego sto ad ostium, et pulso* (4): sed non omnes invenit. Illos non invenit, qui vocem ejus audire nolunt, et vocationi ejus non respondent. De quibus ipsemet conqueritur Deus: *Expandi tota die manus meas ad populum non credentem et contradicentem* (5): illos vere invenit qui vocationi ejus respondent, dicentes cum Jobo: *Vocabis me et ego respondebo tibi.*

(1) Apud D. Tho. Matth. 4. — (2) Lib. 1. Reg. 16. — (3) Hom. in Psal. 50.

(1) Basil. Seleuc. Orat. 14. — (2) L. 83. Quæst. quæst. 68. — (3) Tert. L. 2. ad Uxor. 2. — (4) Apoc. 3. — (5) Esa. 65.

Illi respuentes gratiam nequeunt facere opus salutis, quia *sine gratia Dei nihil boni agere possumus* (1); illi gratiæ respondentes adjuvantur a gratia ad faciendum opus salutis: *Gratia quippe adjuvat, ut legis quisque sit factor.* (2) His verbis damnat D. Augustinus errorem illorum qui volunt voluntatem esse meram potentiam passivam, nec ex se etiam cum gratiæ auxilio aliquid agere in opera salutis: si enim nihil ageret voluntas, frustra Vates Regius Deum adiutorem nuncuparet. *Adjuutor enim noster dicitur; nec adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* (3) Idem argumentum urget aliorum D. Augustinus: *Si dicis: Adjuutor meus esto, aliquid agis; nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?* (4) Gratiæ auxilium et voluntatis operationem optime declarat propheta, ut acute animadvertit D. Augustinus: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas. Qui dicit: Inclina cor meum, ipse jam dixerat: Inclina cor meum in testimonia tua, ut intelligamus simul hoc esse et divini muneris, et propriæ voluntatis.* (5) Divini muneris, tum quia gratia præveniente voluntatem ad justitiam inclinat; tum quia gratia operante voluntatem ad faciendam justitiam adjuvat: nostræ voluntatis, quæ gratiæ prævenienti consensum præbet, cum gratia adjuvante facit salutis opus, et sua operatione gratiæ efficaciam complet et integram et adæquatam præstat.

3. *Qui habet aures audiendi audiat. Ostendebat aures cordis esse necessarias* (6) ad audiendam Dei vocem per suam gratiam cordi loquentem, multi tamen audiunt et non audiunt. Quod eis exprobrat Deus: *Videte quomodo audiatis, et non audiatis; non corde scilicet audientes, sed aure* (7): et per defectum audientiæ et cooperationis gratiæ impediunt effectum, quia quando duæ causæ partiales debent concurrere ad productionem alicujus effectus, una earum non concurrente, non producitur effectus. Ad producendum opus salutis gratia et voluntas concurrere debent, idcirco si non producitur, hoc est vel ex defectu gratiæ quæ deest voluntati, suumque ei denegat auxilium, vel ex defectu voluntatis quæ deest gratiæ, eique suam denegat cooperationem. Non ex defectu gratiæ, sufficientem enim nulli denegat Deus, sed *ex constantia gratiæ* (8) cunctos ad salutem invitat; ergo ex defec-

tu voluntatis quæ cooperari gratiæ recusat. Quare singulos homines serio hortatur Apostolus ne desint gratiæ: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* (1) Non ait: Ne gratia Dei desit, quia sufficiens nunquam deest, sed ne homo gratiæ desit. Multi queruntur immerito quod eis defuerit gratia, sed gratia potest merito queri quod ei defuerint, et suo defectu impedierint ne suum produceret effectum, essetque perfecte et adæquate efficax.

Gratia etenim excitans est vel sufficiens, vel efficax. Sufficiens est donum Dei internum, quo ita excitamur ad bonum faciendum, vel malum fugiendum, ut revera possimus illi consentire, licet aliquando non consentiamus. Efficax est motus internus productus a Deo in nobis quo sic movemur ut revera consentiamus. De gratia sufficienti loquitur Christus: *Sufficit tibi gratia mea.* (2) De efficaci loquitur Paulus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* (3) Utraque se habet per modum actus primi, consensus vero voluntatis se habet per modum actus secundi. Utraque est eadem entitas, ideoque non distinguuntur neque realiter, neque formaliter, quia nihil intrinsecum est in una quod non sit in alia, sed tantum differunt extrinsece per respectum ad consensum vel non consensum. Illa enim gratia dicitur efficax quæ habet annexam voluntatis cooperationem, illa vero sufficiens quæ non habet ejusmodi cooperationem. Ex quibus patet gratiam efficacem semper esse sufficientem, « quia gratia quæ habet suum effectum potest esse illum habere: ab actu enim ad potentiam valet consequentia: » omnem vero sufficientem non esse efficacem, quia possumus illi resistere, et de facto persæpe illi resistimus. Licet autem hæc duæ gratiæ non differant in ratione entitatis, differunt tamen in ratione doni et beneficii supernaturalis; quia gratia efficax adæquate sumpta cum suo effectum est majus donum quam sufficiens, quia habet effectum propter quem datur, nempe cooperationem voluntatis.

Quid non molitur gratia ut voluntatis alliciat consensum? Quam solerter arbitrium ad salutis negotium sollicitat! *Officiosissima est hominibus gratia Dei* (4), ait belle ad propositum Hildebertus; nihil enim omittit quo hominem trahat ad bonum opus; vel piis illecebris inescat, vel obsequio civilitatis demulcet, vel pia comitate adulatur, aut blandis terroribus impetrat, aut premii desiderio illicit, aut virtutis voluptate pertra-

(1) D. Aug. L. de Grat. et Lib. Arb. c. 4. — (2) D. Aug. L. de Grat. et Lib. Arb. c. 12. — (3) D. Aug. L. de Peccat. Mer. et Remiss. cap. 5. — (4) Tract. 4. in Epist. Joan. — (5) Serm. 23. in Psal. 118. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 19. — (7) Tert. ibid. — (8) Tert. L. de Au. 9.

(1) Hebr. 12. — (2) 2. Cor. 12. — (3) Philipp. 4. — (4) Epist. 33.

re concepit. (1) Quod si Spiritus Sanctus tantam aquis baptismi largitur virtutem, quanto magis ipse unus et idem cum Patre et Filio Deus, sua gratia, 1. Mortuos vivificat; 2. Maculatos mundat; 3. Criminosos sanctificat?

1. *Nec mirum si in baptismo aquæ animare noverunt.* (2) Hanc enim vim mutantur a Spiritu Sancto, qui cunctis viventibus largitur vitam. *Vivificat omnia spiritus Dei, cum et ipse vita sit.* (3) Ab eo enim accipiunt plantæ vitam vegetantem; animalia, vitam sentientem; homines, vitam rationalem; Angeli, vitam intellectualem. *Spiritus Sanctus omnium viventium vita est, non quod ipse sit substantiali anima singulis, sed de plenitudine sua distributor magnificus.* (4) Duplex est animæ officium in corpore quod vivificat: unum largiri illi vitam, motum et decorem: aliud, informare et reducere passivitate ejus ad actum. Primum convenit animæ in quantum est principium vitæ; secundum vero in quantum est forma et pars essentialis. Primum nullam dicit imperfectionem; secundum limitationem importat. Quando *Spiritus Sanctus animator universitatis* (5) nuncupatur a Tertulliano, ratio animæ non ei convenit prout est forma informans et pars alicujus compositi, hoc enim ejus infinitati repugnat; sed cunctorum viventium anima dicitur, quia est eis principium vitæ.

Verum Spiritus Sanctus specialiter est anima hominis, quia illi vitam supernaturalem communicat. Hanc largitus fuerat protoparenti, nam, ut fatur Tertullianus, *factus est homo in animam viventem.* (6) Cur, inquit D. Augustinus, in animam viventem? cur addit viventem? Quis nesciat in anima vitam, et vitæ fontem? Est quidem vita in anima, sed vita naturalis: est adhuc alia vita naturali longe superior qua anima vivit. *Primus homo Adam in animam vivam factus est* (7): quia ejus anima vivificata fuit vita supernaturali ratione gratiæ, quam ei inspiravit Spiritus Sanctus. Sicut autem ab exordio Spiritus Sanctus Adami animam animavit, ita nunc animas peccato mortuas sua gratia vivificat. *Quod prius delictis obnoxium viveret Dei esse cæpisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret.* (8) Anima animat et vivificat corpus, Spiritus Sanctus animat et vivificat animam, cui ea competunt, quæ Christo tribuit Chrysologus. « Quod est anima corpo-

ri, hoc est animæ Christus: sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo; recedente anima, mox corpori fetor, putredo, vermis, cinis, horror, et omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fetor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, et fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ. » (1) Verum ut aqua baptismi renatum de tumulo ad vitam revocat, ejusque sordes lavat, ita Spiritus Sanctus peccati maculas mundat.

2. Anima delicto originali maculata, in baptisate *sordes pristinas solvit* (2): verum, etsi ab originali labe per baptismum lavata, dum actuale committit lethale peccatum, denuo contaminatur; neque nisi gratia Spiritus Sancti mundari potest: quamobrem illam hortatur Ecclesiasticus: *Si dedisti maculam in gloria tua, abi, lava te niro, et multiplica tibi herbam Borith.* (3) Si tanta sollicitudine curas vestium munditiam, et si dum corpori *forma defecit, adminiculum nitoris, quasi de suo gratiam supplet* (4), tanto magis curanda est animæ maculosæ mundities, quanto corpori in dignitate antistat. Neque eris excusabilis si oblatam a Spiritu Sancto recuses gratiam, qua tuorum criminum maculæ mundentur. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus iniquamentis vestris* (5), eritisque non maculosi et criminosi, sed mundati et sanctificati.

3. In baptisate *supervenit statim Spiritus Sanctus, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso.* (6) Ratio autem cur Spiritus Sanctus aquas baptismi sanctificat, *quoniam subjecta quæque materia, ejus quæ de super imminet, qualitatem rapiat necesse est.* (7) Quemadmodum aquæ baptismi cui superest Spiritus Sanctus, ad quem specialiter pertinet sanctitas, fiunt participes sanctitatis, easque sua præsentia consecrat, ita animæ ad quas venit Spiritus Sanctus, sanctitatem ejus participant. Neque duntaxat consecrantur, cultuique divino deputantur, ut aquæ baptismi, sed etiam vere et formaliter sanctificantur. Quod multiplice comparatione explicat D. Cyprianus: « Sicut modica aquæ gutta multo vino infusa a se tota deficit, vinique saporem, et colorem induit; ferrum candens pristina propriaque forma exuitur, et igni simillimum efficitur; solis radio aer perfusus, in eandem transformatur luminis claritatem, et speculum radiis solaribus di-

(1) Tert. Lib. de Bapt. 4. — (2) Tert. ibid. 3. — (3) D. Ambr. — (4) D. Cypr. — (5) Tert. L. adv. Herm. 52. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (7) Tert. L. de Res. 55. — (8) D. Cypr. Epist. 2.

(1) Serm. 19. — (2) Tert. L. de Pud. 6. — (3) Cap. 27. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 9. — (5) Ezech. 36. — (6) Tert. L. de Bapt. 4. — (7) Tert. ibid.

recte irradiatum, solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem; ita etiam Sancti Dei charitate in intimis suis totaliter penetrantur, sicque Deiformes effecti, in Dei similitudinem transformantur.» (1) Verum quam pauci sunt hac ætate qui a gratia Spiritu Sancti vivificentur, mundentur et sanctificentur; at quam multi quorum animæ sunt mortuæ, maculosæ et crimosæ! *Dei gratia illud sanctificat, quod invenit* (2) ad susceptionem ejus dispositum; *ita quod sanctificari non potuit, immundum est.* Non potuit autem sanctificari, qui sibi in suis immunditiis complacet: quia *quod immundum est, cum Sancto non habet partem.* Infelices Christiani qui vitam corporis curant et animæ vitam negligunt, vestium maculas lavant, et animæ sordes non mundant; vanos ambiunt honores, et contemnuunt dignitatem divinam, quam gratia largitur justis.

II. PARS. Apud Gentiles *sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summæ dominationis esse penes unum, officia ejus penes multos velint, ut Plato Jovem magnum in cælo comitatum exercitu describit deorum pariter et dæmonum.* (3) Christiana religio quæ sola firma et inconcussa veritate fulcitur, turbam illam Deorum conjecturis et mendaciis suspicatum rejicit; *etiam Jovem tum hominem quam ex homine, et deinceps totum generis examen tam mortale, quam seminis sui.* (4) Deum unicum in tribus personis subsistentem credit, cujus essentialis divinitas nullo modo multiplicari potest. *Nam etsi sunt qui dicuntur dii sive in cælo, sive in terra, nomine; cæterum unus Deus pater ex quo omnia.* (5) Non admittimus deos in cælo et in terra, eo modo quo ethnici qui in cælo astra, et in terra, homines crimosos, tanquam deos falso colebant: Deus quem colimus verus et unus est; qui Deus deorum nuncupatur, quia multi sunt dii, tum in cælo, tum in terra, qui ab eo dependent. Quot sunt in cælo beati, quot in terra justis, tot sunt dii per participationem. Illos gloria, istos gratia ad Divinitatis honorem sublimat. Non de beatis in cælo regnantibus, sed de justis in terra degentibus est sermo, qui media gratia sanctificante, dii 1. Nominantur; 2. Consecrantur; 3. Adoptantur.

1. *Tentabis ad hæc de nomine Dei ut passivo, et in alios quoque permissio, quia scriptum sit: Ego dixi: Vos dii estis.* (6)

(1) Lib. de Singul. Cleric. — (2) Tert. L. 2. ad Ux. 2. — (3) Tert. Apol. 24. — (4) Tert. Apol. 10. — (5) Tert. L. adv. Herm. 4. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 7.

Dei nomen vocitat passivum, non quia passim invenitur ut existimat aliquis Neotericus, sed quia communicatur Sanctis, quos Scriptura Deos nuncupat. Hoc nomen temerarie affectavit dæmon: nam idololatria replens terram, *mendacium divinitatis diabolus operatur.* (1) Tartareus serpens Adamum adhuc et Evam in paradiso terrestri *divini nominis ambitione corruerat.* (2) Verum Dei nomen quod sibi falso diabolus arrogavit, quod primi parentes imprudenter ambierunt, vere suis Sanctis largitur Deus, ut eorum humilitatem exaltet et virtutem remuneret: et hoc absque ulla suæ essentialis divinitatis injuria. Etenim *si communicatio nominum conditionibus præjudicat, quanti nequam servi regum nominibus insultant, Alexandri, et Darii, et Holophernis? nec tamen ideo regibus, id quod sunt detrahitur.* (3) Sicut ergo principum et heroum nomina, quæ malis persæpe tribuuntur servis, nullatenus officium eorum dignitati, sic non derogat divinæ majestati, deorum appellatio qua honoramus Sanctos. Quia, ut acute animadvertit Tertullianus, *Deus nemo ea re qua Deus dicitur.* Etenim cum nomen sit rei denotatio, *Dei nomen quasi naturale divinitatis, potest in omnes communicari, quibus divinitas vindicatur, dicente Apostolo: Nam et sunt qui dicuntur dii, sive in cælo sive in terris.* Ejusmodi nomen tribuitur Deo, Sanctis et idolis; sed longe diversa ratione: Deo vere et essentialiter, quia divinitas est propria natura ejus; Sanctis, vere, sed non essentialiter, sed duntaxat participative, ratione gratiæ sanctificantis, ipsorum naturæ accidentaliter adjunctæ; idolis falso, quia neque essentialem habent divinitatem, ut Deus, neque participatam ut Sancti, quam ex se non habent, sed ex Dei gratia, ut ipsimet recognoscunt. *Ergo, inquis, nec nos habemus Dei aliquid: imo habemus, et habebimus, sed ab ipso, non a nobis; nam et dei erimus si meruimus illi esse de quibus prædicavit: Ego dixi: Vos dii estis; et, Stetit Deus in synagoga deorum: sed ex gratia ipsius, non ex nostra proprietate, quia ipse est solus qui deos faciat.* (4) Ægyptiorum reges honoris gratia Ptolemæi nuncupantur a primo Ptolemæo animi magnanimitate insigni. Etiam nunc imperatores Cæsaris nomine decorantur, quanto major justorum gloria, qui Dei insigniuntur nomine? Tantum ho-

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 7. — (2) D. Hilar. Cant. 3. in Matth. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (4) Tert. L. adv. Hermog. 5.

norem cum stupore prædicat Dilectus Discipulus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* (1) Ægyptiorum reges et imperatores nuncupantur Ptolemæi et Cæsares sola extrinseca denominatione; sæpe sæpius nec Ptolemæi, nec Cæsaris æmulantur generositatem; at justi non solum denominatione extrinseca dii vocantur, sed vere tales sunt, et per gratiam dii consecrantur.

2. *Vetus erat decretum ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi a Senatu probatus.* (2) Verum neque Imperatores neque Senatores ullam consecrandi Deos potestatem habebant: quos ideo Tertullianus temeritatis et injustitiæ redarguit: temeritatis, sibi audacter arrogantes consecrandi deos auctoritatem. *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensatur: nisi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius esse debet.* Injustitiæ, eligentes in deos præ multis viris probis, homines criminosissimos, atrocissimis sceleribus infames. *Deos facite criminosissimos quosque, ut placeatis diis vestris: illorum est honor, consecratio cœqualium.* (3) Solus Deus consecrandi Deos habet auctoritatem, qui non injuste, sed juste tantum dispensat honorem. Utrumque adversus Gentiles argumento ad hominem, ut dicitur, demonstrat Tertullianus, et 1. Divinam in consecrandis deis auctoritatem. *Imprimis quidem necesse est concedatis esse aliquem sublimiorem Deum, et mancipem quemdam divinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit: nam neque sibi illi potuissent sumere divinitatem, quam non habebant, nec alius præstare eam non habentibus, nisi qui proprie possidebat.* Vindicata autem Dei auctoritate, ejus justitiam 2. In largiendo divinitatem commendat: *Sed convertimini ad causam aliam, respondentes collationem divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem: et hinc conceditis opinor, illum Deum deificum justitia præcellere, qui nec temere, nec indigne, nec prodige tantum præmium dispensavit.* In dispensanda divinitate participata elucet Dei misericordia, et justitia coruscat: misericordia, qua gratis justificantem largitur gratiam: *Justificati gratis gratia ipsius* (4): Justitia, qua justis largitur gloriam, non temere, sed ex sapienti suæ prædestinationis decreto; non indigne, sed ex justitia, qua felicitas nulli denegatur digno, nulli conceditur indigno; non prodige, quia gloriam adulatorum meritis con-

temperat. Neque beatos in cœlo, neque justos in terra, deorum titulus commendat, nisi ob participatam ab iis divinitatem: ex cujus defectu Gentilium deos tales non fuisse, recte concludit Tertullianus: *Quod si nomen istud proprium divinitatis, in cætera que deos vultis, docete etiam qualitatibus inter illos esse consortium, ut jure consistat collegium nominis communionem substantiæ.* (1) Inter Gentilium deos et verum Deum nullum est naturæ et qualitatis consortium; at inter Sanctos et Deum est naturæ et qualitatis societas: nam, per gratiam, ut fatur Princeps Apostolorum, efficiuntur *divinæ consortes naturæ.* (2) Sicut qui habet hominis naturam, homo est, ita justis naturam Dei participantes, sunt participatione dii. Divina natura est in Deo essentialiter, in solo Christo personaliter; in Justis vero et Sanctis, non essentialiter ut in Deo, neque personaliter ut in Christo, sed accidentaliter ratione gratiæ sanctificantis, per quam divinam naturam participant. Quomodo Basilius Magnus intelligit Vatem Regium: *Deus deorum locutus est per Spiritum Sanctum etiam quilibet Sanctorum Deus est: quia Deus deorum, id est, Sanctorum, locutus est* (3); a quo deificantur et in filios adoptantur.

3. Inter deos ethnicorum quos Varro dinumerat, tertium genus gentile refert *quod populi sibi quique adoptaverunt.* (4) At quomodo Dei fuerunt si sunt ab hominibus adoptati? Nam, ut profunde ratiocinatur Tertullianus, *porro divinitas, si veram retractes, ea definitione est, ut adoptionis passivis non judicetur.* At si homines nequeunt adoptare Deum, Deus potest homines adoptare, et de facto adoptat, quoties eis gratiam sanctificantem communicat. Quare Praxeam hoc denegantem redarguit Tertullianus: *Recordare tu cum illis scriptum esse: Ego dixi: Vos dii estis et filii Altissimi; et, Stetit Deus in Ecclesia deorum; ut si homines per fidem filios Dei factos, deos Scriptura pronuntiare non timuit.* (5) Quanta Justis gloria esse divinæ consortem naturæ, Deum per participationem et adoptari in Dei filium. Verum cum tanta dignitate, ut filii Dei naturalis æmuletur gloriam! Dei Filius est de substantia Patris generatus, et Justus per gratiam de Deo nascitur: congruum enim erat ut *dii non nisi de Deo nascerentur*; 2. Dei Filius est a Patre sigillatus: *Hunc signavit* (6): Justis etiam sunt a Deo sigillati: *In quo signati estis* (7); Græca

(1) 1. Epist. 3. — (2) Tert. Apol. 5. — (3) Tert. Apol. 11. — (4) Rom. 3.

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 4. — (2) 2. Pet. 1. — (3) L. 5. Cont. Eun. Psal. 43. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 1. — (5) Tert. L. adv. Prax. 13. — (6) Joan. 6. — (7) Ephes. 1.

lectio habet *sigillati*; 3. Dei Filius eadem cum Patre vita vivit, Justo participatione vitam divinam nanciscuntur. « Quemadmodum caliditas est innata igni, aquæ participata, sic et Deus in seipso vitam habet, et qui eam participant, vivunt ut deos decet, vitam divinam possidentes, ab eo participatam. » (1) 4. Dei Filius est splendor gloriæ, et nihil est ista gloriosum justis, ac esse Dei filios. Magna gloria est de nobili genere nasci, major de principum oriri sanguine, maxima regiam habere originem. Qualis Sanctorum gloria, qui divino genere nobilitantur? *Voluntarie genuit nos, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* (2) Vatablus legit: *Ut principatum obtineamus inter creaturas ejus.* Inter creaturas divina filio tenet. OEcumenius vertit: *Ut simus primi et honoratissimi.* Justo namque majorem merentur honorem quam cæteri homines, cujusvis sint conditionis. Beda habet: *Ut sint cæteris creaturis meliores: unusquisque enim debet ducere vitam suæ origini et dignitati conformem.*

Ex D. Augustino: *Varro utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex diis genitos esse credant: ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendus præsumat audacius, agat vehementius, et ob hoc impleat ipsa securitate felicius.* (3) Sic Scipio de semine divino existimatus est. Alexander Jovis creditus est filius; Romulus ex Marte, et Cæsar de Venere natus: at justo non fictitie, sed vere sunt Dei filii. Hac consideratione ad heroica et divina opera stimulantur. *Nunquam humana opera mirabitur, quisquis cognoverit se filium Dei: dejecit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest.* (4) Ideoque cum caro justum ad Venerem vel ingluviem pulsat, respondet: Filius Dei sum, ad majora natus quam ut me ventris mancipium efficiam, et ut equus et mulus libidini vacem. Dum ei mundus opes et divitias offert, respondet: Sum Dei Filius, cœlestibus gazis ditandus, indignum est ut terræ perquiram excrementa. Dum eum dæmon de superbia et ambitione tentat, respondet: Vade retro, Satana, absit ut filius sim diaboli, qui filius et hæres sum Dei. *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* (5) Justo in Dei filium adoptatus, ne sit a tanta dignitate degener, diligenter cus-

todit gratiam, qua diaboli resistit tentationibus; peccati respuit illecebras, sanctamque et studiosam ducit vitam. Plus audet Dilectus Discipulus, asseverans quod *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in ipso manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* (1) Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, in sensu scilicet composito, quando divinam illam conservat nativatem, et quando gratia sanctificans, quæ est divinum semen, in illo est. Quod addit Apostolus, non potest peccare, explicatione indiget; gratia namque arbitrii non tollit libertatem et persæpe a gratia excidunt justo, divinamque dignitatem peccando amittunt; nam, *si dii essent, non se de majestate deponerent.* (2) Vult autem Joannes eum qui natus est ex Deo non debere peccare, congruum enim est ut tantam bene vivendo sustineat dignitatem: vel difficulter peccare ob præsidium gratiæ qua munitur, et præsentiam Spiritus Sancti qui in eo inhabitat: *Itaque ut certum esset nos filios Dei esse, misit Spiritum suum in corda nostra, clamantem: Abba pater* (3), nobisque Dei possessionem largientem.

III. PARS. Sancto qui in cœlo regnant, et justo qui in terra militant, Deum possident: illi ratione gloriæ Deum possident ut verum beatitudinis objectum, quod alias fuisse demonstratum est (4): isti *propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* (5) Spiritus namque est in anima sancta, velut in 1. Amici gremio; 2. Sponsæ thalamo; 3. Templo sibi sacro.

1. Ille est verus *amicus qui animæ tuæ pars est.* (6) Licet inter justum et Spiritum Sanctum nequeat esse perfectissima amicitia, ob inæqualitatem fere infinitam quæ inter illos reperitur, tamen ratione gratiæ inter illos vera amicitia constituitur: et quia, ut fatur Cato, amans in amico saltem mente et dilectione habitat, Spiritus Sanctus, fit præsens in amici anima: quia gratia sanctificans visua et quasi connaturali jure, postulat realem ac personalem præsentiam Spiritus Sancti in anima per illum sanctificata: ita quod si per impossibile non esset ob suam immensitatem realiter præsens animæ illi, eo ipso quod anima sanctificaretur, statim veniret ad illam per præsentiam personalem, maneretque in illa quando gratia duraret: eodem modo quo si per impossibile divi-

(1) D. Basil. L. 5. Cont. Eunom. — (2) Jacob. 1. — (3) Lib. 5. Civit. 4. — (4) D. Cypr. L. de Spect. — (5) 1. Joan. 5.

(1) 1. Epist. 5. — (2) Tert. Apol. 23. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 4. — (4) Tertull. Prædic. tom. 2. Tract. de Deo. Conc. 2. et 5. — (5) Tert. L. de Res. 46. — (6) Tert. Scorp. 2.

nun Verbum non fuisset antea præsens humanitati Christi, in incarnatione fuisset illi statim realiter et personaliter præsens; nam, sicut unio hypostatica est vinculum uniens Verbum cum humanitate, ita gratia est nexus amicitiae quæ intervenit inter Justum et Spiritum Sanctum, jure postulans præsentiam Spiritus Sancti, qui residet in amici gremio et in sponsæ thalamo.

2. Anima est *vere sancta per incolatum Spiritus Sancti* (1); qui eam ad sponsæ suæ honorem sublimavit, et opulenter adhuc *animam Deus dotare dignatus est* (2), et in dotem, ultra dona gratiæ quæ abundanter largitus est, etiam semetipsum donavit. Potuisset absolute Spiritus Sanctus sanctificare animam, neque eam sibi assumere in sponsam, assignareque ei gratiam in dotem, et non donare seipsum. Ingens sane Spiritus Sancti amor quod animam sanctificaverit; major quod eam in sponsam assumpserit; sed maximus, quod semetipsum in dotem donaverit. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, ut inhabitet tanquam in templo sibi sacro.

3. Sic fantur justis apud Tertullianum: *Omnes templum Dei sumus, illato in nos et consecrato Spiritu Sancto.* (3) Sanctitas donum, et amor, Spiritui Sancto appropriantur. Ut sanctitas justos sanctificat et deificat: inde ejus divinitatem contra Eunomium probat Magnus Basilius: *Necesse est divinum esse Spiritum, et ex Deo esse quibus divinitatis est causa.* (4) Ut donum, semetipsum simul cum gratia sanctificante donat, et ut vult D. Bonaventura (5), non tantum in effectu, sed in propria persona quasi donum increatum, datur animæ sanctæ, ut sit ejus perfecta possessio. Tandem ut charitas habitat in illa velut in templo sibi sacro: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo.* (6) Quanto major est divini illius amici benignitas, quanto vehementior cœlestis illius Sponsi charitas, quanto sublimior Spiritus Sancti majestas, tanto sollicitius justis ejus præsentiam servare tenentur. Hanc curam debent et sibi, et Spiritui Sancto. Sibi, ne adeo excellenti priventur dono; Spiritui Sancto, ne illum injuria afficiant.

Trinam injuriam Spiritui Sancto faciunt peccatores: 1. Illum contristant; 2. Illi contumeliam irrogant; 3. Illum a semetipsis pro-

pulsant. 1. Illum contristant, ejus amicitiae diaboli amicitiam præferentes; *quorum individua cum diabolo amicitia est.* (1) In Spiritum Sanctum non cadit tristitia; sed dicitur contristari cum offenditur, cum a peccatore contemnitur: homo enim cum ab amico aliquam accipit injuriam, eaque offenditur; contristari solet: sic Spiritus Sanctus ab hominibus quos sua amicitia donaverat offensus, contristaretur, si in eum cadere posset tristitia: et ob hanc causam, justos Spiritus Sancti amicos hortatur Apostolus: *Nolite contristare Spiritum Sanctum* (2); ad instar peccatorum qui ei contumeliam irrogant. 2. Spiritus Sanctus animam sanctificatam sibi assumpserat in sponsam: sponsalia hujus connubii facta fuerant per fidem, juxta istud Osee: *Sponsabo te mihi in fide.* Connubium initum est per gratiam sanctificantem, quæ *fidem Spiritu Sancto vestit*; (3) et ejecto ab anima dæmone, in ea velut in sponsæ thalamo habitat cœlestis Sponsus. *Excipitur etiam a Spiritu Sancto, sicut in pristina nativitate a spiritu profano.* (4) Ejusmodi connubium merito beatum prædicat Tertullianus: *O beatum connubium, si non admitterit adulterium!* Anima tamen scelerosa, *Spiritui gratiæ contumeliam* (5) facit, frangens enim divino sponso fidem, adulterium admittit: Si mulier adulterans contumeliosa est in virum, quantam contumeliam irrogat Spiritui Sancto anima scelerosa, quæ divinum illum contemnens sponsum, adulteratur cum diabolo? « Si enim Deus charitas est, necesse est diabolum odium esse. Ut igitur qui charitatem, is Deum habet, sic qui odium habet, is diabolum in seipso nutrit, » (6) Cum quo adulterium committit, ad instar Evæ, quæ *semine diaboli concepta malitiæ fecunditate iram filium procreavit* (7): et 3. Spiritui Sancto inferendo injuriam, quantum in se est illum exstinguit: *Spiritum nolite exstinguere.* (8) Apostolum sic expendit D. Augustinus: *Quantum in vobis est, nolite sic agere, tanquam conemini, spiritum exstinguere.* (9) Qui enim peccant lethaliter, gratiam sanctificantem destruunt, et quantum in ipsis est Spiritum Sanctum exstinguunt: licet enim ei utpote essentialiter immortalis non inferant mortem, præsentiam tamen illam specialem qua in eis velut in templo sibi sacro habitabat, adimunt, suisque sceleribus Spiritum Sanctum a suo corde rejiciunt,

(1) Tert. L. de Res. Carn. 26. — (2) Tert. L. de An. 2. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 1. — (4) L. 5. adv. Eunom. — (5) In 1. Dist. 14. Att. 2. Quæst. 1. — (6) 1. Joan. 4.

(1) Tert. L. de Pœn. 5. — (2) Ephes. 4. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 56. — (4) Tert. L. de An. 41. — (5) Hebr. 10. — (6) D. Basil. Serm. de Instit. Monach. — (7) Tert. L. de Pat. 5. — (8) 1. Thessal. 5. — (9) L. 2. Cont. Parmen. 15.

ut in eo dæmonem recipiant. « Quomodo enim dies et nox misceri nequeunt, sic nec Spiritus Sanctus et diabolus. Si Spiritum Sanctum susceperimus in hospitio corporis nostri, illico fugamus diabolum: si peccaverimus, et per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Spiritus Sanctus recedit. » (1) Idem accidit scelerosis illis Christianis quod infidis Judæis, *in quibus jam Spiritus Sanctus non immoratur, ut in præteritum in templo commorabatur.* (2) Timeamus hanc pœnam, et omni cura studeamus ut in nobis habitet et permaneat Spiritus Sanctus. *Date operam ut vobiscum perseveret: ita vos inde perducatur ad Dominum.* (3)



CONCIO SEXTA.

NIMIL adeo homines ad heroicas stimulat actiones ac spes alicujus boni utilis et honesti. Quid non audet avarus, ad comparandas divitias? Quid non tentat superbus ut honores quos ambit consequatur; utinam Christiani tanto ardore cœlestia prosequerentur bona, ac mundani terrestria! Deus qui eos æternæ felicitatis facit capaces, præbet eis suam gratiam, qua immortalem sibi comparent beatitudinem, *et jubentur perseverare, et sanctificantur, et spem lucratiōnis accipiunt.* (4) Jubentur perseverare tum in oratione, ut accipiant a divina bonitate gratiæ actualis auxilium, tum cum gratiæ auxilio vacare bonis operibus, quæ sese ad gratiæ habitualis susceptionem disponant: gratia autem sanctificati, lucrantur 1. Honores incomparabiles; 2. Divitias inæstimabiles; 3. Felicitates ineffabiles.

I. PARS. Gentiles hominibus *pro meritis addicunt divinitatem.* (5) Quam temerarie sibi consecrandi jus arrogaverint potestatem, et quam immerito eam scelerosis contulerint, satis superque in superioribus demonstratum est, non secus ac justos merito deos nuncupatos et consecratos, media gratia sanctificante. Ne actum agamus, quia nobis repetita non placent, ostendamus incomparabilem dignitatem ad quam gratia sanctificans elevat justum: hunc etenim 1. Evelit supra humanam naturam; 2. Sublimat supra angelicam naturam; 3. Attollit ad divinam naturam.

1. *Omniū gentium unus homo, varium*

(1) D. Hier. lib. 2. Cont. Jovin. — (2) Tert. L. adv. Jud. 13. — (3) Tert. L. ad Mart. 1. — (4) Tert. L. 2. ad Uxor. 7. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 14.

nomen est. (1) Homines considerari possunt, vel in natura, vel in fortuna. In natura sunt omnes æquales, quia sunt unius et ejusdem speciei; in fortuna sunt inæquales, alii enim sunt divites, alii pauperes, alii nobiles, alii plebei, alii dominantes, alii obsequentes; justus tamen gratia sanctificatus excellit cunctorum hominum tum naturam, tum fortunam. Inter homines qui eminenti fortuna ditantur, principatum tenent reges et imperatores: *Colimus imperatorem ut hominem a Deo secundum, et solo Deo minorem. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.* (2) Verum quantumvis post Deum supremam dignitatem possideat imperator, si sit gratia sanctificante destitutus, minor est justo, etsi humillimo, et cunctis fortunæ bonis depauperato. Quod innuere voluit ipsemet Deus, interrogans dæmonem: *Unde venis? Cui respondit diabolus: Circuivi terram.* Quot in universo mundo viderat dæmon oratores eloquentissimos, philosophos sapientissimos, divites locupletissimos, heroes invictissimos, exercituum duces potentissimos, reges sublimissimos, et quasi cunctis his omnibus antistet Job, dæmoni dixit Deus: *Nonne considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* (3) At cur Job præponit Deus cunctis hominibus in terra degentibus? Quia est *vir simplex, rectus et timens Deum.* Nec mirum si gratia evelit justum supra naturam humanam, cum illum sublimet supra naturam angelicam.

2. Natura angelica est longe nobilior humana. Tanta est Angelorum dignitas, ut inter cunctas creaturas, primum teneant nobilitatis gradum, et proximius divinam attingant majestatem. *Angelos post Deum novimus.* (4) Angeli sunt in tres hierarchias distributi: quælibet hierarchia tres ordines continet, in quolibet ordine sunt fere innumeri spiritus, quos omnes specie diversos vult Angelicus Thomas, etsi Angelorum minimus est in natura major quovis homine; qualis, quæso, erit perfectio naturalis Angelorum? et tamen justus ratione gratiæ sanctificantis est major Lucifero. Omnes res per suas classes distributæ sunt; inferiores non attingunt eas quæ superioris sunt ordinis. Res inanimatæ non possunt attingere perfectionem viventium; res vegetantes ad sentientes non perveniunt; res duntaxat sensu præditæ nequeunt rationalibus æquari, neque homines Angelis, neque cunctæ in universum naturæ creatæ, gratiæ sanctificantis, quæ est ordinis super-

(1) Tert. L. de Test. An. 6. — (2) Tert. L. ad Scap. 2. — (3) Job. 1. — (4) Tert. L. de Res. 5.

naturalis, et justum evehit ad divinum statum.

3. Constat ex supradictis gratiam sanctificantem valere *ad suffragium divinitatis* (1); cum per eam justii sint divinæ naturæ participes: quia, ut ait Lyranus, *dona gratiæ in esse supernaturali sunt quædam divinæ naturæ participationes* (2), quam secundum supremum gradum participant, non solum in quantum omnem naturam creatam supertranscendit, sed etiam in quantum ipsa natura divina est radix omnium divinarum perfectionum. Virtutes sunt equidem participationes attributorum ut fides divinæ sapientiæ, spes potentiæ, charitas bonitatis; at gratia est participatio naturæ divinæ a qua dimanant attributa; deinde ut attributa in essentia divina radicanur, ab eaque diffluunt, sic virtutes a gratia sanctificante dimanant, suntque velut dotes cœlestes quæ hominem sanctificatum et deificatum pretiosius ornant, et sanctis operationibus opulenter ditant. Gregorius Nyssenus sic Magnum Basilium fratrem suum commendat: *Genus illi, familiaritas et necessitudo erat cum Deo, patria vero virtus*. Christiane, genus tibi est divinum, nihil nisi divinum et virtutem sapi. *Agnosce dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire*. (3) Memento dignitatis incomparabilis ad quam sublimat gratia sanctificans, et boni inæstimabilis quod sibi comparant justii.

II. PARS. Tantus est gratiæ sanctificantis valor ut eam thesaurum vocitet Tertullianus. *Sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos*. (4) Loquitur de adultis qui absque ullo peccatorum dolore, accedebant ad baptismi sacramentum: licet etenim divina institutione vim habeat dimittendi peccata et conferendi gratiam, requirit tamen in adultis prævias dispositiones, sine quibus nec deletur peccatum neque conferatur gratia: *Neque ego renuo divinum beneficium, id est, abolitionem delictorum, in iuris aquam omnimodo salvum esse; sed ut eo pervenire contingat elaborandum est*. Quam pretiosus autem sit gratiæ thesaurus acquisitus ab his qui ad pœnitentiam accedunt probe dispositi, inde conjectandum est, quia est donum cœleste, 1. Quod Deus donat; 2. Quod omne bonum naturæ superat; 3. Quod deperditum peccato meritum recuperat.

1. Gratia est *donativum Dei* (1): sive prima gratia actualis, sive prima habitualis est, ait D. Augustinus, *donata, non reddita*. (2) Neutram suis meritis homo consequitur, sed ex gratuita Dei benevolentia. Ob hanc causam eam lacti comparat Isidorus: *quia lac est in carne gratuitum, ubi mater non quærit accipere, sed satagit dare*. Tantus est Dei in hominem amor ut ejus mater esse voluerit, postquam illum parturivit, sua gratia lactare desiderat; quam ei non secus ac pia mater, ex mero puroque amore præbet. *Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus est, sed gratuitum de Deo munus*. (3) Quod multiplici similitudine declarat sanctus martyr: *Ut enim sol sponte radiat, dies illuminat, fons irrigat, imber rorat, ita se Spiritus Sanctus cœlestis infundit*.

Zenxis, pictor famosissimus, non vendere, sed *donare opera sua instituit, quod ex nullo satis digno pretio permutari posse lice-ret*. (4) Nihil est in humanis quod digne gratiam emere possit: ideo gratis eam Deus largitur. Propheta Evangelicus sic de Verbi humanatione fatur: *Filius datus est nobis*. (5) Acute adnotat Oleaster quod propheta ait, *datus, non venditus, neque commodatus*: cujus perpulchram reddit rationem, *quoniam in terra nihil erat hoc Filio dignum: nobis datus est, non pretio emptus*. Eodem modo ratiocinandum est de gratia, quam non commodat aut vendit Deus, sed gratis donat: *Sine argento redimemini*. (6) Verum quomodo gratiæ lac liberaliter Deus donat, hominem ad illud emendum sollicitans: *Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite?* (7) Hanc difficultatem acute resolvit Oleaster: « Cum enim omnia gratis offerat, quia tamen probe novit, nos res ex pretio æstimare, adjunxit: *Emite*. Sunt quædam quæ licet pretiosa sint, non æstimantur, quia gratis nobis offeruntur: solent homines res æstimare ex labore vel pretio quo illas acquirunt, non ex earum dignitate. » Inde belle concludit: *Gratis exhibentur cœlestia, si dantis liberalitatem spectes: emuntur vero, ut putes pretiosa*. Desiderat Deus ut magnificiamus inæstimabiles gratiæ thesauros quos nobis non vendit, sed liberaliter donat, et quo gratior magisque liberalis appareat ejus munificentia, illos testamento largitur. *Testamentum Dei figurate dicitur ejus gratia: neque enim jus est ut ille*

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 13. — (2) In 2. Epist. Pet. 1. — (3) D. Leo. Serm. 1. de Nat. — (4) Tert. L. de Pœn. 6.

(1) Tert. L. de Res. 47. — (2) Tract. 3. in Joan. — (3) D. Cyr. Ep. 2. ad Donat. — (4) Plin. L. 35. c. 9. — (5) Isa. 9. — (6) Isa. 52. — (7) Isa. 55.

quicquam imperfectum largiatur. (1) Ad denotandam gratiæ munificentiam, testamento divino datam asseverat Philo Judæus: tum quia liberalior videtur munificentia testatoris, utpote jamjam morituri, neque secum suas opes delaturi: tum quia testamentum morte testatoris confirmatur, neque tolli potest, quod testamento donatur: ideoque Deus testamento dat gratiam, quia sic liberalior ejus apparet munificentia. Deinde illam irrevocabili donatione largitur, velut testator totam hæreditatem relinquens, testamento suum censum munificentissime donans. Quam pretiosus gratiæ census, omne bonum naturæ superans!

2. Tantus visus est sapientiæ professoribus mundus, ut ejus substantias deos pronuntiaverit; *ut Thales aquam, ut Heraclitus ignem, ut Anaximenes aerem, ut Anaximander universa cœlestia, ut Strabo cælum et terram, ut Zeno aerem et ætherem, ut Plato sidera; quæ genus deorum igneum appellat.* (2) Tanta est mundi venustas, vis et utilitas, *ut plerique physicorum formidaverint initium ac finem mundo dare, ne substantiæ ejus tantæ scilicet, minus Dei haberentur; quas colunt Persarum Magi, Ægyptiorum Hierophantæ, Indorum Gymnosophistæ.* Mundi tamen bonum quod tantum est, ut errandi et idololatrandi ansam præbuerit ipsis etiam philosophis, non attingit *maxima et pretiosa* (3) quæ nobis donavit Deus gratiæ beneficia. Tale ac tantum est gratiæ donum quod ex Angelico Thoma *omne bonum naturæ superat.* (4) Quot sunt in mundo bona, quot argenti et auri cumuli, quot uniones et margaritæ, quot pretiosa suppellectilia, quot regna et imperia? Gratia tamen *melior est cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari.* (5) Quia cuncta bona mundialia quantumvis magna et pretiosa, clauduntur intra naturæ fines, gratia vero supra naturæ terminos sublimatur.

Homo est mundo major et melior, quia *mundum non sibi, sed homini fecit Deus.* (6) Et homo est Deo magis addictus, ait D. Augustinus (7), dum ei unum gratiæ sanctificantis largitus gradum, quam si universi orbis præberet imperium; et dum homo justificatur melior absque comparatione efficitur, quam cum creatur. *Melius est te justum esse quam te hominem: si hominem te fecit, et justum tu te facis, melius aliquid*

facis quam fecit Deus. (1) Nullus est homo qui non sit mundo elementari melior. Verum *melior est unus timens Deum quam mille filii impii.* (2) Angelus est in natura melior homine, at, ut supra dictum est, justus ratione gratiæ est melior dæmonum et Angelorum natura: quapropter in distributione gloriæ, Deus non respicit ad hominis vel Angeli naturam, sed ad gratiam, quæ omne bonum naturæ superat, et deperditum peccato meritum recuperat.

3. Justi qui lethale peccatum committunt *mortui ex vivis* (3) efficiuntur: licet enim corpore vivant, mortua est eorum anima, quia ab ea excidit gratia, quæ est principium vitæ supernaturalis. Ideo peccatum mortale nuncupatur, quia affert animæ mortem; et *eum nos mortuos spiritualiter* (4) efficit, cuncta hucusque acquisita merita mortificat, et nullius valoris reddit; *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur.* (5) Quanta thesaurorum jactura, qui tamen per gratiam sanctificantem denuo recuperantur! nam, qui inciderunt in peccatum, *si vivi ex mortuis postea fiunt* (6), gratia quæ mortuam animam ad vitam revocat, merita mortificata vivificat, eisque deperditum restituit valorem. Justus suæ salutis sollicitus, *gratiam quasi pupillam oculi conservabit* (7): etsi aliquando labitur in peccatum, cito de suis sceleribus pœniteat, *ut totam Dei gratiam redimat* (8), scilicet cuncta bonorum operum merita in gratia facta, quæ peccando amiserat, pœnitendo redimat, nam, gratia sanctificans quam per pœnitentiam suscipit, depretiatas operibus valorem restituit, quibus justi sibi comparant felicitatem inæstimabilem.

III. PARS. *Cæterum qualia illa sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt?* (9) Loquitur de æterna felicitate, quæ est finis supernaturalis per media supernaturalia acquirendus, hæreditas cœlestis a Dei filiis possidenda, merces interminabilis meritis comparanda. Per gratiam autem sanctificantem, 1. Finis ille supernaturalis attingitur; 2. Hæreditas cœlestis adipiscitur; 3. Merces interminabilis acquiritur.

1. *Nunc vero liberi a delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctificium: finem autem vitam æternam.* (10) Hunc locum ab Apostolo desumptum

(1) Philo. lib. de Sacrific. Abel et Cain. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 15. — (3) 2. Pet. 1. (4) 12. qu. 103. art. 9. ad 2. — (5) Prov. 8. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 11. — (7) Lib. 2. ad Bonif. 6.

(1) D. Aug. Serm. 15. de Verb. Apost. — (2) Eccli. 16. — (3) Tert. L. de An. 29. — (4) Tert. L. de Res. 25. — (5) Ezech. 18. — (6) Tert. L. de An. 29. — (7) Eccli. 17. — (8) Tert. Apol. 50. — (9) Tert. L. de Spect. 30. — (10) Tert. L. de Res. 47.

paululum mutavit Tertullianus. Hortatur Romanos Apostolus ut Deo gratias agant quod per veram ad fidem conversionem, liberati sunt a peccatis quibus in idololatria serviebant, et facti servi justitiæ, cui ministrare debent, tantumque tantoque studio impendere justitiæ in sanctificationem, quantum quantoque olim studuerunt iniquitati ad iniquitatem. Antea de una iniquitate ruebant in aliam, fiebantque in dies sceleriores: nunc de virtute in virtutem proficiscantur, et novos justitiæ et sanctitatis acquirant gradus. Antea cunctæ animæ facultates, omnia corporis membra, peccato et iniquitati serviebant, nunc cujusvis animæ facultas et *uniuscujusque membri ministerium quod exhibuit vitiis aptet virtutibus*. (1) Cujus hanc reddit rationem: *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*. (2) Quatuor eosque mirificos prodit gratiæ sanctificantis effectus. Nam, per eam 1. Liberati sunt a peccato: sicut enim calor expellit frigus ab uno subjecto, lux tenebras ab uno loco, sic gratia sanctificans fugat peccatum ab anima, quam justificata. 2. Per gratiam mancipati sunt Deo, cui debent in justitia et sanctitate servire cuncto vitæ suæ tempore. 3. Fructus gratiæ sanctificantis est sanctificatio et opera justitiæ, quæ sunt media ad acquirendam felicitatem necessaria: media nanique debent esse proportionata fini; finis naturalis per media naturalia comparatur, finis supernaturalis ad sui assecutionem, supernaturalia exigit media. Tandem, 4. Qualis sit hic finis prodit, declaratque vitam æternam esse finem sanctitatis et sanctificationis; neque acquiri posse nisi per opera justitiæ et sanctitatis quæ a gratia procedunt; quibus finis ille sanctus et supernaturalis attingitur. Per gratiam adhuc sanctificantem hæreditas cœlestis possidetur.

2. *Cum dicit: Nunquid panem filiis pater aufert et canibus tradit? Ostendit quid a patre filii expectent*. (3) Multa exspectant filii a parentibus, amorem, educationem, curam, subsidium, aliaque officia pietatis quæ natura parentibus subministrat, et tandem defunctis parentibus eorum sperant hæreditatem. Gratia sanctificans justos in Dei filios adoptat, estque formalis eorum adoptio, illis inhærens, secumque asserens Spiritum Sanctum gratiæ sanctificantis et charitatis auctorem. Non enim gratia adoptans a Spiritu Sancto, nec Spiritus Sancti adoptio a gratia

divellitur. In justificatione et adoptione, qua per gratiam formaliter justificat et adoptat Spiritus Sanctus, non solum justificato et adoptato donatur gratia, sed etiam datur persona Spiritus Sancti, et consequenter ipsamet donatur deitas. Potuisset Spiritus Sanctus nos adoptare in filios per solam gratiam inhærentem: sed his non contentus, voluit personam suis adnectere donis, et per semetipsum nos adoptare: itaque velut est duplex justificati adoptio, una facta per gratiam inhærentem, altera per Spiritum Sanctum inhabitantem, illius causa formalis est gratia sanctificans: hujus, Spiritus Sanctus inhabitans: medium vero et dispositio est gratia inhærens natura sua, hanc Spiritus Sancti communicationem exspostulans.

De hac adoptione per Spiritum Sanctum inhabitantem factâ, loquitur Apostolus: *Acceptistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*. (1) Per Spiritum adoptionis non tantum gratiam et charitatem Spiritus Sancti, sed ipsum etiam Spiritum Sanctum intelligit, statim addens quod ipse Spiritus Sanctus *testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Itaque filiatio et adoptio nostra ex mente Apostoli, in eo videtur consistere quod Spiritus Sanctus suam nobis donat deitatem, ut nos adoptet, filiosque Dei efficiat. Inde colligit Apostolus: *Si autem filii, et hæredes*. Filii jus habent ad hæreditatem patris; Justo sunt filii Dei: ergo ejus hæreditatem in cœlo consecuturi. *Nunc Dei filii sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*. (2)

Quanta sit hæreditas illa cœlestis, aliorum (3) fuse demonstratum est: nunc ad ejus possessionem tanto magis sufflammandi sunt Christiani, quanto est opulentior et sublimior: admiranda sane solertia qua homines hæreditates terrenas prosequuntur, sed deploranda eorum nequitia in captanda cœlesti hæreditate. *Omnis qui habet hanc spem in Deo, sanctificat seipsum sicut et ille Sanctus est*. (4) Nam, beatitudo, quæ ex Dei misericordia datur parvulis in gratia decedentibus, ut mera hæreditas Christi sanguine acquisita, non ut merces propriis meritis comparata, offertur adultis, et ut hæreditas adoptatis filiis debita, et ut merces interminabilis, propriis meritis comparanda.

3. *Superest de consummatione et dispensatione mercedis*. (5) Consummatur merces

(1) Rom. 8. — (2) 1. Joan. 3. — (3) Tert. Præd. Te. 2. Tract. de Beatitud. — (4) Joan. ibid. — (5) Tert. L. adv. Valent. 31.

(1) Orig. — (2) Rom. 6. — (3) Tert. L. d. Orat. 6.

in cœlo, et dispensatur gloria juxta uniuscujusque meritum. Merces enim meritum respicit, neque adulto conceditur felicitas nisi bene merenti: neque ulli qui eam bonis meruerit operibus denegatur. *Deus enim reprobationem bonorum ratam non habet, utpote suorum: quorum cum auctor et defensor sit, necesse est proinde et acceptator; si acceptator, etiam remunerator.* (1) Deus enim acceptator bonorum operum ad justam et condignam eorum mercedem promissione sese obstrinxit; quapropter cum sit fidelis et justissimus, quod justum est, quodque promisit, justissime et fideliter præstabit. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* (2) Foret autem injustus si mercedem quam bonis operibus promisit, subtraheret, aut si minorem mercedem daret, quam opera mereantur. Licet enim Deus absolute non sit ex justitia sive distributiva, sive commutativa homini debitor, tum quia ejusmodi debitum denotat quamdam æqualitatem inter creditorem et debitorem; tum quia obligatio sonat imperfectionem, scilicet exigentiam qua debitor ligatur extrinsece et ad solvendum obligatur; tum quia creditor jus et imperium habet in debitorem, quem ad solvendum cogere potest: quæ omnia Deo repugnant, qui infinite ab hominibus distat; cui omnia nostra tantquam supremo auctori debita sunt; cujus voluntas a nullo extrinseco, sed tantum a seipsa ligari et determinari potest; qui nullatenus cogitur ad solvendum, sed *reddit debita, nulli debens* (3): supposita tamen libera bonorum operum acceptatione, a Deo facta, et promissione præstita de mercede bonis operibus reddenda, qua *debitorem se fecit non tantum sibi, sed et Christo, et nobis, ut illi dicere possimus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti* (4); bonis operibus debetur æterna felicitas, quæ vocatur ab Apostolo *corona justitiæ* (5): tum quia innititur divinæ fidelitati pollicentis Dei, ejusque veracitati, quæ est pars potestativa justitiæ; tum quia fundatur supra quamdam speciem justitiæ commutativæ, qualis esse potest inter patrem et filium, herum et servum, creatorem et creaturam; tum quia justitia etiam distributiva aliquatenus id exigit ob condignitatem et proportionem bonorum operum cum gloria, ex divina acceptatione. *O magna bonitas Dei, qui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, mancipia Re-*

demptori, amicitiarum nobis præmia reprobmittit, ut a nobis obsequia debitæ servitutis obtineat. (1)

Illam autem proportionem et condignitatem cum gloria, non habent opera quatenus humana et temporanea, sed quatenus Christi innituntur meritis, et dimanant a gratia sanctificante, quæ est gloria inchoata seu semen gloriæ. Sicut enim semen licet in se exiguum, vim tamen et seminalem efficaciam habet producendi flores, frondes et fructus, sic bona opera ex gratia sanctificante facta, vim habent et efficaciam producendi moraliter et meritorie felicitatem æternam. *Id ergo granum seminis spiritualis modicum et parvulum jactu, sed eruditu hujus fides augetur et provehitur* (2) usque ad gloriam, cujus gratia est dispositio; semen, velut præludium et inchoatio; in qua gloria velut radicaliter et seminaliter continetur.

Christiane, si modo scire desideras *qualis apud Deum merces homini* (3), respondet Tertullianus: *Magna merces, felicitas scilicet* (4); sed incomprehensibilis, sed ineffabilis, quæ infinito potitur bono, illudque in æternum possidet. Immensam illam et inexplicabilem felicitatem his verbis aliquomodo describere nititur D. Augustinus: *Quanta erit illie felicitas, ubi nullum est malum, nullum latebit bonum, sed præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, et qui seipsum quo melius et majus nihil possit esse, promisit?* (5) Prætereo cætera quæ in laudem beatitudinis fuse prædicat D. Augustinus: ut dicam cum Tertulliano: *Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces ejus expectatur in cælis* (6), quid non auderet, quid non tentaret, quid non ageret, quid non ultro pateretur Christianus, ut posset illam promereri? dicens cum Seraphico Francisco: *Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis.* At, proh dolor! plerique Christiani, pro tanta comparanda gloria, neque mala pati, neque volunt bonum operari. Omnes quidem beatitudinem exoptant, at perpauca bona faciunt opera quibus æternam mereantur gloriam. *Quam porro ineptum, pretium non exhibere, ad mercedem manuum emittere!* (7) Virtutes sunt pretium quo emitur beatitudo, bona opera sunt media quibus pervenitur ad cœlum; gratia adoptans præbet jus ad possidendam immortalem fe-

(1) Tert. L. de Pœn. 2. — (2) Hebr. 6. — (3) D. Aug. L. 2. Conf. 4. — (4) D. Aug. Serm. 16. de Verb. Apost. — (5) 2. ad Tim. 4.

(1) D. Aug. Serm. 3. de Verb. Apost. — (2) Tert. L. adv. Valent. 29. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 19. — (4) Tert. L. de Pat. 11. — (5) L. 22. de Civit. 30. — (6) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (7) Tert. L. de Pœn. 6.

licitatem, meritum præcedit mercedem, medium finem, filiatio hæreditatis possessionem, et gratia gloriam. Est enim dispositio prærequisita ad consequendas dignitates illas ineffabiles. *Si a gratia excidistis, æternam non potestis mereri gloriam: quapropter omni studio nitimini quam citius acquirere gratiam, quæ vitam terrenam gubernat, et in cælesti procurat* (1): quia est principium tum vitæ supernaturalis animæ, tum meriti quod operatur Christianus; estque adhuc semen gloriæ quam per bona opera meretur: *Gratia vita æterna, stipendium peccati mors.*

(2) Uti gratia comparatur cælestis dignitas,

opulentia et felicitas, ita peccato acquiritur infernalis infamia, inopia et miseria. Gratia ducit ad cælum, peccatum est orci viaticum. Cave, Christiane, peccatum, si æternum non vis pati supplicium. Stude diligenter virtutis actionibus, sustine patienter quidquid mali acciderit, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad præteritam culpam, quæ remittitur; ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur nobis.* (1)

(1) D. Bernardin. de Conversion. ad Clericos. capul 30.

(1) Tert. L. de Bapt. 5. — (2) Rom. 6.



GRATITUDO.

SCHOLIUM.

Sex potissimum hominem christianum ad gratitudinem Deo reddendam stimulant:
 1. *Famulata irrationalis creatura;* 2. *Donata rationalis natura;* 3. *Accepta a Deo hominis substantia;* 4. *Professa religio christiana;* 5. *Effusa divina munificentia;* 6. *Horrenda ingritudinis culpa.*



CONCIO PRIMA.

NEMO negat, quia nemo ignorat, quod *ultra natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem, eamque universitatem, tam bonam, quam homini mancipatam.* (1) Eadem ratio quæ evidenter Dei existentiam demonstrat, probat mundum ab illo, ut a prima causa productum, quem pro sua munificentia homini mancipavit. Quanto largior est divina erga hominem beneficentia, tanto major debet esse hominis erga Deum gratitudo. Nulla est creatura quæ illum ad tale justitiæ debitum non excitet, quapropter ingeniose Hugo Victorinus in cujusvis ore hæc verba ponit: *Accipe, redde, cave* (2): 1. *Accipe, homo, beneficium;* 2. *Red-*

de gratitudinis officium; 3. *Fuge ingritudinis vitium.*

I. PARS. *Totum hoc mundi corpus* (1) humano servitio mancipatum est; cujus usui et utilitati Deus mancipavit 1. Cunctas creaturas universaliter; 2. Cunctas cunctis hominibus indifferenter; 3. Cunctas cunctis continuo et indesinenter.

1. Cuncta quæ sunt in mundo, *omnia famula sunt hominis, omnia subjecta, omnia mancipata.* (2) In mundo sunt nonnullæ creaturæ quæ entis duntaxat gradum possident, ut elementa, cæli, sidera, mixta, metalla, uniones; aliæ quæ vitam duntaxat vegetantem vel sentientem possident; vegetantem, ut semina, segetes, arborum fructus; sentientem, ut bestię terræ, pisces maris, aeris

(1) Tert. L. de Spect. 2. — (2) Lib. de Arc. Mor.

(1) Tert. Apol. 11. — (2) Tert. L. de An. 33.

aves ; tertiæ quæ vita intellectuali pollent , ut Angeli. Has omnes creaturas hominis utilitati mancipavit Deus : inanimatas quidem quæ intra elementorum et cœlorum ambitum continentur. *Præmia hominis , terrarum fructus sunt , et cœli lumina.* (1) Vegetantes etiam et sentientes , quod Gentilis etiam Philosophus his verbis eleganter declarat : *Neque enim necessitatibus nostris provisum est , usque in delicias amamur : tot arbusta non uno modo frugifera ; tot herbarum salutares ; tot varietates ciborum per totum annum digestæ : jam animalia omnis generis ; alia in sicco solidoque ; alia in humido innascentia ; alia per sublime demissa : ut omnis rerum naturæ pars , tributum aliquod nobis conferret.* (2) Tandem intellectuales ; nam , ut eloquenter fatur Chrysologus , *quidquid cœli micat , radiat et splendet ornatus ; quidquid terra fragrat in floribus , sapit in fructibus , in animantibus gaudet , nostro amore factum , nostræ addictum est servituti : sed quamvis magna , parva tamen sunt , ad supernæ in nos dilectionis indicium : nobis principatus cœlorum , nobis ætheræ potestates , nobis supernæ dominationes , nobis Angelorum officia , exenbiis militant indefessis.* (3)

Deus suorum operum Encomiastes , non eodem modo commendat singulas creaturas seorsim , et cunctas simul sumptas : dum creaturas singillatim producit , eas statim bonas prædicat. *Et vidit Deus quod esset bonum* (4) : at completo omnium rerum opificio , *vidit Deus cuncta quæ fecerat , et erant valde bona.* Quælibet creatura separatim sumpta , bona est ; cunctæ simul sumptæ , sunt valde bonæ , quasi novam a consortio mutuaverint perfectionem , vel collatæ jam bonitatis susceperint incrementum. Verum D. Chrysostomus acute animadvertit Deum non immediate post consummatum sex dierum opus , ampliorem prædicasse creaturarum bonitatem , sed tantum postquam hominis fuerunt servitio destinatæ. Quod innuere videtur Tertullianus : *Jam vero nemo est qui non hoc quoque prætendat , omnia a Deo instituta , et homini attributa , et utique bona , ut omnia boni auctoris* (5) , qui pro sua beneficentia , largitur ea cunctis hominibus bonis et malis indifferenter.

2. *Deus optimus qui pluit super justos et injustos , et solem suum oriri facit super bonos et malos , sustinens et alens et juvans , etiam Marcionitas.* (6) Quod Deus suas lar-

giatur creaturas hominibus bonis , justis , gratis , religioni suæ et servitio addictis , hoc magnam ejus denotat benevolentiam ; sed ejus munificentia , absque ulla comparatione magis elucet , dum *omnia sua ex æquo , et profanis , et suis præstat* (1) : dixit alias Philosophus Moralis : *Non est magni animi beneficium dare : hoc est magni animi , beneficium perdere et dare.* Quasi dicat : Liberalitas effusa in gratos de animi magnitudine non multum commendatur ; illa de magno procedit animo quæ ingratis et non bene meritis beneficia largitur : hæc est tamen generosa et magna Dei munificentia. *Ipsæ suavis adversus ingratos et malos.* Hoc genus suavitatis , qua soles et imbres qui generaverat , non recepturus ab humano genere ut creator : qui pro tanta elementorum liberalitate facilius idolis quam sibi debitum gratiæ referentes , homines usque adhuc sustinet (2) , suasque creaturas eorum usui et utilitati continuo et indesinenter adstringit.

3. *Deus rorem lucis hujus super justos et injustos æqualiter spargit : qui temporum officia , elementorum servitia , totius generaturæ tributa , dignis et indignis patitur simul occurrere.* (3) Neque unquam ab ejusmodi servitiis hominibus reddendis destiterunt creaturæ : a mundi enim exordio , sua eis officia præstiterunt. *Vani sunt homines , nisi certi sint , a primordio , et pluvias de cœlo ruisse , et sidera radiasse , et lumina floruisse.* (4) Et etiam nunc cœlum ad tempus mensurandum deservit , sol ad illuminationem , ignis ad calefactionem , aer ad respirationem , aqua ad navigationem , terra ad sustentationem , animalia ad nutritionem : cuncti denique creaturarum fructus ad objectionem. *Nec ego per singulos decurram tot ac tantos , novos , veteres : collegi in compendium , non quo cognoscatis , sed recognoscatis* (5) ; sitisque grati erga tam bonum et liberalem Deum. Ad hoc debitum liberaliter acceptæ vos provocant creaturæ , dicentes : Accipe , homo , beneficium , sed redde gratitudinis officium.

II. PARS. *Meminimus gratiam debere nos Deo , domino , creatori : nullum fructum operum ejus repudiamus* (6) : ideoque nostra gratitudo debet ejus liberalitati esse conformis. Tunc erit proportionata , si gratias egerimus , 1. Pro cunctis beneficiis universaliter ; 2. Pro adversis et prosperis indifferenter ; 3. Si non cessaverimus a gratiarum

(1) D. Amb. Epist. ad Hortent. — (2) L. 4. de Benef. 5. — (3) Sermon. 69. — (4) Gen. 1. — (5) Tert. L. de Spect. 2. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 36.

(1) Tert. L. ad Scap. 2. — (2) Tertull. L. 4. adv. Marc. 17. — (3) Tert. L. de Pat. 2. — (4) Tert. Apol. 11. — (5) Tert. Apol. 10. — (6) Tert. Apol. 42.

actione, sed reddiderimus eam continuo et indesinenter.

1. Cuncta in universum creata, meras utilitates, et certa subsidia, et honesta solatia necessariis vitæ humanæ procurant: ut ab ipso Deo inspirata credantur priore prospectore, et oblectatore, si forte, hominis sui. (1) Cum cunctæ creaturæ ex Dei ordinatione serviant aut utilitati, aut subsidio, aut solatio, aut oblectamento, æquissimum est ut homo pro tot beneficiis gratias agat Deo. Olim incendebatur in tabernaculo thymiana serotinum et vespertinum (2), compositum ex quatuor odoribus ad quatuor elementa respondentibus. Ad denotandum, ait Philo Judæus (3), debere hominem offerre Deo mane et sero odoriamentum ex quatuor elementis conflatum, scilicet gratiarum actionem pro beneficiis acceptis a creaturis, quæ intra quatuor elementa continentur: ut nulla Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non modica, non pusilla; jubemur colligere fragmenta ne pereant, id est, nec minima Dei beneficia oblivisci (4); sed, ut hortatur Christianos Apostolus, in omnibus gratias agite, (5) sive prosperis, sive adversis.

2. Quod si a Domino nonnulla credimus incuti, gratulari, et gaudere nos decet, dignatione divinæ castigationis. Ego, inquit, quos diligo, castigo. (6) Gratias agendæ sunt Deo, sive dum benefacit, sive dum castigat et punit: et, ut belle ait ad propositum D. Augustinus, gaudes? agnosce Patrem blandientem; tribularis? agnosce Patrem emendantem; sive blandiatur, sive emendet, eum erudit, cui parat hæreditatem. (7) Quem cœlestis Pater castigatione emendat, non miserum et infelicem, sed bene fortunatum et felicem proclamat Tertullianus: O servum illum beatum, cujus emendationi Dominus instat! cui dignatur irasci! quem admonendi dissimulatione non decipit! Quod probe sciens Tobias, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. (8) Et hæc gratitudo pro adversis, utpote difficilior, majoris est meriti, ait D. Chrysostomus (9) quam ea quæ fit pro prosperis. Et quia, ut aliorum dictum est cum Tertulliano, ea nos ostendunt Christianos quæ patimur ad exemplum ipsius Christi, non immerito ait D. Hieronymus: Christianorum propriæ

virtus est, etiam in his quæ adversa putant, referre gratias Creatori: nam in beneficiis Dei quæ nobis accidunt, gratulari, hoc et Gentilis facit et Judæus: sed juxta Apostolum, hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiæ referantur, et semper dicamus: Benedictus Deus; minora nescio sustinere quam mereor, hæc ad mea peccata parva sunt, nihil mihi dignum redditur: hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant; quem, ut Flaccus ait, si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ (1); quia credens nihil nisi Deo volente et permittente evenire, Deo gratulatur sive dum prosperatur, sive dum adversitate premitur, pro cunctis a Deo datis beneficiis, continuo et indesinenter gratias agit.

3. Plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet, ob memoriam semper beneficiorum ejus, ab omni homine. (2) Sicut Deus nunquam cessat homini benefacere, ita homo nunquam debet cessare a gratitudine Deo reddenda, ut tam sit perennis in Deum humana gratiarum actio quam est perennis in hominem divina beneficentia. De qua sic belle ad propositum disserit Philo Judæus: Non qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper et continue, qui sine intermissione benefacit; qui dona donis cumulando continuat; cujus gratiæ inter se conjunctæ ac unitæ, sæper in orbem redeunt. (3) Divina largitio nunquam interquiescit, humana gratitudo nunquam intermittatur. Ad quod Christianos adhuc hortatur Apostolus: Gratias agentes semper pro omnibus. (4) Cujus perpulchram D. Augustinus subministrat rationem, Deum sic alloquens: Sicut nulla est hora vel punctum quo tuo beneficio non utor, sic nulla debet esse hora qua te non habeam ante oculos. (5) Continuum illam gratitudinem denotatam vult Philo Judæus ab ipsomet Deo præcipienti: « Ignis in altari semper ardebit. » (6) Merito ut equidem arbitror: nam quia perennes Dei gratiæ non deficiunt, nec intermittuntur, sed interdiu noctuque frueudas se præbent nobis hominibus; gratiarum actionem hæc sacra flamma figurat, semper instaurandam, ne quando exstinguatur (7); ut gratitudinis jugitas perenni beneficentiæ aliquatenus respondere valeat. De qua insignem homiliam conscripsit Basilus Magnus, in qua unum-

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 8. — (2) Exod. 50. — (3) Lib. 5. de Vit. Mois. — (4) D. Bern. Serm. 51. in Cant. — (5) 1. Thess. 5. — (6) Tert. L. de Pat. 11. — (7) In Psal. 54. — (8) Tob. 2. — (9) Hom. 8. in Ep. ad Coloss.

(1) In Cap. 5. Ep. ad Ephes. — (2) Tert. L. de Orat. 5. — (3) L. de Plantat. Noe. — (4) Ephes. 5. — (5) Solil. 18. — (6) Levit. 6. — (7) Lib. de Offerent. Victim.

quemque monet : « Accumbens mensæ , ora ; edens panem , largitori gratiam rependito ; tunicam indueris ? gratias agito benigno datori ; amicis pallio ? fac in te augetur interior erga Deum charitas , qui indumenta gratuito largitus est hyemi æstati que accommoda , quibus et vita conservetur , et obveletur turpitudine . Tibine dies expletus abiit ? illi referto gratiam , qui solem nobis nihil tale commemeritis indulsit in diurnæ operationis ministerium ; ignem vero contulit illustrandæ nocti , utque seruiat cæteris vitæ commoditatibus ; gratus esto ; si in cælum suspexeris , cum in eximiam siderum pulchritudinem defixeris pressius , præcide Deo , et cole eum , qui cuncta hæc in sapientia condidit : quin et noctem disperditur in somnum et orationem , imo somni ipsi pietatis exercendæ meditationes quædam sint . » Qui vitam regularem profitentur , in signum gratitudinis , nihil aliud corde versant , nihil aliud ore promunt quam *Deo gratias* ; et hujuscemodi ritus non est de novitate suspectus ; talis namque usus frequens erat apud Religiosos tempore D. Augustini , qui circumcelliones illum damnantes sic redarguit : *Utinam illi milites Christi essent , et non milites diaboli , a quibus plus timetur Deo gratias quam fremitus leonis : hi enim nobis insultare audent , quia fratres cum vident homines , dant Deo gratias . Quid est , inquiunt , Deo gratias ? annon debet frater Deo gratias agere , quando videt fratrem suum ? annon est locus gratulationis , quando se invicem vident , qui habitant in Christo ?* (1) annon debet parens quoties videt uxorem , ac liberos charissimos ; quoties videt filias naturæ et gratiæ donis locupletatas ; quoties videt filios ingenio potentes , in gymnasiis proficientes , ad dignitatis apicem contententes ? *Quid melius animo geramus , et ore promamus , et calamo explanemus , quam Deo gratias ? hoc nec dici brevius , nec audire latius .* (2)

Hanc in omnibus gratitudinem , etiam irrationalia nos docent : cælum rorem in terram diffundit , quem rursus terra per vapores remittit ; sol amœnissimis viridariis calorem impertit , et repente flores ac herbæ ad solis panduntur aspectum ; mare omnibus fluviiis aquas affluenter suppeditat , et flumina intrant in mare , et ad locum unde exeunt revertuntur . Non absimiliter , Christiane , *quidquid gratiæ , quidquid te virtutis habere confidis , Dei virtuti , et Dei sapientiæ deputa . Felix ille qui ad singula dona*

gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo gratiarum (1) , qui præbet auditum cunctis creaturis muta voce clamitantibus : Accipe , redde , cave . Accipe beneficium , redde debitam Deo gratiarum actionem , fuge ingratitude vitium .

III. PARS. At , proli dolor ! quantumvis hæc creaturarum vox , Cave ingratitude , intonet hominum auribus . Homines tamen erga tam beneficium Deum sunt ingrati : grandis profecto ingratitude erga Dei donum , *id uisi probis et necessariis et salutaribus usibus adhibeatur , ad quod Dei creatura prospecta est .* (2) Tantum abest ut homo ingratus juxta Dei ordinationem adhibeat creaturas probis et necessariis et salutaribus usibus ; quin imo contra Dei intentionem adhibet *universam conditionem usibus vanis , turpibus , injustis , impiis* (3) , Deique beneficia in reatum convertit . Inde concludit Tertullianus : *Humana gens illius rea est , cujus et ingrata* (4) : scilicet homines ingrati , Dei creaturis et beneficiis abutentes sunt rei 1. Insolentiæ et vanitatis ; 2. Injustitiæ et iniquitatis ; 3. Idololatriæ et impietatis .

1. Ingratos de divinis beneficiis pulsat Tertullianus : *Cur non auctorem honoratis , cujus hæc dona sunt ?* (5) cur non gratias redditis ? cur de bonis a Deo mutuatis inflati estis , et non potius auctorem illorum recognoscitis ? Homo gratus , humilis est , Deum benefactorem honorat , *utique auctori gratias egit , utique illum Deum sensit* (6) ; quia , ut philosophatur D. Augustinus , *Deo gratias agere est sentire omnia a Deo data esse , et pro ipsis ipsum laudare , in ipsum credere ore et opere .* (7) Superbus de fortunæ aut naturæ bonis tumidus Deum non sentit , quia nec ei gratias agit ; nec eum laudat , nec quidquam in gratitudinis monumentum rependit . *Nihil est tam superbum quam ingratum videri .* (8) Superbus se quidquam alteri debere recusat , vel ab alio accepisse ægre patitur , ut constat ex Adamo et Lucifero . Adamus in statu innocentiae cunctis affluebat bonis , intellectu scientiæ illustrato , voluntate ad bonum ordinata , animalibus ejus imperio subditis : quid potuit appetere quo potiretur de novo , qui cunctis paradisi deliciis fruebatur ? Verisimile non est divinitatem homini impossibilem affectasse mortalium sapientissimum .

(1) D. Bern. Serm. 13. in Cant. — (2) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 6. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 6. — (4) Tert. Apol. 40. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 16. — (6) Tert. ibid. — (7) In Epist. ad Rom. Proposit. 1. — (8) D. Hieron.

(1) In Psal. 132. — (2) D. Aug. Ep. 3.

Cur autem deliquerit, rationem attigit Rupertus: *Indignabatur miser, quod alienum hortum, sub alieno custodiret imperio, et ideo tanquam medicinam captabat, ut haberet et ipse scientiam plantandi sibi met paradisos.* (1) Eodem modo de Lucifero disserit Doctor Angelicus: Non adeo hebes fuit Angelorum primus appetere non esse sui, et esse Deum, quod probe impossibile sciebat: *unde si appetit illam Dei similitudinem quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio.* (2) Quo major erat Luciferi nobilitas, eo magis angebatur, eam non a se, sed ab alio habere. Quot sunt hac ætate Adami et Luciferi æmulantes superbiam et ingratitude, qui, ut fatur Tertullianus, *impatientes Dei vivunt?* (3)

Ingrati sunt, qui bona a Deo accepisse impatienter ferunt; qui Deum honorum auctorem non sentiunt, nec gratitudinem rependunt. Nec minus ingrati qui de beneficiis acceptis insolenter tumescunt et benefactorem contempnunt. *Multos homines videre licet, beneficiis acceptis, mancipiorum ritu, de se benemeritos contemnere, et adversus illos supercilia contrahere* (4): quod experientia satis superque comprobatur. *Multi bonitate principum, et honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam et datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliantur insidias.* (5) Culpabilis est equidem ingratitude superbi erga hominem benefactorem suum, sed multo damabilius eorum superbia, qui bonis a Deo datis inflati Deum contempnunt. De quibus ipse conqueritur: *Filios generavi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* (6) Hunc locum mutuavit Tertullianus ex Isaia apud quem de Israëlitis queritur Deus: *Filios enutrivit; Septuaginta vertunt genui; Theodotion educavi.* Israëlita igitur, quos ego genui, enutrivit, educavi, exaltavi præ aliis gentibus, opibus, miraculis, victoriis, regno, templo, aliisque donis cumulavi, excelsos et gloriosos effeci, et ipsi spreverunt me; quasi directe me meaque jussa contemnent, aspernantes, violantes et prævaricantes: quot sunt Christiani quibus hæc exprobratio competit?

Si ex mente Philosophi Moralis ille est *ingrattissimus omnium, qui oblitus* (7), qualis est Christianorum ingratitude, qui de oblivione culpandi sunt? *Certe enim oblitos*

agitis (1): nec ullam beneficiorum Dei servant memoriam. Christiane, beneficentiæ Dei ne sis immemor, *intelligens bestias usibus nostris a Domino provisos traditasque* (2), non secus ac cætera fortunæ et naturæ dona, quæ de ejus habes liberalitate: *Cur tam ingratus es, ut tot et tales voluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas* (3) te illas a Deo habere? Agnosce Dei munificentiam, *ne cum manducaveris, et repletus fueris, et domos magnas ædificaveris, pecoribus tuis multiplicatis, et pecunia et auro, exaltetur cor tuum, et obliviscaris Domini Dei tui.* Quemadmodum et Ezechiam regem thesauris inflatum, et de eis potius quam de Deo gloriatum apud illos qui ex Perside advenerant, *insilit per Esaium: Ecce dies veniunt, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt; et quæ patres tui cogesserunt, in Babylonem transferentur.* (4) Persæpe exemplari supplicio multantur alii ingrati, beneficiorum Dei immemores, fortunæ bonis denudantur, in pœnam insolentiæ et vanitatis, injustitiæ et iniquitatis.

2. Quanta ingratorum hominum injustitia et iniquitas, qui *liberalitatem Dei faciunt servitutem* (5): non solum quia creaturam diræ mancipant servituti, impediens ne obeat ministerium ob quod a Deo concessa est; unde eam et Apostolus invitam ait *vanitati succidisse* (6): sed etiam ea utentes velut instrumento suæ injustitiæ et iniquitatis. *Cæterum omnes species malorum ex operibus Dei constant. Aurum, æs, argentum, quis in seculo posuit, nisi seculi auctor Deus?* (7) Auro tamen et argento abutuntur ad usuras avari, ad profanationes simoniaci, ad libidines impudici, ad justitiæ corruptionem litigiosi, ad necem hostibus inferendam inimici, et ad cuncta patranda crimina quæ Deus prohibet, quæque proximum lædunt, et Deum graviter offendunt: *Quid non Dei est, quod Deum offendit?* (8)

Quantum distant scelesti illi et injusti Christiani a gratitudine Josephi (9), quem impudens domina omni ex affectu deperiens, venustatis pellacia, oculorum blanditiis, verborum lenocinio, et infracti corporis præstigiis sollicitat ad stuprum? Joseph vero nequaquam acquievit ejus voluntati, sed ad memoriam revocans heri benevolentiam, et recensens bona quæ acceperat, dixit ad eam: *Ecce dominus meus, omnibus mihi*

(1) Lib. 1. in Gen. 39. — (2) D. Thom. 1. p. qu. 65. a. 3. — (3) Tert. L. de Pat. 16. — (4) Anton. in Melissa L. 2. Serm. 58. — (5) Esther. 16. — (6) Tert. L. adv. Jud. 5. — (7) L. 5. de Benef. 1.

(1) Tert. Apol. 10. — (2) Tert. L. de Pat. 4. — (3) Tert. L. de Spect. 29. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (5) Tert. L. de Pen. 6. — (6) Tert. L. de Cor. Mil. 6. — (7) Tert. L. de Spect. 2. — (8) Tert. ibid. — (9) Gen. 39.

traditis, ignorat quid habeat in domo sua : nec quicquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es : *quomodo ergo possum hoc malum facere ?* Quasi diceret : Quomodo hero meo ita in me propenso, liberali, benefico, tam ingratus, infidus, injustus sim, ut ejus honorem tecum constuprem ? *Bona quæ assecutus fuerat, repente memorie intulit, et malum quod pulsabat, eviecit ; et quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminuentis fregit.* (1) Amator gratitudinis adolescens, amore mulieris non vincitur, ejus manibus libidine armatis non retinetur, amatus non redamat, rogatus non acquiescit, apprehensus urbane velut agrestis aufugit, et beneficiorum domini memoria vehementem dominæ frustrat amorem. *Quomodo ergo possum hoc malum facere ?* Voculam illam ergo observat D. Ambrosius. Postquam enim retulit præclara beneficia sibi a domino collata, sapienter concludit : Quomodo ergo possum ingratus esse, et delinquere adversus adeo munificum benefactorem ? *Pulchra ratio, quod beneficiis domini non deberet esse ingratus.* (2) Nec tantum renuit adulterium, sed adulterii possibilitatem fere negat, ne sit erga dominum ingratus : *excedit enim justorum vires, ingrati- tudinis peccatum* (3) : gratitudinis virtus quodammodo auferre videtur potentiam, ne quid adversus benefactorem committatur. *Mirum valde est considerare quantum potest justus in bonis, quam parum in malis : licet justi optime sciant bona facere, mala vero facere se nescire fatentur.* (4) Homines probi sic benefactores venerantur, ut vel nesciant, vel fere non possint esse ingrati. At quam pauci sunt hac tempestate de excelsa illa gratitudine commendati, et quam multi sunt de ingrati- tudinis vitio dehonestati ! Joseph in aetate ad Venerem prona recusat adulterium, ne sit injustus, ne sit ingratus erga beneficium dominum, et homo erga Deum munificum a quo sua bona suscepit, ingratus existit : *Grave est eum qui maximis beneficiis obstrictus est, non modo nullam gratiam referre, sed etiam eum qui de se bene meritus sit, ignominia lacessere.* (5) Fa est criminorum Christianorum ingrati- tudo, qui injuste de suis donis Deum offendunt, de suis beneficiis ignominia afficiunt ipsam conditionem colentes adversus conditorem (6), et abominabili suo cultu sunt rei tum justitiæ et iniquitatis, tum idololatriæ et impietatis.

(1) D. Greg. l. 5o. Mor. 18. — (2) Lib. de Jacob. et Vit. Beat. — (3) Oleast. — (4) Oleast. — (5) D. Joau. Dam. l. 1. Paral. 29. — (6) Tert. L. de Res. 26.

3. *Ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat.* (1) Gentiles et Judæi in idololatriam prolapsi sunt, sed diversa longe ratione. Gentiles ex ignorantia et gratitudine, Judæi ex malitia et ingrati- tudine. De ethnicis sic fatur Basilus Seleucus : *Nonnulli beneficiorum causas, idola affugunt, sic heroas in numero deorum posuerunt Ethnicis : Persæ solem, Ægyptii Nilum.* (2) Basilio assentitur Rupertus : « Nilus tantæ commoditatis fluvius est, ut eum pro maximo Deo suo quondam coluerit Ægyptus : quippe ejus fluentis irrigata, cunctisque copiis saturata, nunquam superne fuis indiguit imbribus. » (3) Grati- tudo sic magni æstimat, sic reverenter adorat rem beneficii, et causam benefaciendi, ut easdem quasi idola habeat, colat et adoret, ut revera factum est ab Ethnicis. *Nam et Varro creditam dicens elementorum divinitatem, quod nihil omnino sine suffragio illorum gigni, ali, provehi possit ad vitæ humanæ et terræ sationem, quandone ipsa quidem corpora aut animas sufficere licuisset, sine elementorum temperamento, quo habitatio ista mundi circulorum conditionibus fœderata præstatur. Itaque deos credi : solem, qui diei de suo cumulet, fruges caloribus, et annum stationibus servet ; lunam, solatium noctium, patrocinium mensium gubernaculis ; item sidera, signacula quædam temporum ad mutationem notandorum ; ipsum denique cælum, sub quo omnia ; terram, super quam omnia, et quicquid illorum inter se ad commoda humana conspirat.* (4) Longiuseule refert Tertullianus quomodo Gentiles sidera et elementa gratitudinis obsequio venerati sunt : *Considerando scilicet, et magnitudinem, et vim, et potestatem, et honorem, et decorem, opem, fidem, legem singulorum elementorum, quæ omnibus gignendis, alendis, conficiendis, reficiendisque conspirant.* (5)

Judæi Gentilibus multo nocentiores tot tantarumque gratiarum immemores et ingrati, vitulum aureum fabricaverunt et adoraverunt. *Annon ipsum Israël semper in Deum deliquisse manifestum est ? Exinde cum oblitus brachii cælestis quo Ægyptiis afflictationibus fuerat extractus, de Aaron sibi deos duces postulat ; cum in idolum auri sui collationes defundit.* (6) Nepotes eorum parentum imitantes ingrati- tudinem et impietatem, ex bonorum abundantia quam eis Deus præstiterat idololatriæ sumpserunt causam et materiam. *Quia ego dedi eis fru-*

(1) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 7. — (2) Orat. 9. — (3) Lib. 2. in Gen. 29. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 5. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 13. — (6) Tert. L. de Pat. 5.

mentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi, et aurum quæ fecerunt Baal.

(1) Ex argento et auro eis munifice a Deo collato idolum Baal confecerunt, cui, vero numine Deoque munificentissimo despecto, ingrante et impie divinos detulerunt honores.

At omnium pessimi scelerosi Christiani: *Apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur.* (2) Nam, probe Deum noscentes et tamen pro ingratitude criminosa, tot colunt numina quot sunt objecta, quæ inordinate diligunt. Utenim ait D. Hieronymus in istud Davidicum: Non erit in te Deus recens; (3) *Cui deus venter est, deus ei recens est: quotcunque vitia habemus, quotcunque peccata; tot recentes habemus deos. Iratus sum, ira mihi deus est: vidi mulierem, et concupivi, libido mihi deus est. Unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi deus est.*

Quod si venter deus est, si libido deus est, si avaritia deus est, si ambitio deus est, aut aliquod aliud vitium, ille sane idolis consecrat Dei dona, argentum et aurum, omnesque mentis potentias et facultates, qui aut ventri, aut libidini, aut avaritati, aut aliis vitiis impendit. Quanta sit hujus sceleris et ingratitude enormitas ostendunt factæ per Oseam, et repetitæ per Ezechielem Dei querelæ: *Tulisti vasa decoris tui de auro meo atque argento meo, quæ dedi tibi: et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis.* (4) Quasi dicat, ut expendit Theodoretus: *A me aurum et argentum accipiens Deosque ex donis meis fabricans, meo cultui eos prætulisti.* Christiane, Deus tibi opulentas dedit facultates, sublimes honores, egregium decorem, acutum mentis ingenium, nunquid tamen ut hæc adversus ipsum adorentur? (5) Imo potius ut te magis suo cultui adstringant, et gratitudinem tuam experiatur Deus. Fuge igitur idololatriam, quæ est summa penes Deum offensa; fuge abusum creaturarum quas ad usum largitus est Deus: *quando hæc sit tota ratio damnationis, perversa administratio conditionis.* (6) Attende ad Pauli monitum: *Apostolus nos uti monet isto mundo, quasi non abutamur.* (7) Fuge ingratitude, si vis vitare mundi abusum culpæ reatum, idololatriæ vitium, Dei iudicium, inferni supplicium. Esto gratus in Deum, cui pro tot et tantis obligatus es beneficiis; redde illi gratias pro cunctis suis donis, universaliter, indifferenter et indesinenter, ad instar beatorum in cælo regnantium, qui continuo de-

cantant: *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* (1)



CONCIO SECUNDA.

Quis dignus incolere Dei opera, quam ipsius imago et similitudo? (2) Deus ad sui imaginem et similitudinem hominem formavit, non ex indigentia, sed ex munificentia. *Non quasi indigens Deus hominem plasmavit, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia.* (3) Duplex est Dei imago: una increata, altera creata. Divinum Verbum est imago increata Patris, cui ex vi suæ originis est perfecte simile. Homo est imago creata in cuius anima characteres suæ naturæ Deus imprimere dignatus est. Verum *solus Christus plena imago Dei est, propter expressam in se paternæ gratitudinis unitatem.* (4) In divinis personis non potest proprie reperiri, neque beneficium, neque gratitudo: non beneficium quod a benefactore libere et non necessario datur; personæ autem productæ necessario et non libere a suo principio procedunt; neque gratitudo, quia supponit indigentiam, quæ beneficio sublevatur: Personæ autem Divinæ non indigent aliquo. Attamen V. Beda ut summum fastigium essentiæ divinæ augustius commendet, illam gratitudinem nuncupat: et quia æternus Pater necessario communicat Filio totam suæ essentiæ perfectionem, et attributorum eminentiam, Verbum ut perfecta Patris imago sibi impressam gratitudinis unitatem exprimit. Imago creata, quam in memoria, intellectu, et voluntate hominis sitam vult D. Thomas, exprimit in semetipsa divinæ gratitudinis monumentum, Dei beneficia 1. Ad memoriam revocans; 2. Intellectu considerans; 3. Voluntate amans.

I. PARS. *Memoriam Cicero thesaurum omnium studiorum prædicavit.* (5) Et merito eam thesaurum vocitavit, quia, ut docet D. Augustinus, in illa *sunt thesauri innumeri innumerabilium imaginum de rebus sensibus invectorum* (6); quam sanctus Antistes necessariam ad vitam existimat: *Memoria est quoddam magnum adiutorium, in vitæ hujus negotiosissimis actibus.* (7) Trinam ducimus in hoc mundo vitam: naturalem

(1) Osee. 2. — (2) Tert. Apol. 41. — (3) Psal. 80. — (4) Cap. 16. — (5) Tert. L. de Spect. 2. — (6) Tertull. ibid. — (7) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 9.

(1) Apoc. 7. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 4. — (3) D. Iran. Lib. 4. Cont. Hæret. 28. — (4) V. Bed. in Cap. 22. Luc. — (5) Tert. L. de An. 24. — (6) L. 10. Conf. 8. — (7) L. 6. Music. 8.

et humanam, civilem et politicam, religiosam et christianam. Ad trinam illam vitam memoria indigemus. Ad vitam humanam, ut meminerimus postulare alimenta vitæ necessaria; ad politicam, ut valeamus discere artes, studia et negotia quibus inuitur; ad vitam christianam ut possimus divinorum beneficiorum recordari. Christiani namque

1. Illorum memoriam conservare tenentur;
2. Qui eam non servant, ingrati censentur;
3. Qui obliviscuntur, scelerosi et rei habentur.

1. *Memoriam et ipse Plato sensuum et intellectuum salutem* (1) existimat, quia est velut receptaculum specierum quæ sensu et intellectu comparatæ sunt. *Memoria est per quam repetit anima illa quæ fuerunt.* (2) Quapropter ut homines beneficiorum Dei haberent memoriam, eorum voluit servari externa etiam monumenta: *Erit quasi monumentum ante oculos tuos, et quasi appensum quid ob recordationem.* (3) Ut autem animadvertit D. Augustinus, dicitur *monumentum, quasi monens mentem.* (4) Sic Judæos monere voluit quod eos a Pharaonis persecutione liberaverit, objiciendo ante oculos eorum cadavera tot Ægyptiorum qui submersi fuerant in mari Rubro. « Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos » (5), ut jugem tanti beneficii conservarent memoriam. *Ostendere solet Deus beneficia sua suis, et mala a quibus eos liberavit, ut cognoscant eu, et grati sint. Hac etiam de causa eis ostendit mortuos Ægyptios, ut viderent a quibus eos liberavit populis.* (6) Sic voluit custodiri manna in arca fœderis, ut admoneret Judæos quo alimento eos nutrierat in solitudine. « Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem quo aluerim eos in solitudine. » (7) Ut autem animadvertit Abulensis, *miraculose custoditum fuit manna tempore longo ob hujusmodi recordationem, ut gratias Deo propterea jugiter darent.* (8) Ob eandem rationem Christus Dominus post miraculosam multiplicationem panis (9), quo tot millia hominum pavit in deserto, præcepit discipulis ut colligerent quæ superaverant fragmenta, ut tanti beneficii essent memores et confunderet obliviosos. *Mira est hominis ingratitude, ut opus sit Deo testes beneficiorum suorum adhibere. In hunc finem arbitror Chris-*

tum duodecim coplinos panis asservari præcepisse, cum turbas pavit in deserto, ne postea ingrati, beneficii immemores, inficias irent. (1) Ad eundem finem institui voluit festa in veteri Testamento, quia *obliviscebantur Judæi beneficiorum Dei* (2): ea ad eorum memoriam revocare curavit, instituendo festa quæ ea representabant singulis annis, diebus quibus acciderant. *Ad quid, quæso, hujusmodi annualis observantia, nisi quia timuit pius Pater, Judæos hujusmodi beneficii futuros immemores?* (3) Eundem finem agnoscit Doctor Angelicus (4) in institutione festorum quæ in novo Testamento celebrantur, ut scilicet memoria beneficiorum Dei Christianos ad gratitudinem sufflammet, et qui eorum non servant memoriam ingrati censentur.

2. *Ideoque et nos animam agnoscimus a primordio exorbitationis capacem, et inde etiam oblivionis affinem.* (5) Oblivio ut plurimum aut a gravi casu, aut diuturno morbo evenire solet. Messala Corvinus ita factus fuit obliviosus ut nec etiam proprii nominis habuerit memoriam, non secus ac alter qui cadendo, parentum qui eum genuerant notitiam amisit. Lapsus Adami (6) in quo homo cecidit, et actualia peccata quæ sunt animi morbus, ita ei auferunt recordationem ut Enos, id est, obliviosus a sacris paginis vocitetur. *Proinde et homini omnium forsitan obliviosissimo, inoblitterata perseverabit sola scientia naturalium, ut sola scilicet naturalis; memor semper manducandi in esurie, et bibendi in siti.* (7) Habet homo memoriam eorum quæ naturalem spectant vitam, et quæ ad politicam et civilem pertinent; in negotio vero salutis et in gratitudine beneficiorum obliviosissimus est. *Hæc inter duos beneficii lex est: alter statim debet oblivisci dati, alter accepti nunquam.* (8) At plerique mortalium hanc beneficii legem non servant, et ut fatetur Philosophus Moralis, *beneficia nec dare scimus, nec accipere.* (9) Nam, contra beneficii legem, sumus semper memores eorum quæ damus: eorum vero quæ accipimus statim deperdimus memoriam. *Plures sunt apud quos non diutius sunt in animo donata, quam in usu.* (10) Beneficia super aquam scribunt mortales, injurias vero in ære et marmore exarant; et ut fatur ibidem Philosophus Moralis, *merita cito defluunt, injurias tenax memoria custodit.*

(1) Tert. L. de An. 24. — (2) D. Aug. l. 85. Qu. qu. 31. — (3) Exod. 15. — (4) Lib. de Cur. pro Mort. 4. — (5) Exod. 14. — (6) Oleast. — (7) Exod. 16. — (8) Quæst. 14. in cap. 16. Exod. — (9) Joan. 6.

(1) Oleast. in c. 16. Exod. — (2) D. Chrysost. Hom. 23. in Ep. ad Ephes. — (3) Oleast. — (4) 22. Quæst. 102. — (5) Tert. L. de An. 24. — (6) Euseb. L. 11. de Præp. Evang. 4. — (7) Tert. L. de An. 24. — (8) Senec. l. 2. de Benef. 2. — (9) L. 1. de Benef. 1. — (10) Senec. l. 2. de Benef. 2.

Quam cito evanescat de memoria acceptum beneficium constat ex principe pincernarum cui injuste incarceratus Joseph faustam somnii præstiterat interpretationem, quem in gratitudinis tesseram supplicat: *Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere* (1); et tamen a Deo fuit ingratus pincernarum princeps, ut nec toto biennio benefactorem suum revocaverit ad memoriam. Constat etiam ex ipso Pharaone de quo D. Ambrosius: *Pharao ubi impetrabat, immemor fiebat gratiæ, et exaltatus mente carnis suæ, obliviscebatur Deum*. Ingrata hæc oblivio magis adhuc elucet in Judæis, quibus Moyses cito de Ægypto egressuris: « Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto, et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto. » (2) Ut autem animadvertit Lippomanus: « Gratitudinem duplicem præscriptis verbis Deus exigit pro beneficio redemptionis ex Ægypto, memoriam scilicet beneficii sempiternam, fidemque in Dei omnipotentiam et benevolentiam, ut fideles credant omne bonum Deum posse et velle: Nonnunquam, inquit, excidat vobis tanti beneficii memoria, nunquam inveniamini ingrati ei qui exemit vos magnifice de domo servitutis. » Judæi autem adeo fuerunt ingrati ut omnem tum benevolentiam, tum omnipotentiam Dei perdidissent memoriam. *Nam, Israël qui Deo fuerat cognitus, quique ab eo in Ægypto exaltatus fuerat, et per Erythræum pelagus transvectus est, quique in eremo manna cibatus, quadraginta annis ad instar æternitatis redactus, nec humanis passionibus contaminatus, aut seculi hujus cibis pastus, sed Angelorum panibus manna cibatus, satisque beneficiis Deo obligatus, Domini et Dei sui oblitus est, dicens ad Aaron: Fac nobis deos qui nos præcedant.* (3) Plura recenset Tertullianus Dei beneficia, quæ contulerat Judæis, sive in Ægypto, sive in deserto, quorum tamen oblitus sunt. Judæorum ingratitude imitantur scelerosi Christiani qui non recordantur beneficiorum Dei, ut eis exprobrat ipsemet Deus: *Mei non es recordata, nec cogitasti in corde tuo, mei oblita es.* (4) Illi quos Deus de oblivione redarguit: ingrati censentur et rei habentur.

3. Et tanto magis scelerosi, quanto plura et majora sunt beneficia, et quanto dignior qui ea largitus est: *Cum tanta sit injuria*

oblivio, quanta est gloria cujus oblivio est. (1) Quam crimosus ingratus qui tanta beneficia et a tanto Deo collata obliviscitur! sua ingratitude beneficia in supplicia recedens, et unde largius muneratus fuit, graviores sibi accumulans pœnas: ut ex Judæis ostentat S. Zeno Veronensis Antistes: *Verum tamen Judæe, quid monumentis tui criminis gratularis? In Ægypto servisti diu non sorte peregrini, sed merito: columna nubis te perduxit per diem, ut ostenderet cæcum: ignis columna per noctem, ut admoneret arsurum: Angelus prævius tua castra promovit, ut etiam præsentis Deo probareris ingratus: per mare pedibus ambulasti, ut patereris in terra naufragium: ad hoc sane in eremo aquam de petra bibisti: manna de cælo gustasti, ut cum esses ad egestatem postmodum devolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.* (2) Tot beneficia fuerant velut auspicia pœnarum: illa enim ingrati Judæi scelerose obliviscentes, pluribus merito afflicti sunt suppliciis, præsertim tot honorum recordatione, quæ ut ingeniosus carnifex, eos immanissime torquet. Idem asserendum est de obliviosis Christianis eo crimosioribus quo magis beneficium Deum experti sunt. Nam, *tanto graviora erunt humana delicta, quanto majora se ostenderunt divina beneficia.* (3) Supplicium erit conforme delicto, delictum ingratitude, ingratitude beneficiorum magnitudini. Deus *judicium constituit æternum de gratis et ingratis* (4): gratos remunerat, ingratos castigat: amborum oculis in die judicii objiciet cuncta quæ eis contulit beneficia, ut gratos oblectet, ingratos cruciet: et ut belle fatur ad propositum D. Irenæus: *Exceptorium justis judicii Dei homo ingratus: exceptorium divinæ bonitatis homo gratus* (5), qui divina beneficia ad memoriam revocat, et intellectu attente considerat.

II., PARS. *Sed breviter proponam, et plenissime exsequar præscribens Deum, ignorari nec potuisse, nomine magnitudinis; nec debuisse, nomine benignitatis.* (6) Deus ignorari non potest ratione magnitudinis, quæ legitur in paginis elementorum et cælorum. Deus non debet ignorari ratione benignitatis, et homines quibus sua contulit beneficia, eorum notitiæ sedulo studere debent. Si ex mente Philosophi Moralis, *nullum est tam angustum beneficium quod non bonus*

(1) Tert. L. de An. 14. — (2) Serm. 1. de Exod. — (3) Euseb. Emiss. Hom. 4. ad Monach. — (4) Tert. l. ad Scap. 2. — (5) Lib. 4. Cont. Heres. 24. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 9.

(1) Gen. 40. — (2) Exod. 13. — (3) Tert. L. adv. Jud. 3. — (4) Esa. 57.

interpres extendat, quam existimationem non concipit beneficiorum Dei homo gratus, attente considerans ea quæ sunt 1. Circa ipsum; 2. Intra ipsum; 3. Supra ipsum?

1. *Creator ut facilius illi et de majoribus credam, et de minoribus fidem liberalitatis suæ struxit.* (1) Cunctæ creaturæ quæ circa nos sunt, ejus munificentiam mire prædicant. A perfecto benefactore exspostulat Moralis Philosophus ut quem amat, undequaque beneficiis cingat, ita ut quocumque se vertat, ubique benevolentiam et liberalitatis conspiciat monumenta. *Beneficiis illum cinge: quocumque se vertit, ibi te videat.* (2) Hoc pro sua inopia præstare nequit homo, quod tamen pro sua opulentia abunde Deus largitur homini. Veritatem hanc indagare *vultis ex operibus ipsius tot ac talibus quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, quibus exterremur.* (3) In quamlibet mundi partem homo conjiciat oculos, ubique Dei intuetur dona, supra, infra, ante, retro, a dextris, a sinistris, ubique divinis circumdatur beneficiis.

Suspicias cælum et horrescis; miraris maris magnitudinem, quando cogitationem occupas; respice innumerabilitatem stellarum; respice tanta germina seminum, tantas diversitates animalium; quidquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aere, circumit in cælo: omnia ista quam magna, quam præclara, quam stupenda, ecce qui fecit hæc omnia, Deus tuus (4), qui de nihilo ea produxit et tibi mancipavit: nam, ut alias dictum est cum Tertulliano, *mundum homini, non sibi fecit* (5), ut ex illo mutuaret homo cuncta ad vitæ subsidia, solatia et oblectamenta. *Quanta largitus ad sustentationem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc ad correctionem, quanta etiam ad delectationem.* (6) Cuncta hæc attente considerata ducunt hominem sapientem ad supremi artificis cognitionem, æstimationem et laudem: 1. Cognitionem: *Officina quædam discendi est, et locus erudiendi ad cognitionem Dei, per visibilia et sensibilia, manuactionem menti exhibens, ad invisibilium speculationem.* (7) 2. Æstimationem: nam, ut belle ratiocinatur D. Augustinus, *si hæc magna sunt, quantus est ipse?* (8) 3. Laudem, ad quam homines stimulant cunctæ creaturæ quæ in universo continentur mundo. *Cælum ergo cunctaque cælestia, mare et terra, omniaque in eis sunt, protestantur gloriam*

Dei, et prædicatione perpetua majestatem sui loquuntur auctoris. (1)

Soli homines ingrati, quibus mundum mancipavit Deus, in donis suis supremum illum benefactorem neque considerant, neque existimant, neque laudant. 1. Non considerant: *Vix quippe ad creatorem sunt opera considerata creatoris* (2) Illi vero ad Dei opera et beneficia nullo modo attendunt. 2. Non existimant: *Hoc naturali vitio fixum est in humanis pectoribus, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices* (3): illi vero neque benefactorem, neque beneficia existimant: *Nihil charius existimamus quam quandiu petimus, nihil vilius cum acceperimus.* (4) Belle ad propositum Tertullianus: *Semper abundantia in semetipsam contumeliosa est.* (5) Divinorum beneficiorum copia parit eorum contemptum apud ingratos, Deique impedit existimationem: *Miracula ejus quibus totum mundum regit, universamque creaturam, assiduitate viluerunt.* (6) Homines non mirantur nec terræ segetes, quia quotannis eveniunt, nec cæli lumina, quia singulis diebus illustrant orbem. Nec 3. Deum laudant, qui continue eos tot ac tantis beneficiis cumulat; similes Judæis qui *Christum in beneficiis non agnoverunt* (7): vel potius, ut fatur Regius Vates, equis et mulis quibus non est intellectus. *Per mulum qui generatur et non generat, designatur ingratus qui accipit gratiam, et non reddit.* (8) Nec est Deo gratus pro beneficiis creaturarum quæ circa se sunt, nec pro donis naturæ quæ intra ipsum sunt.

2. *Postremo, te tibi circumfer, intus ac foris considera hominem: placebit tibi vel hoc opus Dei nostri.* (9) In homine sex consideranda sunt quæ divinam benevolentiam ostentant, et hominis dignitatem demonstrant. Tria sunt extra ipsum et præcedunt ejus productionem; tria sunt intra ipsum, et ad ejus naturam pertinent: extra ipsum, sunt tempus in quo productus est, et modus quo productus est, et locus qui ad ejus habitationem præparatus est. 1. Productus est homo post cæteras creaturas; cujus multimodam subministrat D. Ambr. rationem. *Novissimus homo est conditus, quasi quædam cælestis in terra creatura; processit postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis, ut omni esset creaturæ miraculo: ideo novissimus venit*

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 14. — (2) Lib. 1. de Benef. 1. — (3) Tert. Apol. 17. — (4) D. August. in Psal. 41. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 13. — (6) D. Bern. Serm. 5. in Psal. Qui habitat. — (7) D. Basil. in Exam. — (8) In Psal. 84.

(1) Lib. 2. de Vocat. Gent. 1. — (2) D. Greg. L. 21. Mor. 9. — (3) Sidon. Apol. Lib. 5. Ep. 10. — (4) Scu. Ep. 82. — (5) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 6. — (6) D. August. Tract. 29. in Joan. — (7) D. Ambr. in Psal. 59. — (8) Innoc. 2. in Psal. 2. — (9) Tert. L. adv. 1. Marc. 14.

tanquam creaturarum gubernator, quasi totius summa operis, quasi causa mundi propter quam facta sunt omnia, quasi omnium habitator elementorum. (1) Et sicut ministri regis præcedunt ejus adventum ut ei aptent palatium, sic, ait Ambrosius, hominum quasi Dei amicam præcedere debuerunt ministeria. Quæ 2. Longe diverso modo ac homo producta sunt. Magnæ sine dubio differentie ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim, quæ fiebant, eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox a Deo addicta sunt. Merito igitur, ut famula, jussu et imperio, et sola vocali potestate universa processerant. Contra, homo, ut dominus eorum, in hoc ab ipso Deo exstructus est, ut dominus esse posset, dum sit a Domino. (2) 3. Quoad locum quem homini præparavit Deus, trinum habitaculum dinumerat Tertullianus. Unum cunctis hominibus sive bonis sive malis communem, nempe universum orbem bonis omnibus ornatum: *Interim mundus ex bonis omnibus constitit, satis præmonstrans quantum boni pararetur illi cui præparabatur hoc totum. Quis denique dignus incolere Dei opera, quam ipsius imago et similitudo?* (3) Alium, homini innocuo præparatum, omni deliciarum genere affluentem, in quo collocavit Adamum sanctitate et justitia originali decoratum, scilicet paradysum terrestrem, quem locum voluptatis Scriptura nuncupat: *Bonitas amplius delicias adjecit homini, ut quanquam totius orbis possidens, in amœnioribus moraretur translatus in paradysum: in quo tandiu habitavit protoparens quandiu fuit obsequens et innocentie servavit statum. At ubi inobsequens fuit, et diaboli malitie, et Evæ blanditiis deceptus, in crimen incidit, de paradiso terrestri ejicitur, pellitus orbi ut metallo datur.* (4) Tertium, cælum empireum, in quo Beati regnant, postquam incoluerunt terram, et in gratia et justitia vixerunt. *Bonitas Dei ipsius prius homini domicilium commentata est, aliquam postmodum molem maximam, postmodum et majorem, ut in magna tanquam in minore proluderet atque proficeret; et ita de bono Dei, id est, de magno, ad optimum quoque ejus, id est, ad majus habitaculum promoveretur.* (5)

Hæc tria quæ sunt extra hominem, mirum in modum Dei liberalitatem demonstrant: sed tria adhuc contulit homini quæ intra ipsum sunt, et ad ejus naturam spectant, quæ multo magis, et Dei benevolentiam, et homi-

nis dignitatem ostentant. Nimirum corpus, anima, et Dei imago in animæ facultatibus indelebiter impressa. Corpus apte dispositum accipit homo quinque sensibus concinnatum, ut creaturis mundi corporeis potiri posset. *Puto autem nature Dominus Deus noster est, qui figuravit hominem: et fructibus rerum appetendis, judicandis, consequendis, certos in eo sensus ordinavit per propria membrorum quodammodo organa. Auditum in auribus fodit, visum in oculis accendit, gustum in ore conclusit, odoratum in naribus ventilavit, contactum in manibus extimavit.* (1) Mediis his sensibus, homo rebus corporeis fruitur: et intellectus res immateriales et spirituales venatur. Anima quoque in sacramentis divina gratia sanctificatur. Humanum corpus omni admiratione dignum videtur de Ambrosio: *Et fabricam ipsam humani corporis, si quis considerare velit, nihil poterit in Deo pretiosius judicare. Etenim homo statu celsus, vultu decorus, cæsarie gravis, non autem caterorum more curvatus animalium, sed ipso nature jure sublimis, qui in cælum libero aspectet obtutu; nulla captivæ servitute cervicis oppressus in terram, sed tanquam propriæ conscius sublimitatis et locuples sui testis auctoris.* (2) Quod si tale et tantum est humanum corpus, qualis et quanta est anima nobilior et principalior hominis pars, domina et regina corporis, Angelorum soror, Deo proxima? *Habens illas utique lineas Dei, qua immortalis anima, qua libera et sui arbitrii, qua præscia plerumque, qua rationalis, capax intellectus et scientiæ.* (3) Omitto plura alia animæ rationalis elogia aliorum fuse prædicata (4): prætereo similiter imaginis Dei in homine dignitatem quæ ibidem fuit propalata. *Eam quoque Dei bonitas et quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiaris manu, etiam verbo blandiente præmisso: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* (5)

Quam gratus debet esse homo in Deum tam munificum, qui ei tam pretiosum aptavit habitaculum, mundi contulit dominium, corpus dedit adeo pulchre dispositum, animam largitus est spiritualement et immortalem, quam imaginis suæ insignibus nobilitate dignatus est? Quid retribuam Deo meo, exclamat D. Augustinus (6), pro beneficiis nature quæ mihi liberaliter donavit? « Non eram, de nihilo fecit; non lapidem, non

(1) Epist. 55. ad Hortens. — (2) Tert. L. de Res. 5. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 4. — (4) Tert. L. de Pal. 3. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 4.

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 4. — (2) Serm. 10. in Psal. 118. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 9. — (4) Tert. Præd. tom. 1. Tract. de An. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 4. — (6) Lib. de Spir. et An. 17.

arborem, non avem, non aliquod de animalibus, sed hominem voluit me esse. Dedit mihi vivere, sentire, discernere; conflavitque velut compositum suis beneficiis coadjuvatum. Quod serio recognoscens Vates Regius, Deum misericordiam suam appellat: « Deus meus, misericordia mea. » *Non invenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. Misericordia mea quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est.* (1)

Totum quod est homo de Dei tenens misericordia, totum debet impendere cultui sui auctoris. At, prohi dolor! tantum abest ut erga Deum tam misericordem et munificum suam exhibeat gratitudinem, quin immo ingratum se demonstrat. *Ingratus est qui beneficium non reddit* (2): sed ingrattissimus qui mala pro bonis reddit, et benefactorem, ex acceptis beneficiis, offendit. Binæ hujus ingrattitudinis homo scelerosus reus est. Nam beneficium non reddit, quamvis Christus ad gratitudinem illum adstrinxerit, *reddere jubens quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo: solius autem Dei homo* (3), qui corpus ejus propria manu plasmavit, animam suo flatu animavit, imaginem suam animæ exaravit: criminosis tamen peccator non reddit Deo semetipsum, sed pro sua perversitate tum animam, tum corpus quæ a Deo accepit, adversus Deum armat, iisque abutitur, ut Deum offendant: *Ipsè homo omnium flagittorum auctor, non tantum opus Dei, verum etiam imago est; et tamen et corpore et spiritu descit a suo institutore.* (4) Deus namque dedit ei corpus mirabili dispositione concinnatum, sensibus et membris pulchre ornatum, ut illud bono et non malo impenderet. *Neque enim oculos ad concupiscentiam sumpsimus, et linguam ad maliloquium, et aures ad exceptaculum maliloquii, et gulam ad gulæ crimen, et ventrem ad gulæ societatem, et genitalia ad excessus impudicitie, et manus ad vim, et gressus ad vagam vitam.* (5) Peccator tamen ingrattissimus contra Dei agens propositum, utitur pedibus ad vagandum; manibus, ad vim et latrocinium; oculis, ad impudice conspiciendum; auribus, ad detractionis exceptaculum; lingua, ad maledicendum et blasphemandum; ore, ad gulæ indulgendum; corpore, ad lasciviendum. Neque etiam animam homini dedit Deus ut malo inserviret. *Aut spiritus ideo insitus corpori,*

(1) D. Aug. in Psal. 58. — (2) Sen. Lib. 3. de Benef. 1. — (3) Tert. Scorp. 14. — (4) Tert. L. de Spect. 2. — (5) Tert. ibid.

ut insidiarum, ut fraudium, ut iniquitatum cogitatorium fieret: non opinor. (1) Et tamen ingrattus peccator contra expressam Dei prohibitionem utitur anima, ut vanitatis concepiat cogitationes, animadversionis foveat motus, fraudes et furta negotietur, insidias moliat, iniquitates et scelera meditetur. *Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt* (2); neque gratias agere pro beneficiis quæ sunt circa ipsos, intra ipsos et supra ipsos.

3. Magna Dei in hominem munificentia, largiens ei mundi creaturas quæ circa ipsum sunt; major impertiendo naturæ dona, quæ intra ipsum sunt; sed maxima gratis tribuendo gratiæ beneficia, quæ supra ipsum sunt. *Vere suavis etiam spiritalibus commodis.* (3) Ut homo de tali beneficio grattus existat, duo præstare debet: unum, ejus valorem attente considerare, seseque Deo pro tali dono debitorem cognoscere. *Quomodo canam Deo novum canticum, nesciens me esse qui gratiam Deo debeam?* (4) Alterum gratiæ donum, non respuere, sed illud benigne et humiliter recipere. *Grattus in Deum existiteris, si quod tibi Dominus offert non recusaveris.* (5) Quod si, ut vult Philosophus Moralis, *omnia faciendâ sunt ut grattissimi simus* (6), quid non facere debet homo ut gratitudinem suam Deo præstet? Profecto, dona gratiæ attente considerare, et fideliter suscipere tenetur. Attamen multi nihil faciunt ut gratitudinem Deo rependant, nam, et gratiæ beneficium recusant, et ejus pretium et valorem nullatenus considerant: unde de peccatore sic fatur Regius Vates: *Auferuntur judicia tua a facie ejus.* (7) Per judicia, Basilii Magnus intelligit scelerum supplicia ad quæ non attendit peccator; Theodoretus, leges et præcepta, a quibus mentis oculos divertit peccator; D. Thomas, divina beneficia; Felix vero, non quævis Dei dona, sed excelsa gratiæ beneficia, quæ peccatores non considerant, et adhuc scelerose recusant. Tantam ingrattitudinem ipsis exprobrat Deus, *sed et cum exprobrat per Esaiam: Filios generavi et exaltavi, at illi me rejecerunt. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognovit, et populus meus me non intellexit.* (8) Hæc exprobratio non solum ingrattos Judæos verberat, sed cunctos etiam scelerosos et peccatores: *Ille igitur et ingrattos sugil-*

(1) Tert. L. de Spect. 2. — (2) Tert. Apol. 17. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (4) Tert. Lib. de Res. 56. — (5) Tert. L. de Pirn. 7. — (6) Sen. Epist. 82. — (7) Psal. 9. — (8) Tertull. Lib. 3. adv. Marc. 6.

lavit, qui gratos experiri merebatur. (1) Christiane, vis ut illa suggillatio in te non cadat, sed Deus te gratum experiatur? Sapienter intellige ejus dona, datoremque attente considera; sic te a Deo habere animam intellectualem demonstrabis: *Anima a Deo data, sine dubio datorem suum novit* (2); et cum non possis ex æquo Dei recognoscere munificentiam, da te totum illi, qui totum quod debes, non vales respondere: *Cur, quæso, non unusquisque nostrum totum se pro se, Deo offerat quod habet, qui non potest totum quod debet?* (3) O bona hominis gratitudo, qui non valens solvere totum quod Deo debet, tamen Deo honorum suorum largitori totum quod habet impendit illique offert memoriam ejus beneficia representantem, intellectum attente considerantem, et voluntatem ardenter amantem:

III. PARS. *Spiritus Sancti propria, omnes peræquati, gratiarum actionem prosequi nossent.* (4) Voluntas in Patre et Filio est principum Spiritus Sancti: amor vero illi appropriatur. Cuncti homines in voluntate adæquantur quæ est divinæ imaginis complementum, ut Deo benefactori gratias agant, illum ardenter amando. Hunc amorem illi debent, ob dona quæ sunt 1. Circa ipsos; 2. Intra ipsos; 3. Supra ipsos.

Asseverat Tertullianus *cor esse principale in anima, quo intentio divina conveniat* (5): dum tot creaturarum beneficia nobis largitus est, suam intentionem ad cor nostrum direxit; ut scilicet eum in gratitudinis monumentum toto corde diligamus. *Diligendus est Deus in beneficiis toto corde*, ad instar sponsæ quæ per vicos et plateas quærebat dilectum: « Circuibō civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. » Quasi dicat: Totam mundi hujus circuibō civitatem, omni cum diligentia et sollicitudine, Deum meum inquiram, per cunctas plateas, id est, per omnes universi creaturas: *Vicæ quippe ad Creatorem sunt opera considerata Creatoris.* (6) Homo gratus universas perlustrat creaturas, cuncta Dei dona quæ circa se sunt, attente contemplatur, *ut universitatis intuitu divinum stimuletur in amorem* (7), et divinorum beneficiorum recognoscat munificentiam. Quomodo Baldvinus expendit istud Davidicum: « Magnificavit Dominus facere nobiscum » (8): *Ecce quomodo magnificavit Deus facere nobis-*

cum; multitudine beneficiorum nos obruit, et amorem molitur beneficiis extorquere. Valde erga homines benefica est divina magnificentia, qua eos beneficiis velut obruit, ut vel donorum magnitudine et multitudine eorum amorem extorqueat. Homines divinis obruti beneficiis, impares sunt: quapropter ad eorum solutionem, corde, ore et manu, debitam non valentes reddere gratitudinem, saltem amorem rependant divinæ magnificentiae quæ eos beneficiis obruit.

Eodem modo agit Deus erga hominem, quem ad sui amorem allicere nititur, quo dux exercitus erga urbem quam ditionis suæ facere exoptat. Illam etenim obsidet, suis copiis circumdat, et facta circumvallatione cingit, reddi suoque imperio subjici cogit. Non absimiliter Deus cor nostrum sibi subjicere desiderans, illud beneficiis circumdat. *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.*

(1) Quod innuere videtur Sponsa, dicens: *Ordinavit in me charitatem.* (2) Symmachus vertit, *coacervavit super me charitatem.* Hebræus legit, *magnificavit et insignem fecit charitatem.* Syrus habet, *ordinavit contra me charitatem*; Arabicus vero traducit, *ordinavit adversus me probationem.* Omnes illæ versiones probe ostendunt quantæ efficacis et virtutis sint divina beneficia ad conciliandum sibi hominis affectum. *Coacervavit super me charitatem*; innumera mihi contulit dona, ut saltem tot beneficiorum multitudine, sibi meum compararet amorem. *Insignem fecit charitatem*, ut beneficiorum magnitudine et liberalitatis magnificentia, sibi intimius connecteret cor meum. *Ordinavit contra me charitatem*: quot sunt creaturæ, tot sunt copis militares, quæ undequaque me obsident et cingunt, ut meam extorqueant gratitudinem. *Ordinavit adversus me probationem*; sagittas suas jaculavit circa cor meum ut illud sacro vulneret amore. Quod auspicatur Vates Regius, Deum alloquens: *Apprehende arma ad expugnandum.* (3) Addit Hugo Carensis: « Arma, scilicet pharetram et arcum. Pharetra Dei, quam sumpsit ad venandum homines peccatores, fuit ejus amor; arcus ejus largitas: qui arcus sumptis de pharetra amoris sagittis beneficiorum, multas ad nos traxit, et corda carnea, id est, mollia, et humore gratiæ humefacta vulneravit. Hæc arma apprehendit Deus ad devincendam malitiam hominum, quando solem suum facit oriri, non solum super bonos, sed et super malos, et bona sua indignis peccatoribus largitur. » Quod si divina beneficia quæ circa homines

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 17.— (2) Tert. L. de Test. An. 2.— (3) Salv. L. 2. ad Eccles. Cath.— (4) Tert. L. adv. Valent. 11.— (5) Tert. L. de An. 15.— (6) Greg. L. 21. Mor. 9.— (7) Gilbert. Serm. 4. in Cant.— (8) Baldvîn.

(1) Psal. 102.— (2) Cant. 2.— (3) Psal. 54.

sunt, sagittæ sunt quibus eos vulnerat Deus ad amorem, et ad gratitudinem quodammo- do cogit, quanto validiora sunt ad subdenda hominum corda, naturæ dona quæ intra ipsos sunt?

2. *Creatori diligendo ædificaverat homi- nem.* (1) Cor seu voluntas est fons et prin- cipium amoris; hanc Deus contulit homini, ut suum amaret auctorem quo nihil rationi convenientius existimat Laurentius Justinia- nus. *Clamat innata ratio ut quisquis eum diligat, a quo habet ut sit* (2): si homo ex debito justitiæ tenetur parentem diligere, neque ullomodo potest a naturali illa dispen- sari obligatione, quanto magis diligendus est *Pater omnium, qui conditor universitatis?* (3) *Omni est excusatione indignus filius qui etiam mortalem et terrenum non diligit pa- rentem, inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum toto corde, tota anima, tota virtute sua.* (4) Attende ad pulchram Bernardi rationem: *Clamat, nempe intus ei innata et non ignota rationi justitia, quia ex toto sese illum dili- gere debeat, cui se totum debere non ignorat.* Ignorare non potest homo quin Deo debeat cuncta bona quæ habet, sive fortunæ, sive naturæ, sive animæ, sive corporis. Post hanc notitiam, estne excusabilis si Deum non diligit, de cujus munificentia tenet to- tum quod habet?

Ennodius has tragicas Carthaginensis regi- næ eloquenter format voces: *Hæc nec dex- ter Junonis oculus, nec summi tonantis pa- tietur aspectus, ut pro tot impensis seques- tratione consumar; nec aliud pietate pro- moverim, nisi ut merear non amari.* (5) Æneas de patrio solo profugus transfretans, versus Carthaginem velificat, ubi a regina in palatio honorifice receptus, multis muneribus ditatus, amore tenero prosecutus, pro regiis diu impensis, pro obsequiis sumptuo- sius peregrino exhibitis, pro vehementi amore demonstrato, infelix regina derelictionem obtinuit, nec aliud pietate promovit, nisi ut meruerit non amari. Tanta ingratitude Æneam militem nunquam gloriosum (6), et amicum infidelem dedecorat. Majorem præ se ferunt adhuc ingritudinem qui non so- lum amicos non redamant, sed *quo plus de- bent, magis oderunt.* (7) Hujusmodi sunt peccatores qui omne quod habent Deo de- bentes, non solum vices ejus amori non præstant, non solum amantem se derelin-

quunt: *Dereliquistis Dominum, et in iram provocastis Sanctum Israël* (1), sed etiam benefactorem oderunt: cum in quovis pec- cato Dei includatur odium: *Quod dari po- test majus argumentum malitiæ, quam ab eo deficere qui bonus est? quæ cuiquam gra- vior exsuperantia malignitatis, quam eum exasperare quo nihil melius ac placidius? Plane intolerabili est odio dignus, qui ad id honoris fastigium evehctus est, ut consors fieret cœlestium bonorum, et ne sic quidem perseverat in charitate erga tanti beneficii auctorem.* (2) Christiane, noli peccare, sed amorem tuum Deo bene merito ex gratitu- dine repende, et cum observatio mandato- rum sit probatio dilectionis, æmulare Regii Vatis pietatem, qui tota die Dei legem med- itabatur, et eam diligebat: *Quomodo di- lexi legem tuam? tota die meditatio mea est* (3): et gratitudinis amore eam diligenter observabat: *Inclinavi cor meum ad facien- das justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Ibi enim sumit retributionem, non pro mercede et remuneratione virtutis, sed pro gratitudine et amore Deo debito, tum ob bona naturæ, quæ intra nos sunt, tum ob bona gratiæ, quæ supra nos sunt.

3. Certum est *in eo thesauro corporis ha- beri ad quem Deus respicit.* (4) Thesaurus ille est gratia sanctificans in anima inhærens quam largitur, et ad quam respicit Deus ve- lut ad fontem amoris supernaturalis quo justus eum ex gratitudine diligit: *Non enim est vehementior natura ad diligendum quam gratia.* (5) Hunc supernaturalem amorem Dei, in homine, ex gratia genitum (6) ag- noscit Bernardus; non quod sola gratia habitualis divinum producat amorem, sed quia illum voluntas simul cum gratia pro- ducit, neque absque gratia illum valet pro- ducere. Utinam Christianus posset dicere cum Apostolo: *Non abjicio gratiam Dei!* (7) Ex vulgata editione legit D. Augustinus: *Non irritam faciam gratiam Dei.* Græca lec- tio habet: *Non rejicio, non repello, non as- pernor gratiam Dei.* D. vero Ambrosius ver- tit: *Non sum ingratus gratiæ Dei.* Verum ingratus Dei gratiam abjicit, nec gratiæ do- num recipit; Dei gratiam irritam facit, quia ei suum denegat concursum, neque cum ea Dei amorem producit; gratiam aspernatur, ut peccato serviat; gratiam Dei non recog- noscit, quia pro ea Deo gratias non agit. *Heu! heu! non invenitur, qui agat gra-*

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 25. — (2) L. de Obed. cap. 6. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (4) D. Bern. Tract. de Dilig. Deo. 15. — (5) Ethic. 5. — (6) Tert. L. 2. ad Nat. 9. — (7) Sen. Ep. 19.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 6. — (2) D. Basil. in c. 15. Sap. — (3) Psal. 118. — (4) Tert. L. de An. 15. — (5) D. Ambr. L. 1. Offic. 7. — (6) Serm. 2. de Frat. — (7) Gal. 2.

tias Deo pro tot donis gratiæ sibi collatis ! Paucos admodum novimus qui dignas super acceptis beneficiis gratias agere videantur. (1) An ille gratias agit qui indesinenter Deum offendit, qui divinas leges transgreditur, qui cunctis vitiis mancipatur? Ille gratus erga Deum existit qui vere eum diligit: solum amorem pro tot beneficiis Deus exposcit. *Illum amemus quem amare debitum est: reddamus amorem pro debito, ipsi gratias qui nobis sancti feneratoris remittit usuras, et obligationis immensæ compendium præstat, solum a nobis dilectionem sui repetens: Nemo igitur se excuset difficultate solvendi; in nobis est unde solvamus: res enim potestatis nostræ est noster affectus; hunc Domino impendamus et solvimus* (2); et meremur ampliora gratiæ dona, quæ sunt præviæ dispositiones ad gloriam.

agnoscendum, quam et hominis et universitatis creatorem et institutorem. (1) Licet enim pater qui nos genuit, vere et proprie hoc titulo gaudeat, attamen, ut belle loquitur Tertullianus, *nemo tam pater* (2) ac Deus. Terrenus pater non producit animam rationalem, « quia nequit creare, » licet eam corpori unierit, neque etiam materiam primam de qua formatur corpus: at *Deus usque ad ipsum rerum fundum, id est, ultimum atque extremum essentiæ gradum, sua vi et virtute pertingit.* (3) Nam et materiam de qua fabricata est hominis caro formavit. *Æque caro, Dei res.* (4) Deinde creavit animam, quæ corpus informat: *Animam divinam, et a Deo collatam confitentes.* (5) Et quia homo nihil aliud est quam compositum ex corpore et anima coadunatum, *plures et duriores quæque doctrinæ, totam hominis figurationem Deo nostro cedunt* (6) qui ei largitur, tum dona naturæ, tum ornamenta naturæ.

CONCIO TERTIA.

Nemo non eget eo de cuius utitur. (3) Quantum Deo debet esse adstrictus homo, qui totam substantiam de ejus tenet munificentia? Nomine substantiæ intelligenda sunt cuncta naturæ, fortunæ et gratiæ dona. 1. Naturæ dona, quomodo Chrysologus intelligit substantiam quam prodigus filius acceperat a patre; nimirum *beneficia naturæ.* (4) 2. Fortunæ bona per substantiam denotata vult Tertullianus, qui ethnicis increpantibus Christianos quod sese fratres nuncuparent, postquam dixit esse vere fratres jure naturæ matris unius, addit: *Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem.* (5) Tandem dona gratiæ et gratiam sanctificantem *magnam substantiam sanctitatis* (6) vocat Tertullianus. Tria illa dona nomine substantiæ denotata, et a Deo accepta, ab homine gratitudinem expostulant: 1. Dona naturæ; 2. Dona fortunæ; 3. Dona gratiæ.

I. PARS. *Cum patrem habeam eundem quem et omnia* (7): cui absque ulla comparatione magis obligatus sum quam terreno parenti; cœlestis namque ille parens, largitus est 1. Dona naturæ; 2. Ornamenta naturæ; 3. Conservat tum dona, tum ornamenta naturæ.

1. *Patrem dominum præscribo, non ulium*

(1) D. Bern. Serm. de Ingrat. — (2) D. Paulin. Ep. 4. ad Sever. — (3) Tert. L. adv. Herm. 8. — (4) Serm. 5. — (5) Tert. Apol. 39. — (6) Tert. L. de Exhort. Cast. 10. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 17.

2. Naturæ ornamenta ad *artificem omnium* (7) referenda sunt. Natura hominis ex corpore et anima constituta, quædam corporis, quædam animæ habet ornamenta. *Ipsam illud bonum naturalis decoris* (8), est corporis ornamentum, *ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis bona.* (9) Ingenia ad artes, scientias, negotia apta; habitus artium, scientiarum et virtutum acquisiti, sunt ornamenta animæ. *Pulchra anima justitia et disciplinis philosophiæ, deformis vero contrariis artibus.* (10) Utraque ornamenta, sive animæ, sive corporis, a Deo principaliter mutuatur homo: ornamenta quidem corporis; nam, *quod nascitur Dei opus est.* (11) Animæ etiam ornamenta, *Magister ex occulto Deus producit ingenia.* (12) Tertulliano aridet D. Augustinus: *Intelligere, meminisse, ingenti animo excellere, omnia ista divina sunt munera.* (13) Scientia illustraris? virtute morali decoraris? faciei pulchritudine venustaris? *omnia ornamenta naturæ* (14) in universum Deo debes, qui tum naturæ dona, tum naturæ ornamenta conservat.

3. Cuncta naturæ dona et ornamenta, *de Dei conservatoris dispositione* dependent. Terreni parentes post generatos filios, nequeunt illis conservare vitam, indigent Dei

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (2) Tert. L. de Pæn. 8. — (3) D. Aug. L. 1. Conf. 6. — (4) Tert. L. de Res. 5. — (5) Tert. L. de Test. An. 2. — (6) Tert. L. de Res. 5. — (7) Tert. L. de Test. Anim. 5. — (8) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 2. — (9) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (10) Tert. L. de An. 9. — (11) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 5. — (12) Tert. L. de An. 20. — (13) L. 2. q. Evang. qu. 32. — (14) D. Amb. in cap. 25. Luc.

potentia, non solum ut producantur, sed etiam ut in rerum natura conserventur: absque Dei conservatione ad non esse reducerentur, et cum conservatio sit continuata productio, toties nos producit Deus, quot sunt momenta quibus nos conservat. Magnum sane est Dei beneficium creatio; sed longe majus donum, conservatio. *Gratiam unde non habet, nisi jugiter influit* (1), jugiter influit Dei potentia, nos conservans, et nobiscum agens et operans. *Substantia Dei est, omne quod vivimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus.* (2) Nisi Deus nobiscum concurreret, neque intellectus nostri quicquam cogitarent, voluntates vellent, sensus sentirent, facultates sive animæ, sive corporis, agerent, quia causæ secundæ sunt causæ primæ essentialiter subordinatæ, sine cujus concursu, nihil valent operari. *Illi ergo debemus, quod sumus, quod intelligimus, quod homines sumus, nostrum nihil nisi peccatum* (3) cujus Deus nequit esse auctor, licet ab eo habeamus cuncta naturæ et fortunæ dona.

II. PARS. *Omne bonum ad Deum pertinet* (4), qui illud dispensat pro libito. Bona autem passim fortunæ nuncupata, hominibus Deus 1. Largitur; 2. Immeritis largitur; 2. Inæqualiter largitur.

1. *Nam, et quod nostrum videtur, alienum est: nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos.* (5) Utinam ad hæc verba attenderent seculi potentes, seculi divites, qui falso existimant fortunæ bona quorum eis usum contulit Deus, habere a se, et non a Deo. Mundanum hac amentia laborantem erudire nititur D. Augustinus: *Agnosce te a Deo habere, et ex te nihil habere, ut ne superbus sis, vel ingratus: Dic Deo tuo, quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia merui.* (6)

2. Certe immeritus fortunæ bona a Deo accepisti, *cujus soles et imbres, tanquam ingratus habuisti.* (7) Vates Regius probe sciens Deum gratis hominibus immeritis largiri fortunæ bona, animam suam ad Deum benedicendum invitat: «Benedic, anima, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.» (8) Ut autem expendit D. Augustinus: *aliud debebatur, et redditum est quod non debebatur: unde et ille, Quid retribuam, inquit, Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (9) *Non ait, quæ tribuit, sed, quæ retri-*

buit: Retribuisti tu mala pro bonis, et retribuit ipse bona pro malis. De tribus re-darguit Patriarcha Photius (1) eos qui indignis beneficia largiuntur. Nam, 1. Beneficiorum jacturam patiuntur; 2. Erga dignos contumeliosi sunt quibus indignos præponunt; 3. Ingratos adversus se roborant et armant, dum eis mali materiam subministrant. *Qui largiuntur indignis quæ dignis conferre debebant, tria committunt absurda. Nam et ipsi jacturam faciunt, et in bonos contumeliosi sunt, et malos roborant materia vitiorum suppeditata.* Hæ rationes adversus Deum non militant: tum quia nulli sua bona debet quæ non ex merito hominum, sed pura liberalitate largitur: tum quia dignis nullum detrimentum affert, dum eos non multum ditat fortunæ bonis quæ sæpe sunt incentivum mali: *Et ita Deus tunc maxime optimus, cum homini non bonus.* (2) Tum quia fortunæ bona largitur, non ad prævum usum et perniciem, sed ad bonum usum et salutem eorum quibus ea donat. *Nam si omnem malignitatem, et si tantum malitiam excogitavit Deus exactor innocentiae odit, indubitate quæcunque condidit, non in exitum operum constat condidisse quæ damnat, licet eadem opera per ea quæ condidit administrantur, quando hæc sit tota ratio damnationis, perversa administratio conditionis.* (3) Non enim ad malum, sed ad bonum præstat Deus fortunæ bona, sive quando ea donat immeritis; sive quando illa largitur inæqualiter.

3. *Fortuna barbata* (4) sæpe sæpius culpatur quod non æqualiter sua bona tribuat hominibus, alios sublimat, alios demittit, alios opulenter ditat, alios cunctis rebus denudat. Aliorsum (5) subministravimus rationes cur Deus permittat malos prosperitate florere, bonos vero adversitatibus opprimi. Quoad præsentem materiam spectat, Deus cum nulli sit debitor, juxta beneplacitum largitur fortunæ bona. *Nam quod maxime bonum, id maxime penes Deum, nec alius id, quam qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur.* (6) Belle ad propositum D. Ambrosius: *Dei largitas pie usuraria est.* Usuræ quas fenerat, sunt gratiarum actiones, et quo majora et ampliora fuere Dei beneficia, eo major debet esse gratitudo. Reges ante thronum Dei mittunt coronas, *mittebant coronas suas ante thronum* (7), confitentes eas de divina accepisse munificentia, non sese

(1) Cassiod. l. 8. Var. Ep. 30. — (2) D. Hier. Ep. ad Damas. — (3) D. Aug. Serm. 10. de Verb. Apost. — (4) Tert. l. de Pat. 4. — (5) Tert. ibid. 7. — (6) In Psal. 85. — (7) Tert. l. 4. adv. Marc. 17. — (8) Psal. 102. — (9) Psal. 115.

(1) Apud Anton. in Meliss. Lib. 1. Serm. 29. — (2) Tert. l. 2. adv. Marc. 2. — (3) Tert. l. de Spect. 2. — (4) Tert. l. 2. ad Nat. 11. — (5) Tert. Præd. to. 2. Tract. de Deo. — (6) Tert. l. de Pat. 1. — (7) Apocal. 4.

de sua dignitate gloriantes, sed totam gloriam qua fulgebant Deo auctori et benefactori tribuentes. *Coronas suas ante thronum Domini mittere, est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori, ut illi referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis.* (1) Regius Vates, de vili pastoris ministerio ad regiam dignitatem sublimatus, cunctis quibuscum conversabatur hominibus collata sibi a Deo dona decantabat: *Venite, audite omnes qui timetis Deum, et narrabo quanta fecit Deus animæ meæ.* (2) Et post dinumerata multa eaque præclara beneficia, quæ Deus liberaliter in hebræam gentem contulerat, videns Judæos divina munificentia obæratos et solvendi impares, invitat divina beneficia ut Deo gratias agant pro seipsis acceptis: *Consteantur Domino misericordie ejus, et mirabilia ejus filiis hominum* (3), id est, laudibus celebrent Dominum, beneficia et miranda ejus opera.

Verum, « feneratur peccator et non solvit: accipit et non reddit gratiarum actionem. Quid enim a te vult Deus, aut quid exigit Deus nisi quod tibi commisit? et quanta accipit peccator pro quibus non solvet? Accipit ut sit, accipit ut homo sit, accipit corporis formam, in corpore distinctionem sensuum, salutemque ipsam corporis, accipit mentem qua possit intelligere et capere veritatem, justum ab injusto discernere, indagare, desiderare: Creatorem laudare et inhærere illi. » (4) *Vis scire, homo, quid Deo debeas? quod factus es, Dei creditum est; quod es rationis capax, Dei fenus est; quod discretionem boni malive possides, accepisti.* (5) Hæc omnia accipit peccator, sed non bene vivendo non reddit quod debet: non agit gratias ei a quo accipit; imo vero rependet mala pro bonis. *Factus est gloriosi fenoris debitor luctuosus: cui deficientibus virtutum lucris criminum multiplicatur usura.* (6) Non solum male utendo donis naturæ, sed etiam fortunæ bonis: nam, ut belle ait D. Paulinus, plerique sunt *de Dei muneribus insolentes* (7), et pro superbia qua tument, Deo gratias non agunt: *Qui habent spiritum hujus mundi, superbi sunt, et ingrati Deo sunt.* (8) Quantumvis gratitudo eos ad obsequium Deo præstandum obliget, quia *nemo non subjicitur ei cujus eget, ut possit uti* (9); tamen Deo obtemperare recusant, *multa ejus dona habent, sed non*

colunt eum a quo habent, ideo infelices sunt. (1) Infelices, quia Deum offendunt; infelices, quia sæpe numero in pœnam criminum fortunæ amittunt bona, et, ut ait D. Augustinus, *tollit Deus rem suam, et remanet illis iniquitas sua.* Sed volo ut dives non despolietur divitiis, magnis honoribus fulgeat, rex in throno sedeat. Dicit illi Tertullianus: *Quid habes quod tibi datum non sit?* (2) et si accepisti, *quid gloriaris quasi non acceperis?* Depone tumorem, et recognosce te habere a Deo cuncta dona sive naturæ, sive fortunæ, sive gratiæ.

II. PARS. *Deus charismatum spiritualium largitor.* (3) In præcedenti tractatu satis superque demonstravimus gratiæ dona esse beneficia gratis a Deo hominibus data; quam vero fuerint pretiosa ejusmodi dona, insuper declaravimus: nunc ostendenda est divina munificentia erga peccatores, pœnitentes et justos. 1. Erga peccatores quos misericorditer sustinet et exspectat; 2. Erga pœnitentes, quos liberaliter a peccatis emundat; 3. Erga justos, quibus bene operandi gratiam abunde subministrat.

1. Quam bonus Deus et misericors, *sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium et opera manuum suarum adorantes; nomen cum familia ipsius persequentes; luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem, quotidie inolescentem, ut sua sibi patientia detrahat.* (4) Peccatores in suis criminibus obdurati, sunt indigni quod Deus illis tempus impendat; divina tamen patientia eos misericorditer exspectat. *Utitur Deus natura sua, et cuncta interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes juvat.* (5) Peccatores sunt mali divinorum munerum interpretes; nam post accepta a Deo munifico cuncta naturæ et fortunæ dona, post recusata oblata gratiæ auxilia, exspectat eos Deus sua utens naturali bonitate quæ peccatorum æmulatur ingratitudinem. *O Deum non natura beneficium, sed æmulatione!* (6) exclamat Tertullianus. Ingrati peccatores divinam benefice bonitatem e perverso æmulantur, cum ea contendere præsumunt, in sua nequitia obstinate perseverantes. *Ingratus populus perdurat in bonitatis divinæ contentione.* (7) Quare ne eorum malitia vincatur Deus, sua natura et æmula bonitate nititur eam superare, cunctans, exspectans, scuto patientiæ sese protegens adversus tam iniquam ingratitudinem: quomodo istud Davidicum intel-

(1) D. Greg. L. 22. Mor. 5. — (2) Psal. 65. — (3) Psal. 106. — (4) D. Aug. in Psal. 36. — (5) Chrysol. Serm. 94. — (6) Chrysol. ibid. — (7) Epist. 34. — (8) D. Aug. Serm. 3. de uno Mart. — (9) Tert. L. adv. Hermog. 8.

(1) D. Aug. Serm. 3. de uno Mart. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 15. — (3) Tert. L. adv. Prax. 28. — (4) Tert. L. de Pat. 2. — (5) Sen. L. 1. de Benef. 1. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 20. — (7) D. Basil. Sel. Orat. 10.

ligit Hugo Cardinalis : « Apprehende arma et scutum, et exsurge in adiutorium mihi. » In illa æmula contentione divinæ bonitatis cum ingratis peccatoribus divina munificentia habet arma offensiva et defensiva. Offensiva sunt ejus beneficia, queis eos attrahere nititur; defensiva sunt scutum patientiæ quo eos sustinet et exspectat. *Sed quia hæc beneficia non ad pœnitentiam, sed ad luxuriam convertunt, et unde deberent ad Dominum converti, inde eum peccando persequuntur, per superbiam et luxuriam; ideo ne Dominus indignetur, et ad vindictam se convertat, rogat ut patienter sustineat, addens hic et scutum mansuetudinis et patientiæ ad sustinendum eorum infestationes.*

2. Admiranda sane divina bonitas obduros peccatores patienter et misericorditer sustinens; sed stupenda ejus munificentia liberaliter pœnitentes mundans et sanans: *Sic et pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo* (1), qua pœnitentem a peccatorum maculis lavat, eumque sua gratia justificat. Quare sic eum Tertullianus ad gratitudinem stimulat: *Amisisti quod acceperas, si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliatio: majus est enim restituere quam dare; quoniam miserius est perdidisse quam omnino non accepisse.* (2) Homo in baptismo receperat a divina misericordia gratiam sanctificantem: quando usum habuit rationis, multa edidit bona opera quæ eum pretiosis locupletarunt meritis; dum vero lethale committit peccatum, gratiam sanctificantem amittit, tot acquisita merita inmortificat, nulliusque valoris reddit: in pœnitentia autem, Deus ab ejus anima peccatum expellit, gratiam ei justificantem infundit; valorem depretiatis meritis restituit. Iteratum illud et ampliatio beneficium, nonne a pœnitente emundato, sanato et justificato, gratitudinem exposcit? In quovis statu consideretur homo, sive peccati, sive gratiæ, gravi oneratur onere. Dum est injustus, oneratur peccatorum pondere; dum est justus, oneratur pondere gratitudinis quo eum oneravit divina munificentia, dum peccatorum onere in pœnitentia eum exoneravit. Quod D. Bernardus solita verborum suavitate declarat: *Oneriferum animal est homo tempore suæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua, onus est grave; si jam forte exoneratus est a peccatis, minus quidem grave; sed si sanum sapiat, non minus quidem onus inveniet hanc ipsam quam diximus,*

(1) Tert. L. de Orat. 7. — (2) Tert. L. de Pœn. 7.

exonerationem: onerat nos cum exonerat Deus, onerat beneficio, cum exonerat peccato. (1)

Hoc onere gratitudinis nos oneratos agnoscere debemus. Nos, inquam, qui toties cecidimus in peccatum, et toties ad pœnitentiam accessum habuimus. *Gratias dicamus misericordiæ Dei; gratias gratiæ ipsius.* (2) Verum quam pauci sunt hac tempestate qui onere gratitudinis sese oneratos recognoscunt! Cæterum *quomodo gratias Deo canemus, si non manebit in nobis sensus et memoria debiti hujus.* (3) Nam, quinam sunt illi qui servant memoriam reconciliationis cum Deo in pœnitentia facta, qui recordentur se Dei misericordia mundatos et justificados? Ex decem leprosis quos sanavit Christus Dominus, unus duntaxat inventus est qui *gratiam reddidit Samarites*, quia sese dominica benevolentia oneratum ad gratitudinem agnovit: *quia intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem, gratiarum scilicet actionem facere debere.* (4) Alii novem mundati sunt non secus ac ille, et tamen *unum illum solum ex decem, memorem divinæ gratiæ Samaritem miratus* (5) Dominus ait: « Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. » (6) Novem qui ingrati fuerunt erant Israëlita, quos Salvator *verberavit curationum beneficiis, quia ingrati exstiterunt.* (7) Tanto majori pœna fuerunt digni, quanto magis erga medicum et benefactorem exstiterunt ingrati.

Quantulum compendii, si grato benefeceris? vel dispendii, si ingrato? (8) Ut patet ex ingratis leprosis et cæcis gratis. Novem leprosi a Domino mundati, absque ulla gratitudine recesserunt, nec benefactori gratias egerunt, neque beneficium divulgaverunt: cæci vero quibus Christus reddiderat visum etiam post Domini prohibitionem: « Comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat: illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa, » (9) gratitudinis bonum, minarum malo præferentes, miraculi famam, et benefici illuminatoris gloriam, per totam regionem, *non ut inobedientes, sed ut grati divulgaverunt.* (10) Procul a gratitudinis delictum: scelus videtur Christo prohibenti non parere, severiores ejus minas non formidare: at dum res gra-

(1) Serm. 14. in Psal. 90. — (2) D. Aug. in Psal. 88. — (3) Tert. L. de Mon. 10. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 35. — (5) Tert. ibid. — (6) Luc. 17. — (7) D. Gaud. Serm. 9. — (8) Tert. L. de Pœn. 2. — (9) Matth. 9. — (10) Theophylact.

itudinis geritur, prudenti conjectura censent illuminati, Christum potius humilitatem commendasse quam gratitudinem vetuisse. *Dominus propter humilitatem, fugiens iactantiae gloriam hoc præceperat: et illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium.* (1) Beneficii memoria aliqua, velut est gratitudinis necessitas: æmula est, non Judæorum ingratitude, sed cæcorum gratitudo: prædicanda est Dei munificentia qui pœnitentes sanat, et justificatis gratiam bene operandi subministrat.

3. Justus indiget gratiæ auxilio ut opera salutis efficiat: at Deus pro sua liberalitate *illi copiam operandi subministrat* (2): quare Deo gratias agere tenetur, gratiam justificantem diligenter conservare, et cum gratiæ auxilio sedulo bonis operibus vacare. *Viderit et gratia, si captatio ejus, ad benefaciendum incitamento est.* (3) Duplici de causa sunt ingrati Christiani justificati: 1. Illi qui post acceptam pœnitentiæ gratiam, illam denuo peccando amittunt. Ideo D. Chrysostomus expendens verba Salvatoris ad paralyticum: « Ecce jam sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, » (4) sic ait: « Noli peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam: quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. » Qui relabitur in peccatum *Dei dono contumeliam facit; respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet.* (5) 2. Illi sunt ingrati, qui licet in peccatum non relabantur, tamen non vacando bonis operibus gratiam immeritam et otiosam reddunt. Ad quos Apostolus: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (6): sed sitis virtutis studiosi; de triplici gratia Deo gratias agentes: 1. Pro beneficio expectationis quo Deus patienter vos exspectavit ad pœnitentiam; 2. Pro beneficio justificationis quo Deus vobis pœnitentibus infudit sanctificantem gratiam; 3. Pro beneficio conservationis vos in justitia et sanctitate conservans, vobisque gratiam subministrans, qua possitis bene operari et æternam gloriam promereri. (7)

(1) D. Hieron. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 8. — (3) Tert. L. de Pœn. 2. — (4) Joan. 5. — (5) Tert. L. de Pœn. 5. — (6) 2. Cor. 6. — (7) Guill. Serm. 1. Quadrag.

CONCIO QUARTA.

CHRISTIANI *veræ religionis homines.* (1) Veram illam religionem susceperunt in baptismatis sacramento, per quod Christiani facti sunt. Ut autem appareat quantum bonum sit baptismus, in quo Christiani fiunt veræ religionis homines, tria potissimum de baptismo consideranda sunt. 1. Mala a quibus nos liberat; 2. Bona quæ nobis communicat; 3. Personarum dignitas, quibuscum nos sociat.

I. PARS. De baptismo fatur Tertullianus tanquam *de sanctissimo lavacro novi natalis* (2), quod a Christo institutum est, ut damna quæ per generationem carnalem contraxeramus, per regenerationem spiritualem repararentur. *Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione retrahatur.* (3) Ab Adami autem generatione tria potissimum mala attraximus: peccati maculam, mortem peccati pœnam, servitutem diabolicam; at baptismus 1. Peccati maculas lavat; 2. De morte ad vitam revocat; 3. A diaboli tyrannide liberat.

1. Convenientissime in baptismatis materiam aquam assumpsit Christus Dominus: *Ut quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriæ, aut stupri, aut fraudis, ita ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti. Igitur medicatis quodammodo aquis, et spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritualiter mundatur.* (4) Diabolus qui christianæ disciplinæ sacramenta affectat, æmulatur emundandi virtutem, quam habent aquæ baptismatis. *Hic quoque studium diaboli cognoscimus res Dei æmulantis, cum et ipse baptismum in suis exercet.* (5) At in vanum id nititur, cum nulla inter illum et Christum reperiatur similitudo. *Quid simile? immundus emundat, perditor liberat, damnatus absolvit, suam videlicet operam destruet diluens delicta, quæ inspirat ipse?* (6) Solus Christus a delicto immunis valet *purgatrice aqua* (7) maculas mundare delicti. In quo divinam mi-

(1) Tert. Apol. 55. — (2) Tert. L. de Bapt. 20. — (3) D. Aug. in Enchir. c. 64. — (4) Tert. L. de Bapt. 4. — (5) Tert. ibid. 5. — (6) Tert. ibid. — (7) Tert. L. de Bapt. 5.

sericordiam miratur D. Augustinus : *O misericordia ! prorsus delicta delet sanctum baptisma et originalia et propria : dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur : innovat hominem qui fecit hominem ; donat delicta, qui non quærit merita.* (1)

2. Sic renati in aqua emundati (2) de morte animæ ad vitam revocantur, deleta morte per ablutionem delictorum : exempto scilicet reatu, eximitur et pœna. (3) Mors animæ erat pœna peccati : per baptismum tollitur originale peccatum, tollitur quoque mors. *Felix sacramentum aque nostræ, qua abluti delictis, in vitam æternam liberamur.* (4) Tertulliano arridet D. Augustinus : *Resurrecturum enim hominum genus in seculi consummatione post mortem, nunc resurgit in baptismo : renasciturum tunc ad æternitatem, nunc renascitur ad salutem* (5) : a peccati maculis emundatum, a morte animæ ad vitam renovatum, a tyrannide diaboli liberatum.

3. *Nos pisciculi secundum nostrum Jesum Christum : nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus* (6) ; et a servitute dæmonis liberamur, et ob hanc causam optime putant Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salutem esse. (7) Malitia diaboli perditum sunt homines : etenim universam massam generis humani in homine primo venenator diabolus percussit (8) et suæ tyrannidi subdidit, et Domini bonitate homines salvantur, et libertatis serenitate perfruuntur qui tenebantur captivi. (9) Nam, baptismatis virtute peccatorum vinculis exonerati, et justitiæ libertate donati, de diabolo triumphant qui de victoria protoplasti gloriabatur. *Per baptismum deoneratur anima sarcinis peccatorum ; ut libertate novæ vitæ induta, adversus diabolum cum adjutorio divino valeat fortiter dimicare ; eumque a quo superata est, ita superet, ut in regno Dei translata, hoste devicto, secunda regnet cum suo capite Christo.* (10)

Quo majora mala sunt a quibus nos sua misericordia per baptismum liberavit Deus, eo major debet esse nostra gratitudo : *Ipse nos gratis salvos fecit, ipse impietates nostras attenuit, ipse nos non eum quærentes quærsivit, invenit, redemit, liberavit a dominatu diaboli, et potestate dæmoniorum.* (11)

(1) L. 3. de Symb. 10. — (2) Tert. L. de Bapt. 6. — (3) Tert. L. de Bapt. 5. — (4) Tert. L. de Bapt. 1. — (5) Serm. 165. de Temp. — (6) Tert. L. de Bapt. 1. — (7) D. Aug. L. 1. de Pecc. Mer. 24. — (8) D. Aug. Serm. 8. de Verb. Apost. — (9) D. Aug. L. Cont. Julia. 2. — (10) D. Aug. lib. 4. de Symb. 9. — (11) D. Aug. in Psal. 88.

Tanta beneficia nonne continuas merentur gratiarum actiones ? *Si quis pondus intelligat baptismi* (1), potestne esse ingratus erga Deum adeo beneficum ? Duplex est baptismi pondus quo oneratur Christianus : unum est gratitudo Deo reddenda ; aliud est vitæ novitas, sanctitati baptismi conformis. *Qui gaudes de baptismi perceptione, vive in novitate hominis sanctitate.* (2) Per baptismum mundatus es a delicto, noli peccati maculis contaminari ; revocatus es de morte ad vitam, ne rursus peccando moriatur anima tua ; liberatus es a tyrannide diaboli, non amplius ejus efficiaris mancipium. *Cum baptizati fueritis, tenete vitam bonam in præceptis, ut baptismum custodiatis usque in finem* (3) ; id est, munditiam, vitam, libertatem, quam in baptismo recepistis. *Baptismus sacramentum est novæ vitæ ac salutis æternæ, quem multi habent, non ad vitam æternam, sed ad pœnam æternam : non bene utentes tanto bono.* (4) Non damnantur ex defectu baptismi, qui institutus est ad salutem, sed ex non bono usu sacramenti. « Multa quamvis bona sint, et ad utile aliquid instituta, non omnibus tamen habentibus sunt utilia ; sed tantummodo bene utentibus : nam, cum eadem luce, et sani oculi perfunduntur, et saucii, illis adjumentum est, istis tormentum : idem cibus alias valetudines alit, alias lædit : idem medicamentum hos curat, illos debilitat : eadem arma alios muniunt, alios impediunt : eadem vestis aliis tegumento est, aliis implicamento : sic et baptismus aliis valet ad regnum, aliis ad iudicium. » (5) Quod confirmat ex altaris Sacramento, quod perniciosum male utentibus potest fieri. « Cur non hoc modo baptismus ? cur non ita in bono baptismo ? » (6) Quomodo non sunt boni hæretici, quomodo non sunt boni multi catholici qui baptismum male utentes, non proficiunt de bonis quæ baptismus communicat ?

II. PARS. Proinde baptismus æque Dei census (7) in quo Deus multa renatis largitur bona. Nam, ut fatur D. Augustinus, « cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore ; justitiæ in forte versantur, qui fuerunt in confusione peccati : non etiam tantum sunt liberi, sed et sancti ; non tantum sancti, sed et justii ; non solum justii, sed et filii ; non solum filii, sed et hæredes ; non solum hæredes, sed et fratres Christi,

(1) Tert. L. de Bapt. 18. — (2) D. Aug. Lib. de Ver. Innoc. c. 524. — (3) D. Aug. L. 1. de Symb. 6. — (4) D. Aug. L. 2. Cont. Crescon. 13. — (5) D. Aug. L. 1. Cont. Crescon. 23. — (6) D. Aug. ibid. 25. — (7) Tert. L. de Bapt. 17.

sed et cohæredes Christi; non solum cohæredes, sed et membra; non tantum membra, sed et templum; non tantum templum, sed et organa Spiritus: » (1) *Vides quot sunt baptismatis largitates, quibus Christiani efficiuntur Dei servi, domestici et amici; 1. Servi, per charitatis impressionem; 2. Domestici, per fidei infusionem; 3. Amici, per animæ sanctificationem.*

1. Baptismus est primum *religionis christianæ sacramentum* (2), quo Deus homines suæ mancipat servituti, et ut se Dei servos recognoscat, animæ eorum indelebilem imprimit characterem, qui neque per peccatum amittitur, neque ulla vi et potentia destruitur. *Non destruimus characterem imperatoris.* (3) Baptismus duplicem in anima baptizati producit effectum: gratiam sanctificantem et characterem. Gratiam, qua ex Deo nascitur; character, quo in Dei peculium adscribitur: *Signati estis Spiritu promissionis sancto.* (4) Qui accepto baptismo mortaliter peccat, perdit quidem gratiam, sed non amittit characterem. *Attendat baptizatus ad cor, videat si habeat charitatem, et tunc dicat: Natus sum ex Deo: si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* (5) Verum quantumvis cœlestem amittat nativitatem, conservat semper divinæ signaculum servitutis, sicut et titulum domestici Dei, quem ei largitur infusa a Deo fides.

2. *Jam non sumus peregrini, nec advenæ, sed concives Sanctorum, sed domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum.* (6) Apostolorum fidei quasi fundamento Ecclesia incumbit: Christiani qui in baptismo susceperunt fidem, sunt supra fundamentum Apostolorum ædificati, imo supra ipsummet Christum, qui est *fundamentum credentium* (7); sed fundamentum primum: et ut ait D. Augustinus, fundamentum fundamentorum, cui etiam Apostoli innituntur tanquam secundaria fundamenta: Christianus per fidem quam suscepit in baptismo, factus est Dei domesticus, ejusque etiam amicus per gratiam sanctificantem.

3. Baptismi *aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo.* (8) A mundi exordio aquæ erant *divini Spiritus sedes* (9) figurantes sacramentum baptismi, et virtutem quam mutuatur ab Spiritu Sancto,

conferendi gratiam sanctificantem, qua justus Dei amicus efficitur. *Amicitia vera non est, nisi cum eam Deus agglutinat inter inhærentes cum illo charitate diffusa in cordibus.* (1)

Hæc sunt bona quæ Christianus in baptismo consequitur: fit namque Dei servus, domesticus, et amicus. Ut servus, Deum *omni religionis officio prosequatur* (2); ut domesticus, Ecclesiæ doctrinam firmiter custodiat, fitque *religiosus ex fide* (3); ut amicus, illum ardentem diligit, et pro tot collatis beneficiis, ei gratias agit. *Cœlestis creditor totum debitum charitate compensat, et ad incrementum totius fœnoris, amoris solius exigit et requirit usuram.* (4) Quanti sunt in sylvis barbari, quanti in mundo idololatræ, quanti Mahometici, quanti Judæi, qui baptismatis sacramentum non receperunt? quanti hæretici et schismatici, qui non sunt domestici Dei, nec in Ecclesia et domo ejus habitant?

Plato Deo gratias agebat quod eum fecisset hominem non belluam, græcum non barbarum, et quod natus esset tempore Socratis a quo scientiam et virtutem didicerat. Quanto magis Deo gratias agere debent Christiani quod sint non barbari, non idololatræ, non Turcæ, non infideles, sed fideles; quod eos Deus suos in Ecclesia domesticos effecerit, ubi fide illuminantur, lege regulantur, sacramentis sanctificantur; quod venerint in mundum non tempore idololatræ, quo dæmon universum orbem mendacio divinitatis repleverat, sed post adventum Salvatoris postquam humanatum Verbum terram veritatis radiis illustravit? *Nunquid parum Deo grati esse debemus? nonne cogitandum est ubi jacebamus, et quo collecti sumus?* (5) Jacebamus in massa Adami propter quod *iracundiæ filii fuimus* (6), et dæmonum servi, ignis æternis mancipati; sumus autem ab illa massa segregati, a diaboli tyrannide liberati, ab inferno exempti, non ex nostris meritis, sed ex mera Dei misericordia: *Sorte vocati sumus secundum propositum voluntatis suæ.* (7) Deus non magis nobis erat adstrictus quam tot barbaris in sylvis bestialem vitam ducentibus; tot idololatris falsos deos colentibus; tot Othomanis Mahometi figmenta credentibus; tot hæreticis in errore versantibus; tot schismaticis extra Ecclesiam existentibus: et tamen pro sua benignitate præ tot infaustis extra viam

(1) Lib. 1. Cont. Jul. 2. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 2. — (3) D. Aug. l. 2. Cont. Litter. Petil. c. 108. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (5) D. Aug. Tract. 5. in Ep. Joan. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (7) Tert. ibid. 6. — (8) Tert. L. de Bapt. 4. — (9) Tert. L. de Bapt. 3.

(1) D. Aug. l. 4. Conf. 4. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 6. — (3) Tert. Apol. 35. — (4) Chrysol. Serm. 94. — (5) D. Aug. in Psal. 154. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (7) Ephes. 1.

salutis naufragantibus, *non quærentes quæsit, ipse inventos excitavit, ipse excitatos vocavit, ipse vocatos introduxit, et in domo sua stare fecit.* (1) Tantam misericordiam considerans Princeps Apostolorum Petrus, et Christianos alloquens ait: *Vos estis gens electum, gens sancta, populus acquisitiois* (2), quem Deus gratis et favoribus opulenter ditat, et cum divinis personis sociat.

III. PARS. *Propter quod et hortatur Joannes, ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi, ut scilicet communio sit nobis cum Patre, et Filio ejus Jesu Christo, et Spiritu Sancto.* (3) In baptismo autem Christiani societatem habent cum tribus personis divinis: 1. Cum Patre, qui eos in filios adoptat; 2. Cum Filio, qui eos sacerdotes inaugurat; 3. Cum Spiritu Sancto, qui eos in templa consecrat.

1. *Itaque, ut certum esset nos filios Dei esse, misit Spiritum suum in corda nostra.* (4) Primus homo a Deo fuerat adoptatus in filium, ut ipsemet fatetur Adam: *Factus filius fui statim cum me manibus enixus est, cum de suo halitu movit.* (5) Divinam illam filiationem, tum in se, tum in suis posteris amisit primus homo, cujus nepotes nascuntur *conscientia patrum hereditarii rei.* (6) In baptismo autem Christianus a Deo adoptatur in filium, et quia filius est similis patri, *restituitur homo Deo ad similitudinem ejus* (7), et a Christo in sacerdotem inauguratur.

2. Deus ab initio mundi effecerat hominem *religionis suæ sacerdotem* (8), ut eum in statu innocentiae et in lege naturæ religiose coleret. Verum quia per originale delictum humana natura fuit depravata, et plerique mortales perperam sacerdotioungebantur, Dei Filius humanatus et pontifex innocens factus, renatos sacerdotalis muneris efficit participes. *Nos autem Jesus summus sacerdos et magnus Patris, de suo vestiens (quia qui in Christo tinguuntur, Christum induerunt) sacerdotes Deo nos fecit.* (9) Quilibet Christianus etiam laicus, est sacerdos spiritalis et mysticus, potestque offerre mystica sacrificia laudum, gratiarum actionum, precum, bonorum operum. Quomodo D. Ambrosius de quovis baptizato fatur: *Unusquisque ungitur in sacerdotium, sed spirituale est sacerdotium* (10): discriminaturque

a propriis sacerdotibus speciali caractere insignitis, ut verum offerant sacrificium. Licet Christiani laici ad ordinem sacerdotalem non sint proprie assumpti, sunt tamen mystice et improprie sacerdotes; quos ideo D. Petrus (1) sacerdotium sanctum et domum spiritualem nuncupat, quia eos Spiritus Sanctus in templum Deo dicatum consecrat.

3. Christianus sacra baptismatis unda renatus *recipit illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu acceperat, sed post amiserat per delictum.* (2) Alludit Tertullianus ad primum hominem qui Spiritum Sanctum acceperat, dum factus est in animam vivam, sed delinquendo amiserat: hunc autem recipit baptizatus. Adamus per peccatum Spiritum Sanctum a suo corde ejecerat, et malignum spiritum introduxerat; per baptismum e contra spiritus malus ejecituret Spiritus Sanctus recipitur. *Reformata anima per secundam nativitatem ex aqua et superna virtute, excipitur a Spiritu Sancto, sicut in pristina nativitate a spiritu profano* (3): et Spiritus Sanctus habitat, tum in corpore, tum in anima baptizati, tanquam in templo sibi sacro. *An nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* (4)

Trina hæc societas quam habent Christiani cum divinis personis, eos ad gratitudinem stimulat. Alphonsus, Arragoniæ (5) rex, de tribus sibi a Deo collatis incessanter gratias agebat, quod hominem, quod Christianum, quod inter Christianos regem illum effecisset; Christiani agant æterno Patri gratias, quod eos in suos adoptaverit filios: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* (6) Agant Christo gratias, quod eos sacerdotali dignitate participes effecerit, et in gratitudinis monumentum offerant illi sacrificium laudis, quod figuratum vult Tertullianus per leprosi curationem a Domino factam; cui Christus prohibet divulgare miraculum, et præcipit ut sese ostendat sacerdoti. *Quantum enim ad gloriæ humanæ aversionem pertinebat, vetuit eum divulgare: quantum autem ad tutelam legis; jussit ordinem impleri: Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcipit Moyses: argumenta enim figurata utpote prophetatæ legis in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, oratio-*

(1) D. Aug. in Psal. 154. — (2) 1. Epist. 2. — (3) Tert. L. adv. Prax. 28. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 4. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (6) Tert. L. de Orat. 11. — (7) Tert. L. de Bapt. 5. — (8) Tert. L. de Res. 9. — (9) Tert. L. de Mon. 7. — (10) L. 4. de Sacram. 4.

(1) 1. Pet. 2. — (2) Tert. L. de Bapt. 5. — (3) Tert. L. de An. 41. — (4) 1. Cor. 5. — (5) Æneas Silv. de Dietis Alphons. — (6) Coloss. 1.

modus quo hominem redemit, scilicet effusione sui sanguinis et ignominiosa crucis passione. Tantam charitatem non nisi cum stupore concipit et declarat Tertullianus: *Certe Christus dilexit hominem: propter eum descendit; propter eum predicavit; propter eum cum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, et mortem crucis.* (1)

Postquam Angelus Raphael sub specie humana conversatus duxit Tobiam juniorem, eumque a pisce monstruosissimo et dæmone liberavit, et ad patrium solum desponsatum et opulenter ditatum reduxit, dixit pater filio: *Quid possumus dare viro isti sancto qui venit tecum?* (2) Cui filius: *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* Quasi dicat: *Tanta nobis præstitit beneficia ut ad ea solvenda simus impares. Quantum a fortiori sumus impares nos ad solvenda quæ accepimus a Christo beneficia? Triginta tribus annis operatus est Christus salutem nostram in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibriis deputatus; quid ultra debuit facere et non fecit? Cujus vel saxæum pectus tanta et talis, a tanto et tali, collata multitudo beneficiorum non emolliat?* (3) Ad gratitudinem tali ac tanto benefactori pro tanto beneficio reddendam stimulat adhuc D. Bernardus: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, et refecto hoc modo? In primo opere, me mihi dedit, in secundo se, et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo: quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possim, quid sum ego ad Deum* (4), qui adhuc dat semetipsum in Eucharistiæ sacramento?

II. PARS. *Donativum Christi* (5) est sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, in quo 1. Salvator affluenter gratiam dat; 2. Divinitatem et humanitatem suam donat; 3. Donum et accipientem intime unit et velut conviscerat.

1. *Christus spiritualium dispensator* (6), gratias dispensat per sacramenta: sed abundantiori modo per Eucharistiæ mysterium, quia continet Christum gratiarum fontem, a quo cuncta sacramenta conferendi gratiam mutuarunt efficaciam. *Sitienti satius est de fonte quam de rivo sitis ardorem extinguere; vina quoque de primo sumpta dolio nativum saporem præstant; eadem sæpius de alio in*

aliud transfusa degenerant. (1) Quod alia comparatione et magis ad propositum declarat rex Theodoricus apud Cassiodorum: *Quamvis magnificentia nostra sit omnibus gratissima, multo tamen acceptiora credimus, quæ nostri præsentia conferuntur: quia majora de conspectu principis populi sumunt, quam de largitate beneficia consequantur.* (2) In aliis sacramentis hauritur aqua gratiæ velut in rivulis: at in Eucharistia, *spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.* (3) In aliis sacramentis Christus agit tanquam absens, in illis duntaxat illius merita moraliter operantur: at in Eucharistia est vere præsens et per semetipsum agit. In aliis sacramentis elementa sensibilia sunt instrumenta, quæ assumit ad conferendam gratiam, ut aqua in baptisate; at in Eucharistia, corpus et sanguis illius sunt instrumentum quo Christus utitur ad largiendas nobis gratias abundantiores: quomodo B. Gaudentius intelligit istud Joannis: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* (4) Neque solum abundantiores nobis Christus in Eucharistia largitur gratias, sed adhuc donat nobis suam divinitatem et humanitatem.

2. *Christus est homo Deo mistus* (5): quia in eo divinitas et humanitas uniuntur in persona Verbi. Utramque autem naturam, tum divinam, tum humanam, donat nobis in sacramento. Magna Dei liberalitas in creatione, major in justificatione, maxima in glorificatione; sed cunctas has liberalitates, fere in infinitum superat munificentia Christi in sacramento. In creatione, dat Deus elementa, coelos, cunctasque creaturas, quæ intra eorum ambitum continentur; in justificatione, dat gratiam quæ omne bonum naturæ superat; in glorificatione, dat felicitatem conceptu incomprehensibilem, sermone ineffabilem, duratione interminabilem: at in Eucharistia, Deus immensus, infinitus et æternus, semetipsum donat sub specie panis et vini, seseque accipientibus intime unit et velut conviscerat.

3. *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, et individuitatem a corpore ejus.* (6) Individuitas est perfectissima unitas, quia omnem negat naturæ divisionem. Hanc autem individuitatem cum corpore Christi habemus in Eucharistiæ sacramento, ubi se donat Christus in cibum, ut nulla sit separatio inter donum et recipientes ipsum. *Cum datur in cibum, datur, non ad aliquam separationem, sed ad*

(1) Tert. L. de Carn. Chr. 4. — (2) Tob. 12. — (3) D. Bern. Serm. 4. sup. istud. *Regnum Dei non est esca et potus.* — (4) Tract. de Dilig. Deo c. 5. — (5) Tert. L. de Cor. Mil. 1. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 8.

(1) Hildeb. Epist. 67. — (2) Lib. 5. Var. Epist. 26. — (3) D. Thom. Opusc. 57. — (4) Tract. 19. in Joan. — (5) Tert. Apol. 21. — (6) Tert. L. de Orat. 6.

omnimodam unitatem : uniuntur enim in unitate corporis cibus et sumens. (1) Et in hoc discriminatur Eucharistiæ donum, quod in aliis beneficiis est semper aliqua separatio inter donum et recipientem ipsum. In ordine naturæ creatura irrationalis separatur ab homine cui famulatur; in ordine gratiæ, gratia sanctificans separatur ab anima sanctificata; in ordine gloriæ, objectum beatificans separatur a potentiis quæ illo fruuntur: *Tale donum est in aliqua separatione ab eo cui datur.* At unio quæ intercedit inter corpus Christi et digne illud suscipientem, nuncupatur a Cyrillo Hierosolymitano, *concorporatio* (2); qualis est illa quæ ex duplici cera liquefacta coalescit: a Cyrillo Alexandrino vocitatur *incorporatio* (3); quomodo ferrum ignitum idem videtur corpus cum igne: a D. Hilario appellatur *mixtio* (4); qui affert exemplum duorum liquorum simul mixtorum: a Paschasio vero dicitur *convisceratio*. *Caro quidem carni spiritualiter conviscerata transformatur, ut et Christi substantia in nostra carne invenitur.* (5) His comparationibus utuntur Patres ut ineffabilem Eucharistiæ declarent unionem, quæ vehementem Christi denotat charitatem: amor nativa inclinatione propendet ad munificentiam et unionem. Ut duabus illis propensionibus satisfaciatur ardens hominum amator Christus, instituit Eucharistiam, in qua se liberalissime donat, et intimissime unit. Utinam tantam haberent homines inclinationem ad recipienda divina illa munera, quantam habet Christus ad illa largienda!

Belle ad propositum Alexandrinus Clemens: *Sicut mundus componitur ex contrariis, nempe ex calido et frigido, ita etiam ex his qui dant et ex his qui accipiunt.* (6) Corpora etenim cœlestia suas sublunariibus largiuntur virtutes, et corpora sublunaria suam mutuatur a cœlestibus fecunditatem. Ab universo mundo D. Irenæus ad mundum archetypum assurgit: *Inquantum enim Deus nullius indiget, in tantum homo indiget Dei communionem.* (7) Deus nullius indiget, quia cum sitiens per essentiam, a seipso, et non ab alio, omnes perfectiones possidet. Homo indiget Dei communionem, quia cum sit ens per participationem, nihil habet quod non sit a divina munificentia mutuatum: Deus pro sua plenitudine ad largiendum pronus est, homo pro sua inopia ad recipienda Dei dona urgetur: Deus ex amore sese do-

nat homini in Eucharistiæ sacramento; multi tamen *abjecerunt opportunitatem tanti boni* (1), quia vel non accedunt ad sacramentum, vel raro accedunt, vel indigne accedunt, et sunt ingrati erga Christum, qui in Eucharistia donat seipsum, et erga Patrem et Filium, qui in missione dant Spiritum Sanctum.

III. PARS. Sublimatus in cœlum Dei Filius, *hic interim acceptum a Patre munus effudit Spiritum Sanctum, tertium nomen divinitatis, et tertium gradum majestatis.*

(2) In divinis, personæ producentes mittunt et dant personas productas: Pater dat Filium, quia illum generat; Pater et Filius donant Spiritum Sanctum, quia illum producunt. Ad quid autem dant Spiritum Sanctum? Ut 1. Nos doceat veritatem; 2. Nobis conferat sanctitatem; 3. Largiatur charitatem.

1. *Spiritus Sanctus ad hoc missus a Christo ut esset Doctor veritatis.* (3) Dum ait Spiritum Sanctum a Christo missum, asseverat Spiritum Sanctum procedere a Christo, non ut homine, sed ut Deo: qui mittit Spiritum Sanctum *deductorem omnis veritatis, secundum christianum sacramentum* (4): scilicet ut Christianos doceat veritatem, eisque largiatur sanctitatem.

2. Divinus Spiritus trina ratione dicitur sanctus: 1. Quia *sanctitas propria est natura ejus* (5), quomodo essentialis sanctitas communis est tribus divinis personis; 2. Quia est sanctitas personalis, seu, ut fatur D. Ambrosius, *genitoris genitique sanctitas spiritusque* (6); quia scilicet est terminus spirationis activæ et sanctæ Patris et Filii; 3. Quia est sanctitas sanctificans, sanctitatem largiens hominibus; ad quod datur a Patre et Filio: quia, ut fatur Tertullianus, *Spiritus Sanctus erat sanctificaturus hominem* (7), nimirum per gratiam inhærentem, quæ est sanctitatis participata quam simul cum charitate largitur justificatis.

3. Christus Dominus propria virtute resuscitatus, *ascendit in sublimitatem, data dedit filiis hominum, id est, donativa, quæ charismata dicimus: Spiritus Sanctus, ardenti Patris et Filii voluntate productus, dicitur charitas; Filius in cœlum assumptus, donat hominibus Spiritum Sanctum, ut eis largiatur charitatem, juxta istud Paulinum: « Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum qui datus est vobis. »* Quantum sit donum Spiritus Sanctus a Patre

(1) D. Thom. Opusc. 57. c. 5. — (2) Catech. 4. — (3) Lib. 4. in Joan. 15. — (4) L. 8. Trin. — (5) L. 5. de Corp. Chr. 19. — (6) L. 3. Strom. — (7) Lib. 4. adv. Hæret. 28.


(1) Tert. L. 2. ad Uxor. 1. — (2) Tert. L. adv. Prax. 30. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 28. — (4) Tert. L. adv. Prax. 30. — (5) Tert. L. de Mon. 3. — (6) In Symb. Apost. 1. — (7) Tert. L. adv. Prax. 12.

et Filio datus, attente considerans Apostolus, totus in gratiis agendis occupatur: *Gratias ago Deo meo super inenarrabili dono ejus.* (1)

Gregorius Nyssenus (2) divinam præsertim commendat charitatem, quod homini dedit caput, quod est rationis sedes, et cor, quod est principium amoris. Sed divina charitas absque ulla comparatione magis elucet in dono Filii, qui est ratio primordialis ab æternitate in sinu Patris existens: *Ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet* (3); et in dono Spiritus Sancti, qui, ut vult Richardus a Sancto Victore, est cor Patris et Filii. Annon ille perfectissimus esset amicus, qui post innumera benevolentiae et amicitiae monumenta, quasi tot beneficia ejus amori essent imparia, suum aperiret pectus, avelleret cor, illudque amico offerret ut vehementem amoris sui denotaret amorem? En verum divinæ charitatis specimen. Deus namque ut homini suam demonstraret benevolentiam, dedit ei mundum ex tanta creaturarum varietate coadunatum: tot fortunæ et naturæ bonis addidit, fidei, religionis et gratiæ dona: et quasi tot et tanta dona non sufficiant ad vehementiam divinæ bonitatis, Pater dedit Filium suum, et Pater et Filius Spiritum Sanctum. Post donum Filii et Spiritus Sancti, potiori jure debet dicere Deo Christianus, quam Augusto Furnius: *Hanc unam, Cæsar, habeo injuriam tuam, effecisti ut viverem et morerer ingratus.* (4) Quid enim dabit Deo pro creaturis quæ sunt effectus omnipotentiae Dei? quid pro beneficiis supernaturalibus, quæ sunt divini amoris largitates? quid pro dono Filii et Spiritus Sancti, in quo tota velut exhauritur Dei munificentia?

Profecto Christiani ad tanta solvenda dona sese insufficientes agnoscere debent, quos hortatur Apostolus: *In omnibus locupletati abundetis in omnem gratiarum actionem Deo.* (5) Quasi dicat: Totis viribus nitimini referre Deo abundantes gratiarum actiones. Deus largitus est nobis creaturas *vocali potestate* (6) productas. Pater dedit Filium, rationem primariam per memoriam fecundam generatam; Pater et Filius donaverunt Spiritum Sanctum, qui est eorum cor. Licet vestra gratitudo non possit ex æquo respondere divinæ liberalitati; ut tamen aliqua servetur proportio, offerte Deo memoriam, intellectum, cor et linguam. Memoriam, ut tantæ

munificentiae jugiter recordetur; intellectum, ut donorum valorem attente consideret; cor, ut datorem et donum ardentem amet; linguam, ut divina beneficia continuo decantet: *Organum glorificationis divinæ bonitatis, homo gratus.* (1) Christus Dominus hanc gratitudinem nos in oratione dominica edocuit. Quare ad instar Beatorum qui in cælo divinas laudes continuo decantant, unusquisque nostrum dicat cum Vate Regio: *Exaltabo te, Deus meus, et benedicam nomini tuo in seculum et in seculum seculi: per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in seculum, et in seculum seculi.* (2)



CONCIO SEXTA.

QUANTULUM compendii si grato benefeceris, vel dispendii si ingrato? (3) Homo gratus beneficium benevolo accipit animo, jugiter in memoria conservat, benefactorem laudat ejusque munificentiam prædicat: retribuit quidquid potest, ut benefactoris liberalitatem recognoscat. Ingratus e converso mala pro bonis repensat, lingua beneficium depretiat, corde benefactorem aversatur, et accepta largius dona in largitorem subarmat. *Ingratus est qui beneficium accepisse se negat quod acceperit, ingratus est qui dissimulat; ingratus qui non reddit, ingratus qui non reddit, ingratus qui non reddit, ingratus qui non reddit.* (4) Apud Persas, Macedones, Athenienses, adeo odiosa erat ingratitude ut licitum esset in jus vocare hominem ingratum. (5) Verum, ut animadvertit Moralis Philosophus, ingrati ingratitude aversantur, et qui ejusmodi culpant vitium de illo redarguuntur: *De ingratis etiam ingrati queruntur, cum tamen hoc omnibus hæreat, quod omnibus displicet.* (6) Ut vitium illud universaliter aversatum, et cunctis fere hominibus commuue, a Christianorum cordibus avellatur, sat est demonstrare ingratitude 1. Probrosam; 2. Criminosam; 3. Damnosam.

I. PARS. Tam probrosa Tertulliano videtur ingratitude ut adversus eam *necessitate odii* (7) libenter feratur; quia scilicet omne hominis decus devenustat. Tria sunt quæ hominem decorant: natura, religio et gratia; at ingratitude 1. Naturam dimit-

(1) 2. Cor. 9. — (2) Lib. de Hom. — (3) Tert. l. 1. adv. Prax. 5. — (4) Sen. l. 5. de Benef. 25. — (5) 2. Cor. 9. — (6) Tert. l. de Res. 5.

(1) D. Iren. l. 4. Cont. Hæret. 24. — (2) Psal. 144. — (3) Tert. l. de Pæn. 2. — (4) Senec. l. 1. de Benef. 1. — (5) Valer. Max. l. 2. c. 1. — (6) Lib. 3. de Benef. 1. — (7) Tert. l. de Test. An. 3.

tit; 2. Religionem pervertit; 3. Gratiam destruit.

1. Ratio est naturæ humanæ venustas: *Quippe est Dei ratio.* (1) Hæc est participatio divinæ et essentialis rationis, qua homo in sua essentia constituitur, et a belluis irrationalibus discriminatur; at ingrati venustatem naturæ dedecorant, belluarum more viventes. *A ratione tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore.* (2) Imo ipsis belluis irrationaliores videntur: nam *beneficia et feræ sentiunt, nec ullum tam immansuetum est animal quod non cura mitiget, et in amorem sui vertat.* (3) Omitto exempla passim obvia serpentum, leonum, aliorumque brutorum, ut dicam cum Angelico Doctore, quod nemo quotidie non videt, *ratione beneficii impensi ovis lupum fugiens sequitur pastorem: catulus in extraneos latrans domino suo cauda blanditur.* (4) Homo ingratus, minus cane rationalis, benefactorem suum non agnoscit. Quod probe sciens Plato, interrogatus ab uno discipulorum quis ingrato deberetur titulus, respondit: *Cani- bus peior.*

2. Sapienter hoc dixit Philosophus ad *exprobrationem ejus qui beneficii ingratus extiterit* (5): quia agit et contra naturam et contra religionem. Contra naturam, siquidem *justa et naturaliter insita gratiarum actio.* (6) Contra religionem: nam, ut belle ait Philo Judæus, *omnis virtus sancta est, gratitudo vero sanctissima.* (7) Ideo in gratitudinæ potissimum sitam religionem et pietatem existimat D. Augustinus. *Cultus Dei in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata.* (8) Imo ipsemet Deus, hujus debiti semper ita existit zelotes, quod si Noe (9) præcepit ut in arcam deferret septem animalia cujusvis speciei, id egit ex D. Hieronymo, *ut haberet Noe post diluvium, quod de impari numero posset statim Deo offerre.* (10) Ad gratiarum actionem attendens Deus, ante collata hominibus beneficia, in lege mosaica sacrificium eucharisticum ordinavit Moyses, et bene, *nam quod est sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum?* (11) Imo in lege evangelica ipsemet Christus *gratiarum actionis magister* (12), ob eamdem rationem sacrosanctum altaris instituit mysterium: *Unde in ipso verissimo et singulari sacrificio, Domino Deo nostro gra-*

tias agere admonemur. (1) Venerando illo mysterio admonitus ingratus, hoc pietatis non solvit debitum, et a religione christiana degenerat, cui gratitudo maxime propria videtur. *Christianus etiam damnatus gratias agit* (2), ingratus, christiano nomine indignus, adhuc gratiam destruit.

3. Christianus *gratiam divinæ dignationis consequitur, a qua Israël est repudiatus.* (3) Israël benefactori Deo ingratus, divinam amisit gratiam: Christianus gratia sanctificatus, a Deo adoptatur in filium, et tantum mutuatur de nominis appellatione privilegium (4), ut deus etiam nuncupetur. Quod si Deo tam munifico est ingratus, divinæ gratiæ perdit beneficium. Nam *ingratitude est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio.* (5) Idem accidit ingrato Christiano quod Adamo inobsequenti, qui *non habendo fidem etiam quod videbatur habere, ademptum est illi, paradisi gratia et familiaritas Dei.* (6) Mox autem ut Adam et Eva animadverterunt Deum in paradysum descendisse, *absconderunt se ex verecundia ingratitude, quia contra Deum beneficientem peccaverunt.* (7) Adeo probrosa est ingratitude non *referre beneficiis gratiam, et est turpe, et apud omnes habetur* (8): Christianus tamen ingratus protoparentis æmulans culpam, ejus non imitatur verecundiam: et quamvis, ut docet Albertus Magnus, « una ex proprietatibus hominis verecundari sit, » (9) et licet adhuc Christiano *magis disciplina verecundia incumbat* (10), peccator tamen non verecundatur de ingratitude probrosa et criminosa.

II. PARS. *Semper humana gens male de Deo meruit: primo quidem ut inofficiosa ejus, quem cum intelligeret ex parte, non requisivit: sed et alios insuper sibi commentata est quos coleret: dehinc quod non inquirendo innocentia magistrum, et nocentia judicem et exactorem, omnibus vitiis et criminibus inolevit.* (11) Varios refert ingratitudeis gradus, de quibus homines criminosi sunt: nam 1. Dei majestatem ejusque beneficia probe non considerant; 2. Cognito Deo ejusque munificentia, ei non serviunt, neque bonitatem ejus recognoscunt; 3. Sibi falsos commentantur deos, quos venerantur: tandem neglecto vero Deo cunctis criminibus contaminantur. In superioribus

(1) Tert. L. de Pæn. 1. — (2) Tertull. ibid. — (3) Sen. lib. 1. de Benef. 1. — (4) Opusc. 61. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (6) Joseph. lib. 4. Antiq. 6. — (7) Lib. de Plantat. Noc. — (8) Lib. de Spir. et Litt. 11. — (9) Gen. 7. — (10) Lib. 1. adv. Jovin. 1. — (11) D. Aug. lib. 1. Cont. adversus Leg. et Proph. — (12) Hesych. Hom. 2. de Deip.

(1) D. August. lib. de Spir. et Litt. 11. — (2) Tert. Apol. 46. — (3) Tert. L. adv. Jud. 1. — (4) Tert. ibid. — (5) D. Bern. Serm. 52. in Cant. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 2. — (7) Abul. qu. 14. in Gen. — (8) Sen. lib. 5. de Benef. 1. — (9) L. 2. de Animal. 4. — (10) Tert. L. de Bapl. 17. — (11) Tert. Apol. 40.

demonstrata est nequitia eorum qui Dei majestatem non considerant, divina beneficia non recognoscunt, falsos deos colunt; nunc ostendendum est quam sit frequens et scelerosa ingratitude. Philosophus Moralis etiam frequentiam affirmat: *Inter plurima maximaque vitia, nullum est frequentius quam ingrati animi.* (1) Ingratitudinis adhuc nequitiam declarat, quam graviorem cunctis aliis vitiis asseverat. *Erunt homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores, infra omnia ista ingratus, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus accrevit.* (2) Ingrati malitia cunctis aliis scelerosis antistat, imo cuncta crimina in ingratitude adunantur: et ingratus est 1. Fraudulentus et raptor; 2. Perfidus et proditor; 3. Inhumanus et interfector.

1. *Compensatione res acta est: lucrati sumus multa, ut aliqua præstemus.* (3) Tot et tanta naturæ, fortunæ et gratiæ dona accepimus a Deo, ut ei gratitudinem rependamus. Est velut initum pactum inter Deum et nos, ut de tot acceptis beneficiis, ei gratias agamus. *Non leviter nobiscum pactus est Spiritus Sanctus, etiam ultro pactus, quo magis honorandus. Sponsionem ejus nemo dissolvit, nisi ingratus.* (4) Qui non tenet initum pactum, nec debitam solvit gratitudinem, est fraudator, injustus, alieni raptor et detentor. Hujus fraudis illustre habemus in Adamo exemplum: nam, ut belle animadvertit Rupertus, *formante Deo et inspirante spiraculum vitæ, factus in animam viventem, non suspiravit eodem spiraculo vitæ acceptæ in plati sui faciem, ut adoraret, et eum gratificaret, et ei gratias ageret.* (5) Quo magis gratus esset homo, « creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculinum et feminam creavit eos: benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus. » (6) His verbis velut in compendio rediguntur omnia bona quæ Deus Adamo munifice contulit, sed nulla gratitudinis vox auditur. Fortasse post jucundam paradisi voluptatis possessionem, Deo reddet Adamus aliquod gratitudinis debitum. Neque etiam ingratus in amœnissimo illo loco, Deo tam munifico ullam exhibet gratiarum actionem. Nam, ut addit Rupertus, *item ab eodem Domino Deo po-*

situs in paradysum voluptatis, nullas ei gratias egit, et taciturna ingratitude tantum tamque facilem deliciarum Dei locum, quasi rapinam arbitratus occupavit. Occupavit quasi rapinam sibi a Deo sponte collatum paradysum, vel potius quasi rapinam occupavit, Deum debita gratitudine defraudans. Hunc imitatur quivis ingratus, cogiturque fateri: *Utique fraudem Deo facio id agens, ne quod debeo, solvam* (1); quo nihil injustius et criminiosius. Si autem tantillam erogamus eleemosynam pauperi, ait D. Chrysostomus (2), exposcimus gratiarum actionem, et Deo, qui tot nobis largitur beneficia, nullam rependimus gratitudinem.

Guillelmus Parisiensis (3) ejusmodi ingratos de quinque rusticitatibus redarguit. Rusticitas: nam hi quibus majora dedit beneficia, minorem ei censum gratitudinis solvunt. Rusticitas: Dei bonis affluentes, et ei damnum vel contumeliam afferre satagunt. Rusticitas: de Dei bonis ditati, pauperibus Christi personam repræsentantibus nihil largiuntur. Rusticitas: ad mensam ejus comedentes, nec ad Deum attollunt oculos, similes porcis qui sub quercu comedentes glandes, terram respiciunt, non quercum quæ illis alimenta subministravit. Rusticitas: hominibus de minimo beneficio gratias agentes, Deo vero de maximis beneficiis nullam gratitudinem referentes, et, quod pejus est, ad malum, Dei beneficiis abutentes. *Quam male utuntur mali auro? Judicia corrumpunt, innocentes opprimunt: luce ista mali male utuntur, male vivendo; etiam ipsam lucem quam vident, ad ministerium scelerum suorum usurpant: omnibus ergo bonis Dei, ne per singula percurrere longum sit, male utitur malus* (4), divinæ gratitudinis fraudator, et adversus benefactorem suum perfidus et proditor.

2. Sunt nonnulli hæretici qui *etiam Judam proditorem defendunt, admirabilem illum et magnum esse memorantes, propter utilitates quas humano generi contulisse jactatur.* *Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Judæ propter hanc causam reddendam putant.* (5) Non laudandus, sed culpandus est Judas, nec ei gratulandum, sed potius maledicendum ob traditionem Domini ex horrenda ingratitude factam; quam Salvator fere non sustinens, longe a se transire postulavit (6); quomodo Origenes expendit orationem Domini in horto Gethsemani

(1) Lib. 1. de Benef. 7. — (2) Lib. 1. de Benef. c. 10. — (3) Tert. L. de Pud. 12. — (4) Tert. ibid. — (5) L. 2. in Gen. 39. — (6) Gen. 1.

(1) Tert. L. 1. de Fug. in Pers. 12. — (2) Hom. 8. in Ep. ad Coloss. — (3) Dom. 8. Post. Trin. — (4) D. Aug. Tract. 27. in Joan. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 47. — (6) Matth. 26.

factam : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. » *Præter calicem passionis, etiam voluit Judam transire, cujus ingratitude non sustinens dixit : Transeat a me calix iste.* (1) Tam criminosa fuit Judæ proditio et adeo infensa Salvatori ut maximam demonstraverit patientiam, perfidum secum ferens discipulum : *Ingratos curavit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit* (2), qui eisdem pedibus quos lavaverat Dominus ad tradendum illum ecurrit. Admiranda profecto Christi humilitas *aquam ipse lavandis discipulorum pedibus ministravit* (3) : sed execranda Judæ perfidia, cui ad proditionem Salvatoris pedes inservierunt : quod denotat Dominus, dicens : « Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum. » (4) Hunc loquendi modum miratur Paschasius : *Domine, cur vocas peccatum calcanei, si Judas ore te tradidit et voluntate ? Hoc autem fuit quia iisdem pedibus, quos Christus laverat, et reverenter receperat, cum eis Judas ad tradendum iverat.* (5)

Nullus est homo qui velit de perfidia in-cusari ; *hæc est enim injuria summa* (6) ; maxime si religionem christianam profiteatur, *Christianus et extra fidelis vocatur* (7), qui ipsis etiam extraneis fidelitatem inviolabiliter servat. Nullus est qui Judæ ingratitude et proditionem non abhorreat, et tamen peccatores perfidi illius discipuli ingratitude imitantur. Judas ivit ad proditionem iisdem pedibus quos laverat Christus ; et scelerosus peccator Christum tradit eodem intellectu quem fide illustravit, eadem voluntate, quam charitate sufflammavit, eadem anima quam sanctificavit, eodem ore quo sacram Eucharistiam suscepit, eodem corpore quod sibi in baptismo consecravit ; iisdem animi facultatibus et corporis membris quæ a Domino accepit, iisdem utitur ut eum prodat, eique necem inferat. Quare Jeremias Propheta peccatori ait : *Fecisti mala, et potuisti* (8), tantam ingratitude fere impossibilem judicans.

3. *Malitiæ redundantia servi quoque sceleratissimi dominos suos interficere non dubitant* (9) : neque id indiget probatione cum hujus innumera fere in sacris et profanis litteris habeantur exempla. Abominanda prorsus servorum ingratitude, qui manus suas dominorum sanguine cruentant, sed

multo magis horrenda filiorum impietas, qui necem inferunt parentibus qui eos genuerunt. Ecce aliquod ingrati peccatoris specimen, qui Christo, supremo Domino et cœlesti parenti, mortem afferre nititur. Cruentæ hujus ingratitude exemplum videmus in Malcho, qui Dominum post restitutam amputatam auriculam, insolenter percussit. *Christus Dominus cum traditur, cum adducitur, ut pecus ad victimam ; sic enim non magis aperit os, quam agnus sub tondentis potestate* (1) ; et tamen cum a Malcho percuitur, ait : *Quid me cædis ?* (2) ut ostendat quam scelerosa fuerit Malchi percussio, et quam sibi injuriosa servi illius nequam ingratitude. Crudelis fuit Malchi in Christum ingratitude, sed non magis humani Judæi, cum Herode, in Christi necem conspirantes. *Nec minus horrendum Scribarum sacrilegium quam Herodis impietas.* (3) Herodes ut Messiam enecaret in cunis, innocentium effudit sanguinem : Scribæ, Herodis impietatem supergressi, Christi mortem moliti sunt. *Cum visitationi divinæ invenirentur ingrati, causam sibi cum Herode fecere communem.* Ingrati Christiani, impietatis Herodis et Scribarum affines, suis criminibus Christum recrucifigunt : per Judæos ingratos præfigurati, quos Dominus viperarum progeniem nuncupat. (4) *Aiunt hanc feram maternum ventrem cum in lucem editur, abrodere. Quoniam igitur Deum qui eos genuit dereliquerunt, atque omnem sibi concessam gratiam exstinxerunt, ea videlicet in irritum redacta, merito proinde venenatis animalibus eos confert, per ingratitude accepta beneficia obliterantibus, ne dicam corrodentibus.* (5) Viperinum ac venenatum ingratitude vitium, beneficia liberalius collata, et beneficam largitoris gratiam corrodit, obliterat, exstinguit : sicut animi gratitudo acceptum beneficium fovet, conservat et honorat, sic pestifera et venenata ingratitude, Dei gratiam corrumpit, et benefactori quantum in se est mortem inferre satagit : Lepide Ausonius : *Ingrato animo terra pejus nihil creat.* (6) Venustius adhuc Publius : *Dixeris mala cuncta, cum ingratum hominem dixeris.* Quare amicum hortatur Philosophus Moralis : *Hoc tu cave, tanquam maximum crimen, ne admittas.* (7) Tam enorme et execrabile est ingratitude vitium ut ad illud puniendum humanæ leges non valuerint condignum reperire supplicium. *Ingratitu-*

(1) In cap. 18. Joan. — (2) Tert. L. de Pat. 3. — (3) Tert. ibid. — (4) Joan. 13. — (5) In c. 26. Matth. — (6) Sen. lib. 1. de Benef. 10. — (7) Tert. Apol. 46. — (8) Cap. 3. — (9) Tert. L. 5. adv. Marc. 6.

(1) Tert. L. de Pat. 3. — (2) Joan. 18. — (3) D. Cypr. Serm. de Stel. et Magis. — (4) Matth. 3. — (5) S. Isid. lib. 1. Epist. 105. — (6) Ps. 18. — (7) Lib. 1. de Benef. 10.

dinis vitio nullam ab humanis legibus pœnam constitutam esse reperimus, quia tanta est ejus iniquitas ut rigidissimæ Dei justitiæ relinquatur puniendâ (1): adeo scelerosa et damnosa est ingratitude!

III. PARS. Ingratos Judæos punivit Deus ob impietatem qua Christum despexerunt, et interfecerunt. (2) Ex Guillelmo Parisiensi antistite multiplex ex ingratitude provenit malum: præsertim triplex: 1. Data bona tollit; 2. Ne ulteriora bona dentur, impedit; 3. Ingratum punitioni et pœnæ exponit.

1. Quam exitiosa sit ingratitude ex Judæis constat, quibus sublata sunt tot a Deo collata beneficia. *Tulit enim Dominus Sabbath a Judæis, et ab Hierusalem, inter cætera et sapientem architectum, qui ædificat Ecclesiam Dei templum, et civitatem sanctam, et domum Domini.* (3) Quod olim accidit Judæis, quotidie multis accidit Christianis, qui ob ingritudinem denudantur fortunæ bonis, bonam perdunt corporis valetudinem, acumen ingenii amittunt, despoliantur gratiæ donis, et *subtractis charismatis prioribus* (4) in peccatum labuntur, persæpe in hæresim, et ob sua scelera impediunt ne illis Deus majora largiatur beneficia.

2. Si homo erga Deum benefactorem existisset gratus, *plus bonum florisset* (5), Deus ampliora ei largitus fuisset beneficia; nam, ut animadvertit D. Chrysostomus, *Deus exigit a nobis gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat, sed ut quidquid est lucri iterum ad nos redeat, et dignos nos faciamus majoribus subsidiis.* (6) Ingratitude autem ampliora ejusmodi impedit beneficia: nam, ut ait Bernardus, *ingratitude est ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ.* (7) Bernardo accinit Cassiodorus (8), amicum ab hoc vitio præservare contendens. *Vide ne ingratus sis; ingratitude enim peremptoria est salutis, ipsa est flatus aspidis, virus animi, uredo virtutum, aura corrumpens, stillicidia pietatis, et misericordiæ fluentia desiccans.* Magna est equidem Patrum sapientia; sed infinite major Spiritus Sancti auctoritas, Sapientis ore pronuntiantis: « Ingrati spes, tanquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tanquam aqua supervacua. » (9) Quem locum sic elucidat Lyrannus: « Ingrati, id est, qui beneficium Dei non agnoscit, spes tanquam hibernalis gla-

cies tabescet, id est, totaliter peribit. » Ilco autem ingrati spes totaliter perit, quia ejus ingratitude Dei gratiam refutat, divini beneficii indignum illum reddens. Judæorum exemplum prodit Tertullianus: *Nam exinde destitit apud illos Dei gratia. Et mandatum est nubibus ne pluerent imbrem super vineam Sorech, id est, cœlestibus beneficiis, ne provenirent domui Israël. Fecerat enim spinas, ex quibus Christum coronaverat; et non justitiam, sed clamorem, quo in crucem eum extorserat.* (1) Christiane, si non vis amittere divina quæ habes beneficia, neque impedire ampliora gratiæ dona quæ juste ingratum Deus denegat, noli esse ingratus. Nam, *peremptoria res est ingratitude, hostis animæ, inimica salutis: nihil ita displicet Deo præsertim in filiis gratiæ; et ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet.* (2) Ingratitude vel rimulas ad Dei gratiam excipiendam obturat, meatus ad cœlestem influxum claudit. Quam spem salutis habere potest ingratus, ad quem Dei gratia accessum non invenit, in quo spiritale charisma locum non habet? Qui est hujusmodi, ex tunc in reproborum numero censetur, et inferno vicinatur, ut damnosæ ingritudinis luat pœnas.

3. Et quia ingratum Judæis denotantur reprobi, illorum punitionem affert Tertullianus qui cum *non intellexissent Christum in tempore suæ visitationis, facta est terra eorum deserta, et civitates eorum igni exustæ* (3), et pœna temporali et æterna mulctantur, quia sua ingratitude misericordiam Dei in iram concitaverunt. Simile supplicium metuere debent Christiani pertinaciter ingrati, qui impia perversitate Dei abutuntur beneficiis, donaque a benefica ejus manu accepta armant in donatorem: quapropter merito divina justitia beneficiorum gratiam recudit in iram, et suis donis armatur ut de scelerosis illis ingratis vindictam sumat. Sic idem mare rubrum in quo Deus demerserat locustas quæ devastabant Ægyptum (4), fuit sepulcrum in quo ingrati Ægyptii submersi sunt. *Fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* (5) Sic manna cœleste, panis angelicus, Eucharistiæ umbra, empyreæ gloriæ typus, divinæ beneficentiæ velut compendium, ut ingratos puniret Judæos de ultrice Dei ira degeneravit in vermes corrodescentes (6), inferni supplicia infauste ominantes. Sic Eucharistia, divinæ liberalitatis augustius bene-

(1) Sen. Ep. 52. — (2) Tert. L. adv. Jud. 13. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. adv. Herm. 8. — (6) Hom. 8. in Ep. ad Coloss. — (7) Serm. 52. in Cant. — (8) Lib. de Amic. — (9) Sap. 16.

(1) Tert. L. adv. Jud. 13. — (2) D. Bern. Serm. de Septem Miseric. — (3) Tert. L. adv. Jud. 13. — (4) Exod. 10. — (5) Exod. 14. — (6) Exod. 16.

ficium , abundantioris gratiæ vehiculum , sumpta a Juda traditore , Satanæ viam paravit : « Et post buccellam introivit in eum Satanæ : » (1) facitque reos mortis æternæ , cunctos qui ad eam indigne accedunt. Sic crux dominica quæ gratiarum exstitit fons , et copiosæ redemptionis officina , apparebit in ultimo iudicio perversos et ingratos Christianos accusans , et acerbius puniens. *Cruæ apparebit sole lucidior existens , et non erit necessitas accusationis cum viderint crucem.* (2) Aspectus crucis a peccatoribus despectæ iram iudicis accendet , reosque afficiet supplicio.

Chaldeenorum primates , ut Nabuchodonosor (3) regis accenderent iram adversus Sidrach , Misach et Abdenago , Judæos , quos constituerat super opera regionis Babylonis , non simpliciter gentem commemoraverunt , sed etiam honorem in memoriam revocarunt ; ut regis iram accenderent : ita maxima laus , accusatio ; et crimina , laudes fiunt. (4) Inobedientia edicto regis de adoranda statua , erat Danielis et sociorum crimen ; Chaldaeï tamen ut eorum ingratitude prodant , præmittunt accusationi excelsos honores ad quos regia munificentia

eos sublimarat : nam maximus oïim honor , maxima ingrati accusatio est , et summa nuper dignitas , criminiosorem efficit culpam : *Ita maxima laus , accusatio , et crimina , laudes fiunt.* Ingratitudo quadam degenerere metamorphosi , laudes in vituperia , honores in scelera , dignitates in flagitia recudit : idcirco in ultimo iudicio , ut Christianorum ingratitude et perversitatem ostendat Christus , recensebit cuncta dona quæ illis contulit ; cuncta supplicia quæ pro illis pertulit , et tot donorum et beneficiorum recordatio scelerosos illos acriter torquebit. Christiane , time ne tot tibi collata beneficia sint partes quæ te in die iudicii accusent , testes qui adversus te ferant testimonium , iudices qui te condemnent , et tortores qui te crucient : *Lenocinium est muneris , antecedens metus.* (1) Ingratitudinem dediscit qui illius ultionem in beneficio metuit. Dedisce , Christiane , vel ex metu ingratitude , si non vis divinam accendere justitiam et æternum pati supplicium. Disce gratitudinem , ampliora obtinebis beneficia , et cumulus gratiæ donis , immortalis tibi comparabis gloriam.

(1) Joan. 15. — (2) Hug. Card. in cap. 24. Matth. — (3) Dan. 5. — (4) D. Chrysost. Hom. 4. ad Pop.

(1) Senec. lib. 1. de Benef. 11.



HUMILITAS.

SCHOLIUM.

Humilitatem sex potissimum suadent : 1. Christiana religio ; 2. Christi demissio ; 3. Gratiæ acquisitio ; 4. Virtutis perfectio ; 5. Ad sublimitatem ascensio ; 6. Superbiæ condemnatio.



CONCIO PRIMA.

PORRO exaltatio non congruit professoribus humilitatis ex præscriptis Dei. (1) Quamvis

(1) Tert. Lib. 2. de Cult. Fem. 3.

christiana religio cuncta universaliter aversetur vitia , omnesque sectetur virtutes , specialiter tamen odit superbiam , quæ est initium peccati , et humilitatem diligit , quæ est cæterarum virtutum basis et custos : in qua D. Augustinus christianam disciplinam po-

tissimum sitam existimat. *Humilitas est maxima disciplina christiana.* (1) At, pro dolor! quam pauci sunt hac tempestate Christiani qui hanc religionis custodiant disciplinam: Nonnulli gloria intumescunt; quidam non veram, sed fucam tantum præ se ferunt humilitatem; alii raro illius producant actus: quibus ostendenda es humilitatis 1. Necessitas; 2. Veritas; 3. Continuitas.

I. PARS. *Necessitas humilitatis censetur* (2) ex trino titulo quo homo in via honoratur. Est namque Christianus, Dei servus, regni cœlestis candidatus. Ut Christianus, desert notam qua cognoscitur; ut Dei servus, supremo Domino obtemperare tenetur; ut cœlestis regni candidatus, debet eligere media quibus illud consequatur. Humilitate autem 1. Christianus dignoscitur; 2. Dei servus Domino obsequitur; 3. Cœli candidatus cœlum consequitur.

1. De *humilitate fidei* fatur Tertullianus, scilicet de humilitate quam fides docet. Duplex est humilitas: una moralis, altera christiana. Illa initium habet a ratione, hæc a fide; illa reperiri potest in ethnicis et hæreticis; hæc apud Christianos duntaxat invenitur. Ut enim ait D. Augustinus, « hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris abjicientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbe tribuentis; hæc aqua in nullis alienigenarum libris est: non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis: ubicunque etiam inveniuntur optima præcepta morum et disciplinæ, humilitas tamen illa non invenitur, a Christo venit, » (3) qua suos ab extraneis voluit discriminari. Ideoque crucem quæ Christi humilitatem denotat, deferunt in fronte; quia, ut animadvertit D. Augustinus, hoc signo humilitatis professores dignoscuntur. *Christiani sumus, ad Christum pertinemus, signum ejus in fronte gestamus; signum ejus est humilitas ejus.* Adeo propria est religioni christianæ humilitas ut statim ac aliquis amplexus est Christi crucem et disciplinam, mundanæ renuntiavit vanitatis, et, ut fatur Salvianus, *si fuerit sublimis, fit despiciabilis; si fuerit splendidissimus, fit vilissimus: religio ignobilitatem facit* (4), et humilitatem docet, quam Christianus in baptisate professus est pompis diaboli renuntians: nam, ut ait Tertullianus, *adversus pompam diaboli in signaculo fidei egeramus. Quod autem egeramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque pros-*

pectu, participare debemus. (1) Multi tamen post repudiatam in baptismo diaboli pompam, post egeratam vanam gloriam vanitate adhuc tument, et superbiam demonstrant in operibus, in incessibus, in vestibus, etiam in nominibus. *Et nos qui vitæ hujus pompam abjecimus, imo qui mundo nos mortuos fore juravimus, vani nominis gloriolas concupiscimus et de rumusculis frivola laudis inflamur* (2), christianam disciplinam dediscentes, et Dei imperio haud obtemperantes.

2. Deus pro sua auctoritate dedit Christiano *legis disciplinas, præcepta virtutis* (3): at inter omnes virtutes potissimum humilitatem præcipit et commendat. *Recumbe in novissimo loco* (4), ait Christus Dominus; non solum quia *primatum quoque captantes locorum incusat* (5), sed etiam ut Christianus sese dejiciat; attendens quod revera novissimum tenet locum, infra Deum, Christum, Beatissimam Virginem, sanctos Angelos, Beatos Justos, ipsos quoque demones, quorum natura multo est nobilior humana; Apostolus quoque Christianis opulenter ditatis humilitatem præcipit. *Divitibus hujus sæculi præcipe; non superbe sapere* (6): et ut expendit Hugo Carensis, *inclinat divites ad humilitatem, quia in divitiis solet generari superbia.* Princeps Apostolorum Petrus præcipit humilitatem, non solum indirecte et per accidens vetando superbiam, sed per se et formaliter, nos auctoritati et divinæ potentiæ subjiciens: *Humiliamini sub potenti manu Dei* (7); quia, ut optime ad propositum ratiocinatur Tertullianus, *obsequii disciplina, morigera subjectio est* (8), qua Deo imperanti Christianus se subjicit, et per humilitatem cœlum acquirit.

3. Duplex est necessitas: una præcepti, altera medii. Duplici hac necessitate necessaria est Christiano humilitas. Necessitate præcepti, ut imperanti Deo obsequatur: nam, *qui imponit præceptum, extorquet obsequium.* (9) Necessitate medii, ut æternam felicitatem consequatur: unde Salvator: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* (10) Per humilitatem autem Christiani sicut parvuli efficiuntur; et ob hanc rationem, pauperes spiritu felices prædicantur a Christo. *At nullus profecto spiritu pauper, nisi humilis.* (11) Nullus itaque nisi pauper et humilis potest beatitudi-

(1) In Expos. Ep. ad Gal. c. 2. — (2) Tert. L. de Vel. Vig. 9. — (3) In Psal. 31. — (4) Lib. 4. de Gubern.

(1) Tert. L. de Spect. 24. — (2) Pet. Dam. lib. 6. Epist. 5. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 1. — (4) Luc. 14. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 27. — (6) 1. Timoth. 6. — (7) 1. Epist. 5. — (8) Tert. L. de Pat. 4. — (9) Tert. Scorp. 4. — (10) Matth. 18. — (11) Tert. Lib. de Pat. 11.

nem consequi. *Tutam veramque in cœlum viam molitur humilitas.* (1) Quod figuratum vult Gregorius Magnus (2), in convivio Evangelico. *Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur.* (3) Inde concludit Dorotheus ex Patrum mente: « Omnium Patrum fuit una sententia: ita impossibile est animam salvam absque humilitate, ut navim sine clavis ædificari. » (4)

Exposita necessitate omnis humilitatis (5) desumpta ex Christiani signo, divino præcepto, salutis medio. *Christianis omnibus custodienda est humilitas: quoniam Christiani a Christo appellantur, cujus Evangelium, nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat.* (6) Christiani, in schola divini illius doctoris eruditi, sectatores sunt, non ementitæ et fucatæ, sed humilitatis veræ et perfectæ.

II. PARS. Christianos superbos insequitur Tertullianus: *Quomodo humilitatem quam nostri profitentur, implere poteritis?* (7) Christiana religio superbiam impugnat. *Contra superbiam maxime militat universa disciplina christiana* (8); et quia, ut optime docet Cassianus, « superbiam perniciem impossibile est evadere quempiam, nisi humilitatis veræ amator et executor sit. » (9) Christiana religio veram adhuc profitetur humilitatem, imo, ut ait D. Augustinus, *tota Christianæ sapientiæ disciplina in vera et voluntaria humilitate consistit.* (10) Hæc autem vera humilitas tria complectitur, consistens in 1. Corde; 2. Ore; 3. Opere.

1. Obplorat Tertullianus *plerosque in ventum Christianos* (11), qui non veram habent in corde humilitatem, sed intus in animo tumescunt: *Fit miris modis in anima hominis, ut de falsa humilitate magis infletur, quam si apertius superbiret.* (12) Et horum parvus non est numerus. Nam, ut fatur D. Ambr. *multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent: multi eam foris prætendunt, sed intus impugnant* (13), ideoque veram non habent humilitatem quæ in corde potissimum sita est. *Tunc erit humilitas vera, si non sola ostendatur in lingua; ut simus secundum Apostolum non alta sapientes, sed humilibus consentientes: non ait colloquentes, sed consentientes: quod non fit ore, sed corde.* (14) Perfacile est ali-

quem habere vestem contemptam, salutare submissius, manus et genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque dejectis humilitatem polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere, et ad omne verbum peccatorem se ac miserum clamare; sed si levi sermone offensus fuerit, continuo videbis attollere supercilia, levare cervicem, delicatum illum vocis sonum insano clamore repente mutare: et arrogantiam verbis fucatam et ementitam prodere humilitatem. A qua dimovere Celantiam nititur D. Hieronymus: « Humilitatem sectare, non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur. » Christiane, *esto humilis in corde.* (1) Nam, ut docet D. Augustinus, *quid tibi videri prodest hominibus humile esse quod dicis, si Deus videt esse altum quod sapis?* (2) Non fallaces illos Christianos qui foris dejiciuntur, et intus superbiunt, sed *humiles spiritu salvabit.* (3)

Siquidem *humilitas est qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Ad quam D. Bernardus requirit intellectus cognitionem et voluntatis affectum: 1. Intellectus cognitionem, qua se homo nihil esse cognoscit: *Hæc est tota scientia magna hominis, scire quia ipse per se nihil est: et quoniam quidquid est, a Deo est, et propter Deum.* (4) 2. Voluntatis affectum, quo intus in corde sese dejicit: ille etenim veram Deo exhibet humilitatem, *qui semetipsum quia pulvis sit humiliter videt; qui nihil sibi virtutis tribuit; qui bona quæ agit, esse de misericordia Dei agnoscit.* (5) Si unum ex his duobus deficit, non est vera humilitas: quia nequit sese dejicere qui vilitatem suam non cognoscit: neque humilis esse potest, qui contra vilem sui cognitionem, voluntate inflatur. Christiane, *noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas* (6): sed cognita tui vilitate per intellectum, deprime te per voluntatis affectum. *Humilitas tua plus sit in voluntate quam in necessitate.* (7) Cognitio tibi quamdam imponit humiliationis necessitatem, sed voluntas humilitatis efficit veritatem. Necessitas viles et pauperes humiliat, voluntas divites, potentes, magnates et principes demittit: *habentes in superbia vitæ, cor humile* (8), et, ut fatur adhuc D. Augustinus, *humilitatem sine humiliatione habent: qui*

(1) D. Aug. lib. 6. Civ. 4. — (2) Luc. 14. — (3) Hom. 36. in Evang. — (4) Doct. 14. — (5) Tert. L. adv. Prax. 25. — (6) D. August. lib. de Sancta Virginit. c. 33. — (7) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 9. — (8) D. August. lib. de Sancta Virginit. c. 31. — (9) Collat. 16. c. 11. — (10) Serm. 7. Epiph. — (11) Tert. Scorp. 1. — (12) D. Aug. Epist. 59. ad Paulin. — (13) Lib. 7. Ep. 44. — (14) D. Aug. Serm. 1. in Psal. 118.

(1) D. Aug. Serm. 5. de Dedic. — (2) Serm. 1. in Psal. 118. — (3) Psal. 35. — (4) D. Aug. in Psal. 70. — (5) D. Greg. lib. 2. Mor. 16. — (6) D. Bern. Serm. 42. in Cant. — (7) D. Aug. Serm. 8. de Dedic. — (8) D. Aug. ibid.

licet coram hominibus despicabiles non appareant, intus tamen humilitatis meritum coram Deo inviolatum observant. In illis, ait Gregorius Nyssenus, est velut duplex homo interior et exterior. Exterior desert dignitatis insignia, interior coram Deo dejicitur; in quo multum ab hypocritis discriminantur. Hypocritæ foris apparent despicabiles, et intus tumescunt, magnates vero et principes, foris deserunt pretiosas vestes suo statui conformes, et in animo dejiciuntur.

Hujus habemus in Regio Vate exemplum, qui de semetipso sic fatur: « Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam, etc. » (1) Multa eaque illustria virtutis ediderat facinora, illa tamen non commemorat, id solum commendans quod exaltationis ambitio nunquam cor ejus pulsaverit, aut arrogantia superba elatio animum ejus ambitio se titillaverit. *David enim Propheta et rex, humilis ante et abjectus, neque convivio patris sui dignus, sed Deo complacuit: unctus in regem, aspiratus est in prophetam: non insolescit in regno: at cum addidit, super me, ostendit nunquam se elatum fuisse, cum posset: nulli enim facilius effertur, nisi quos inopinati honoris culmen extollit.* (2) David in throno positus, non insolescit, sed de semetipso humiliter sentit; non tam regiam considerans dignitatem, quam demissam pastoris vilitatem, de qua ad solium sublimatus est. Hoc exemplum erudit principes et reges. *Tunc maxime ejus sectatores virtutis et conservatores eos esse convenit, qui cum in magno aliquo bono cæteris eminent, ut magnopere curent illud Ecclesiastici c. 3. Quanto majores, tanto humiliate in omnibus* (3): dicens cura Apostolo: *Gratia Dei sum id quod sum.* (4)

1. In quovis homine, rege etiam et imperatore, duo sunt: et quod habet a semetipso et quod habet a Deo. Quod habet a semetipso, est nihilum. Nihilum naturæ de quo extractus est, nihilum culpæ in quod lapsus est: nihilum damnationis quod incurreret, nisi Dei gratia præservaretur. Quod habet a Deo, est quod homo sit, quod inter homines et super homines dominationem et imperium possideat. Quod habet a Deo, suadet, non superbiam, sed humilitatem. *Scio quibus viribus opus sit ut persuadeatur superbis quanta sit virtus humilitatis: qua*

fit ut omnia terrena cacumina, temporali mobilitate nutantia, non humano usurpato fastu, sed divina gratia donata, celsitudo transcendat. (1) De duobus ut plurimum gloriantur principes: *De bonis tuis quasi suis, aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis.* (2) Qui autem agnoscunt habere dominationem et imperium, non a se, sed a Deo; non ex propriis meritis, sed ex Dei gratia; de semetipsis humiliter sentientes, Deo subjiciuntur, *sub quo curvantur, qui portant orbem.* (3)

Quod habet princeps a Deo, suadet etiam humilitatem; sed absque ulla comparatione magis, quod habet a semetipso, juxta istud Micheæ (4) prophetæ: *Humiliatio tua in medio tui.* In medio sui habet originem quæ est ex nihilo, vitam multis miseriis obnoxiam, peccati culpam, in quod persæpe labitur; mortem cui inevitabiliter subjicitur, non secus ac pauperes, ignobiles et servi; *sed in omnibus eadem conditione subjicitur.* (5) Hæc attente considerans de collato regno non intumescit, sed de proprio nihilo sibi ipsi vilescit. Ad instar Abrahami et Davidis quorum humilitatem prodit D. Chrysost. *Non est minima pars philosophiæ; seipsum posse dignoscere. Ille maxime seipsum novit, qui se nihil esse existimat: propterea quippe et David et Abraham, postquam jam ad summum virtutis fastigium evaserunt, tunc illud quod dico præcipue videntur implese; nam unus quidem se esse dixit terram et cinerem, alter vero se vermem vocabat.* (6) Nec spectabat David quid esset a splendidioris fortunæ phaleris, sed quid a semetipso: Christiani etsi generis splendore nobilitati, vel divitiis opulenter locupletati, vel honoribus sublimati, ad instar Davidis non superbe sapiant, sed humiliter sentiant. *Potentior et tutior est solidissima humilitas, quam ventosissima celsitudo.* (7) Nec attendant ad dignitates ad quas Dei gratia assumpti sunt, quibus cæteris omnibus antistant, sed ad propriam naturam quam habent cum abjectissimis communem; *terreni generis par conditio* (8); ad religionem quæ est humilitatis disciplina. Quos ideo hortatur Apostolus: *Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate* (9), scilicet cum humilitate cordis et oris.

2. Christiani volentes in humilitate sensus incedere (10), eam in corde conservant, et

(1) Psal. 150. — (2) S. Zen. Serm. 2. in Psal. 150. — (3) D. Aug. lib. de Sancta Virginitate. c. 33. — (4) 1. Cor. 15.

(1) D. Aug. lib. 1. Civ. 1. — (2) D. Aug. lib. 10. Confess. 39. — (3) Job. — (4) Cap. 6. — (5) Tert. L. de Vel. Virg. 9. — (6) Hom. 26. in cap. 8. Matth. — (7) D. Aug. lib. 8. de Trin. 7. — (8) Tert. lib. 1. de Cult. Fem. 9. — (9) Ephes. 4. — (10) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 19.

ore etiam demonstrant. *Non tenentes caput*, addit Tertullianus, neque aliquod proferentes verbum quod superbiam redoleat; ad praxim redigentes monitum, quod filio suo dedit Tobias: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas.* (1) Superbia animo concepta, ore dignoscitur: homo superbus 1. multum loquax *impatiens tacendi est* (2); 2. Arroganter, alta voce et cum imperio loquitur; 3. Jactat generis nobilitatem, honoris dignitatem, ingenii sublimitatem: *stipes quotusquisque jam jactat* (3); 4. Adulationis sermones et laudes vanas (4) sectatur et avide suscipit; 5. Verba increpationis, redargutionis et contemptus adverso fert animo; 6. In adversis in cœlum, ipsumque Deum maledicta et juramenta vibrat, saltem lingua semper rebellis. (5)

Christianus econtra ore humilis apparet: 1. *Si linguam cohibeat* ad quod dentes accepit, scilicet *ad pulsus lingue temperandos* (6); 2. Si humiliter loquatur, et *non sit clamorosus in voce* (7); 3. Si jactantiæ verba non proferat, *nec prodat que humiliter celaverat* (8), sed semetipsum cunctis inferiorem fateatur. Ad instar Apostoli: *Ego sum minimus Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* (9); 4. Si adulationem contemnat, nec sit *laudis humanæ sectator* (10); 5. Si lubenti et grato animo ferat verba contemptus et increpationis. *Ne metueritis ignominiam ab hominibus, et nullificatione eorum ne minuamini.* (11) Tantum abest ut de contumeliis et opprobriis queratur, quinimò de illis gaudet. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnat.* (12) 6. Si in cunctis sese Deo subjiciat, et adversa patienter absque murmuratione et maledictione ferat: *Quis enim humilis nisi patiens? quia nemo subjicere sese potest, sine prima patientia subjectionis ipsius.* (13) Ut enim ait D. Augustinus: *Vera fidelium humilitas est in nullo superbi- re; in nullo murmurare, nec ingratum esse nec querulum: sed in omnibus Dei judiciis gratias Deo agere, Deumque laudare, cujus omnia opera aut justa sunt, aut benigna.* (14) His indiciis Christianus denotat oris humilitatem quam adhuc opere demonstrat.

(1) Cap. 4. — (2) Tert. L. de Pat. 5. — (3) Tertull. Apolog. 42. — (4) Tertull. L. de Cor. Mil. 13. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 17. — (6) Tert. L. de Res. 61. — (7) Cass. lib. 4. Inst. 59. — (8) Tert. L. de Bapt. 11. — (9) 1. Cor. 15. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (11) Tert. L. 4. adv. Marc. 14. — (12) D. Bern. Sermon. 6. in Cant. — (13) Tert. L. de Pat. 11. — (14) Lib. de Vera Innoc. c. 87.

3. Christianus *humiliationis officiiis* (1) vacans, opere humilitatem demonstrat: constat etenim ex D. Augustino haberi *nunquam humiliationem sine humilitate.* (2) Veri humiles humiliationem in cunctis captant: humiliationem in vestibibus, *vestium gloriam* (3) respicientes; humiliationem in sedibus, ultimas vel potius nullas occupantes, quia sunt *nullius loci homines* (4); humiliationem in epulis: *humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant* (5); humiliationem in rejiciendis oblatiis dignitatibus: *vanitas repudianda est a servis Dei, qui ambitioni renuntiarunt.* (6)

Laudandi sunt equidem Christiani humiliationis studiosi, sed prorsus admiranda est regum humilitas: *neque enim ab illo periculo fortuna principum longius abest quam ab humilitate.* (7) Non est mirum quod pauper et abjectus humiliationis vacet operibus, sed omni est admiratione dignum, quod rex in purpura natus, imperio assuetus, sit sicut dominatione, ita *summus humilitate.* (8) Hujus exemplum habemus in Sancto Ludovico (9), qui singulis diebus sabbati, posito diademate, imo velut deposita regis persona, flexis genibus trium pauperum pedes lavabat, abstergebat, osculabatur: quibus insuper aquam fundebat lavandis manibus, deinde eisdem mensæ accumbentibus ministrabat; hos enim considerabat velut Dei imagine insignitos: ob quorum salutem Dei Filius humanitatem assumpsit: qui ut se verum declararet Messiam, dixit Joannis discipulis: « Ite, renuntiate Joanni: Pauperes evangelizantur, » *ut nulla inter nobiles et ignobiles, inter divites et egenos, in prædicatione distantia sit.* (10) In ultimo etiam judicio, Christus in solio majestatis sedens humilem pauperum non respuet cognationem, sibique arrogabit officium pauperibus erogatum: « Amen dico vobis, quoadiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » (11) Verum, ait Rabanus Maurus, *si fratres ejus sunt, quare eos minimos vocat? Propter hoc, quia sunt humiles, quia pauperes, quia abjecti.* Homines superbia inflati cognatos et fratres pauperes, humiles et abjectos diffitentur; Christus vero Angelorum agminibus stipatus, orbem judicaturus in solio majestatis, sedens coram cunctis generatim hominibus, suos agnoscit, minimosque fratres nuncupat, quia sunt humiles, paupe-

(1) Tert. L. de An. 48. — (2) In Expos. sup. Magnif. — (3) Tert. L. de Orat. 14. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 9. — (6) Tert. L. 1. ad Uxor. 4. — (7) Plin. in Paneg. Trajan. — (8) D. Isidor. de S. Greg. — (9) Guillelmi. de Nangis. — (10) D. Hier. in c. 11. Matth. — (11) Matth. 25.

res et abjecti. Illa regum humilitas qua sese ad pedes pauperum provolvunt, Christianos damnat, qui *in schola humilitatis, et sub alis humilis magistri superbiam magis addiscere, et gravius insolescere* (1) solent, quibus humilitatis incumbit necessitas, veritas et continuitas.

III. PARS Nonne stupendum quod reperitur Christianus superbia tumidus, et ut *chamaeleon tam inflatus* (2), cui necessaria est continua humilitas? Ad hanc humilitatis continuitatem tribus praesertim stimulat: quia 1. Continuo a Deo dependet; 2. Adversus superbiam continuo certare debet; 3. Dei gratia continuo indiget.

1. Quilibet homo *de Dei conservatoris sui dispositione* (3) dependet: magnum humiliationis humanae incentivum, quod ejus natura sit de nihilo producta: sed majus adhuc, quod ad sui conservationem eadem potentia indigeat a qua accepit esse, magisque ab ea dependeat quam lux a sole, umbra a corpore, imago speculo impressa ab objecto, pondus suspensum a manu quae illud tenet. Tolle corpus, cessat umbra; tolle solem, cessat lumen; tolle objectum ab speculo, cessat imago; tolle manum sustententem, labitur pondus; tolle conservationem divinae potentiae, necesse est ut homo revertatur in nihilum de quo extractus est: *Si vidisses cum de nihilo proferebatur, scisses, cum in nihilum subducebatur* (4): id est, homo qui se de nihilo productum considerat, cognoscit se in nihilum redacturum, nisi a Deo conservaretur. Quia continuo conservatur, continua debet esse ejus humilitas, qua illi est adhuc adversus superbiam certandum.

2. Superbiae vitium de natura corrupta *intrinsicus pullulat* (5); et ipsis etiam perfectis est extimescendum. *Qui bene didicit vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriae, vel solum, vel maxime cavendum perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit* (6) Quare per totum vitae curriculum cum eo est decertandum. Hydrae etenim assimilatur, cujus amputata capita denuo pullulabant. « Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccendantur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, saepe putandum est; imo, si fieri potest, semper, quia semper

quod putari oporteat, si non dissimulas, invenies. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua et non suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus: subjugari potest, sed non exterminari. » (1) Adversus periculosum illum inimicum qui nos perpetuo laccessit, continua humilitate decertandum est: Christus sua humilitate diaboli superbiam detriumphavit. *Dato tantæ humilitatis exemplo, didicerunt homines damnare superbiam suam, imitati humilitatem Christi* (2), cui indesinenter studere debent cum continuo Dei gratia indigeant.

3. *Nemo non subjicitur ei cujus eget* (3): indigentia gratiae qua eget homo ad bene operandum, illum humilitatem docet. *Prima divini muneris gratia est ut nos erudiat ad nostræ humilitatis confessionem, et cognoscere faciat, quod si quid boni facimus, per illum possimus, sine quo nihil possumus.* (4) Iude commendat humilitatem D. Augustinus, et ad eam sectandam urget Christianos. « Nulla alia ad capessendam veritatem est via quam humilitas: et ea est prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares hoc dicerem. Non quod alia non sint praecepta quae dicantur, sed nisi humilitas omnia quaecunque bene facimus et praecesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe caetera in peccatis, superbia vero et in recte factis timenda est, ne illa quae laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus, cum interrogatus esset quid ei primum videretur in eloquentiae praeceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse: cum quaereretur quid secundo, eandem pronuntiationem; quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse: ita si interrogares, et quoties interrogares de praeceptis christianae religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem audires, etsi forte alia elicere necessitas cogeret. » (5) Longiuscule D. Augustinus humilitatis necessitatem demonstrare nititur; illa etenim superbia superatur, bonum opus conservatur, christiana religio denotatur, et aeterna beatitudo comparatur.

(1) D. Bern. Hom. 4. sup. Miss. est. — (2) Tert. Lib. de Anim. 52. — (3) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 5. — (4) Tertull. Lib. de Carn. Christ. 3. — (5) Tertull. Lib. 1. de Cult. Fem. 5. — (6) D. Augustin. in Psal. 7.

(1) D. Bern. Serm. 58. in Cant. — (2) D. August. Serm. 1. in Psal. 88. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 8. — (4) D. Aug. lib. de Ver. Innoc. c. 105. — (5) Epist. 156. ad Dioscorum.

magis ostenderet, carnem pro homine posuit (1), quia humanam denotat vilitatem et egestatem.

2. Cunctarum rerum abundantia Dei sequitur formam. *Deus in omnia sufficit.* (2) Habet enim in semetipso cunctorum honorum plenitudinem : at hominis suscipiens formam, ad summam redactus est paupertatem. *Cum esset in Deitate sua dives, nostra fit pauper in carne.* (3) Ut cognoscas, Christiane, quanta sit ejus in nativitate paupertas, attende ad *diversoria angusta, dura præsepia et sordidos pannos.* (4) Quare Angelus nullum aliud dat signum ad cognoscendum quam pauperes pannos. *Hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum.* (5) Ubi Isidorus Clarus : « Opinor hoc ab Angelo additum, quia præter fascias, nulla præterea re opertus esset : cum alii etiam, non admodum divites, habeant aliqua alia quibus infantes operiunt; solus Christus libero tempore, nihil habet quo operiatur præter fasciarum paupertatem. » (6) Tota ejus vita non minus fuit indiga ac nativitas : nam, ut ait Basilius Magnus, *cum infans esset, in spelunca hospitatur, nec lecto, sed præsepi imponitur. Deinde in domicilio fabri et matris pauperulæ enutritur.* (7) Seculi divites opulentiam suam ostentant in amplis palatiis habitantes, pretiosis vestibibus induti incedentes, magno comitatu stipati ambulantes, domesticis imperantes : at pauperissimus Christus est, *domicilio incertus : nam, Filius, inquit, hominis non habet ubi caput collocet; vestitu incultus; neque enim dixisset: Ecce qui teneris vestiuntur, in domibus regum sunt. Si potestatis jus quoque nullum ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est.* (8) Itaque nihil fuit in illo quod non redoluerit vilitatem, egestatem et indignitatem.

3. Honor Dei formam consequitur. *Solus autem Dei honor* (9) conveniens Dei Filio : qui est *splendor gloriæ* (10) quam a Patre accepit ab æterno; formam tamen hominis assumens in tempore, *sordidus indutus est, id est, carnis passibilis et mortalis indignitate.* (11) Etsi omnes homines nascendo induti sint carnis mortalis indignitate, multi tamen hanc indignitatem tollere nituntur, vel generis nobilitate, vel nominum ambitione, vel luxus gloria, vel dignitatum pompa, qua ab aliis honorantur : at *ille Dominus in humili-*

CONCIO SECUNDA.

PERPERAM Judæi in hodiernum negant venisse Christum, quia non in sublimitate venerit. (1) Talis etenim venit Christus qualis fuit a prophetis vaticinatus, qui primum Christi adventum in humilitate, sicut secundum in sublimitate præfati sunt. *Christus a Prophetis prædicabatur omnem humilitatem exhibiturus.* (2) Tertullianus autem fuse demonstrat ordinem Christi decucurrisse, quo talis probatur, qualis annuntiabatur (3); et quia, ut dictum est, annuntiabatur a prophetis omnem humilitatem exhibiturus, vere et de facto. *Christus omnem humilitatem exhibuit* (4), humiliando se 1. Usque ad hominem; 2. Infra hominem; 3. Propter hominem.

I. PARS. Christus primo adventu suo humana forma venit in humilitate. (5) In Christo duplex est forma : forma Dei et forma hominis. Formam Dei consequuntur majestas, opulentia et gloria; formam hominis comitantur vilitas, paupertas et indignitas. At in Incarnatione Dei, Filius est in tantum humilitatis exhaustus (6), ut velut exhausit formæ Dei majestatem, opulentiam et gloriam, assumendo 1. Humanæ formæ vilitatem; 2. Paupertatem; 3. Indignitatem.

1. De fide certum est Dei Filium esse perfectæ majestatis (7), suscipiens humanam naturam. « Quapropter Propheta ut vilitatem ejus ostendat, dixit : Omnis homo mendax. » (8) Homo, ait D. Damascenus (9), est idem spiritus et caro, medius magnitudine et humilitate, maximus simul et abjectissimus. (10) Christus, ut cæteri homines ex corpore et anima componitur, estque maximus ratione spiritus et animæ immortalis; humilis vero et abjectus ratione carnis, cujus vilitatem aliorum fuse demonstravimus. (11) Ut autem appareat Dei Filium in humilitate conditionis humanæ constitutum (12), Dilectus Discipulus Verbi referens humanationem, ait factum non animam, quæ est nobilior hominis pars, sed carnem, quæ est vilior et abjectior. *Scriptura ut Christi humilitatem*

(1) Tert. L. adv. Jud. 14. — (2) Tert. L. adv. Jud. 9. — (3) Tert. L. adv. Jud. 14. — (4) Tert. L. adv. Jud. 10. — (5) Tert. L. adv. Jud. 14. — (6) Tert. L. de Carn. Christ. 15. — (7) Tert. Apol. 24. — (8) D. Bern. Serm. 1. de Nat. — (9) D. Basil. in Psal. 115. — (10) L. 1. Paral. 8. — (11) Tert. Præd. to. 2. Tract. de Carn. — (12) Tert. L. adv. Jud. 14.

(1) D. Aug. Ep. 20. ad Honorat. — (2) Tert. L. de Pæn. 3. — (3) Chrysol. Serm. 156. — (4) Tert. Lib. de Carn. Christ. 2. — (5) Luc. 2. — (6) Orat. 9. in Luc. — (7) Hom. 22. — (8) Tert. L. de Idol. 18. — (9) Tert. Scorp. 3. — (10) Hebr. 1. — (11) Tertull. Lib. adv. Jud. 14.

tate et ignobilitate incessit (1) : licet enim esset Dei Filius non secus ac filius hominis, semper tamen se filium hominis prædicabat. *Contra nos qui semper a majore generis nostri nos nominamus, Dominus dicebatur filius hominis* (2) : imo voluit ut Matthæus suam genealogiam humanam texens, non taceret parentum vilitatem : « Abraham genuit Isaac, ait Evangelista, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. » (3) A qua etiam non excludit mulieres lascivia infames : *Hic enim ex contrariis effulget dignitas Christi, non quia magnos progenitores habeat ac parentes, sed quia exiguos ac viles.* (4) Tantum abest ut nominum phantasmata usurpaverit, quin immo *vermem se pronuntiat, et non hominem, ignominiam hominis et abjectionem populi.* (5) Non in luxu et furore gloriam quæsit; nam fuit *vultu et aspectu inglorius.* (6) Non ambivit dignitates, quibus sibi compararet aliorum existimationem et honorem : tum quia *se regem fieri, conscius sui regni, refugit* (7) ; tum quia humanam respuebat gloriam, ideoque volebat divulgari miracula a se patrata, quantum ad gloriæ humanæ aversionem pertinebat, *vetuit eum divulgare* (8) : tum quia *aspernamento habetur a nationibus, famulis et magistratibus.* (9) Inde concludit Tertullianus Judæorum culpans malitiam qui humilem et ignobilem recusant agnoscere Christum : *Si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus : talis enim habitu et aspectu annuntiabatur* (10), et juxta prophetarum vaticinium, in humilitate incessit dejiciens se infra homines.

II. PARS. *Credimus Deum etiam in terris egisse, et humani habitus humilitatem suscepisse* (11) : sicque se dejecit infra Deum, infra angelos et infra homines, etiam criminiosissimos : nam, 1. Tyranno idololatræ obsequitur ; 2. Ad pedes Judæ proditoris provolvitur ; 3. Barabbæ scelerato famosissimo postponitur.

I. Sustinuit Christus Dominus *molestos semper Cæsaris census* (12), velut captivitatis et servitutis indicia. *Sedenim agri tributo onusti, viliores : hominum capita stipendio censa, ignobiliora : nam hæc sunt notæ captivitatis.* (13) Census autem fuit, non a rege legitimo, sed a tyranno reipublicæ romanæ usurpatore et idololatra. *Edicto Cæ-*

saris et pagani Dominus obtemperaturus advenit. (1) Quo criminiosior erat Augustus, eo major fuit Christi humilitas, obsequi tyranno, et tyranno idololatræ : etenim *principale crimen generis humani, summus seculi reatus, idololatria.* (2)

2. Magna fuit Salvatoris humilitas, obtemperare imperio tyranni idololatræ; sed non minor provolvi ante Judam et proditoris illius discipuli lavare pedes. *Aquam ipse lavandis discipulorum pedibus ministravit.* (3) Tantam Domini humilitatem ferre non volens Petrus, dixit : « Non lavabis mihi pedes in æternum. » (4) *Petrus videns divinitatem incarnatam ante se incurvari, expavit, exhorruit, et per cænaculum velut insensatus cucurrit et exclamavit : Non lavabis mihi pedes in æternum.* (5) Petrus considerans Christi majestatem et suam vilitatem, non vult permittere ut ante eum genuflectat incarnata Deitas. *More suo salutare tantæ humilitatis exemplum, ex reverentia Magistri recusat : considerabat enim quid ipsa natura esset, et quis pelvim abjectissimi usus, servi ministerio tacturus pedes offerrebat. Quis non perhorruisset cum Dominus omnium, qui cum Patre in cælis glorificatur, hujusmodi ministerium, discipulis exhiberi videret ?* (6) Verum si præ Christi reverentia timet Petrus, Christus non horret etiam proditoris discipuli lavare pedes. (7) Imo, ut vult D. Chrysostomus, *credibile est proditorem stultum existentem ante Petrum recubuisse : quod Evangelista significavit, cum dixit : Cœpit lavare, deinde venit ad Petrum.* (8) Cyrillus Alexandrinus Salvatoris admiratur charitatem : *Hujus clementiæ magnitudinem quis non admirabitur ? Videbat animum ejus, cognoverat venenosa eum agitare consilia ; honoravit tamen ut alios, et ejus quoque lavit pedes.* (9) D. vero Augustinus ad tantam stupet humilitatem, qua *Deus ante hominem, creator ante creaturam, rex ante piscatorem, pulchritudo ante deformitatem, magister ante Judam discipulum ingratum et proditorem, ad cujus pedes prosternitur : Cum Pater omnia dedisset Christo Filio in manus, discipulorum non manus, sed pedes lavit : et cum se sciret a Deo exisse et ad Deum pergere, non Dei Domini, sed hominis servi implevit officium, et ad maximum cumulum humilitatis ejus accidit, quod traditoris sui non dedignatus*

(1) Tert. L. de Idol. 18. — (2) Hng. Car. in c. 8. Matth. — (3) Cap. 1. — (4) D. Chrysost. Hom. 5. in Matth. — (5) Tert. L. adv. Jud. 14. — (6) Tert. L. de Idol. 18. — (7) Tert. ibid. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 9. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 14. — (10) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (11) Tert. L. 2. adv. Marc. 16. — (12) Tert. L. de Carn. Christ. 2. — (13) Tert. Apol. 15.

(1) Chrysol. Serm. 175. — (2) Tert. L. de Idol. 1. — (3) Tert. L. de Pat. 3. — (4) Joan. 13. — (5) D. Aug. Serm. 28. ad Frat. — (6) Cyr. Alex. lib. 9. in Joan. 4. — (7) Hom. 69. in Joan. — (8) Lib. 9. in Joan. c. 7. — (9) Serm. 28. ad Frat.

est, pedes lavare, cujus manus prævidebat in scelere. (1) Taceo alios humiliationis actus, quibus Jesus, summus pontifex et supremus judex, velut blasphemator et reus, impiis sacerdotibus et injustis iudicibus subjicitur, ut loquar de humilitate qua Barabbæ sceleratissimo postponitur.

3. Barabbas quidem nocentissimus, vita ut bonus donatur. Christus vero justissimus, ut homicida morti exspostulatur. (2) Quia vero alibi declaratum est (3) quam ignominiosa fuerit Christo ejusmodi comparatio et prælatio, quia prælatio alterius, sine atterius contumelia non potest procedere (4): nunc sufficiat dicere quod ad tantam injuriam sibi illatam non contendit, non reclamavit, nec quisquam in plateis vocem ejus audivit (5): sed in omnibus injuriis, contumeliis, opprobriis, ignominiiis, miram ostentavit patientiam, quæ omnia humiliter propter homines passus est.

III. PARS. Christus pro amore et studio humilitatis, contumeliosus sibi est, et a servo suo tinguitur, et tentatoris congressus solis verbis repellit. Nullum volentem sibi adherere non suscepit: nullius mensam tecumve despexit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est (6); valde humilis apparuit Christus in præsepio nascens, in paupertate vivens, in ignominia moriens, a Joanne baptismum suscipiens, discipulos ignobiles secum assumens, peccatores non rejiciens: totum hoc propter homines faciens, scilicet, ut 1. Humilitatis ageret magistrum; 2. Sese proponeret in humilitatis exemplum; 3. Humilitatis ostenderet viam ad comparandum cælum.

1. Hujus gratiæ disciplinæque arbiter et magister, illuminator atque deductor generis humani, Filius Dei annuntiabatur. (7) Tertulliano arridet D. Augustinus. Magister noster Filius Dei (8) cunctarum est virtutum magister, sed potissimum doctor humilitatis. (9) Quapropter non te anima christiana ut discas humilitatem, ad publicanos et peccatores mitto, sed ad regem cæli te mitto: et ad eum per quem creati sunt homines, et qui creatus est inter homines, propter homines: ad speciosum præ filiis hominum, propter filios hominum: ad eum qui dominatur Angelis immortalibus (10); et qui dignatur homines docere mortales quod ad suam scholam appellat.

(1) D. Aug. Tract. 55. in Joan. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 42. — (3) Tert. Præd. to. 2. Tract. de Chr. Conc. 4. — (4) Tert. Apol. 15. — (5) Tert. L. de Pat. 5. — (6) Tert. ibid. — (7) Tert. Apol. 21. — (8) Sermon. 28. de Verb. Dom. — (9) D. Aug. Tract. 25. in Joan. — (10) D. Aug. lib. 4. de Sanct. Virgin.

Clamat magister Angelorum, clamat Verbum Dei, clamat et dicit: Discite a me. (1) Quid autem vult ut discamus ab ipso? Non mundum fabricare, cuncta visibilia et invisibilia creare, in ipso mundo miracula facere, et mortuos suscitare: non hoc dixit, sed, quia mitis sum et humilis corde. (2) O doctrinam salutarem! o magistrum et dominum mortalium! Hucine relictis omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus a te quoniam mitis es et humilis corde? (3) In una humilitate velut in compendio totam suam doctrinam redegit Dominus Jesus. Auctor et dator virtutum Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi, de humilitate tanquam summa suæ doctrinæ gloriatus est. Discite, ait, a me, non quod sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi, sed quia mitis sum et humilis corde. (4) « Audiant omnes Dominum dicentem: Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? » (5) O gloriosa virtus humilitatis per quam homo vere discipulus efficitur Salvatoris: hæc est virtus per quam, et magister impensi laboris instantiam, et discipulus suam exhibet clientelam. (6) Et quia, ut fatur Tertullianus, solet id etiam implere Christus quod alios docet (7); semetipsum proponit hominibus, in humilitatis exemplum.

2. Ad ea quæ faciebat Christus, nunc nos velut ad exemplaria provocamur. (8) Magna est energia in illo termino: Provocamur. Nam, si Deus, et quidem sublimior, tanta humilitate fastigium majestatis suæ stravit, ut etiam morti subiceret, et morti crucis (9), cur homo ex sua natura vilis et abjectus non deponet tumorem? cur Christianus, qui Christi profitetur religionem et disciplinam, non erit humilis? Christus est Dominus, magister, medicus et exemplar: Dedomino fit magister, erudiens hominem evadere in salutem. (10) Tanquam Dominus præcipit, tanquam magister erudit, tanquam medicus medicinam conficit, et tanquam exemplar semetipsum imitandum proponit, et sub omnibus illis titulis ad humilitatem nos provocat. Nos provocat ut Dominus, et nos tanquam subditi obse-

(1) D. Aug. lib. 50. Hom. Hom. 14. — (2) D. Aug. Sermon. 10. de Verb. Dom. — (3) D. Aug. lib. de Sanct. Virgin. c. 25. — (4) D. Bern. Ep. 42. — (5) Greg. Magn. lib. 34. Mor. 12. — (6) Pet. Dam. lib. 2. Epist. 14. — (7) Tert. L. de Carn. Christ. 7. — (8) Tert. L. de Orat. 4. — (9) Tert. L. 2. adv. Marc. 27. — (10) Tert. L. de Pat. 3.

quum præstare tenemur. *Venit Filius Dei in homine et humilis factus est: præcipitur tibi ut sis humilis* (1): 2. Nos provocat ut magister, et nos tanquam discipuli cælestis illius doctoris doctrinam profiteri debemus. *Didicimus, Fratres, humilitatem ab excelso, faciamus invicem humiles, quia humiliter fecit excelsus. Magna est hæc commendatio humilitatis* (2) desumpta ex suprema auctoritate illius Domini, et divina doctrina magistri illius cælestis. 3. Nos provocat ut medicus, de cujus manu sumenda est necessaria medicina. *Ut causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit, et humilis factus est Deus.* (3) 4. Nos provocat ut exemplar ad ejus imitationem, et unusquisque nostrum dicat cum Sancto Malachia apud D. Bernardum: *Sinite, Fratres, sinite me imitari magistrum meum, siue causam Christianam, si Christum non sequar.* (4)

Christus Dominus cunctarum est magister et exemplar virtutum. Verum solam humilitatem expressis terminis docet, cujus exemplar imitandum semetipsum proponit. *Ame, inquit, discite: non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo.* (5) Quanta divini illius magistri sapientia! qualis cælestis illius exemplaris bonitas! *Dehinc abatur genus humanum imitari humiles homines: ne ergo dedignaretur homo imitari humilem hominem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.* (6) Postquam Dei Filius humilem servi suscepit formam, et ut jam dictum est cum Tertulliano semper in humilitate et ignobilitate incessit: *Christi Jesu humilitas nulli aspernanda divitum, nulli est erubescenda nobilium, nec enim in tantum provehi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendum, quod manens in forma Dei, Deus non est arbitratus indignum.* (7)

At, prohi dolor! non solum divites, non solum nobiles, sed etiam pauperes, sed etiam ignobiles, humilitatem erubescunt et sui indignam arbitrantur. In eorum existimatione *humilitas est magnorum pusillitas, superbia vero infirmorum magnitudo.* (8) In ejusmodi judicio semel et iterum errant: nam, non pudet ubi pudendum est, et erubescunt de quo erubescendum non est. Non pudet de

superbia quæ erubescenda est. *Deus humilis est, erubescat homo esse superbus* (1); erubescunt de humilitate quæ non est Christiano erubescenda: *non dedignetur quod fecit Christus facere Christianus.* (2) Maxime quia Dei Filius cui magnitudo proprie competit, humilis factus est, ut homo, qui in semetipso desert humiliationem, non dedignetur neque erubescat humilitatem: *Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.* (3) Hanc imitationem debes et Deo et tibi. Deo, qui cum sit exemplar tibi propositum, *ex forma dominica agere debes.* Tibi, ut de Dei humilitate proficias et fructum consequaris. *Dignare esse humilis propter te; quia Deus dignatus est humilis esse propter te, non propter se* (4): scilicet ut tibi viam demonstraret ad comparandum cælum.

3. *Scito et ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini, et introitum exinde reseratum viribus Christi.* (5) Humilitate Christus ascendit in cælum: qui in cælum introire desiderat, super Christi vestigia debet incedere, ejusque humilitatem imitari. *Ista est via, ambula per humilitatem, ut pervenias ad æternitatem, Deus Christus patria est quo imus, homo Christus, via est qua imus: ad illum imus, per illum imus.* (6) Deus Christus possidetur in patria, homo Christus est iter quo itur ad Deum Christum, et medium quo possidetur: medium præcedit finis consecutionem, ambulandum est in itinere antequam perveniatur ad terminum. *Christus voluit altitudinem humilitate præcedere, et ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere. Excelsa est enim patria, humilis via: qui recusat viam, quid quærit patriam?* (7) Frustra enim excelsam patriam habere desiderat qui tenere humilem viam recusat. Qui cæli exambit celsitudinem, et non sequitur humilitatis iter, eodem laborat errore ac filii Zebedæi, qui primas exoptabant sedes in regno cælorum, nec curabant de via perveniendi ad regnum cælorum. *Nam et illi discipuli utique gloriam requirebant, attendebant quo, et non videbant qua via.* (8) Eorum inscitiam et ambitionem redarguens Dominus, eos ordinate, ut venirent ad patriam, revocavit ad viam. Christiane, eundem ordinem tibi præscribit Deus, teque revocat ad viam, ut possis pervenire ad patriam; tibi humilitatem proponit uti viam teneas quæ ad celsitudinem ducit. *Humilitatis passibus ad cæli culmina conscenditur,*

(1) D. Aug. Tract. 45. in Joan. — (2) D. Aug. Tract. 58. in Joan. — (3) D. Aug. Tract. 45. in Joan. — (4) In eju vita. — (5) D. Bern. Ep. 42. — (6) D. Aug. Conc. 1. in Psal. 55. — (7) S. Leo Serm. 2. de Resur. — (8) D. Aug. lib. 50. Hom. hom. 20.

(1) D. Aug. in Psal. 54. — (2) D. Aug. Tract. 58. in Joan. — (3) D. Aug. Tract. 45. in Joan. — (4) D. Aug. Serm. 50. de Verb. Dom. — (5) Tert. Scorp. 10. — (6) D. Aug. Serm. 41. de Verb. Dom. — (7) D. Aug. Tract. 28. in Joan. — (8) D. Aug. ibid.

quia Deus excelsus, non superbia, sed humilitate attingitur. (1) Fuge igitur superbiam, quæ a cælo et Deo abducit; sectare humilitatem, quæ ad cælum et Deum conducit.

I. PARS. Deum puto de sublimioribus oculatiorem aliquid subjecti præterire non posse. (1) Cuncta siquidem intuetur, et speciatim humiles placidis respicit oculis, ut de semetipsa fatetur Beatissima Virgo: « Respexit humilitatem ancillæ suæ. » (2) Ut autem animadvertit Laurentius Justinianus, non ait: Respexit virginitatem, non innocentiam, non virtutes cæteras, sed humilitatem tantum, ut manifestaret quantum præmineret reliquis, quantumque Deo placeret humilitas. (3) Ex intuitu virginæ humilitatis, ostendit quantum virtutem illam diligit Deus. Nam, ut belle ait ad propositum Richardus a Sancto Laurentio, *ubi amor, ibi oculus*. (4) Deus ardentem diligit humiles, ideo eos benigne respicit. *Excelsus est Deus; et humilia respicit, ut attollat: alta, id est, superba, de longe cognoscit, ut deprimat*. (5) Superbus est ingratus, præsumptione altus, vanitate plenus: humilis econverso est gratus, demissus et vacuus: quapropter Deus ex sua natura munificus, excelsus et infinite bonus, et plenus, superbum de longe cognoscit, humilem vero respicit, cui et largitur gratiam, ob 1. Gratitude; 2. Demissionem; 3. Vacuitatem.

DEUS spiritus est (2) quem falso corporeum et membris et partibus compositum non secus ac hominem, somniarunt Anthropomorphitæ. Quod si Tertullianus (3) Deo corpus tribuere videtur, sumit corpus, non pro corpore mathematico in partes divisibili (4), secundum trinam dimensionem extenso et spiritui opposito, ut fuse alias (5) demonstravimus; sed pro substantia solida, vera, reali, inani, vacuo, non enti et nihilo opposita: *cum ipsa substantia corpus sit rei cujusque* (6); quia, ut ipse ratiocinatur, *omne quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est*. (7) Qua ratione animæ rationali, Angelo, ipsique Deo, tribuit corpus; *nihil enim, si non corpus*. (8) Deo etiam concedit oculos, aures, pedes et manus, non proprie, sed metaphorice: tum ut sese accommodet rudi hominum concipiendi modo, qui spiritalia non intelligunt, nisi ex quadam similitudine cum corporeis: tum ut sic divinas explicet operationes. Nam, ex dubio Tertulliano, *efficaciæ divinæ per membra monstrantur: non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur: nam et cum oculi describuntur, quod omnia videat exprimitur: et quando aures, quod omnia audiat proponitur: et cum digitus, significantia quædam voluntatis aperitur: et cum nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur: et cum manus, quod creaturæ sit omnis auctor probatur: et quando brachium, quod nulla natura contra robur ipsius repugnare possit edicitur: et quando pedes, quod impleat omnia, nec sit quicquam ubi non sit Deus, explicatur*. (9) At erga humiles ita officiosus est Deus ut adhibeat oculos, aures et manus: 1. Oculos, quibus eos placide respicit; 2. Aures, quibus eorum orationes benigne audit; 3. Manus, quibus eis gratiam abunde distribuit.

1. Superbe, cur de tua fortuna tumes? *Quid habes quod tibi datum non sit?* (6) Si a Deo munifico accepisti cuncta quæ habes, *quid gloriaris quasi non acceperis?* Deus in largitione gratiæ supernam suam demonstrat auctoritatem, munificentiam et independentiam, quia gratis eam largitur. Homo vero Deo, supremo Domino et benefactori munificentissimo, tenetur præstare obsequium, dependentiam et gratitudinem; superbus tamen erga Deum ingratus, nec ei obsequi, neque ab eo dependere vult; humilem vero *domi ac foris audimus ita pronuntiare: Quod Deus dederit*. (7) Privatim et publice suam gratitudinem, et dependentiam prædicat, gratiamque non a se, sed a Deo habere declarat. *Et nos habemus Dei aliquid, sed ab ipso, non a nobis*. (8) Idcirco superbus ingratus qui gratiam gratuito datam suis viribus et meritis attribuit, ea merito spoliatur: humilis vero gratus qui eam gratis a Deo datam recognoscit, Deoque gratitudinem rependit, *gratiam divinæ dignationis consequitur* (9), novis largitionibus ditatur, et de demissione in altum elevatur.

(1) D. Aug. Serm. 213. de Temp. — (2) Tert. Lib. adv. Prax. 7. — (3) Lib. 2. Cont. Marc. 16. — (4) Lib. Cont. Prax. 7. — (5) Tert. Præd. to. 1. Tract. de An. Conc. 1. — (6) Tert. Lib. adv. Hermog. 35. — (7) Tert. Lib. de Carn. Christ. 11. — (8) Tert. Lib. de An. 7. — (9) L. de Trin. 6.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 25. — (2) Luc. 1. — (3) D. Vit. Solit. c. 14. — (4) Lib. 4. de Laud. B. Virg. — (5) D. Aug. Serm. 175. de Temp. — (6) Tert. L. de Vel. Virg. 15. — (7) Tert. L. de Test. An. 2. — (8) Tert. Lib. adv. Hermog. 5. — (9) Tert. Lib. adv. Jud. 1.

2. Superbi *in altum elati* (1), nec tamen Deum attingunt. *Altus est Deus, non eum attingit elatus: omnia sublimia ut contingamus, attollimus nos, et si attingere non possumus, machinamenta aliqua vel scalas quaerimus: ut sublimati sublimia contingamus. Contra Deus et altus est, et ab humilibus contingitur* (2), sicut umbra sequentem fugit, fugientem sequitur, ita Deus a superbo elongatur, humili vicinatur. *Vilete, Fratres, miraculum: altus est Deus, erigis te, et fugit a te; humilias te, et descendit ad te.* (3) Romani ut suam denotarent potentiam et magnanimitatem, solebant *parcere subjectis et debellare superbos*. (4) Non absimiliter Deus gloriæ suæ zelotes, superbos eam ambientes deprimit, humiles eam adorantes extollit, suaque gratia abundanter locupletat. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* (5) Duo montes sunt duæ species superbiæ, quarum una nascitur ex bonis fortunæ, altera ex donis naturæ vel gratiæ. Inter duos illos montes est vallis humilitatis, non declinans ad aliquam speciem superbiæ, in medio autem montium fluunt aquæ gratiarum, quæ humile cor irrigant, *confluit aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis* (6); simus igitur non montes per superbiæ, sed valles per humilitatem, quia gratia vacuitatem replet.

3. Nulla est in Deo vacuitas, quia *nihil potest fieri per id quod vacuum et inane est* (7): Deus autem cuncta quæ sunt fecit, et ita Deus est plenus, et eos qui seipsis vacui sunt replet. Natura ita aversatur vacuum, ut illud in nulla mundi parte permittat: ad vacuum impediendum corpora gravia feruntur sursum, levia deorsum: unde Sanctus Vincentius Ferrerius, *ut impleretur vacuum si esset, citius descenderet cælum*. Ex Sancto autem Bernardino Senensi, *humilitas, vacuitas est* (8), ad quam replendam gratia descendit: ut enim ait Guillelmus Parisiensis: *Sicut natura vacuum non patitur quin virtute vehementissima impingat corpus aliquod a quo repleatur: sic vacuum humilitatis, gratia vacuum a se esse non patitur: sed fortissima inundatione in illud influit, quod replet.* (9) Sicut autem humilis est gratiæ liquorisque divini capax, quia est vas vacuum, ita superbus est gratiæ incapax, quia est vas tumidum vento arrogantiae plenum. Exemplum Pharisæi et Publicani prodit D. Ber-

nardus: *Pharisæus vacuum rediit, quia plenitudinem simulavit: Publicanus autem, quia exinanivit seipsum, quia vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem* (1), et ut aliorum ait Bernardus, sua vacuitate vim intulit cælo, illudque quadam quasi violentia ad terram descendere cogit. *Vim faciebat regno cælorum publicanus ille, qui cum non auderet oculos ad cælum levare, ipsum cælum ad se potuit inclinare.* (2) Archiepiscopus Mediolanensis, tempore egestatis, magnam frumenti copiam largiri populo desiderans, hortatur a Cassiodoro: *Egentibus visum est non divitibus subvenire, fundit potius qui mittit in plenum; nam illud potius reconditur, quod vasis vacuis congregatur.* (3) Non superbis divitibus, sed humilibus egentibus suam Deus largitur gratiam, *esurientes implet bonis, divites dimittit inanes.* (4) Christiani, ut valeatis recipere gratiam, fundite qua pleni estis, superbiæ: *vacui estote unde pleni estis, implemini unde vacui estis* (5), scilicet humilitate: etenim Deus placide respicit humiles, eorumque preces benigne audit.

II. PARS. Christus per Esaiam cum dixisset: *Dominus dat mihi linguam disciplinæ, adjecit: Apposuit mihi aurem ad audiendum* (6): Acceptam a Patre linguæ disciplinam nobis tradidit Salvator, Orationem Dominicam instituens, quam cœlestem prædicat Tertullianus: *Et quid non cœleste, quod Domini Christi est, ut hæc quoque orandi disciplina?* (7) Hæc autem orandi disciplina speciatim duo importat: *venerationem Dei et hominis petitionem.* (8) Utrumque humilitatem orantis exspostulat. Ideoque Hugo Carensis post quatuor responsiones hæreticis traditas, sciscitantibus cur Deo scienti loquimur in oratione, quintam adhuc huic objectioni adhibet solutionem. *Quintum est ut humiliemur: omnis enim petens ei quem petit se humiliat* (9), et per humilitatem facilius impetrat. Deus namque *respexit in orationem humilium* (10), quasi preces ab orantis humilitate mutuentur efficaciam, quod trino demonstratur exemplo.

I. Oratio humilium demonstratur acceptabilis Deo. (11) Chananeæ exemplo filiæ sanitatem exspostulantis: cui 1. Nihil respondit Dominus; 2. Apostolis pro illa deprecantibus respondit Salvator quasi negando quod postulabant: *Non sum missus nisi ad*

(1) Tert. L. de Pud. 7. — (2) D. Aug. in Psal. 74. — (3) D. Aug. Serm. 175. de Temp. — (4) Ving. Æneid. 6. — (5) Psal. 103. — (6) D. Aug. Serm. 27. de Verb. Dom. — (7) Tert. L. adv. Prax. 7. — (8) Serm. 2. Fer. 2. Pasch. — (9) Tom. 3. Serm. de Obed. Evang. De Morib. c. 10.

(1) Serm. 3. de Annunt. — (2) De 4. Mod. Orand. — (3) Lib. 12. Var. c. 17. — (4) Luc. 1. — (5) Remig. in Ps. 45. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 39. — (7) Tert. L. de Orat. 1. — (8) Tert. ibid. — (9) In c. 6. Matth. — (10) Psal. 101. — (11) Tert. L. de Orat. 7.

oves quæ perierunt domus Israël. 3. Dominus eam a se aspere tanquam canem rejicit: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* (1) Tam acerbam repulsam non legimus in Evangelio, quæ, ut notat Euthymius, poterat Chananæam inducere in desperationem obtinendi quod rogabat, nisi magna fide et profunda prædita fuisset humilitate. *Comminutum et conculcatum a filiis panem, canis tota fide, toto desiderio, lambere festinavit.* (2) Hinc est quod sic respondit: « Utiq̄ue, Domine: nam et catelli sub mensa comedunt de micis puerorum. » Admiranda profecto Chananææ humilitas, quæ canis nuncupata, sese profunda demissione canem confitetur, et magna fide munita, confidit velut canicula de mensa munificentissimi Salvatoris cadentes manducare micas. Oratio adeo demissæ ac humilis feminæ ita placuit Christo ut et mulieris laudaverit fidem, et erogaverit quod petebat. *Merito quæ se canem confessa est, in hominem commutatur: merito adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili et provida humilitate dejecit: juste toto nunc epulatur micas ex pane, quæ suis meritis intellexit, et confessa est vix mereri.* (3)

Humilis oratio commendatur Centurionis exemplo. *Ubi adventum Soteris accepit, propere et ovanter accurrit, cum omnibus viribus suis, Centurio de Evangelio.* (4) Uti autem Dominus Chananææ commendavit virtutem, ita et *Centurionem fidelissimum quem Christus probat.* (5) Magna Centurionis humilitas, qui se dicit indignum ut sub tectum ejus ingrediatur Dominus: « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. » (6) Sed magna adhuc Centurionis commendatio, cujus fidem et humilitatem Dominus laudat. « Audiens autem miratus est, » et sequentibus se dixit: « Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. » D. Augustinus acute illud *tantam* expendit, quod Christus fidei Centurionis attribuit: *Tantam quid est? tam magnam: unde magnam? de minimo, id est, de humilitate grandem. Tantam fidem, id est, tantam cum fide humilitatem, qua Domino placuit* (7), et servi sanitatem quam postulabat obtinuit. *O fides christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consuesti! Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem dignior fit, dum se pro-*

fitetur indignum. (1) Qui, ut satur D. Augustinus, *tecto non recipiebat, corde recipiebat: quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior: colles enim aquam repellunt, vales implebuntur.* (2)

3. Tertium exemplum sumitur a Publicano, qui humiliter orans, peccatorum obtinuit condonationem. *Duos adorantes diversa mente describit: Phariseum in superbia, Publicanum in humilitate; ideoque alterum reprobatum, alterum justificatum descendere.* (3) Phariseus superbia tumidus, 1. Se solum justum cogitabat; 2. Cæteros despiciebat; 3. Bona sua arroganter jactabat. Publicanus econtra, 1. A longestat, nec templum ingredi audent; 2. Peccatorem se reputat; 3. Indignum se censet qui cælum aspiciat. Hac humilitate major nequit concipi, qua et se magnum existimat peccatorem et indignum judicat qui Deo appropinquet, aut cælum respiciat, quod ipsæ quoque bestię aspicere non prohibentur. Quapropter Phariseus superbus reprobatus fuit, humilis vero Publicanus justificatus. *Videte, Fratres, placuit Deo magis humilitas in malis factis quam superbia in bonis factis.* (4) Phariseus dum superbe extollitur, a Deo elongatur; Publicanus vero dum a Deo longe recedit, proxime ad Deum accedit. *Nescis quia excelsus Deus, si te excelsum feceris longinquabitur a te: si te humiliaveris, appropinquabit ad te?* (5) Animum arrogantem Deus despicit: « Cor contritum et humiliatum Deus non spernit. » Ut autem expendit D. Augustinus, *tritura cordis, humilitas.* (6)

Publicanus fuit humilis corde, ore et opere: corde ob peccatorum considerationem, de quibus conterens percutiebat pectus; ore, se peccatorem confitens et indignum qui cælum aspiceret; opere, nam, attendens ad celsitudinem divinæ majestatis, stabat a longe. Trinam hanc humilitatem abundantissime muneravit Deus: humilitatem cordis, delendo peccatorum maculas; humilitatem operis, infundendo illi gratiam; humilitatem oris, declarando eum justum et justificatum. Imitemur in nostris orationibus non Phariseum superbum, sed humilem Publicanum. *Atqui cum modestia et humilitate adorantes magis, commendabimus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac probe elatis: ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus orabat, jus-*

(1) Matth. 15. — (2) Chrysol. Serm. 100. — (3) Chrys. ibid. — (4) Tert. L. adv. Valent. 28. — (5) Tert. Lib. de Cor. Mil. 11. — (6) Matth. 8. — (7) Serm. 74. de Temp.

(1) D. Ambr. Serm. 89. — (2) Serm. 74. de Temp. — (3) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 36. — (4) D. August. in Psal. 93. — (5) D. August. in Psal. 50. — (6) In Psal. 74.

tificatior Pharisæo procacissimo discessit (1) : quia Deus non superbis, sed humilibus gratiam abunde largitur.

III. PARS. Verus Christianus gloriam et superbiam fastidit, quia *soli Deo captans placere*. (2) Placet autem per gratiam, quia *quod humiliter fit, hoc acceptum est*. (3) Idecirco, ut bene docet D. Augustinus, *ipsa humilitas est accommodata percipiendæ gratiæ Christi, qui singulariter humilitatis exemplum est*. (4) Christus humiliatus usque ad crucem, sua contumelia meruit nobis gratiam, in super humilitatis dedit nobis exemplum, quæ habet virtutem 1. Attrahendi gratiam; 2. Augendi gratiam; 3. Conservandi gratiam.

1. *Magnes lapis attrahens ferrum* (5), magna præditus est vi et efficacia; sed non minor virtus humilitatis, nam, *sicut magnes ferrum, sic humilitas gratiam ad se attrahit* (6): et ut belle ait ad propositum Basilii Seleucus, *quanto fastum comprimit, tanto gratiam attrahit*. (7) Pœnitentiæ sacramentum trinum producit effectum: 1. Conscientiam a peccatis mundat; 2. Peccatorem justificat; 3. Spiritum Sanctum in animam gratia mundatam et sanctificatam attrahit. *Dominus pœnitentiam destinabat purgandis mentibus propositam: uti quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, ille pœnitentia verrens et radens, et foras abiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui Sancto parat, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat*. (8) Pœnitentia autem illos producus effectus, necessario habet humilitatem annexam. *Itaque exomologesis prosternendi et humiliificandi disciplina est*. (9) Nisi enim homo sit humilis, vere non pœnitet, neque a peccatis mundatur, neque justificatur, neque Spiritum Sanctum in se habitantem recipit. Quod ex Evangelio probat D. Augustinus. (10) Quidam superbus et dolosus Christo dixerat: Domine, sequar te quocumque ieris. Cui respondit Dominus: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinat. *Arguebat nomine vulpium astutiam dolosam, et nomine volucrum, ventosam elationem, in qua ubi requiesceret, non inveniebat piam humilitatem*. (11) Inde concludit D. Augustinus: *Ergo ipsa*

est sedes Dei, quod aperte dicitur in Propheta: Super quem requiescet Spiritus meus? (1) *id est, ubi requiescet Spiritus Dei, nisi in sede Dei?* Audi quomodo describat ipsam sedem, forte auditurus eras marmoratam domum, magnam, spuciosam atriorum magnitudine et fulgore tectorum. Audi quid sibi parat Deus: *Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem. Ecce humilis esto, ut in te habitet Deus. Altus est Deus; non in te habitat si altus esse volueris; humilis esto et in te habitat: quia cor humiliatum est locus Spiritus Sancti ut in eo quiescat, quod impleat* (2), gratiæ largiens incrementum.

2. *Ei qui habet dabitur: ab eo qui non habet, etiam quod habere se putat, aufertur ei*. (3) Hypocritæ tumido denegabitur gratia, quam pro præsumptione se habere existimat; humili vero, qui præ humilitate se non justum, sed peccatorem judicat, dabitur gratiæ augmentum. *Quid dabitur? adjectio fidei vel intellectus, vel salus ipsa* (4); quæ inchoative in gratia consistit, tantoque magis augetur, quanto magis incrementatur humilitas, eo autem magis humilitatis spiritus crescit quo spiritus elationis decrescit. Quod de semetipso fatur Regius Vates: « Memor fui Dei, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus. » (5) Quid est, ait Gregorius Magnus (6), spiritus meus, nisi spiritus hominis, videlicet spiritus elationis? *Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus, quando in nobis quotidie de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit*. Homo elationis tumore, seipso arroganter plenus est, Dei vero spiritu vacuus: cum autem humilitatis arbitrio spiritus hominis, id est, elationis decrescit, gratia, seu spiritus Dei in illo crescit. *Tunc vero in Deo plene proficimus, cum a nobis ipsis funditus defecerimus*. (7) Tunc gratia incrementatur, et sublimius fastigiatur pleno sanctitatis augmento, cum spiritu elationis decrescente a nobis ipsis funditus defecerimus: sic nobis vacui Dei gratia replebimur, etenim *modus amplificandæ gratiæ est humilitatis vis* (8); ut autem animadvertit Guillelmus Parisiensis, humilitatis proprium est tanto magis minorari et vacuum fieri, quanto magis augentur favores quos largitur Deus. *Quanto majora amplioraque dona recipit, tanto amplius ipsa crescit, et propter*

(1) Tert. L. de Orat. 13. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 3. — (3) D. Aug. Conc. 2. in Psal. 58. — (4) In Expos. Ep. ad Gal. c. 5. — (5) Tert. L. adv. Hermog. 44. — (6) D. Bern. Sen. tom. 2. Serm. 16. art. 8. — (7) Orat. 28. — (8) Tert. L. de Pœn. 2. — (9) Tert. L. de Pœn. 9. — (10) Lib. de Sanct. Virginit. c. 51. — (11) In Psal. 92.

(1) Esa. 11. — (2) D. Aug. lib. de Sancta Virgin. c. 39. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 19. — (4) Tert. ibid. — (5) Psal. 76. — (6) L. 22. Mor. 14. — (7) Greg. Mag. — (8) Basil. Seleuc. Orat. 28.

1. *Humilitas de novissimis prima* (1): *propter aliud expetuntur, etiamsi tunc in se, ut fatur Petrus Blesensis, primogenita filia summi regis.* (2) Dei Filius est primogenitus, humilitas eodem honore titulo gaudet. Dei Filius humanatus est, ut magistri obiret munus, ideoque vocatur a Tertulliano *hujus gratie disciplinaeque magister, illuminator atque deductor generis humani.* (3) Idem ministerium humilitati tribuunt auctores. Etenim ex Richardo a Sancto Laurentio, *humilitas est magistra omnium virtutum* (4); a Joanne Gersone, Sorbonæ Cancellario, *humilitas amicta sole* (5) repræsentatur; tandem ex Vuerriico, *humilitas est omnium virtutum disciplina.* Præceptor discipulos præcedit, fax illuminandos præit, deductor ambulat ante eos quos manu ducit. Humilitas cæterarum virtutum magistra, sol et deductrix, ante illas vadit. *Hic est primus religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus, ut quicumque pie vult vivere humiliter de se sentiat* (6), quia humilitas est prævia dispositio ad veram pietatem, et velut parens cæteras virtutes generans.

2. *Temere porro credi quodcumque sine originis agnitione creditur.* (7) Ideo virtutum, sicut et vitiorum agnoscenda est origo: *amborum quæramus originis principes.* (8) Princeps origo vitiorum est superbia. *Ideo verissime dictum est (Eccli. 10.): Initium omnis peccati superbia: quoniam diabolum a quo exstitit origo peccati ipsa dejecit, et subsequente invidentia, hominem stantem unde ipse cecidit, inde subvertit.* (9) Princeps adhuc origo virtutum est humilitas, *procreatrix virtutum cæterarum*; seu, ut ait Magnus Gregorius, *origo virtutis, humilitas: illa in nobis virtus veraciter pullulat quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat.* (10) Incertus Augustinus de superbia sic fatur: *Ipsa est omnium peccatorum initium et finis et causa: quia non solum peccatum est superbia, sed etiam nullum peccatum esse potuit, aut potest, aut poterit sine ea.* (11) Humilitas quoque omnibus virtutibus ut virtutes sint, tribuit, ait Vuerriicus: *quapropter merito D. Augustinus negat virtutes philosophorum et sapientum, veras fuisse virtutes, ob humilitatis defectum. Licet a quibusdam tunc veræ et honestæ putentur virtutes, cum referuntur ad seipsas: nec*

3. Absque humilitate cunctarum sunt *fundamenta effossa virtutum.* (5) Siquidem, ut vult D. Bernardus, *virtutum bonum quoddam et stabile fundamentum, humilitas; nempe si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est.* (6) Uti everso domus fundamento, evertitur domus, ita sublato humilitatis fundamento, tota corrui justitia et sanctitas. *Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cælo stare potuit superba sublimitas.* (7) Qui stabilem et firmam exoptant ædificare domum, solidum ponunt fundamentum quo solidetur: *et quantam quisque vult et disponit superimponere molem ædificii, et quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum* (8): idem præstandum est in ædificio spirituali virtutum. *Christiane, cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, quæ virtutes fulcit, et custodit.*

II. PARS. *Custodiæ officium* (9) probe humilitati competit, quæ cæteras virtutes custodit. Quare D. Paulinus monet Celantiam: *Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius; hæc est enim præcipua conservatrix, et quasi custos quædam virtutum omnium.* (10) Longum nimis esset cunctarum referre custodiam, ostendendum est quomodo inter præcipuas, tres præsertim custodit, nimirum 1. Fidem; 2. Castitatem; 3. Charitatem.

1. Fides propria Christianorum est virtus. *Non enim omnium est credere, quod Chris-*

(1) Tert. L. de An. 27. — (2) Serm. 15. — (3) Tert. Apolog. 21. — (4) Tract. 4. de Laud. B. Viig. — (5) Serm. in Gen. Dom. — (6) D. Cypr. Tract. de Nat. Chr. — (7) Tert. L. 5. adv. Marc. 1. — (8) Tert. L. de Mon. 5. — (9) D. Aug. lib. de Nat. et Grat. c. 29. — (10) L. 7. Mor. de Antoa. Paduan. Dom. 2. post Pentec. — (11) L. de Salut. Docum. c. 19.

(1) Lib. 19. Civ. 7. — (2) In Psal. 105. — (3) Epist. 51. — (4) D. Aug. lib. 19. Civ. 4. — (5) Tert. L. de Pud. 17. — (6) Lib. 5. de Consider. — (7) D. Cyprian. Tract. de Nat. Chr. — (8) D. Aug. Serm. 10. de Verb. Dom. — (9) Tert. L. adv. Valent. 1. — (10) Epist. 14.

tianorum est (1); et quamvis Tertullianus velit quod *fides de suo tuta est* (2), tamen pace tanti Doctoris humilitas necessaria est adultis ut fides acquiratur et conservetur. Ad acquisitionem fidei, humilitate indigent adulti: *non est fides superbiorum, seu humilium* (3), qui intellectum suum captivent in objectum fidei. Quare hæretici difficulter convertuntur? quia *tument*. (4) Ad fidei conservationem est adhuc necessaria humilitas, ex cuius defectu, multi etiam catholici et fideles sunt in schisma et hæresim lapsi. *Mater omnium hæreticorum est superbia* (5), qui amissa humilitate perdidit fidem et castitatem, quarum custos est humilitas.

2. Inter virtutes morales non mediocrem obtinet dignitatem *puccitia, flos morum, honor corporum, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis*. (6) Verum ut castitas tantum honorem et pulchrum illum florem conservet incontaminatum, indiget humilitate: nam, ut fatur D. Aug. *Charitas est virginitatis custos, locus autem hujus custodis humilitas*. (7) Neque solum virginitas, sed etiam vidualis et matrimonialis castitas conservari nequit nisi custode humilitate. *Seniores aiunt castitatem apprehendi non posse, nisi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata*. (8) Everso autem humilitatis fundamento, facile destruitur castitas, per superbiam namque fit puritatis naufragium. *Multis sæpe luxuriæ seminarium superbia fuit; quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit: si enim secreto plus elevantur; sed postmodum publice corruunt: quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus carnis*. (9) Deo permittente ut qui arroganti animo in altum evehuntur, in luxuriæ cœnum profundius dilabantur. Quapropter sic S. Fulgentius hortatur *Probam virginem: ut integra permaneat dicata Deo virginitas, sicut custoditur integritas corporis; ita multo magis custodienda est humilitas cordis* (10), quæ necessaria est ad servandam castitatem et charitatem.

3. Charitas est *christiani nominis thesaurus*. (11) Hujus autem thesauri custos est humilitas. Ut enim ait D. Augustinus, *disciplina christiana docet humilitatem, qua et acquirat, et custodiat charitatem: de qua*

dictum est: Charitas non inflatur, quia non habet superbiam. (1) Non habet autem superbiam, quia est humilis. Charitas respicit Deum cui subijcitur: et proximum cum quo pax custoditur. Bina hac *humilitate conservatur charitas* (2), utramque destruit vanitas. *Nihil etiam citius violat quam superbia, quæ non habet charitatem, neque cum Deo, neque cum proximo: non cum Deo, cui subijci nequit: Quid superbia malitia deterius, quæ præpositum non vult habere nec Deum* (3) Neque cum proximo, cum quo continue rixatur: *Inter superbos semper jurgia sunt*. (4) Quemadmodum humilitas est causa pacis, ita superbia est causa divisionis. Fuganda est a corde superbia, et non erit divisio; accersenda est humilitas et ibi erit pax et charitas: *Christiani, hæc charitas in vobis crescat et anima solidetur, quia non inflatur charitas* (5): ideo non inflatur, quia est humilis: *humilitas est custodia omnium virtutum, per ipsam conservantur, imo et consummantur*. (6)

III. PARS. Inter christianas virtutes congruebat *sublimitatis aliqua prælatio* (7), quam Patres humilitati tribuere videntur: tam pretiosa est humilitas ut sit *inexplicabilis thesaurus*. (8) Adeo magna est humilitas ut ad eam inclinata sit summa Dei magnitudo. *Humilitas virtus magna, cui etiam deitatis majestas se inclinat* (9): at nullus ita humilitatis prædicat dignitatem ac D. Augustinus qui eam virtutum sublimitatem nuncupat. *Humilitas virtutum sublimitas*. (10) Et aliorum illam vocitat *ens quoddam transcendente*. (11) Uti enim ens cunctas transcendit rerum categorias et in cunctis includitur prædicamentis, ita humilitas cæteras transcendit virtutes, in illis reperitur, easque 1. Decorat; 2. Coadunat; 3. Consummat.

1. Non multum est curanda corporis pulchritudo, nec terendum tempus *in studio periculosissimi decoris* (12), sed animæ sectanda est pulchritudo, et *in pulchritudine spirituali* (13) totum Christianus debet adhibere studium. *Quælibet virtus est hominis interioris pulchritudo*. (14) Verum, ait Richardus a Sancto Laurentio, *nigredo humilitatis excellentissima est virtus, plusquam cæteræ virtutes animam venustans: quapropter*

(1) Tert. L. de An. 6. — (2) Tert. Scorp. 1. — (3) D. Aug. Serm. 36. de Verb. Dom. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 41. — (5) D. Aug. lib. Cont. Epist. Manich. c. 6. — (6) Tert. L. de Pud. 1. — (7) Lib. de Sancta Virgin. c. 51. — (8) Cassian. lib. 6. Inst. c. 1. — (9) Greg. Mag. lib. 26. Mor. 15. — (10) Epist. 3. — (11) Tert. L. de Pat. 12.

(1) Lib. de S. Virg. 51. — (2) D. Aug. Expos. in Ep. ad Gal. 2. — (3) D. Aug. in Psal. 112. — (4) Prov. 15. — (5) D. Aug. Serm. 5. de Verb. Dom. — (6) Vuerrius. — (7) Tert. Scorp. 6. — (8) Climac. Grad. 25. — (9) D. Bern. Serm. 37. in Cant. — (10) Serm. 2. in Psal. 58. — (11) Ep. 58. — (12) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (13) D. Aug. lib. de Bon. Viduit. c. 19. — (14) L. 7. de Laud. Virginit.

hac irrevocabili Dei sententia comprehenduntur: *Omnia qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* (1) Aliorsum hæc veritas fuse demonstrata est (2), nunc eam trino confirmabimus exemplo, 1. Nabuchodonosor et Joannis baptizatoris; 2. Evæ et Mariæ matris Salvatoris; 3. Luciferi et Christi Redemptoris.

I. PARS. *Dies enim Domini sabaoth, in omnem contumeliosum et superbum, in omnem sublimem et elatum, et humiliabuntur.* (3) Quod Nabuchodonosor comprobatur exemplo, qui eadem hora qua superbia tumens, in hæc verba prorupit: *Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi?* (4) eodem momento quo sibi conditæ urbis gloriam arroganter arrogavit, de summo ad imum dejectus est. *Cumque sermo adhuc esset in ore regis, non solum solio, sed fama et forma exutus, ad bestias, bestiam ipse indutus projectus est. Nabuchodonosor non solum a regnis, sed etiam a sensibus exulabat humanis; coma tristi leonem, uncis unguibus vulturem, sensu et pabulo bovem referens.* (5) Quemadmodum autem tumentes et superbos dejicit, ita Deus ponit humiles in sublime (6); ut Joannis comprobatur exemplo, qui 1. Se vocem et non hominem appellans Angelus nuncupatur; 2. Laudes humanas recusans, a Deo laudatur; 3. Sese indignum existimans qui corrigiam calceamenti Messiae solvat, manus ejus supra Christi caput sublimatur.

1. *Quid est enim vox nisi sonus oris? et (sicut Grammatici tradunt) aer offensus, intelligibilis auditu; cæterum, vacuum nescio quid, et inane, et incorporale?* (7) Joannes sese vocem vocitans, se nihil aliud esse præter sonum, aerem offensum, vacuum quid et inane, judicat: at quia *humilitas claritatis est meritum* (8), Deus humilem Joannem qui in tantum se dejiciebat, ut neque sese hominem existimaret, Angelum nuncupat: *Et Præcursorem Christi Joannem futurum Angelum per prophetam spiritus* (9), qui est homine longe nobilior, et ipsemet Dominus adhuc Præcursorem humanas laudes recusantem proprio ore laudat.

2. Illustres viros et de republica bene meritos laudibus extollebant Romani. *At enim hæc omnia apud priores majoresque vestros non contemni modo, sed etiam magna*

(1) Luc. 14. — (2) Tert. Prædic. tom. 1. Tract. de Amb. Conc. 6. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 33. — (4) Dan. 4. — (5) D. Paulin. Ep. 4. ad Sever. — (6) Job. 5. — (7) Tertull. Lib. adv. Prax. 7. — (8) D. August. Tract. 104. in Joau. — (9) Tertull. L. adv. Jud. 9.

laude pensari didicerunt. (1) Joannes virtute et sanctitate celebratissimus, tantam sibi comparaverat apud Judæos existimationem, ut ei Messiae debitos detulerint honores: at Joannes *iste magnus, sed in parvo Christo minimus* (2), oblatum recusavit honorem; verum *fugiendo gloriam, gloriam merebatur quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitiores sui deferens, appetit contemptores.* (3) Joannes Pharisæorum et Scribarum recusans laudes, quicum Prophetam, Eliam, ipsumque Messiam appellabant, meruit proprio Christi ore laudari. *Cum Dominus testimonio Joannem extulisset, Nemo, dicens, major inter natos feminarum Joanne baptizatore* (4), qui suas manus supra Christi caput levavit.

3. Magna profecto Joannis laus vocitari a Propheta Angelus; siquidem *Angelos post Deum novimus.* (5) Major ab ipsomet Christo commendari: unde D. Augustinus: *Agnosco magnificentiam laudis ex dignitatis laudantis.* (6) Sed maxima, *qui non tantum prædicaverit, aut demonstraverit coram, verum etiam baptizaverit Christum.* (7) Joannes Christum Deum baptizans ad summum dignitatis evectus est fastigium: nam baptizando Christum Dominum, quodammodo se Christo exhibuit majorem: quia sublimius est baptizare quam baptizari. At unde Joanni tanta excellentia? Ex humilitate: nam, ut fatur D. Chrysostomus, *Christus manum quæ se indignam calceamenti esse ducebat, a pedum obsequio ad caput suum sublevavit.* (8)

II. PARS. Chilon, Lacedæmonius Philosophus (9), unus de septem Græciæ Sapientibus, interrogatus quid Deus ageret in cælo, quodnam ejus esset negotium et oblectamentum, respondisse fertur: *Excelsa humiliat, humilia exaltat.* Verissimum illud oraculum sacra et profana satis superque testatur historia. Sufficiat Beatissimæ Virginis testimonium ab Evangelista relatum: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* (10) Ubi D. Augustinus: *Audisti sententiam, cave superbiam* (11), ne tibi idem accidat quod Evæ superbæ, quæ humiliata est, non secus ac humilis Maria exaltata.

Dei est enim judicium extollentis humiles et deprimentis elatos. (12) Nam, ut fatur Domini præcursor, *omnis vallis*

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 18. — (2) D. Aug. Serm. 3. de Sanct. — (3) D. Hieron. in Epitaph. Paul. — (4) Tert. L. de Bapt. 12. — (5) Tert. L. de Res. 5. — (6) Serm. 1. de Nat. Joan. — (7) Tert. L. de Mon. 6. — (8) Hom. 3. in Matth. — (9) Herodot. lib. 7. — (10) Luc. 1. — (11) Serm. 36. de Verb. Dom. — (12) Tert. L. de Vel. Virg. 15.

implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. (1) Quod nonnemo pulchro emblemate declarat, duos depingens aqueductus sic inter se dispositos ut per unum illorum aqua deorsum cadat et per alterum eadem aqua sursum ascendat; hac subjuncta epigrapha: *Si deferar, efferar, innuere volens hominem per humilitatem ad celsitudinem sublimari.* Quod constat exemplo Beatissimæ Virginis quam humilitas exaltavit, dum Evam superbia deiecit. Nam Eva superba et tumens, 1. Gratia depauperatur, et peccato dedecoratur; Maria humilis abunde gratia sanctificatur; 2. Eva dominationem superbe ambiens hominis imperio subjicitur; Maria humilis tanquam in solio collocatur; 3. Eva semine diaboli concepta, criminosi filii mater efficitur; Maria operatione Spiritus Sancti fecundata, ad Dei maternitatem sublimatur.

1. *Mulier de Eva trahit ignominiam primi delicti.* (2) Eva superba et tumens gratia et sanctitate denudatur, et peccati ignominia dedecoratur. Tantam infamiam ei exprobrat Tertullianus: *Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis prima desertrix, tu es quæ persuasisti eum quem diabolus aggredi non valuit.* At quemadmodum superbia Evam gratia et justitia denudavit et peccati dedecore diffamavit, ita humilitas Mariæ fuit prævia dispositio ad infusionem gratiæ: *Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitatis: humiliter ergo respondet, ut sedes gratiæ præpararetur.* (3) Superbus seipso plenus, Deo ejusque gratia vacuus est, humilis econtra seipso vacuus et inanis, Deo plenus est. Unde Gregorius Nazianzenus super ista verba: « Pete vasa vacua, non pauca, » (4) sic fatur: *Quæ vasa? id quod vix humani sensus capiunt, inanitione ipsa replebantur.* Eva superbia et vanitate plena exinanita est, amittens gratiam qua Deus eam repleverat: humilis vero Mariæ inanitio repleta est; quod ipsamet innuit dicens: « Respexit humilitatem ancillæ suæ. » (5) Alia lectio habet: *Respexit nihilitatem ancillæ suæ.* Nec mirum, quia, ut fatur Regius Vates, « excelsus Dominus et humilia respicit. » (6) *Humilia respicit oculo misericordiæ: quia humilitas est color oculis Dei gratissimus.* Cujus habemus Saulis exemplum, qui quandiu fuit parvulus in suis oculis, tandiu fuit Deo gratus et placide conspectus; cum autem sibi magnus factus est, fuit a Deo despectus: « Nonne cum parvulus esses in ocu-

lis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? » (1) Ac si aperte Deus diceret Saulo, ait Magnus Gregorius: *Magnus mihi fuisti quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi.* (2) Inde concludit Summus Pontifex: *Tunto fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi; et tanto pretiosior Deo, quanto vilior sibi;* ut ex Eva et Maria evidenter demonstratur. Eva etenim *quanto magis se elevat, tanto magis cadit, et tanto est inferior, quanto major sibi videtur* (3): nam, superbiendo de gratia cecidit in peccatum, et dominationem ambiendo, viri imperio subdita est: Maria e converso sese ad nihilum redigendo, gratia repleta fuit, et se ancillam confitendo, ad regiam dignitatem exaltata est.

2. Tumescens Eva, imperium et dominationem ambiens, divina sententia viri imperio subjicitur. *In doloribus et anxietatibus paries, mulier, et ad virum tuum conversio tua, et ille dominabitur tui.* (4) Merito hæc pœna mulctatur Eva et viro servire damnatur (5), quæ Deo obtemperare noluit, et independentiam insolenter ambiens, justo Dei judicio addicta est servituti. Quam dissimilis ab Eva Maria, quæ imperium respuens, imperium invenit! *Quapropter merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset, omnium se novissimam efficiebat: merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam: merito super Angelos exaltata est, quæ infra viduas et pœnitentes, infra eam de qua fuerant ejecta septem dæmonia, ineffabili se mansuetudine inclinabat.* (6) Quanta Mariæ humilitas ut se abjiceret infra eam, apud quam septem squalida dæmonia immundissime stabulabantur? Quonam potest profundius creatura demitti? Sed adverte ad quod dignitatis fastigium, a tanta humilitate sublimata est: Nam, 1. Gratia plenitudinem humilitate mernit. *Jam ergo beata Virgo humiliat se in cunctis, ut totam in se suscipiat gratiam Conditoris.* (7) 2. Humilitate imperium et dominationem obtinuit, et ut belle fatur Rupertus, *cunctæ virtutes, omnes gratiæ, cuncta dona quæ Virginem exornabant, humilitati ejusdem tributa pendebant.* (8) Hominum illustre servitium, Angelorum obsequium, cœli et terræ cunctarum creaturarum famulitium, sunt tributa Marianæ humilitati reddita, et quasi parum sit quod plenitudo

(1) Luc. 5. — (2) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (3) D. Bern. Hom. 4. Sup. Miss. — (4) Orat. pro. Basil. l. b. 4. Reg. 4. — (5) Luc. 1. — (6) D. Hier. in Psal. 137.

(1) L. 1. Reg. 15. — (2) In c. 28. Job. — (3) D. Greg. lib. 5. Past. cap. 1. — (4) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 1. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 8. — (6) D. Bern. Sup. istud. Apoc. Signum magnum. — (7) S. Ideph. Serm. 2. de Assumpt. — (8) In c. 2. Cant.

gratiarum, et mundi dominatio: sint velut usuræ et stipendia virginæ humilitatis, plus audeat Petrus Damianus asseverans divinam maternitatem fuisse sequelam humilitatis Mariæ: *Hæc tam singularis, tam incomparabilis Virgo, si non sequeretur humilitatem Christi, nunquam pertingeret ad celsitudinem Christi.* (1) Quam dissimilis Evæ et Mariæ fecunditas! quam dissimilis partus!

3. Nam statim illa semine diaboli concepta, malitiæ fecunditate iram filium procreavit. (2) Eva a Diabolo fecundata Cainum superbum et iracundum parturivit, Maria vero Spiritus Sancti virtute concipiens, effecta est Dei mater, peperitque Filium, non superbum, non iracundum, sed mitem, sed humilem. *Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Sed Eva tunc nihil concepit in utero ex diaboli verbo. Imo concepit. Nam exinde ut abjecta pareret, et in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit: enixa est denique diabolum fratricidam. Contra Maria, eum edidit, qui carnalem fratrem Israël, interemptorem suum, salvum quandoque præstaret.* (3) Fuse refert Tertullianus discrimen quod intercedit inter Evam et Mariam: Eva præstitit auditum dæmoni, Maria Gabrieli; Eva diaboli malitia concepit, Maria Spiritus Sancti operatione; Eva peperit Cainum iracundum et homicidam qui fratri necem intulit, Maria genuit Christum humani generis Redemptorem; Eva abjecta efficitur dum fit mater, Maria in Christi Matrem electa, ad fastigium dignitatis evehitur; superbia Evæ ejus produxit abjectionem, humilitas Mariæ fuit dispositio ad ejus celsitudinem: quia *si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.* (4) Maria electa in Dei matrem debebat esse digna Deo: ut autem esset digna Deo, debebat Filii præ se ferre mores; et ut belle ait ad propositum D. Ambrosius, *humilem paritura, humilitatem debuit ipsa præferre.* (5) Mariæ Filius est humillimus; Mater debuit esse humillima; Mariæ Filius humiles specialiter diligit, *Maria est humilibus devota, quæ et devotis devotius humiliaretur.* (6) Adeo æstimat humilitatem Beatissima Virgo ut quemadmodum aliqui pietate præstantes, devotioni Mariæ eximie student, ita Maria devota humilibus dicatur: tandem Mater fuit humilitate sublimata, Filius quoque ejus humilitate exaltatus.

III. PARS. Experientia quotidie compro-

(1) Serm. 45. — (2) Tert. L. de Pat. 5. — (3) Tert. L. de Carn. Christ. 17. — (4) D. Bern. Hom. 1. Sup. Miss. — (5) Lib. 2. de Virginibus. — (6) D. Ignat. Ep. ad Joan. Eva.

batur istud Tertulliani: *Humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur.* (1) Divina lege sancitum est ut humiles exaltentur, sublimes deprimantur. Quod exemplo statim declarat Basilius Magnus: Si in statera alteram lancem depresseris, altera elevetur necesse est. Superbia et humilitas sunt quasi duæ lances: quapropter *omnis superbus tanto in imo est, quanto in altum se erigit; tanto profundius labitur, quanto excelsius elevatur, ut statera.* (2) Humilis econtra quo magis se deprimat, eo magis exaltatur. Ideoque D. Augustinus humilitatem *altissimam* (3) nuncupat, quia est via ad exaltationem. Christiane, *descende, ut ascendas; humiliare, ut exalteris; hæc est ad sublimitatem via, et non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit, prius quam ascendit.* (4) Ut patet ex Lucifero et Christo. Lucifer per superbiam ascendens cecidit, Christus per humilitatem descendens ascendit; Lucifer namque cecidit de honore in ignominiam, de deliciis in dolores, de cælo in infernum: Christus vero 1. De ignominia in honorem exaltatur; 2. De doloribus in delicias commutatur; 3. De terra in cælum sublimatur.

1. Quanto honore donatus fuerit Lucifer fuse declarat Ezechiel propheta, illum sub persona regis Tyri alloquens: 1. *Fuisti invituperabilis in diebus tuis, ex qua die conditus es* (5): fuit siquidem in gratia et saucitate conditus. 2. *Plenus sapientia, corona decoris; hæc ut eminentissimo Angelorum, ut sapientissimo omnium.* Acceperat enim decorem suæ dignitati convenientem; quapropter, ut Angelorum eminentissimus majori pollebat gratia et decore quam cæteri Angeli: ideo omni lapide pretioso indutus representatur: *Lapidem optimum indutus es: sardium, topazium, smaragdum, carbunculum, saphirum, jaspin, lycucurium, achaten, amethystum, chrysolitum, beryllum, onychinum.* (6) Tali et tanto honore potitus es, Lucifer, quandiu fuisti innocens, *donec inventæ sunt læsuræ tuæ.* Verum statim ac superbia tumidus, *de multitudine negotiationis tuæ promas tuas replesti, et deliquisti,* omni lapide pretioso exutus es, gratia qua fulgebas denudatus, decore quo rutilabas destitutus. *Tu es resignaculum similitudinis: mutasti enim gratiam in peccatum, decorem in deformitatem, honorem in ignominiam, angelicam gloriam in diaboli infamiam. Christus econtra ita humilitate dejectus, quod non erat forma ejus, nec*

(1) Tert. Apol. 20. — (2) Hug. Vict. in Reg. S. Aug. c. 1. — (3) L. 4. Civ. 30. — (4) D. Bern. Serm. 22. de Ascens. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (6) Tert. ibid.

gloria (1); attamen per humilitatem et ignominiam sibi comparavit honorem et gloriam, *de tormentis in ornamenta, de ignominiiis in honores* (2) mutatus est.

2. Lucifer, *in deliciis paradisi Dei tui natus es, exculptus omni gloria angelica, fuisti in medio lapidum igneorum.* (3) Tandiu demoratus est in cœlo Lucifer quandiu Deo obsequens fuit; at ubi rebellis effectus est, *ex quo deliquit, ex quo delictum seminavit*, a cœlo ejectus, doloribus et pœnis mancipatus est. *Sic diabolus cum esset angelus, et in cœlo, et coram Deo semper clarissimus versaretur, et fulgens, dum Dei tentat aures, dum in Dei superbit aspectu, lapsus ad terram, ad tartara dejectus, in diabolium mutatur ex Angelo, et qui erat minister veniæ, factus est dux pœnarum.* (4) Duplicem namque patitur pœnam: nam, et Dei visione privatur, et ignis adhuc sustinet supplicium. Christus vero qui in nativitate passus est egestatem in morte intolerabile crucis tormentum, *despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur* (5), transivit *de suppliciis in delicias* (6); quæ gloriam et felicitatem tum animæ, tum corporis consequuntur.

3. Tandem Lucifer superbia tumens de cœlo in infernum lapsus est; fuerat namque *positus in monte sancto Dei, id est, in sublimitate cœlesti, de qua Satanam Dominus quoque decidisse testatur; nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes siderum ardentium radios, unde etiam quasi fulgur dejectus est Satanas.* (7) Lucifero lapsum sub regis Chaldæi typo exprobrat Esaias Propheta: « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo? Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. » (8) Quantum ab arrogantia desipiat Lucifer conditus Angelorum sapientissimus! Ambit in cœlum conscendere, qui in cœlo creatus, cœlum inhabitat: Super astra Dei solium suum exaltare præsumit, qui empyreum habitans sidera calcatur; ultra altitudinem nubium ascendere cupit, qui nubes longe transcendit, similis fieri Altissimo exoptat, qui Dei est imago et similitudo. Ea fuit Luciferi superbia, *per*

mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus (1), de cœlo in infernum detrusus. Quemadmodum superbus Lucifer de cœlo in infernum descendit, sic humilis Christus de terra in cœlum ascendit: *Filius ascendit in superiora cœlorum, qui et descendit in interiora terræ.* (2)

Christiane, hæc duo tibi proponuntur exempla: superbi Luciferi qui ascendere volens, cecidit, *dum exaltari voluit, humiliatus ad inferos est* (3); et humilis Christi, qui per humilitatem sibi paravit ascensum. *Christus enim cum per naturam divinitatis non haberet quo cresceret, vel ascenderet (quia ultra Deum nihil est), per descensum quomodo cresceret invenit; inveniens incarnari, pati, mori, propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei.* (4) Elige, non superbi Luciferi, sed humilis Christi exemplum. Si Luciferum sequaris, *quanto altius ascenderit homo lapsus, tanto altius cadet.* (5) Si Christi imitaris exemplum, ascendes, et humilitas tua erit mensura tuæ magnitudinis. *Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est.* (6) Quanto quis major est, tanto debet esse humilior, et quo quis est humilior, eo major et altior est. *Duo ædificia et duæ civitates a mundi initio construuntur. Unam ædificat Christus, alteram diabolus; unam ædificat humilis, alteram ædificat superbus. Una humiliatur, ut firmiter surgat, alia erigitur, ut infelicitate cadat. In fabrica Christi, qui ædificantur, de imis levantur ad summa; in fabrica vero diaboli, de summis ad ima præcipitantur.* (7) Si sumus de fabrica diaboli, ad ima præcipitabimur; si vero sumus de Christi fabrica, ad cœlum sublevabimur.

•••••

CONCIO SEXTA.

CUM Scriptura Sacra hominem terram et pulverem nuncupat, *hac cum maxime pronuntiatione ejus superbiam pulsat.* (8) Siquidem terra quæ infimum est elementum, non ad superbiam, sed ad humilitatem stimulat. Quis enim superbiat si serio consideret se esse mortalem? Quod Angelus cœlestis, spiritalis et immortalis superbia tumescat,

(1) Tert. L. adv. Prax. 11. — (2) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 4. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (4) Chrysol. Serm. 26. — (5) Tert. L. de Pat. 3. — (6) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 4. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (8) Cap. 14.

(1) Basil. Seleuc. Orat. 23. — (2) Tert. L. adv. Prax. 30. — (3) Basil. Magn. Const. Mon. cap. 25. — (4) D. Bern. Serm. 2. de Ascens. — (5) Chrysol. Serm. 26. — (6) D. Aug. lib. de S. Virgin. 51. — (7) Cæsar. Hom. 11. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 35.

non est adeo stupendum : verum quis non miretur quod homo terrenus, corporeus et mortalis inflatur ut Angelus? *De diabolo debent erubescere mortales superbi : ille enim etsi superbus, tamen immortalis est, spiritus est ; etsi malignus, tamen mortem quam nos patimur, ille non patitur. Audivit autem homo : Morte morieris, agnoscat se mortalem et frangat elationem ; audiat sibi dici : Quid superbis, terra et cinis? etiamsi superbiat diabolus, non est terra et cinis.* (1) At, proh dolor! hæc non considerant homines quos sic pungit D. Augustinus : *Non attenditis quod mortales estis, et sicut diabolus immortalis, superbi estis, nec consideratis quanta sit superbiam 1. Gravititas ; 2. Diversitas ; 3. Infelicitas.*

I. PARS. *Cum extollimur et inflamur* (2), non attendimus ad nostram conditionem, nec ad Verbi humanationem, neque ad superbiam gravitatem. Non ad nostram conditionem, quæ ad humilitatem inducit. *Tu, homo, cognosce quia es homo : tota humilitas tua est ut cognoscas te.* (3) Non ad Verbi humanationem, quæ in faciem hominis superbi intentat pudorem. *Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus.* (4) Neque ad superbiam gravitatem, quæ est 1. Crimen diaboli ; 2. Initium peccati ; 3. Summa delicti.

1. *Mali præses diabolus* (5), superbiam qua tumuit in cælo, ad terram deferre molitus est. *Superbia natione cælestis sic Angelis innata est, ut ab eis non recederet : sic homines inficit, ut a Deo separaret.* (6) Primos parentes a Deo separavit, et a paradiso ejectos in terram relegavit. Nepotes quoque eorum, sicut superbiam ita et diaboli malitiæ participes efficit. Nam, ut fatur incertus Augustinus, *humilitas homines similes Angelis facit, et superbia dæmones ex Angelis facit.* (7) Plus audet certus Augustinus, et superbium diaboli sceleris participem, idemque cum diabolo asseverat, non quidem per naturam, sed per malitiam. *Quisquis superbit, diabolo participat, si participat, idem est : igitur omnis superbus diabolus per bicipitem portionem est, et hoc quandiu superbus est.* (8) Trina ratione superbus diabolo participat : tum quia ejus superbiam imitatur ; tum quia malitiam et insolentiam æmulatur ; tum quia sicut diaboli criminis, sic et supplicii efficitur particeps. Cum enim

diabolus abierit in ignem, quem præparavit illi Deus et Angelis ejus (1), socius diaboli erit superbus inter Angelos ejus deputatus. Quare Apostolus Christianum hortatur ut fugiat tumorem et arrogantiam, *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli* (2) ; id est, ut expendit D. Chrysostomus, *ne in eandem incurrat damnationem quam ille per arrogantiam pertulit.* (3) Simile crimen similem debet luere pœnam, homo superbus merito simile patitur supplicium ac superbus dæmon, in utroque superbia est initium et caput peccati.

Tumens diabolus dixit : *Ponam in nubibus thronum meum. Ero similis Altissimo* (4) : ideoque superbia fuit initium peccati, et peccatum quod in cælo patravit dæmon. *Non ei imputatur adulterium, non fornicatio, non rapina rerum alienarum, sed superbia lapsus est ; et quoniam superbiam comes invidentia, lapsus invidit stanti, et dedit operam seducere hominem.* (5) De superbia et ambitione primum tentavit hominem, qui ejus annuens persuasioni in superbiam elatus est : *Lepra nostra peccatum primi hominis est, quæ a capite cæpit.* (6) Quam grave autem sit superbiam crimen constat 1. Quia illud est vitium capitale (7), quod superbium læsæ diviniæ majestatis reum efficit : 2. *Delictum magnum esse superbiam. Quæritis quam magnum sit delictum, quod dejecit Angelum ; quod ex Angelo fecit diabolus, eique in æternum intercludit regnum cælorum?* Ex magnitudine supplicii recte infertur criminis magnitudo, sicut ex effectus pernicie colligitur causæ perversitas. 3. Superbia autem est matrix in omne delictum, *defundens de suo fonte varias criminum venas.* (8) Quapropter, 4. Ut bene animadvertit D. Augustinus, *nullum est vitium cui magis divina lege resistatur, et in quod majus accipiat jus dominandi ille superbissimus spiritus, ad ima mediator, ad summa interclusor.* (9) Nec mirum, si tantopere nititur diabolus inducere hominem in superbiam, quæ est summa delicti.

3. In una superbia cuncta vitia summali-ter (10) continentur. Ideo nuncupatur a Petro Damiano *malorum summa.* (11) Non solum quia est *vitiorum seminarium passionum progenitrix* (12) ; quod ejus gravitatem evidentissime demonstrat. Quo sensu dixit D. Augustinus : *Cave superbiam et nulla*

(1) D. Aug. Serm. 21. de Verb. Dom. — (2) Tert. L. de Mon. 12. — (3) D. Aug. Tract. 25. in Joan. — (4) D. Aug. Serm. 41. de Verb. Dom. — (5) Tert. L. adv. Herm. 11. — (6) Hildeb. Ep. 31. — (7) Lib. de Salut. Docum. c. 10. — (8) In Psal. 120.

(1) Tert. L. adv. Hermog. 11. — (2) 1. Timoth. 3. — (3) Hom. 10. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 17. — (5) D. Aug. Serm. 2. in Psal. 58. — (6) D. Hieron. in cap. 1. Marc. — (7) D. Aug. Serm. 2. in Psal. 58. — (8) Tert. L. de Pat. 5. — (9) L. 4. de Trin. 15. — (10) Tert. L. 2. ad Nat. 3. — (11) Serm. 52. — (12) Dorothei. Doct. 4. de Timor.

erit iniquitas. (1) Sed adhuc alia triplici ratione: tum quod nullum vitium est Deo injuriosius. *Quid hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cepit injuria?* (2) Tum quia nullum crimen tantam hominis denotat malitiam: *Non enim est majus delictum quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ hominis.* (3) Tum quia nullum vitium tantum homini attulit damnium; *vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est* (4): ideo potissimum ad sanandam superbiam humanatus et usque ad mortem dejectus est Christus. *Medicina tumoris hominis, humilitas Christi: non enim homo periisset, nisi superbia tumuisset. Initium enim omnis peccati superbia, contra initium peccati, initium justitiæ necessarium fuit. Si igitur initium omnis peccati superbia, unde sanaretur tumor superbiæ, nisi Deus dignatus esset humilis fieri?* (5) Ex magnitudine autem remedii, morbi cognoscenda est magnitudo, ex humilitate Christi inferenda est superbiæ gravitas. Pro sananda superbia, dejecto usque ad mortem crucis *remediatores languorum et vitiorum Christo* (6), Christiani superbiam aversari, humilitatem vere sectari debent. At, prohi dolor! *per diabolicam superbiam factum est et fit ut Christi usque ad mortem crucifixi humilitas vilescat eis qui hujus seculi diligunt excellentiam.* (7) Nam de Christi morte non proficiunt, et morbum remedio præferentes, superbiæ diversitate laborant.

II. PARS. *Superbia locuples substantia criminis sui, quæ tot ramos porrigit, tot venas diffundit.* (8) Plures namque sunt illius species, inter quas ambitio et vana gloria præcipuæ sunt: quia tamen aliorum (9) fuse de ambitione tractavimus, et in inferioribus de vana gloria agendum est, nunc de diversitate superbiæ pro varietate excellentiæ quam respicit, disserendum est. Ex D. namque Augustino, *superbia est perversæ celsitudinis appetitus* (10); et ita superbia perverse appetit 1. Vestium elegantiam; 2. Carnis gloriam; 3. Virtutis quoque eminentiam.

1. In Christianis *modestiam fidei* (11) desiderat Tertullianus: hæc autem fidei modestia requiritur interius in animo et exterius in corpore. Interius in animo, ut submisce obsequantur fidei veritatibus; exterius

in corpore, deferentes vestes humilitati christianæ conformes. Verum, ut obplorat D. Augustinus, *omnis quippe natura humana per peccatum primi hominis in vanitatem demersa est.* (1) Maxime hac ætate in qua Christiani nihil magis curant quam vestium gloriam et auri superbiam. (2) Præsertim mulieres tumide, quæ domos evertunt, familias ad egestatem redigunt, et injuste aliorum bonum retinent vel capiunt, ut etiam ultra statum et conditionem suam ornatae incedant. Talem ac tantam superbiam profunde describit Tertullianus: *De brevissimis oculis patrimonium grande profertur: uno lino decies sestertium inseritur: saltus et insulas tenera cervix circumfert: graciles aurium cutes calendarium expendunt, et sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno et muliebri corpusculo bajulare.* (3) Vanas illas et tumentes mulieres, velut Bias, cuncta sua bona, imo et aliena secum ferentes, redarguunt christianæ feminæ fidei modestiam in vestibus etiam servantes. *Quomodo enim humilitatem quam nostri profiteantur, implere poteritis, non perpastinantes divitiarum vestrarum, velegantiarum usum, quæ ad gloriam faciunt? Gloria autem exaltare, non humiliare consuevit.* (4) Gloria autem adhuc apparet in illis qui perversam appetunt carnis celsitudinem.

2. *Si omnis gloria vana et stuporata, quanto magis quæ in carne* (5), quæ humilitatem ingerit, non superbiam incendit? Tanta tamen est humana vanitas ut de carne quæ humiliationis est incentivum, tumescat. Si enim quis aliquo nobilitatis sanguine præeminet, vel qua mulier faciei pulchritudine fulget, statim *in superbiæ insaniam effertur.* (6) Utrumque irrisione dignum existimat D. Augustinus: *Jactet igitur se quisque de divitiis, jactet se de pulchritudine et de viribus corporis; ista certe omnia mortalia sunt: ridendi sunt qui se de mortalibus jactant: a quibus rebus plerumque aut vivi deferuntur, aut mortui eas necesse est ut deserant.* (7) Dei Filius usque ad carnem indifferenter pro nobilibus et ignobilibus, deformibus et decoris dejectus, *fastus et superbiæ carnes quæ excreverant, exæquat.* (8) Nativitas, miseria et mors adæquant omnes carnes, verum quia superbiæ fastus

(1) Tract. 25. in Joan. — (2) D. Ambr. in Psal. 118. — (3) D. Aug. in Psal. 18. — (4) D. Aug. lib. 2. de Peccat. Merit. 15. — (5) D. Aug. Serm. 41. de Verb. Dom. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 35. — (7) D. Aug. in Psal. 81. — (8) Tert. L. de Idol. 2. — (9) Tert. Præd. tom. 1. Tract. de Ambit. — (10) L. 14. Civ. 15. — (11) Tert. L. de Orat. 1.

(1) Lib. 17. de Civ. 11. — (2) Tert. L. de Orat. 1. — (3) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 8. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 9. — (5) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 5. — (6) D. Chrysost. Hom. 52. in Joan. — (7) Serm. 2. in Psal. 58. — (8) Clem. Alex. lib. 1. Præd. 8.

mittitur haec tollere parilitatem, Christus superbiae carnes quæ vel ex nobilitate, vel pulchritudine excreverant, exæquat, tum in affinitate quam cum humana natura contraxit; tum in resurrectione quam omni carni concedit; tum in mediis salutis quam omni carni distribuit; tum in mercede vel pœna quam quævis caro absque ulla acceptione accipit.

3. Deinde *et si gloriantur est, in spiritus bonis plavere velle debemus* (1), non nobis, neque hominibus, sed Deo soli: qui sibi etiam in opere virtutum placet, est superbus. Hujus rationem subministrat D. Augustinus: quia *omnis superbus se attendit, et magnus sibi videtur qui sibi placet* (2): qui etiam hominibus placere studet, superbia laborat, quia, ut ait D. Augustinus, *superba anima in conspectu hominum vult placere* (3); qui autem soli Deo placere curat vere est humilis. Nam, ut addit D. Augustinus, *humilis anima in occulto ubi Deus videt, vult placere*. Quapropter sedulo studendum est ne superbia etiam virtutes quas operatur Christianus corrumpat. *Omnia vitia in malefactis tantummodo valent: sola superbia etiam in recte factis cavenda est.* (4) Nihil adeo est periculosum etiam his qui ad perfectionem nituntur; *nihil enim sic impedit perfectionem: et inde malum nimis molestum, nimis cavendum.* (5) Fugiamus igitur trinam illam superbiæ, cultus carnis et animi varietatem, nisi velimus incurrere superbiæ infelicitatem.

III. PARS. *Væ, vox maledictionis est.* (6) Trinum autem *væ* refert Isaias Propheta, quod vibrat Deus in superbos: *Væ coronæ superbiæ! Væ filiis Ephraim! Væ flori decidenti!* (7) Flos decidens denotat cor qui vestium cultu, faciei venustate, auri copia, honorum pompa gloriantur: per filios vero Ephraim mittentes arcum, innuuntur arrogantes illi qui ob generis nobilitatem aut dignitatis gradum, aut ingenii acumen ita inflantur ut adversus ipsum Deum pugnare præsumant: corona vero superbiæ repræsentat tumentes, de fortuna inflatos, qui ad instar Antiochi cognomento Superbi, honores sibi arrogant divinos, velut Dei independentes agunt. In hos omnes vibrat Deus vocem maledictionis, dicens: 1. *Væ flori decidenti, qui mundi gloria denudatur!* 2. *Væ Ephraim, qui gratiæ donis privantur!* 3. *Væ coronæ superbiæ, quæ interminabili pœna mulctatur!*

(1) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 3. — (2) In Ps. 120. — (3) In Ps. 18. — (4) D. Aug. lib. de Nat. et Grat. c. 27. — (5) D. Aug. Serm. 2. in Psal. 58. — (6) Tert. L. 4. adv. 15. — (7) Cap. 28.

1. *Christiane, quid tibi cum flore morituro?* (1) Superbi tamen florem decidentem ambientes, gloria qua tument confunduntur. *Gloria in confusione ipsorum* (2): flos enim ille decedit, decor mutatur in deformitatem, divitiæ in egestatem, honor in ignominiam. Florem illum Deus maledictione damnat tanquam *reum gloriæ secularis* (3), qua deudatur, sicut Ephraim gratia privatur.

2. *Si superbiam tangit, quod elatum est apud homines, perosum est Deo.* (4) Filii Ephraim intendentes arcum, *fastu superbiæ suæ* (5) Deum aggredi præsumunt. Bellum gigantum adversus Jovem a poetis fabulatum, repræsentat certamen quod cum Deo audet inire superbus. At uti gigantes ceciderunt Jovis fulmine percussi, sic inimici Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient. (6) « Fumus a loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsa elatione in globum erumpens intumescit; sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior: ab illa enim magnitudine non fundata et solidata, sed pendente et inflata, in auras atque in ventos delabitur, ut videas eam ipsi obfuisse magnitudinem: quanto enim plus erectus est et quanto extensus, quanto diffusus undique in majorem ambitum, tanto fit exilior, et deficientis, et non apparens. » Belle declarat D. Augustinus quomodo vanæ hostium Dei cogitationes deficient ut fumus, quomodo adhuc eorum fastus et pompa evanescent, sed ultra hoc temporalium damnum, spiritualium patiuntur jacturam: nam frustrantur gratia qua convertantur a sua superbia, divinam respicientes misericordiam. *Quid tam opus habet misericordia quam miser? et quid tam indignum misericordia quam superbus miser? Hoc enim vitio misericordiæ medicina respuitur.* (7) Non solum quia respuit imitari Christi humilitatem, quæ est medicina superbiæ, sed etiam quia sese gratia præbet indignum. Nam, ut ait D. Augustinus, *Deus superbis resistit, ut obdurentur* (8), denegando illis abundantiores gratias quibus sese præstiterunt indignos. Quam miser filius Ephraim, qui arroganter Deum aggreditur, et quem debellat Deus! quam felix qui non tumet superbiæ fastu! *Et vere ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret, quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.* (9)

(1) Tert. L. de Cor. M. 15. — (2) Philip. 3. — (3) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 7. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 55. — (5) D. Greg. lib. 2. Mor. 25. — (6) D. August. in Psal. 36. — (7) D. Aug. lib. 3. de Lib. Arb. c. 6. — (8) Serm. 17. in Psal. 118. — (9) D. Aug. in Psal. 18.

3. Debellatis filiis Ephraim, ante Dei tribunal cadit corona superbiæ, scilicet superbus fortuna inflatus, qui velut alter Lucifer temere gloriatur: *Ero similis Altissimi, ponam in nubibus thronum meum.* (1) Solius Dei elogium est ut perfecte sit sibi similis. *Est auctor et princeps rerum omnium Deus, semper unus, stabilis, immobilis, ipse sui similis, aliorum dissimilis.* (2) Bene Deus aliorum dissimilis prædicatur. *Sed nihil Deo par est, natura ejus ab omnium rerum conditione distat.* (3) Homo tamen tumidus Luciferi æmulans temeritatem, Dei sectatur similitudinem, nimirum ejus independentiam. Plinius assentatur Trajano, quod sit *sine æmulo* (4), quasi sit *par ipse sibi.* (5) Quod adulatorie Plinius blanditur Imperatori, hoc vere Deo competit. Par est ipse sibi, non tamen sine æmulo. Lucifer namque primus Dei æmulatus est parilitatem. *Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.* (6) Impiam Luciferi temeritatem imitatur homo tumidus, audens *celsitudinis culmen appetere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac se contrapotentiam Conditoris erigere* (7); Dei independentiam usurpare, et Deo per suam arrogantiam maledicere. *Qui similitudinem in Deo querit, maledicit Deo* (8), ait Isaias Abbas, ni potius maledicatur a Deo. Et ob hanc causam Tertullianus repræsentat Deum *elatos æmulantem, ut deponentem scilicet*

de solio dynastas. (1) Elati Dei æmulantur similitudinem, Deus elatorum æmulatur superbiæ. Elati in Dei solio sedere præsumunt, Deus elatos de throno deturbat, et tanquam reprobos a se elongat. *Argentum reprobum vocate eos, quoniam Dominus projecit illos.* (2) Considera, Christiane, *infeliciorum gloriæ enormioris eventum.* (3) Quænam major infelicitas quam Dei maledictione mulctari, ejus gratia et misericordia privari, et cum Lucifero reprobari? Superbe infelix, *quid tibi prodest ventosa superbia? Inter filios Dei non eris* (4): sed inter servos diaboli; non inter electos, sed inter reprobos; non inter cœli cives, sed inter inferni incarceratos. *Aperte cognoscimus quod evidentissime reproborum signum est superbia: et contra humilitas electorum.* (5) Christiane, cave superbiæ, et non eris de numero præcitorum; sectare humilitatem, et eris de numero electorum. *Ad hujus felicissimæ dignitatis culmen, o homo, si te desideras provehi, totis viribus satage veræ humilitatis dejectione prosterni; si exaltari cupis in Christo, dejicere prius in temetipso; deprime superbiæ carnis, et ad altitudinem te sublevas creatoris; cohibe quidquid tumidum surgit in te, et mox erigeris valde minus supra te.* (6) Nimirum ad Dei gratiam, ad Dei similitudinem et Dei filiationem, ad Dei hæreditatem, ad sublimem cœli felicitatem.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (2) Phil. Jud. lib. de Opific. Mund. — (3) Tert. Lib. de Carn. Christ. 3. — (4) In Panegy. — (5) Greg. Naz. Orat. pro Bas. — (6) Job. 41. — (7) Greg. Magn. lib. 54. Mor. c. 21. — (8) Orat. 6.

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 12. — (2) Jerem. 6. — (3) Tert. L. de Vel. Virg. 15. — (4) D. Aug. in Serm. Comm. Serm. 1. — (5) D. Greg. ibid. — (6) Petr. Dam. Serm. 4.



HYPOCRITA.

SCHOLIUM.

Hypocrita 1. *Speciem pietatis simulat*; 2. *Ab hominibus videri captat*; 3. *Gloriam Deo debitam sibi arrogat*; 4. *Cæteros depretiat*; 5. *Judicandi auctoritatem temerarie usurpat*; 6. *Invidia perpetuo laborat*.



CONCIO PRIMA.

BELLE ad propositum asseverat Tertullianus *Deum decipere non posse, de fallacia solummodo infirmum*. (1) Deus neque decipi neque decipere potest. Non decipi, quia est summe sapiens, nec quicquam eum latet. Non decipere, quia est infinite bonus, nec ejus voluntas fertur in malum: et quia beati sunt participes divinæ sapientiæ et bonitatis, in cœlo *nemo fallit et fallitur nemo*. (2) In hac autem valle miseriarum, addit D. Augustinus, *homines fallunt atque falluntur*. Fallunt autem persæpe sine crimine: at qui ex intentione decipiendi fallunt, non sunt innocui. Ut enim docet D. Augustinus, *summa et propria divina virtus est neminem decipere, sicut ultimum vitium est quemlibet decipere*. (3) Quare Sanctus Doctor Christianum sollicitè hortatur ut caveat fallaciam et fallacem. *Fallaciam cave, fallacem cave*. (4) Per fallacem, hypocritam intelligit, qui 1. Veritates simulat; 2. Vitia sub specie virtutis occultat; 3. Mendacio et fallacia Dei justitiam irritat.

I. PARS. *Sed veritatem seculo operosissimam philosophi quidem affectant, possident autem Christiani* (5): hypocrita, christiano nomine indignus, non possidet, sed affectat duntaxat, præsertim in conversatione, *quia qui affectat, includit*. (6) Cujusmodi est hypocrita: nam, ut ratiocinatur D. Augustinus,

cum quisque ceciderit ab illa intima et secretissima luce veritatis, nihil est unde velit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim et hypocrisis nascitur; ab hypocrisi autem denominatur hypocrita 1. Mendax; 2. Fallax; 3. Mendacio et fallacia virtutes simulans.

1. *Plane interest ut falso non patiat, quod vere non est*. (1) Et ob hanc rationem, ut docet Doctor Angelicus, Spiritus Sanctus apparuit in vera columba; licet eam sibi non unierit hypostaticè, « quia Spiritus Sanctus dicitur Spiritus veritatis, ideo ipse veram columbam formavit, in qua appareret, licet non assumeret ipsam in unitate personæ. » (2) Eadem etiam de causa tres pueri in fornace invitantes ad Deum laudandum et benedicendum, cœlos, elementa, mixta, vegetantia, animantia, dies, noctes, non invitarunt ad id negotium arcum fœderis; quia, ut ait D. Ambrosius, *laudare Deum non meruit arcus ille pulcherrimus, quia fictos habebat colores*. (3) Non verus, sed fictitius et mendax est hypocrita: et ut fatur Tertullianus, *adulter veritatis, quia omne falsum adulterium est*. (4) Illum adhuc compositione monstruosum (5) prædicat, velut ens rationis fictitium, et figmentum ab imaginatione formatum, quod nullum verum habet esse; sed merum ens rationis chimericum, *informe, ex varietate confusum* (6): qualis fingitur a philosophis chimæra, bombinans

(1) Tert. L. de Res. 38. — (2) D. Aug. in Enchir. c. 17. — (3) L. 83. Quæst. qu. 53. — (4) L. 4. Mus. cap. 11. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 4. — (6) D. Aug. lib. 2. de Gen. Cont. Manich. c. 15.

(1) Tert. L. de Carn. Christ. 3. — (2) 3. Part. qu. 39. Art. 7. — (3) In Ep. Paul. — (4) Tert. L. de Idol. 1. — (5) Tert. L. adv. Valent. 26. — (6) Tert. L. adv. Herm. 30.

in vacuo, referens capite leonem, pectore hominem, cruribus equum et cauda draconem. Illud autem ens rationis fictitium et chimericum, ad unguem hypocritam repræsentat. Nam, ut ait D. Hieronymus, *vere monstruosa res est speciem habere columbinam et mentem caninam; professionem ovinam et intentionem lupinam; intus esse Neroneum et foris apparere Catonem.* (1) Inde concludit D. Hieronymus, *ita ut eorum contrariis diversisque naturis, novum monstrum novamque bestiam diceret esse compactam, juxta istud poeticum: Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.* Tale autem monstrum ex variis diversisque naturis effectum non habet speciem, dum ex multis unam habet speciem (2) apparentem et fictitiam, ab imaginatione formatam, et in intellectu duntaxat objective existentem. Monstruosus igitur est hypocrita, mendax et fallax.

2. Per illum etenim *fallaciæ negotium perperatur.* (3) Nam, ut anima dvertit Paschasius (4), hypocrita significat histrionem seu simulatorem, qui in theatris alienam personam simulat, seu qui ficta persona fallit spectatores. Hanc hypocritæ descriptionem mutuavit Paschasius a D. Augustino, qui sic in præsentia materia loquitur: « Hypocrita græco sermone simulator interpretatur; nomen autem hypocritæ translatum est a specierum qui spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes vultum ceruleo, niveoque colore, et cæteris pigmentis, habentes simulacra oris liutea, gypsata et vario colore distincta, nonnunquam colla et manus creta perungentes, ut ad personæ colorem pervenirent, et populum dum in ludis agerent fallerent, modo in specie viri, modo in forma femine, et reliquis præstigiis. » (5) Hypocritæ simulationem et fallaciam declarat aliorum D. Augustinus: « Manifestum est hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare: sunt enim hypocritæ simulators, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis: non enim verbi gratia, qui agit partes Agamemnonis in tragœdia, sive alicujus alterius, ad historiam, vel fabulam quæ agitur pertinentis, vere ipse est, sed simulat eum et hypocrita dicitur. Sed in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est, » (6) mendacio et fallacia virtutis speciem simulans.

(1) Epist. 58. — (2) Tert. L. adv. Herm. 30. — (3) Tert. l. 1. ad Nat. 7. — (4) L. 4. in Matth. — (5) Serm. 59. de Temp. — (6) L. 2. de Serm. Dom. in Mont.

3. Dixit alias Tertullianus: *Facies oculorum, ea quæ apparent.* (1) At licet hoc verum sit in innocuis et sinceris Christianis, in quibus *facies intentionum omnium speculum est* (2), id tamen de hypocrita verificari non potest, quia, ut ait D. Augustinus, *verba Sanctorum habet, vitam non habet* (3): et, ut aliorum docet sanctus Doctor, *simulat justum, et non exhibet.* (4): habet speciem virtutis, virtutem non habet. *Aliud est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem.* (5) Verus Christianus virtutis habet veritatem, hypocrita vero virtutis duntaxat similitudinem, *cum tota substantia ejus mendax sit.* (6) Quem merito struthioni comparat Magnus Gregorius: *Struthio volandi habet speciem, sed usum volandi non habet. Sic hypocrita cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere viam sanctitatis ignorat.* (7) Cui id ipsum posset dici quod Totilæ regis spathario, qui cum vestibus regiis indutus incederet, seseque regem simularet ad decipiendum sanctum Benedictum, dixit Sanctus: *Depone, fili, depone quod habes, nam tuum non est.* Desine, hypocrita, præferre virtutis umbram, cum ejus careas veritate. Audi D. Chrysostomum te redarguentem: *Dicito mihi, hypocrita: si bonum est esse bonum, ut quid non vis esse, quod vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse; quod autem formosum est apparere, formosius est esse.* (8) Inde concludit os aureum: *Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es.*

Quantumvis formosius sit esse bonum quam apparere, habere virtutis veritatem quam similitudinem, tamen *multi virtutis umbram, veritatem pauci sectantur* (9), virtutis speciem præ se ferentes, ejus realitatem non habentes: *Labiis diligentes Deum, corde autem longe absistentes ab eo.* (10) Et horum parvus non est numerus; hypocritas namque in quovis statu agnoscit D. Augustinus: *Scito omnem professionem in Ecclesia, habere fictos* (11); et ut fatur Apostolus, *habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (12): demonstrantes speciem pietatis, formam et decorem religionis, pietatem autem ipsam quam simulant non habentes, sed ejus vim et virtutem abnegantes. Culpandi sunt hypocritæ qui speciem virtutis simulant, sed magis adhuc

(1) Tert. L. de An. 18. — (2) Tert. L. de Res. 15. — (3) Lib. de Conflit. Vit. et virt. — (4) D. Serm. Dom. in Mont. 3. — (5) D. Hier. Ep. ad Cælant. — (6) Tert. L. de idol. 1. — (7) L. 7. Mor. 12. — (8) Hom. 46. in Matth. — (9) D. Hier. Ep. ad Cælant. — (10) Tert. L. 3. adv. Marc. 6. — (11) In Psal. 99. — (12) 2. ad Timoth. 3.

scelerosi sunt qui sub virtutis specie vitia occultant.

II. PARS. *Non placebat Christo hypocrisis Pharisæorum, labiis scilicet amantium Deum, non corde* (1); neque illi placere potest Christianorum hypocrisis, societatem habentium cum 1. Diabolis; 2. Pharisæis; 3. Hæreticis.

1. Hypocrita transfiguratur Satanas in Angelum lucis (2), vel quia cum sit tenebrosus et princeps tenebrarum, lucidus apparet ad modum beati Angeli qui sese ut plurimum ostendit hominibus sub specie candida, lucida, decora: vel quia licet sit mendax, injustus, impius, fingit tamen veritatem, justitiam et pietatem. Hujus diabolicæ transfigurationis plura refert exempla Cornelius a Lapide. (3) Hypocrita dæmonhypocrisim docuit homines, ab eo tum mulieres, tum viri perversam didicerunt transfigurationem. Mulieres quidem: *nam quis corpus mutare monstraret, nisi qui et hominis spiritum malitia transfiguravit?* (4) Fucum et pigmentum quo sese transfigurant mulieres, a dæmone didicerunt, qui viros etiam transfigurationem docuit, quæ hypocrisim redolet; quos Christus Dominus tanquam *operarios dolosos, transfiguratores sui, per hypocrisim scilicet, conversationis adulteræ reos taxat* (5): qui ut facilius vitii vacent, se in studiosos transfigurant. Mulier adulterio dedita persæpe ad sacram accedit synaxim, ut velis sacramenti suam occultet impudicitiam; iudex justitiam venalem habens, quasdam largitur eleemosynas, ut munificus appareat, alique *religionem mentiuntur* (6) pietatis et devotionis *figmenta configurantes*. (7) Parum solliciti de animæ sanctitate, modo vitia specie virtutis occultent. Quia, ut ait D. Bernardus, *non est apud hypocritas virtutes colere, sed colorare vitia quodam quasi virtutum minio* (8); et quamvis multoties erumpant vitia abscondita, attamen *aliquandiu per hypocrisim subdola vivacitate latitant*. (9) Hypocritas per cygnum denotatos vult Origenes. Cygnus candidis plumis indutus, nigerrimam habet carnem: quapropter Judæis prohibuit Deus ne de carnibus cygni ederent. (10) « Prohibetur inter alia animantia cygnus Israël, qui cum albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur, quia animum sic solent hypocritæ habere, qui dum castitatem exterius prædicant,

interius autem teterrima labe luxuriæ maculantur. » (1) Exterius candidant probitatis specie, intus nigri sunt terra vitiorum labe: exterius transfigurati in Angelos lucis, interius tenebrosi tanquam dæmones, cum quibus sociantur. *Sed ista ingenia de semine hypocritarum pullulare censuerunt, quorum individua cum diabolo amicitia est* (2); non secus ac cum Pharisæis.

2. Pharisæos Christus *hypocritas pronuntiabat*. (3) Rationem autem cur eos hypocritas vocitet, affert, dicens *illos calicis et cæctini exteriora emundare; interiora autem ipsorum plena esse rapina et iniquitate*. (4) Per exteriora calicis corpus, per interiora autem animam intelligens, ut Pharisæis exprobrat Dominus: *Ideo exteriora, inquit, calicis lavatis, id est, carnem; interiora autem vestra non emundatis, id est, animam* (5); sed eam criminum maculis contaminatis. Pharisæos hypocritas adhuc merito confert Salvator sepulcris dealbatis, foris dealbatis, intus cadaveribus plenis, *quia nec ipsa monumenta aliud quam cadaverum stabula*. (6) Sepulcrum juxta etymon nominis, idem est a semi pulchrum, nempe secundum anteriorem speciem pulchrum; secundum id vero quod intus latet deforme, et horrendum, nihil aliud habens præter mortuorum cadavera, putredinem et vermium colluviem. « Plurimi hodie similes sunt Pharisæis, qui munditiei et ornatus exterioris, maximam curam gerunt, animæ vero decoris nullam: quin imo vermibus ac sanie, indicibilique graveolentia, cupiditatibus, inquam, absurdis atque improbis animam replent. » (7) Animæ criminossæ per peccatum mortuæ in corporibus tanquam in sepulcris tumulantur: quapropter in die resurrectionis, *de monumentis monumenta procedent* (8): nimirum de sepulcris procedent corpora quæ fuerunt sepulcra animarum. Quantum autem deformes fuerint animæ et quam inhonesta earum sepulcra, tunc apparebit. « Merito quidem corpora peccatorum, sepulcra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Sicut ergo sepulcrum quandiu clausum est, pulchrum videtur foris; si vero fuerit apertum, horribile est, sic et simulatores honorum, quandiu non cognoscuntur, laudabiles sunt; cum vero cogniti fuerint, inveniuntur abominabiles. » (9) Ptolemæus Alexandro Magno tumulum vitreum erexit, in quo inclusit Macedonis cadaver.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 12. — (3) In 2. Cor. 11. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 5. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 12. — (6) Tert. L. de Pal. 4. — (7) Tert. L. adv. Valent. 1. — (8) Serm. 66. in Cant. — (9) Tert. L. adv. Prax. 1. — (10) Lev. 11.

(1) Hom. in lib. Num. — (2) Tert. L. de Pœn. 5. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 29. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 27. — (5) Tert. Ibid. — (6) Tert. L. de Res. 37. — (7) Tit. Bost. in c. 11. Luc. — (8) Tert. L. de Res. 37. — (9) D. Chrysost. Hom. 45. in Matth.

Jum si pectoribus ad translucendum quamdam specularem materiam natura obduxisset, cujus non præcordia insculpta appaerent (1) criminum stigmatibus? Si animus pectore vitreo conspicuus foret, si cordis arcana Deo nota appaerent hominibus, quænam spectra eorum objicerentur oculis? Postquam tumultatum est corpus, et in terram et pulverem redactum, nihil in sepulcro reperitur *præterquam exuviæ sepulcri*. (2) Hypocrita peccatore fato functo, et, ut ait D. Cyprianus, *extincto spiritu, quatrulvano cadavere, solum supersunt exuviæ virtutis, species exanimis, et simulacrum sanctitatis*. Exstant in templis simulacra sanctitatis et statuæ Sanctorum, quæ exterius deauratæ ac opulenter indutæ, intus vero ligneæ sunt, vermibus ac araneis scalent. Haymo eruditus interpres vult hypocritam significare deauratum, derivarique a χρυσός, id est, aurum, metaphora sumpta ab idolis et simulacris de quibus Baruch propheta: *Cum sint lignea, inaurata et inargentata, scietur postea quia falsa sunt, ab universis gentibus et regibus*. (3) En verum hypocritarum specimen, qui sunt simulacra argentea, idola deaurata, habentia parum fuci, multum deformitatis; parum auri, multum luti; superficiem pietatis et religionis, veritatem sceleris et impietatis; exterius pulchrum et pretiosum, interius vile et egenum; foris christianam virtutem redolentia, intus vero pharisaicam et hæreticam iniquitatem: siquidem confederantur cum Pharisæis et hæreticis.

3. *Instruit Dominus multos esse venturos, sub pellibus ovium rapaces lupos. Quænam istæ sunt pelles ovium, nisi nominis christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? Qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? Qui pseudoapostoli, nisi adulteri evangelizatores? qui Antichristi interrim et semper, nisi Christi rebelles?* (4) His coloribus perfecte pingit hæreticos Christi rebelles, quia adversus Ecclesiam Christi sponsam, præliantur; pseudoapostoli, quia doctrinam Evangelio contrariam docent; pseudoprophetæ, quia non veritates, sed falsitates prædicant; lupi rapaces, quia sub ovina pelle lupinos deferunt mores. *Hæretici imitantur catholicos, sicut simiæ imitantur homines; et sicut lupi imitantur canes, quibus similes sunt*. (5) Habitu et specie exter-

na videntur pii et religiosi, pie ac sancte loquuntur, Ecclesiæ et morum reformationem clamitant, impia sua dogmata, suavi sermone et blandiloquentia insinuant: in omnibus se profitentur Christianos cum sint nequissimi opere, et sensu perversi: præ se ferunt sanctimoniam et turpiter vivunt; misericordiam laudant et injusti deprehenduntur; mundum spernendum prædicant, et post terrena anhelant; jejuniis insistere se jactant et gulæ indulgent. Hypocritæ similes hæreticis exterius speciem præferunt angelicam, pietatem, honestatem, integritatem, omnemque sanctitatem spirant, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; inter confratres Mariæ addictos adscribuntur, eleemosynas pauperibus largiuntur, singulis mensibus ad sacram accedunt synaxim, et tamen temulentia et ebrietati dediti sunt; clam scortum alunt, vel in domo cum ancilla luxuriantur; extra domum conversantes sunt benigni, affabiles, mansueti tanquam agni; at intra parietes domus, rugiunt ut leones et domesticos exasperant. Sunt cunctis urbani, verbis byssinis obsequium et amicitiam pollicentur, mel in ore gestiunt, at interiora eorum plena sunt dolo, dum fidelitatem promittunt, fraudes, prodiones et insidias meditantur. *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt* (1), aliud loquentes, aliud corde versantes: et quia *væ duplici corde* (2), hypocrita fraudulentus et dolosus sua hypocrisi Dei animadversionem et justitiam sufflammat.

III. PARS. Christus *omnem hypocrisim damnat* (3), utpote scelerosam; *non enim damnasset* (4) nisi eam aversaretur. Quantum autem illam odiat manifestum est ex tot væ quæ in hypocritas multiplicat. At cur in illos tot maledicta vibrat? Quia sua hypocrisi 1. Non leviter peccant; 2. Alios decipere tentant; 3. Dei justitiam sufflammant.

1. Christus Dominus *hypocrisim Pharisæorum taxarat utique celantem occulta cordis, et incredulitatis secreta superficialibus officiis obumbrantem*. (5) A fortiori Christianorum taxat hypocrisim, quam læthale peccatum existimat Angelicus Doctor: « Si hypocrita aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sicut consuevit accipi in sacra Scriptura, sic manifestum est quod est peccatum mortale. » (6) Nec mirum se lethalis a D. Thoma censetur hypocrisis, quæ etiam ab ethnico injustitia capitalior existimatur. *Totius injustitiæ nulla capitalior est quam eorum qui tum cum maxime fallunt,*

(1) Tert. Apol. 55. — (2) Tert. Apol. 21. — (3) Cap. 6. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 4. — (5) D. Cyp. Ep. ad Jubaian.

(1) Psal. 11. — (2) Eccli. 2. — (3) Tert. L. de Spéct. 23. — (4) Tert. L. de Idol. 18. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (6) 22. Qu. 111. art. 4.

id agunt ut viri boni esse videantur. (1) Hos duplici de iniquitate reos et damnandos vult D. Augustinus: *Dupliciter damnantur hypocritæ, sive pro occulta iniquitate, sive pro aperta simulatione: ex illo enim condemnantur, quia iniqui sunt; ex illo quia ostendunt quod non sunt.* (2) Quibus longe meliores declarat eos qui sunt justi, et ab hominibus tanquam peccatores condemnantur; *eo quod mali sunt in aperto, et in occulto sunt boni: hypocritæ vero in occulto sunt mali, et bonos se palam ostendunt.* Adeo scelerosa D. Hieronymus videtur hypocrisis quod asseverat apud D. Thom. « In comparatione duorum malorum, levius est aperte peccare quam sanctitatem simulare. » Plus audet D. Basilius, et in una hypocrisi omne peccatum velut in compendio coadunat. *Omne peccatum est velle videri sanctum, cum ipse sit impius.* (3) Scelerosa est equidem virtutis et sanctitatis speciem simulans hypocrisis, *subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis* (4): sed multo adhuc criminiosior hypocrisis, vitia pietatis specie occultans. *Nescio quomodo turpiora sunt vitia, cum virtutis specie celantur.* (5) Quod si, ut fatur Tertullianus, *malitiam tantum excogitatam Deus exactor innocentie odit* (6), quanto odio prosequitur hypocritam, qui excogitat iniquitatem cum intentione nocendi, et simulat sanctitatem ut alios decipiat?

3. *Odit contumaces Patris Filius in quem hypocrisis fuisset admissa.* (7) Loquitur de Pharisæis, qui sua hypocrisi patrem offenderant. *Ita Pharisæorum prohibet exemplum: Cavete, inquit, a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Sicut modicum fermentum totam farinæ massam corrumpit, sic simulatio animum tota virtutum sinceritate et veritate fraudat. Simila quidem fermentum aspersum occultatur, sed intus vires exerit; hypocrisis sub similæ candore diffundit virus, et, ut fatur Chrysologus, *cru- deli arte virtutes truncat mucrone virtutum.* (8) Christus Dominus probe sciens quam criminosa et noxia sit hypocrisis, eam præsertim insequitur: et quamvis in suis sermonibus cunctorum vitiorum turpitudinem et iniquitatem detegat, frequentius tamen detestatur hypocrisim; a qua suos discipulos immunes servare sollicitè curat. Quapropter illos admonet: « Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,

intrinsicus autem sunt lupi rapaces. » (1) Græca lectio habet: « Cavete, attenta et pervigili mente custodite vos, » a falsis Prophetis, qui pietatem simulant ut vos sua simulatione et fucata virtute decipiant. *Ad hæc solummodo opera humiles, et blandi, et submissi agunt* (2): quapropter discipulos hortatur, non ut simpliciter aspiciant, sed ut attendant. « Aspicerere enim est simpliciter videre; attendere autem est caute considerare. Ubi enim res certa et indubitabilis, aspicitur: ubi autem incerta et dubitalis, attenditur. » (3) Ideo Dominus discipulos ne ab hypocritis decipiantur, attentos et cautos desiderat. *Attendite, præcavete, ne incircumspecti atque immuniti, in eorum insidias incidatis.* (4) Non dixit Dominus: Punite, sed, attendite. « Nulla etenim res sic exterminat bonum sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur; et firma tutela salutis est scire quem fugias. » (5) Animadvertit D. Chrysostomus (6) quod Dominus discipulos admonet ut attendant, non ut puniant hypocritas, quia ipse vindictæ et punitionis sibi arrogat negotium, sic loquens: *Visitabo super principes; et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina.* (7) Quasi dicat: Ego, ego visitabo illos, non mittam Angelum, aut alium justitiæ meæ ministrum, sed ego in persona castigabo eos qui induti sunt veste peregrina. « Quid magis peregrinum, ait Rupertus, quam sub lupis rapacibus vestimenta ovium? quid magis peregrinum, quam eum qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus justum apparere? » Sub hac veste peregrina lupos latitantes visitabit, hos versipelles larva ac pelle exuet, simulatores, fraudulentos et hypocritas puniet: *Sed tales ab inspectore cordis Deo non recipiunt, nisi fallaciæ supplicium.* (8) Et merito luent pœnas eo quod alios decipere moliti sunt, et sua hypocrisi Dei justitiam sufflammarunt.

3. Christus Dominus, qui *vetat remaledicere, multo magis utique maledicere, ut ostendat quantum sit ejus in hypocritas odium, Væ ingerit Pharisæis* (9), et per maledictionem qua toties hypocritas jaculat, demonstrat quantum sunt ei abominabiles. Præcepit olim Moyses: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea.* (10) Cujus hanc subministrat rationem: *Abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.*

(1) Cicer. lib. 1. Offic. — (2) Lib. de Confl. Vitior. et Virt. — (3) Orat. ad Adolesc. — (4) Chrysost. Serm. 7. — (5) D. Hier. — (6) Tert. L. de Spect. 2. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (8) Serm. 7.

(1) Matth. 7. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 42. — (3) D. Chrysost. Hom. 19. in Matth. — (4) D. Chrysost. Hom. 24. in Matth. — (5) D. Chrysost. Hom. 9. in Matth. — (6) Hom. 24. — (7) Sophon. 1. — (8) D. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (10) Deuter. 22.

Si Deus ita abominatur viros et mulieres qui habitu sexum mentiantur, ut eos maledictione muletet. *Nullum cultum a Deo maledictum invenio, nisi muliebrem in viro.* (1) Quantum hypocritas abominatur denotatos per viros et mulieres deferentes habitus haud sexui convenientes? Tantum Dei in hypocritas odium colligit Origenes ex isto Davidico: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* (2) Magna pœna Dei incurrere odium, major perdi a Deo. Deus odit omnes peccatores, at hypocritas mendaces et fraudulentos perdet. Maximam adhuc addit pœnam Propheta, tempe Dei abominationem: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Eodem modo se habet Deus erga hypocritam ac erga homicidam; utrumque abominatur. Ex D. autem Thoma, abominatio inexplicabilem significat animadversionem. Verus Christianus hanc Dei non metuit abominationem, quia hypocrisis aversatur. *Nusquam Christianus aliud est.* (3) Exterius ejus cum interiori concordat, operibus pietatis incumbit, non perversa, sed recta intentione, ut Deo placeat, proximum ædificet, et cœlestem sibi comparet beatitudinem.

.....

CONCIO SECUNDA.

PHARISÆIS merito vanitas exprobranda est (4), quia in observatione legis et operibus justitiæ cupiunt videri ab hominibus, quorum laudes superbe captant. De quibus belle Josephus: *Pharisæus hominum genus astutum et arrogans.* (5) Et quia jejunia, orationes et eleemosynæ sunt tria virtutum opera quæ in actionibus externis consistunt, de his facile intumescunt Pharisæi. Non tam ut Deo placeant quam ut videantur ab hominibus, jejunant, orationi student, eleemosynas largiuntur. Simiæ Pharisæorum hypocritæ: bona edunt opera, non recta intentione qua Deo placeant, sed perverso animo et studio hominibus placendi. (6) Et ut eloquenter fatur Chrysologus, *hypocrisis jejunium jejuniis perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit* (7), ob perversam hypocritæ intentionem, qui ut ab hominibus videatur, 1. Jejunat, 2. Eleemosynas erogat; 3. Deum orat.

I. PARS. Damnare jejunium non intendit

Christus, cum et ipse jejunium mandet, et animam conquassatam, proprie utique cibi angustiis, sacrificium appellet (1): sed perversum duntaxat Pharisæorum et hypocritarum damnat jejunium. *Fugiamus hypocrisim, fugiamus, Fratres: sit nostrum de simplicitate jejunium, de innocentia sit sanctum, de puritate purum, de sinceritate sincerum, sit hominibus ignotum, occultum diabolo, Deo notum.* (2) Hanc sinceritatem, simplicitatem, innocentiam, puritatem et sanctitatem non intuens Dominus in jejunio Pharisæorum, suos hortatur discipulos: *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* (3) Merito culpatur hypocritarum jejunium; utpote 1. Ex se fictitium; 2. Ex modo pravum; 3. Ex intentione perversum.

1. Adeo pietas et religio (4) non in simulatione, sed in veritate consistit: quod de jejunio etiam verificatur, quod cum est verum, magnis et multis laudibus commendatur: *Est quidem jejunium vitiorum mors, vita virtutum; et jejunium pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ; est jejunium robur mentium, vigor animarum; est jejunium castitatis murus, pudicitæ propugnaculum, civitas sanctitatis: est jejunium schola meritorum, magisterii magisterium, disciplinarum disciplina; est jejunium ecclesiasticæ vitæ viaticum salutare; est jejunium invictus christianæ militiæ principatus.* (5) Tot condensat Chrysologus encomia ut prædicet jejunium non fucatum neque imperfectum, quod vitiorum maculis dehonestatur, sed verum quod est absque fuce, sed perfectum quod impletur non ciborum tantummodo parcitate, sed maxime privatione vitiorum (6): quod adhuc virtutibus decoratur, et bonis operibus incumbit. Quomodo S. Zeno Veronensis intelligit verba Salvatoris: « Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. » Caput suum ungit jejunans a vitiis. (7) Faciem suam lavat qui conscientiam suam gratiarum aquis emundat, et in operibus bonis Christi bonus odor efficitur. Has laudes non meretur hypocritarum jejunium, quod non est perfectum, neque verum: non perfectum, quia scatet vitiis; non verum, quia est duntaxat fictitium et simulatum. Hypocritæ namque sunt ficti et simulati, *plane et ipsi imaginarii Christiani* (8), quia tales non sunt in veritate rei, sed tantum in apparentia et sinu-

(1) Tert. L. de Idol. 16. — (2) Psal. 5. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 11. — (4) Tert. L. de Orat. 12. — (5) L. 17. Antiq. 3. — (6) Tert. L. de Vel. Virg. 14. — (7) Serm. 7.

(1) Tert. L. de Jejun. 3. — (2) Chrysol. Serm. 7. — (3) Matth. 6. — (4) Tert. Apol. 36. — (5) Chrysol. Serm. 8. — (6) S. Leo Serm. 6. de Quadrag. — (7) Serm. de Jejun. — (8) Tert. L. adv. Valent. 37.

latione. Quare D. Chrysostomus acute animadvertit Christum non dixisse discipulis : Nolite esse tristes sicut hypocritæ, sed, Nolite fieri tristes sicut hypocritæ; qui *dum fingunt se jejunare, non sunt tristes, sed fiunt.* (1) Non vetat tristitiam Dominus, quia parcimonia ac sibi defectus sæpe tristitiam ingenerat, sed tristitiam prohibet quæ fingitur et per imposturas et falsas apparentias simulatur : *Sic non in voluptuosos indulget aspectus, sed vultus qui simulantur excludit facies mœrere dejecta invitatur famam, non jejunium voluntarium profitetur.* (2) Cujusmodi est hypocritarum tristitia, quorum jejunium ex se fictitium, et ex modo pravum.

2. *Non in carne placere velle debemus, quia spiritualium sectatores sumus.* (3) Hypocritæ tamen in carne hominibus placere student. Ideo « exterminant facies suas, » id est, explicat Abulensis, extra terminos facierum humanarum ponunt facies suas, ut videantur effigies mortuorum. Pagninus legit : « Obscurant facies suas; » D. Hieronymus : « Demoliuntur facies suas; » D. Chrysostomus : « Corruptunt facies suas; » D. Hilarius : « Conficiunt facies suas. » Alii ex Græco : « Labefactant, obliterant facies suas; » ut ex ficto mœrere, ex simulata macie laudes humanas captent. *Hypocrita, sit licet tibi facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus invenisti laudem, et apud Deum fructum jejunii perdidisti. Hypocrita, elaborasti jejuniis, ut labor tibi jejunii non prodesset; hypocrita, abstinentiæ fluctus intrasti, continentiae conscendisti undas, enatasti jejunii pelagus, et in ipso portu jejunii naufragasti : quia non comparasti lucrum qui de Dei credito humanum negotium perfecisti* (4) : quia ex perversa intentione jejunasti, scilicet ut hominibus appareres jejunans.

3. Hypocrita *negotium curans gloriæ* (5), ex perversa intentione jejunat, ut appareat hominibus jejunans, qui non interiorius, sed exteriorius duntaxat intuentur. Verum *thesaurum qui non abscondit, prodit; virtutes proditæ non manebunt; virtutes sicut proditores suos deserunt : sic suos instant custodire custodes : ergo jejunium quod contra vitia prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur : quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quater in exterioribus non valebunt.* (6) In arce pectoris non collocant hypocritæ virtu-

tem, qui non divinos, sed humanos captant oculos, et ut Sanctus ait Maximus, *non Deo jejunant, sed hominibus* (1), quibus placere volunt. Inde sequitur eorum condemnatio, quia *receperunt mercedem suam*, nempe hominum laudem quam quærebant. Seu, ut explicat Albertus Magnus, *receperunt mercedem justitiæ vindicantis, quam suis culpis meruerunt.* Utramque mercedem complectitur Chrysologus hypocritam alloquens : *Hinc est quod Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus perceperisti miseræ fraudis usuram.* (2) Hypocrita suæ simulationis patietur supplicium : *Merito tali pœna vivit, qui sibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede stipendium, de remissione peccatum.* (3) Postquam Chrysologus hypocritæ demonstravit pœnam, Christianos ad hypocrisis fugam stimulat. *Fratres, fugiendum est virus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen,* dum homo jejunat et orat, ut ab hominibus videatur.

II. PARS. *Præcipit Deus nihil debuccinamus eorum quæ apud illum mercedem merebuntur, nec ea ab hominibus compensemus.* (4) Alludit Tertullianus ad verba Christi Domini Christianum hortantis, ut in elemosynæ erogatione fugiat hypocritarum vitium, qui bona pauperibus largientes tuba canunt. « Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et vicis, ut honorificentur ab hominibus. » (5) D. Cyprianus, Pagninum et Tertullianum secutus, legit : « Noli buccinare ante te. » Sumit autem tubam Salvator pro quolibet signo externo quo quis manifestatur. Tuba est bellicum instrumentum, cujusmodi est tuba qua hypocritæ buccinant ad suas manifestandas elemosynas : *Bene tuba : quia talis elemosyna hostilis est, non civilis; non misericordiæ data, sed clamori; seditionis vernula, non alumna pietatis; ostentationis nundinatio, non commercium charitatis.* (6) Belle elemosyna buccinata dicitur hostilis Deo, pauperi et hypocritæ : 1. Deo, quem gloria debita frustrat; 2. Pauperi, cui arroganter insultat; 3. Hypocritæ, quem mercede cœlesti indignum præstat.

1. Inest vero Christiano *fastidium gloriæ; soli Deo captans placere.* (7) Ad Dei glo-

(1) Hom. 21. in Matth. — (2) Chrysol. Serm. 7. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 5. — (4) Chrysol. Serm. 7. — (5) Tert. L. de Pat. 9. — (6) Chrysol. Serm. 7.

(1) Hom. in die Ciner. — (2) Serm. 7. — (3) Chrysol. ibid. — (4) Tert. L. de Vel. Virg. 13. — (5) Matth. 6. — (6) Chrysol. Serm. 9. — (7) Tert. Lib. de Vel. Virg. 3.

riam in largiendis etiam eleemosynis respicit perfectus Christianus : non sufficit facere opus ex natura sua bonum , sed ex recta intentione faciendum est. Recta autem intentio Dei attendit gloriam , quia conformatur voluntati divinæ : at *gloria suæ causa Deus molitus est mundum.* (1) Eleemosyna ex sua natura bona est , quia fraternæ subvenit egestati : ipsam Christiano necessariam existimat Chrysologus , ut ejus jejunium alicujus sit valoris : « Fratres, esurit jejunium, jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur; alget jejunium, jejunium deficit, quod non eleemosynæ velus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio: sicut veris flatus tota facit germina florere camporum, ita misericordia tota jejunii semina producit in florem, in cœlestem messem totam jejunii facit fructificare virtutem: quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas; sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, et moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere, sic pietas facit splendere jejunium, et ad totam radiare continentiae claritatem; quod diei sol est, hoc eleemosyna noscitur esse jejunium, sicut jubar solis clariorem perficit diem, et totam nubium dispergit obscuritatem, sic eleemosyna jejunii sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine excludit. At ne multis immorer, quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. » (2) Ut autem eleemosyna jejunio possit conferre valorem, esseque alicujus momenti apud Deum, rectam necesse est habeat intentionem. Sic *cæcum bonum* (3) divinos non humanos exspostulans oculos: licet enim homines habeat sui spectatores, non eorum laudes captat, sed hono exemplo ædificat. « Et quomodo quod fit ab hominibus, coram hominibus non fit? Patentis justitiæ latet sensus, publici operis quod secretum? qui potest celare radios solis, justitiæ poterit occultare fulgorem. Justitia lux rerum, consiliis non velatur obscuris: justitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est quod eam Dominus coram hominibus fieri non vult, per quam statum capiunt res humanæ: et ubi est illud? Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: quomodo justitiam vult celare, cujus opera vult sic elucere? Fratres, hic perceptio cœ-

lestis: vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summovere inanem gloriam: sic justitiam vult celare justitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit. A Deo genita, cœlum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper a Deo solo, ut glorificetur, exspectat: sed hæc est justitia quæ ex Deo est; illa vero quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem; fit seculo, Deo non fit, cæcat oculos, cæca ipsa non videns, vult videri. » (1) Belle quamvis longiuscule declarat Chrysologus quomodo eleemosyna quæ Dei gloriam intendit, fit in occulto etsi largiatur in aperto; quia fit quidem coram hominibus, non ex intentione illis placendi, sed eos ædificandi; non ut captet eorum favores et laudes, sed ut præbeat virtutis exemplum; in quo ab hypocrisi multum differt, quæ vanam intendens gloriam, hostilis est Deo quem debito honore frustrat, et pauperi cui arroganter insultat.

2. *Unius victoriati, vel quæcumque eleemosynæ operationem, sinistra conscia, facere prohibemur.* (2) Victoriati, nummi genus ex illyrico advectum quod mercis loco erat: dum autem ait Christus Dominus: « Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera. » Ibi D. Chrysostomus hyperbolicam seu figuratam agnoscit locutionem, qua significatur quod eleemosyna secretissima sit, omnisque ostentationis expers, ut eam, non solum a proximis nostris, sed etiam a nobismetipsis, quantum fieri potest, abscondamus, et occultemus, ne eam in utraque manu versantes contemplemur, ne illicio vanitatis capiamur. *Si eleemosynam facis, nemo sciat; sed neque ipse qui miseretur debet scire, se misereri, etenim erit aliquando misericors, aliquando vero non.* (3) Misericordiæ opus adeo fit absconditum ut a nobismetipsis occultemus. Homo scientiam habeat ad complectendam misericordiæ rectitudinem, sicque sit misericors, ut in sua æstimatione non se judicet misericordem, sitque non misericors: nec inde sibi complacet et evanescat. Ista autem pietatis cautela totam facit misericordiam, integramque et incolumem servat justitiam. Nam, ut ait D. Bernardus, *magna virtus est esse magnum, omnibus magnum videri et sibi soli latere.*

(1) Tert. L. adv. Hermog. 10. — (2) Serm. 8. — (3) Tert. Lib. de Vel. Virg. 10.

(1) Chrysol. Serm. 7. — (2) Tert. L. de Vel. Virg. 15. — (3) Clem. Alex. lib. 4. Strom.

Hac virtute decoratur ipsemet Bernardus, de quo fatur ejus Encomiastes: « Quem totus mirabatur orbis, solus ipse non videbat suæ operationis opinionisque splendorem: » et dum ejus virtus commendabatur, dicere solebat: « Non sum talis qualis putor. » Nos etiam *si tales sumus quales dicimur*, (1) in misericordiæ negotiis, pietas nos lateat, neque sciat sinistra quod facit dextera. Non dixit Salvator: Quod facit dextera tua, non sciat sinistra, sed prius nominat sinistram, quæ est ignobilior: dextera rectam virtutis intentionem designat, sinistra elationem, complacentiam, vanam gloriam denotat. Christiane, dexterum pietatis opus ita tacitus facias ut sinistra laudis et vanæ gloriæ intentio in totum te ignoret, et nesciat, ne publicare valeat: « Putas quam vult nescire alterum, qui te ipsum qui facis, vult aliqua tui parte nescire, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Sicut sunt nobis in dextera parte virtutes, ita nobis pars vitiorum in sinistra, ergo ut opus est dexteræ, quod facit tacitus dator, quid facit dator garrulus? hypocrisis est sinistræ: hypocrisis, dolus, simulatio, fraus, mendacium, elatio, tumor, jactantia, insistunt nobis et imminent a sinistris: Quoties ergo nobis cum bonitate, pietate, cum misericordia, causa est, nesciat hoc sinistra. Sinistra est, quæ nobis animarum prælia semper indicit, et ne virtutes in effectum veniant, elaborat: ne sit pietas, impietas agit; ne eleemosyna vindicet, cupiditas pugnat; furti avaritia, ne misericordia convalescat; ne innocentia, puritas, simplicitas, sanctitas, regnet, hypocrisis sola confligit, quam Christus a nobis tali prædicatione secludit: » (2) Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Inde concludit Chrysologus: *Fratres, in hoc seculo fugiamus quæ in sinistris sunt, si in futurum a dextris desideramus adstare, et audire: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi. A dextris collocandi sunt justis, qui dextera rectitudinis et bonæ intentionis largiti sunt eleemosynas, habentes ante conspectum suum, non humanos, sed divinos oculos; a sinistris vero constituendi hypocritæ, qui ob vanitatem et elationem, ut hominum traherent oculos et applausus, eleemosynas erogarunt quibus hypocrisis tuba hostilis fuit, efficiens illos divinæ mercedis indignos.*

3. *Adeo enim existimatio hominum et Dei conscientia comparantur.* (3) Dei honor

hominum æstimationi infinite antistat: qui recta intentione largiuntur eleemosynas non humanam quærunt æstimationem, sed divinam nituntur procurare gloriam: qui prava intentione erogant bona, neglecta Dei gloria, hominum captant æstimationem. Illi latibula quærunt quibus se ab hominum occultent oculis. *Secreta virtus solum Deum judicem respicit* (1): isti quærunt lucem ut humanos ad se trahant oculos, *nec putaverunt sub tecto consecrandum* (2), quæ palam propalare nituntur. Illi pietatis occultantes opera, a Deo abunde remunerantur, « ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. » (3) Seu, ut legit Pagninus, *reddet tibi in manifesto*. Isti opera misericordiæ propalantes et buccinantes, divinam non habebunt mercedem, quia jam acceperunt humanam. Quare Christianos hortatur Christus: « Attendite, hoc est, ne gestiatis attendi; ne justitiam vestram faciatis coram hominibus: » (4) Quare? ne videamini ab eis: *Etsi visi fueritis: quid? Mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. Fratres hic Dominus non judicat, sed exponit, pandit cogitationum dolos, secreta mentium nudat, injuste justitiam tractantibus modum justæ retributionis indicit. Justitia quæ se humanis oculis locat, divini Patris non potest expectare mercedem. Voluit videri, et visa est; voluit hominibus placere, et placuit; habet mercedem quam voluit; præmium quod habere noluit, non habebit.*

Neque ex jam dictis inferas, Christiane, misericordiam et eleemosynam exhibendam non esse in platea, in foro, in loco publico, ubique enim præstanda est, modo fiat intentione placendi Deo, non captandi gloriam apud homines; quomodo Chrysologus acute hanc resolvit objectionem. « Sed dicit aliquis: Ergo in conventu, in plateis, in triviis, neganda est misericordia, non præbendus est victus? Plane et in omni loco, et in omni tempore, facienda est misericordia, præbendus est victus, nuditas est tegenda; sed sic quomodo docuit misericordiæ auctor, ut misericordia non terræ sit nota, sed cœlo; non hominibus insinuata, sed Deo; in plateis, in triviis, suum pietas habet secretum; econtra platea trivium est, cum in secreto facit hypocrita nihil secretum. Fratres, Deus monendo sic vota culpat, non loca; sensum, non opera; studium, non dactorem; arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famem; judicat non ubi

(1) Tert. L. de Spect. 19. — (2) Chrysol. Serm. 9. — (3) Tert. L. de Pœn. 10.

(1) D. Hieron. — (2) Tertull. Lib. de Spect. 8. — (3) Matth. 6. — (4) Chrysol. Serm. 9.

facias, quando facias, sed qualiter facias, quia Deus de cordibus, non de manibus, facta metitur, et de sensu, non de locis, operum colligit qualitatem. Misericordiam coram se solum vult fieri, qui solius est misericordiae et remunerator, et testis: unde homo si in paupere Deo faeneras, testes homines non requiras: fides arbitros non requirit: de accipientis fide disputat, qui sine mediatoribus nihil dat: qui credita diffamat, urit verecundia debitorem: ergo, homo, daturus Deo, da secreto, ut quod dederis, non sit oneris, sed honoris. » (1) Qui eleemosynam largitur, jactantiae et vanitatis causa, pauperem potius onerat quam subleuat: *Eleemosynam quisquis ostentat, insultat* (2); ut ex verbis ipsius Christi comprobatur. Tu, inquit, cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis et in vicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Audistis quemadmodum notat eleemosynam in conventu, in plateis, in triviis, non impensam ad levamen pauperum, sed hominum propositam ad favorem, ut probentur misericordiam vendere, non donare.* Ex his concludit eloquenter Chrysologus, Christianos ad fugam hypocrisis adhortans: *Fugienda est hypocrisis, fugienda, Fratres, quae captiva gloriae verecundiam pauperum non relevat, sed fatigat; quae de gemitu inopis pompam suae gloriationis inquirat; quae suam laudem dilatat pauperis ex dolore; quae de miseria petentis funam suae ostentationis expandit.* Quae sibi non Deo placet dum eum orat.

III. PARS. Attentos et cautos nos Dominus exoptat, ut scilicet redundare possit justitia nostra super Scribarum et Pharisaeorum justitiam (3), qui ex vana laude et intentione hominibus placendi, ab ipsisque videri, jejulant, eleemosynas erogant, Deumque orant: ab hac superba orandi intentione suos discipulos dimovere nititur Christus, dicens: « Cum oratis, non eritis sicut hypocritae qui amant in synagogis et angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. » (4) Non dicit, Cum oras, singulariter sicut superius, Cum facis eleemosynam, sed pluraliter dicit, Cum oratis, quia eleemosynam dare omnium non est, omnium autem est orare: ad hoc enim non exigitur res temporalis, omnes igitur vult orare, non sicut hypocritae, quorum damnat 1. Inten-

tionem qua orant; 2. Modum quo orant; 3. Locum quo orant.

1. *Quod non potest videri propter Deum fieri, quia sic fieri Deus non vult, sequitur ut hominum gratia fiat: utique illicitum, ut gloriae libidinosum. Gloria enim illicita est eis, quorum probatio in omni humiliatione est.* (1) Illicita est autem hypocritarum oratio, quia non propter Deum, sed hominum gratia fit, ut ab eis videantur: eadem enim intentione, qua jejulant, et eleemosynas erogant, Deum etiam orant, ubique sunt gloriae et vanae laudis libidinosi. Quare Christus non dicit: Orant, sed amant orare, studiose scilicet affectant, licet enim de facto non orent, affectant videri orantes, et ita eorum oratio est illicita et gloriae libidinosa, tum ex intentione, tum ex modo quo orant.

2. *Nobis autem nullum gloriae studium est: quia gloria exaltationis ingenium est. Porro exaltatio non congruit professoribus humilitatis ex praescriptis Dei.* (2) Non humilitatis, sed vanitatis professores hypocritae, ut ex modo quo orant evidentissime comprobatur: Scribae namque et Pharisei superbia inflati affectabant orare stantes, tum quia sic caeteris eminebant, quibus sese digniores existimabant; tum quia sic facilius ab hominibus conspiciantur; tum quia hic orandi modus denotat homines fixos, immobiles, quasi animo in caelum raptos. Sic autem fingebant Pharisei volentes, non a Deo exaudiri, sed ab hominibus videri; adeo receperunt mercedem orationis illicitae adhuc ex loco in quo orabant.

3. *Præter quod a Deo non ab hominibus captanda gloria est: etiam ipsum bonum suum erubescendum est.* (3) Tantum abest ut bonum apparens quod operantur hypocritae erubescant et occultent; quin potius propalant, et ut magis videantur ab hominibus ab iisque laudentur, affectant orare in angulis platearum, scilicet in terminis platearum, ubi sunt viarum influxus, platearum compita, bivia, trivia, quadrvia. Ex utraque siquidem linea videbantur hypocritae ad hunc finem studiose orantes, quo nihil stultius. *Quis unquam agricola quamvis rusticus, ideo colit agrum, et seminavit, tantum ut videatur ab his qui transeunt? vel quis unquam nisi stultus sit, finem laboris sui collocat in affectu hominum, ut ex eo nihil aliud requirat?* (4) Ea tamen erat Pharisaeorum

(1) Serm. 9. — (2) Chrysol. — (3) Tert. L. de Mon 7 — (4) Matth. 6.

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 13. — (2) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 3. — (3) Tert. L. de Vel. Virg. 2. — (4) Paschal. lib. 4. in c. 6. Matth.

stultitia, qui platearum quærebant angulos ut ab hominibus viderentur et laudarentur. Christiane, noli hypocritarum imitari vanitatem et ostentationem. « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. » (1) Ibi autem preces in publico factas non reprobat Christus, sed tantum corrigendum docet inanis gloriæ appetitum et vanam ostentationem damnat. Laudabilis valde est oratio quæ fit in ecclesia in qua multi etiam conveniunt ut Deo placeant, et ab illo videantur et exaudiantur. *Quid igitur in Ecclesia non orabo? Omnino, sed recto animo, et citra ostentationem.* (2) Per cubiculum quod ingrediendum vult Dominus, Patres unanimi consensu cor intelligunt. *Quæ sunt ista cubricula nisi ipsa corda? parum est intrare cubricula, si cor pateat.* (3) Qui attentu animo orat, ille cordis ingreditur cubiculum. *Orare volentes jubemur intrare cubiculum, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum.* (4) Ingredere, Christiane, cubiculum cordis, fuge vanam ostentationem, ne quæras ab hominibus videri, sed a Deo, qui conspexit intentionum cordis: et, ut fatur Tertullianus, *tam idoneus est ad conspicienda quæ in occulto fiunt, quam justus ad remuneranda quæ soli sibi fiunt.* (5)

et graviora operatur. (1) 4. Luxuria est iniquitatis seminarium, cunctorumque epitome vitiorum: *Lascivia non linguis, non oculis, non auribus parcens, jocatur, sperat, ambit, obsequitur, zelat, insanit: armatur precibus et ira: similiter nonnunquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit.* (2) Inanis gloria est etiam origo malitiæ, peccatorum compendium. Ideo Christianos hortatur D. Chrysostomus: *Fugiamus inanem gloriam, quæ cæteris est affectibus violentior: hinc avaritia, hinc pecuniarum amor, hinc odium, bella, pugna: horum caput est inanis gloria, quod si absciderimus, malitiæ membra interibunt.* (3) 5. Libidinosus, Veneris amore fascinatus, tabescit, macie et tædio consumitur; superbus laudis humanæ præstigiatur amore: quapropter, ut animadvertit Tertullianus, *Gentiles fascinum vocant infeliciorum laudis et gloriæ enormitatem.* (4) Tandem 6. Libidinosus a domo Dei arcetur: *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui.* (5) Superbus etiam a domo Dei ejicitur, neque acceptat Deus oblationes ejus qui inanis gloriæ causa offert munera in sanctuario. *Non enim qui sua beneficia jactat, propter gloriationem: non ingreditur, inquit, in sancta merces meretricis.* (6) Hæc ex æquo pungunt luxuriosos et hypocritas, adeo gloriæ libidinosos, ut suam non Dei gloriam quærant. Attamen ad Deum laudandum et glorificandum eos 1. Omnis creatura invitatur; 2. Ratio stimulat; 3. Hypocrita tamen contra rationem et religionem gloriam Deo debitam sibi arrogat.

.....

CONCIO TERTIA.

PHILOSOPHOS vocitat Tertullianus *homines gloriæ libidinosos* (6), ob variam similitudinem quæ inter libidinem et vanam gloriam reperitur: 1. Homo ex carne materiatus innato fomite ad libidinem fertur, est etiam in illo fomes ad inanem gloriam. *Habes ex isto fomite æstuantem magnum regem, sola gloria minorem.* (7) Loquitur Tertullianus de Alexandro ad vanam gloriam prono; 2. Libido ignis est qui impudicum sufflammat; vanitas est ignis quo incenditur superbus: *Calor est omnis affectus: verum cum in affectationem flabellatur, jam de incendio gloriæ ardor est.* (8) 3. Libido criminosa est et ad insaniam ducit. *Inanis gloriæ servus fornicario non minor est: multo enim plura*

I. PARS. Ut hypocritæ inanem gloriam sectantes suam cognoscant vanitatem, *Deus faciat, cui sit honor, gloria, claritas, dignitas et potestas, et nunc, et in secula seculorum.* (7) Apostolum in modo loquendi æmulatur Tertullianus: siquidem Paulus soli Deo præstandam gloriam his verbis commendat: *Regi seculorum immortalis et invisibilis, soli Deo honor et gloria in secula seculorum.* (8) Rex seculorum est proprium Dei attributum, quia est primum et æternum ens a quo cuncta secula dimanant et ordinantur, ideoque gloria per cuncta secula ei tribuenda est. *Sit gloria Domini in æternum, non tua, non mea, non illius aut illius: gloria Domini, sit non ad tempus, sed in æternum.* (9) Nolo hypocritæ proponere Dei exemplum

(1) Matth. 6. — (2) Theophylact. — (3) D. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. — (4) D. Bern. Serm. 86. in Cant. — (5) Tert. L. de Vel. Virg. 15. — (6) Tert. Apol. 47. — (7) Tert. L. de Pall. 4. — (8) Tert. ibid.

(1) D. Chrysost. Hom. 27. in Joan. — (2) S. Zen. Serm. de Pudic. — (3) Ibid. — (4) Tert. L. de vel. Virg. 15. — (5) Deuter. 25. — (6) Clem. Alex. lib. 1. Strom. — (7) Tert. L. 1. ad Uxor. 1. — (8) 1. ad Tim. 1. — (9) D. Aug. Serm. 4. in Psal. 105.

qui in sua essentiali æternitate semetipsum glorificat per sui cognitionem et amorem, oculis ejus objicio omnem creaturam quæ Deum glorificat et laudat. Cunctæ creaturæ ad tres ordines reducuntur: scilicet terrestrium, cælestium et mixtarum. Terrestres sunt irrationales, cælestes sunt intellectuales, mixtæ sunt homines, seu rationales. Hypocrita, cunctæ in universum creaturæ ad Deum laudandum te invitant: 1. Terrestres; 2. Cælestes; 3. Mixtæ, seu rationales.

1. *Deo etiam inanimata et incorporalia laudes canunt apud Danielem.* (1) Daniel et socii ejus in fornace existentes canticum decantant, in quo creaturas etiam inanimatas ad Deum benedicendum sollicitant, nulla est quæ suo modo suum non laudet auctorem. Inter creaturas inanimatas, aliæ sunt cælestes, aliæ sublunares: utræque Deum indesinenter laudant; cælestes quidem; nam, ut fatur Regius Vates, *cæli enarrant gloriam Dei.* (2) Orbis namque cælestes suo splendore, decore, uniformi motu præbent hominibus ratione utentibus materiam Deum glorificandi, qui eos ita effecit splendidos, decoros, uniformes. Sublunares etiam Dei majestatem prædicant, qui eas de nihilo produxit, tanta concinnitate disposuit, sua potentia gubernat, quibus perfectionum suarum quædam largitus est vestigia. *Deus totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit; de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ.* (3)

2. Verum quantumvis corpora sublunaria et cælestia Dei prædicent majestatem: *Super cælos gloria ejus* (4); nam Angeli supra cælos planetarum in empyreo commorantes, continuo divinas decantant laudes. *Illa Angelorum circumstantia non cessant dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* (5) Animæ sanctæ, beatitudine pollentes in empyreo habitant non secus ac Angeli, ibique suis laudibus continuo Deum celebrant. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* (6) Christus Dominus prædestinatorum caput et inter filios Dei primogenitus, Deum nobiliori modo quam cuncti simul Angeli et Beati glorificat. *Quia gloria est alicujus clara cum laude notitia.* (7) Christus absque ulla comparatione perfectiorem habet Dei notionem quam omnes simul Angeli: Deum glorificavit quandiu fuit in terra et inter mortales conversatus est. *Honorifico Patrem meum, ego non*

quæro gloriam meam. (1) At nunc in cælo existens Deum perfectius honorificat; tum per claram ejus visionem, tum per ardentissimam dilectionem, *per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo* (2), nos qui tenemus medium inter creaturas pure materiales et pure spirituales, sumusque simul terrestres et cælestes.

3. *Ex interpretatione enim carnis et spiritus, nos sumus cælum et terra* (3): et, ut fatur Gregorius Nazianzenus, *illi iidem maximi sumus et abjectissimi; terrestres et cælestes.* (4) Maximi ratione spiritus, abjectissimi ratione corporis; terrestres ob carnem luteam et origine terrenam. Cælestes ob animam spirituales et cælestem societas quam habemus ratione corporis cum creaturis terrenis et materialibus, nos invitat ad Deum laudandum, ne illis inferiores videamur. Societas quam habemus ratione animæ cum cælestibus spiritus, nos adhuc ad Dei gloriam stimulat. *Proinde igitur et nos Angelorum, si meminerimus, candidati jam hinc cælestem illam vocem, et officium futuræ claritatis ediscimus.* (5) Christianus potest considerari vel secundum naturam, vel secundum religionem. Secundum naturam, ex corpore et anima componitur; secundum religionem, Christi doctrinam et disciplinam profitetur, utroque modo ad Deum laudandum et glorificandum tenetur. Ut homo secundum naturam est *plantatio Domini ad glorificandum* (6); ut Christianus etiam ad illud obligatur negotium, in quo præsertim christiana disciplina consistit. *Deum prædices, et adimpleas disciplinam.* (7) Hypocrita hominis et Christiani nomine indignus, neque creaturarum cælestium, neque terrestrium imitatur exemplum, sed ita vanitate tumet et *gloria insolescit* (8), ut Deum non glorificet, quamvis ad id debitum ratio eum stimulet.

II. PARS. *Ad oblationes Abel Deus advertit, et holocausta Noe odoratus est libenter* (9); non tam ob dona et sacrificia quæ offerebant, quam ob animum quo immolabant, et finem ob quem id faciebant. Ob animum offerentium; nam, ut addit Tertullianus, *sed animus simplex et Deum metuens, pabuli et suaveolentiæ gratia apud Deum deputabatur.* Deinde ob finem quo offerebant: Deum namque non tam expectabat quæ fiebant, sed *illud propter quod fiebant, ob honorem scilicet Dei, quem trina*

(1) Tert. L. adv. Hermog. 44. — (2) Psal. 18. — (3) Tertull. Apol. 17. — (4) Psal. 112. — (5) Tert. L. de Orat. 5. — (6) Psal. 83. — (7) D. Aug. lib. 3. de Cont. Maximio. 13.

(1) Joan. 8. — (2) Hebr. 13. — (3) Tert. L. de Orat. 4. — (4) Adhort. de Paupert. ad Mon. — (5) Tert. L. de Orat. 5. — (6) Esa. 61. — (7) Tert. L. de Idol. 21. — (8) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 11. — (9) Tert. L. 2. adv. Marc. 22.

potissimum ratione intendere debet homo : ex 1. Æquitate ; 2. Gratitude ; 3. Pietate.

1. Justitia suum cuique tribuit , *laudes vanæ gloriæ turpes* (1) injustitiam redolent , quia homini tribuunt honorem indebitum : ideoque tum superbos laudantes , tum laudes vanas sectantes injusti sunt : illi quia eos decipiunt quos laudant. *Populus meus , qui vos beatos dicunt , seducunt vos , et vias pedum vestrorum disturbant* (2) ; isti quia quod suum non est sectantur , quos ideo redarguit Deus : *Æque Creator benedictionis et laudis humanæ sectatores incusat per Esaiam* ; quia contra æquitatem gloriam Deo debitam usurpare moliuntur et sua injustitia cunctas res generaliter offendunt : Deum offendunt qui eos cognitionis , amoris et sermonis effecit capaces , ut eum cognoscant , diligant et laudent. Trinitatis offendunt Personas , quæ eis divinam contulerunt imaginem , ut prototypi procurent gloriam : Christum offendunt , qui eos ad suam vocavit disciplinam , ut ad sui imitationem æternum honorificent Patrem : Angelos beatosque offendunt , qui indesinenter Deum suis laudibus prædicant , quorum non imitantur exemplum : justos offendunt quos sua vanitate scandalizant , et in universum cunctas offendunt creaturas , quæ sui gloriam prædicant auctoris ; ipsi vero Dei non quærentes gloriam agunt contra æquitatem et gratitudinem.

2. Laudabilis fuit Abelis et Noe gratitudo *offerentium ea quæ a Deo habebant*. (3) Cuncta Deus produxit propter hominem uti finem proximum et immediatum. *Propter nos creasti seculum*. (4) Cunctas creaturas quæ sunt in mundo , hominis utilitati mancipavit Deus : ideoque lucem quam ab initio produxit , examinat an esset bona , ut videat an sit conveniens , non sibi , quia luce non indiget ; neque ipsi luci quæ habet perfectionem naturæ suæ conformem ; neque Angelis , quia eorum usui non est necessaria lux materialis ; neque animantibus ratione carentibus , quia plures sunt aves quæ lucem oderunt ; belluæ etiam feroces sunt ut plurimum lucifugæ , exspectantque noctis tenebras ut quærant escam sibi : sed homini duntaxat an oculis ejus esset conformis , an excessu vel defectu deficeret : eo modo quo vestis conformatur corpori eam induturo. Ut autem ad propositum ratiocinatur Rupertus , *omne quod bonum est , aut est bo-*

num tanquam finis , aut tanquam medium ad finem. Non vidit Deus lucem quod esset bona tanquam finis , nulla enim creatura irrationalis finis divinæ operationis esse poterat ; sed vidit quod esset congrua in ordine ad hominem quæ est finis quem intendebat.

(1) Eodem modo ratiocinandum est de cæteris creaturis. Has vidit Deus an essent bonæ , homini scilicet convenientes ; nam , ut animadvertit Rupertus (2) , ea tantum bona vocitamus quæ nobis utilia sunt. Mures in sua natura boni sunt ipsoque sole perfectiores , eos tamen malos existimamus , quia nobis noxii sunt : imo ipsemet Dei Filius , æterna lux , ut homini prodesset , ad ejus imbecillitatem sese contemperavit (3) : et , ut fatur Tertullianus , *ex æquo agebat Deus cum homine , ut homo ex æquo agere cum Deo posset*. (4) Dei bonitas quæ hominis utilitati et servitio cunctas generatim mancipavit creaturas , hominem obligat ut se totum summi illius benefactoris consecret honori : *Da Altissimo secundum datum ejus*. (5) Hoc tamen , ait D. Bernardus (6) , nec rationi congruum , imo nec possibile videtur. Congruumne est ut pauper det diviti secundum datum illius ? congruumne est ut servus det regi secundum datum ejus et secundum quod ab eo accepit ? Certe nemo potest dare quod non habet , neque ultra vires suas. Dei vires et facultates sunt infinitæ , hominis autem exiguæ aut nullæ. Quomodo dare poterit Altissimo secundum datum ejus ? Dedit mihi esse , vivere et intelligere ; nunquid illi daturus sum , ut sit , vivat et intelligat ? Dedit mihi terrena et cœlestia bona , fortunæ , naturæ et gratiæ dona , quibus dives effectus sum ; num illi terrena et cœlestia dabo bona quibus efficiatur dives ? Attende ad subsequencia Ecclesiastici verba : *In bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum*. Manus significant opera , oculos vero animi intentionem et affectionem cordis. *Non opus magnitudine metitur , sed proposito*. (7) Recta animi intentio dat operi valorem : Deus *non pensat censum , sed affectum , nec attendit quantum , sed ex quanto*. (8) Deus non tam respicit ad munus quam ad cor offerentis ; *non annotat facultatem , sed coronat voluntatem*. (9) Et , ut fatur D. Cyprianus , *non de patrimonio , sed de animo opus examinat*. (10) Ut constat ex muliere pauperula quæ unam draclumam misit in gazophylacium ,

(1) Tert. L. de Cor. Mil. 13. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 22. — (4) L. 4. Esd. 6.

(1) L. 1. in Gen. 3. — (2) L. 1. in Gen. 13. — (3) D. Aug. Serm. 134. de Temp. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 27. — (5) Eccli. 35. — (6) Serm. 83. in Cant. — (7) D. Chrysost. Hom. 7. de Pern. — (8) D. Gregor. Hom. 5. in Evang. — (9) D. Aug. Serm. 120. de Temp. — (10) Lib. de Oper. et Eleemos.

et tamen plus omnibus dedit, quia majori devotione dedit. Hanc imitare, Christiane. Deum glorifica ex gratitudine aeternum Patrem ex pietate.

3. *Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet* (1) Pater est terminus relativus dicens respectum ad Filium. *Habcat necesse est pater filium ut pater sit.* (2) Deus Pater duplicem habet Filium: naturalem unum, adoptivum alium. Illum de sua substantia ab aeterno generat, istum sua gratia in tempore adoptat: ad illum refertur relatione reali; ad istum refertur respectu rationis: generando naturalem Filium, dedit illi divinitatem cum suis perfectionibus. *Omnia quae habet Pater, dedit Filio.* Produciendo Filium adoptivum, ad ejus utilitatem et salutem ordinavit mundum, Ecclesiam, Verbi humanationem, ideo omnia ad eum pertinent. *Omnia vestra sunt.* (3) Quemadmodum pater refertur ad filium, ita filius vicissim refertur ad patrem. *Ut filius sim patrem habeo.* (4) Filius Dei naturalis est gloria Patris, seu, ut fatur Apostolus, *splendor gloriae* (5): Filius Dei adoptivus sic agere debet *quod in Patris gloriam fructicasset* (6), ut pietati Patris aliquo modo respondere valeat. Pater cuncta ad hominis ordinavit bonum, cuncta etiam homo ad Dei ordinat gloriam, media charitate quae cunctas virtutes ad Dei gloriam refert. Quapropter Philippenses rogat Apostolus, ut abundant in charitate. *Hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in gloriam et laudem Dei* (7); quo major est charitas, eo magis glorificatur Deus. Ut autem philosophatur D. Bernardus (8): « Exigit Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari. Quid in his praestat? quid eminet? Nempe amor. Absque hoc et timor poenam habet, et honor non habet gratiam. Servilis enim timor, quandiu ab amore non manumittitur; et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est; et quidem soli Deo honor et gloria. Sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, per se placet, et propter se; ipse meritum, ipse praemium sibi est amor, praeter se, non requirit causam, sed fructum: fructus ejus, usus ejus: amo quia amo, amo ut amem. Magna res est amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suae origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat jugiter unde

fluat. Solus est amor ex omnibus animae motibus, sensibus atque effectibus, in quo potest creatura, etsi non ex aequo respondere auctori, vel de simili mutuum rependere vicem. » Filius Dei naturalis ex aequo paterno respondet amor. Pater infinite diligit Filium, et Filius vicissim infinite diligit Patrem, et ut fatur Tertullianus, *tam pius Pater quam pius Filius.* (1) Idem, utriusque est amor, quo Spiritum Sanctum producant: filius adoptivus naturalem Dei non imitatur Filium, neque paternum respondet amor: *Otiosus plane de Patris cura atque prospectu* (2), quia non reddit amoris vicem, neque ad paternam attendit gloriam, neque ullam pietatis exhibet umbram; pro sua impietate *eripiens Deo hominem, domino famulum, patri filium.* (3)

D. Stephanus (4) Deum gloriae vocat; Paulus (5) Dominum gloriae; idem Apostolus (6) regem gloriae; Regius Vates Patrem gloriae. Tot tituli Deo conveniunt in ordine ad hominem, qui est Dei gloriae creatura, Domini gloriae servus, regis gloriae subditus, Patris gloriae Filius, tot relationes quas habet eum ad Dei gloriam stimulant. Hypocrita tamen impius ad Dei gloriam non attendit: ideo ejus crimen est ingratitude creaturae erga suum creatorem, inobedientia servi erga suum dominum, infidelitas et rebellio subditi erga suum regem, impietas filii erga patrem, et insolentia hominis erga Deum, cujus gloriam sibi arroganter arrogat.

III. PARS. *Cognosco dementiam, de vanitate.* (7) Quenam major dementia aut insolentior vanitas quam ea qua hypocrita laborat? qui Deum 1. Temerarie suo proposito frustrat; 2. Injuste suo bono defraudat; 3. Impie gloriam Deo debitam sibi arrogat.

1. Cuncta creata *in Dei gloriam* (8) producta sunt. Ipse etiam homo factus est in animam viventem, seu, ut habet Chaldaica lectio, *in animam loquentem*, ut sui laudes decantaret auctoris. Ad hoc munus persolvendum Thessalonicenses hortatur Apostolus: *Deprecantes vos ut digne ambuletis digne Deo, qui vocavit vos in suam gloriam.* (9) Deus est cunctarum creaturarum principium efficiens et causa finalis, cuncta quae produxit efficienter, tendunt ad ipsum finaliter. *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso* (10), seu, ut legit graeca versio, *ad ipsum sunt omnia.* Ex ipso tanquam a causa efficiente, per

(1) Tert. L. de Pœn. 8. — (2) Tert. L. adv. Prax. 10. — (3) 1. Cor. 13. — (4) Tert. L. adv. Prax. 10. — (5) Hebr. 1. — (6) Tert. L. adv. Valent. 8. — (7) Philip. 1. — (8) Serm. 85. in Cant.

(1) Tert. L. 2. ad Nat. 13. — (2) Tert. L. adv. Valent. 11. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (4) Act. 7. — (5) 1. Cor. 2. — (6) Ephes. 1. — (7) Tert. L. de Spect. 16. — (8) Tert. L. de An. 8. — (9) Thessal. 2. — (10) Rom. 11.

ipsum tanquam per causam exemplarem, ad ipsum tanquam ad causam finalem. Inde concludit Apostolus: *Ipsi gloria in secula*, ut Deus scilicet sibi propositum assequatur finem. Nam *gloriæ suæ causa Deus molitur est mundum* (1), quia agens ordinate operans agit propter finem se dignum. Deus autem est agens perfectissimus, nec alium nisi semetipsum productionum externarum proponit finem. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (2): nempe propter suam gloriam: tanquam propter finem ultimum rerum omnium; quarum est prima causa efficiens et ultima causa finalis: cuncta enim ad Dei ordinantur gloriam, ut scilicet Creatoris potentiam, sapientiam et bonitatem toto orbe celebrent. Ubi D. Bernardus apud Tilmannum: *Universa propter semetipsum fecit Dominus. Alibi dicitur: Omnia propter electos: propter semetipsum gratuita bonitate; propter suos, pro eorum utilitate, ut illa efficiens causa sit, hæc finalis: omnia ergo propter semetipsum fecit Deus: unde qui esse vult sibi, non Deo, nihil incipit esse inter omnia.* Quisquis divinæ gloriæ non militat, sed gloriæ suæ ambitiose studet, nihil est, quia non persolvit munus ob quod positus est in mundo. Vanus et inutilis est hypocrita, qui Dei gloriam non quærit, sed quantum in se est Deum sine sibi proposito frustrare nititur, et adhuc injuste Deum bono suo frustrat.

2. *Fraudis conditio ea est, opinor, si quis alienum rapiat, aut alii debitum deneget.* (3) Hypocrita autem hac duplici ratione *fraudem Deo facit*: tum quia gloriam Deo propriam rapit et usurpat. In nativitate Christi Angeli Dei gloriam decantant, et pacem hominibus annuntiant: *sed displicet mortalibus angelica partitio quia gloria Deo, pax hominibus nuntiatur.* (4) Hypocritæ namque gloria Deum defraudare nituntur, in quo Caini injustitiam æmulantur: Deus etenim *accepto ferens quæ offerebat Abel in simplicitate cordis, et reprobans sacrificium fratris ejus Cain, qui quod offerebat, non recte dividebat* (5), quia scilicet ad gloriam Dei non respiciebat; idem accidit hypocritæ, qui, dum usurpat gloriam turbat pacem: solus gloriam meretur qui facit mirabilia magna solus; sicut Apostolus ait: *Soli Deo honor et gloria.* Porro cum nostro genere bene agitur, si datur frui pace Dei, pace eum Deo, et quidem feliciter et misericorditer. Quonam ergo modo stabit pax hominum

coram Deo et cum Deo, si Deo non potest esse apud homines tuta gloria? O stulti filii Adam, quæ contemnentem pacem et gloriam appetentes, et pacem perdunt et gloriam! » (1) Merito pace privatur hypocrita, qui parte sibi debita haud contentus, Dei molitur usurpare portionem: male enim et injuste quod alienum est usurpare volens, suum etiam perdit: *Quantam visus est homo gloriam habere inter homines cum viveret, tantam corruptionem suppliciorum habebit cum mortuus fuerit apud inferos.* (2) Qui gloriam Dei sectatur, fruitur in seculo pace conscientie, et in cælo pace interminabili. Ita hypocrita gloriam Dei captans nulla fruitur pace in seculo; et in inferno æterno mulcabitur supplicio; eo quod impie gloriam Deo debitam sibi arrogaverit.

3. Tandem hypocritæ *ipsi quoque impii deprehenduntur* (3), sibi arrogantes gloriam soli Deo debitam: et impia sua usurpatione idololatriam committunt, verumque Deum negant et contemnunt. *Cum quis non Deo, sed sibi sua bona opera tribuit, quid est aliud quam Dei negatio?* (4) Ille est idololatra qui cultum Deo debitum creaturæ defert: hypocrita gloriam Deo debitam sibi tribuit, ergo est idololatra. Verus Christianus vanam respuit gloriam, et dum bene operatur, non sibi, sed Deo totum refert honorem, vultque ut omnes sciant se propter Deum bona egisse. *Cur autem non sciat me Dei causa fecisse, ut et Deus glorificetur?* (5) non est contentus oculis Dei, *sed Deus videt quoniam propter ipsum feci.* Sed adhuc exoptat ut recta ejus intentio hominibus innotescat ut ædificentur, Deumque glorificent. Qui secus agunt suamque non Dei quærent gloriam, non sunt immunes a crimine neque a pœna. Eodem namque mulcantur supplicio quo Angeli rebelles qui inanem gloriam sectantes in inferno cruciantur, Deumque inviti glorificant cujus vindictam et justitiam patiuntur. *Justissimis Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsis ignominiosis per turpitudinem pœnæ.* (6) Simile sustinebit tormentum hypocrita vanæ gloriæ cupidus. Velit, nolit, Deus glorificabitur in illo: nam, ut concludit D. Augustinus, *quidquid homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum: si recte egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum; si percaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum.* Christiani, nolite vobis

(1) Tert. L. adv. Herm. 10. — (2) Provi. 16. — (3) Tert. L. de Idol. 1. — (4) D. Bern. Ep. 126. — (5) Tert. L. adv. Jud. 2.

(1) D. Bern. — (2) D. Aug. Serm. 2. in Psal. 48. — (3) Tert. L. 2. ad Nat. 9. — (4) Theophylact. in c. 18. Luc. — (5) Tert. L. de Idol. 22. — (6) D. Aug. lib. de Cathec. Rud. c. 18.

arrogare gloriam Deo debitam, ne laudabilem inveniatis Deum per justitiam suppliciorum. Si illum laudabilem invenire desideratis per justitiam præmiorum, in cunctis vestris operibus ad ejus gloriam respicite. Etenim Deus glorificat qui eum glorificant, et ita Deum glorificando, *nobis præstamus, qui non ab homine, aut laudis aut præmii expensum captamus, sed a Deo exactore et remuneratore indifferentis benignitatis.* (1) Si indifferentem remunerat bonitatem, quanto a fortiori opus virtutis propter se factum præmiat in præsentem et in futuro? In præsentem per dona gratiæ, in futuro per possessionem gloriæ.



CONCIO QUARTA.

CHRISTUS Dominus æmulatur contraria contrariis redarguere, ne gloriatur omnis caro. (2) Etenim ut ab hominum mentibus eradicaret superbiam, multoties superbiæ damnavit vitium, et humilitatis commendavit virtutem. « Non cessat Dominus pluribus argumentis repurgare superbiæ vitium; plus enim aliis vitiis mentem humanam turbat; propterea sæpe et multum de hac docet: » (3) Et quia primum et præcipuum Pharisæorum vitium erat superbia, frequenter ac repetitis vicibus contra superbiam habuit sermonem, huic malo adhibens humilitatis medicamentum: et ut animadvertit D. Bonaventura, *in detestationem superbiæ et laudem humilitatis*, « dixit ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent; unus Pharisæus et alter Publicanus; » (4) ambo pietatis studium, ut orarent præ se ferebant, longe tamen mente dispares erant. « Erant isti duo, sed neque voluntate aut intentione coibant in unum: alter sibi placens, alter sibi per omnia displicens: sed sibi placens Deo displicens factus erat, sed sibi displicens Deo humilitate placebat. » (5) Pharisæus sui æstimator sibi que placens Deo displicuit; Publicanus vero sui contemptor sibi que displicens, Deo placuit. Utriusque conditionem, mores et successum belle repræsentat Basilius Seleucus. *Pharisæus professione, virtutis magister, legis explicator, linguæ Moysis et cathedræ successor; Publicanus ipso vitæ, morumque instituto, ac-*

cusabatur, qui curam ceperat vectigalium, concupiscenti licentiam, implacabilem rapacitatem, latrocinium: his vitiorum affectibus Publicanus gravatus, templum tenuit: Pharisæus tunc virtutis thesaurum importans (1), sua superbia damnatur, et qui magister erat virtutum, fit vitiorum doctor; et qui legis fuerat interpres fit tumoris exemplar, et hypocritæ idea, 1. Sese de justitia laudans; 2. Plus cunctis sese existimans; 3. Cæteros arroganter depretians.

I. PARS. *Mentire aliquil ex his quæ intus sunt, ut soli Deo exhibeas veritatem.* (2) Tantum abest ut hominum oculis mentiatur hypocrita, virtutem, quæ intus latet in corde, quinimo, bonum quod non habet, ex superbia et tumore jactitat: *Non satiat avidum spiritum vanitas laudis humanæ* (3), qui minime contentus laudum quas ab aliis venatur semetipsum laudibus celebrat. Verum *omnis homo quando de se vult perhibere laudabile testimonium arrogans et superbus videtur* (4), ut constat ex Pharisæo, qui vanitate tumens se 1. A peccatis immunem prædicat; 2. Legis observatorem declarat; 3. De justitia et virtute laudat.

1. *Prohibet et alias fidere et in laudem hominis* (5): tum quia persæpe irrisoriæ sunt, tum quia tumorem et superbiam afflant; tum quia *laudes humanæ in die judicii non adjuvant* (6); imo, ut vult D. Augustinus, multum noxiæ erunt. *Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damuante te.* (7) Exitiosa est equidem aliena laudatio, at *inanis jactantia, nocentior cæteris omnibus, pestis.* (8) Hac peste infectus Pharisæus, sese insolenter laudat, et a peccato immunem prædicat. « Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri. » Ubi Basilius Magnus: *Pharisæus upud se orabat, non apud Deum; rediit ad se, cum in crimen superbiæ incidit* (9), per superbum elationis supercilium, ad seipsum redibat oratio, ac si Deum supplicare dedignaretur: « Gratias agit, non quia bonus, sed quia solus; non tam de bonis quæ habet, quam de malis quæ in aliis videt: nondum de oculo suo trabem ejecerat, et festucam in oculo fratrum enumerabat; » (10) Optatus Milevitanus legit: « Gratias tibi, Deus, quia nihil peccavi, et

(1) Tert. Apol. 56. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (3) Theophylact. in e. 18. Luc. — (4) Luc. 18. — (5) Sim. de Cas. lib. 6. c. 25.

(1) Orat. 55. — (2) Tert. L. de vel. Virg. 16. — (3) D. Aug. Ep. 56. ad Diosc. — (4) D. Aug. Tract. 36. in Joan. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (6) D. Aug. Serm. 25. de Verb. Dom. — (7) Lib. 10. Conf. 36. — (8) D. Aug. lib. 1. de Ord. 10. — (9) In c. 2. Isai. — (10) D. Bern. de grad. Humil.

non habeo quod ignoscas. » (1) Licet enim cæteri homines sicut peccatis contaminati, ego tamen sum a peccato immunis. *Quid est sicut cæteri homines, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, cæteri peccatores.* (2) Magnum inter Davidem et Pharisæum agnoscit D. Bernardus discrimen: David se inter peccatores dinumerat, Pharisæus se immunem ab omni peccato decantat; David humilitate illustratus se fatetur mendacem, Pharisæus superbia excæcatus se a cætu peccatorum sequestrat: *David ait: Omnis homo mendax, neminem excipit, ne quem decipiat, sciens quia omnes peccaverunt et egent gloria Dei: Pharisæus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat.* Animadvertit D. Bonaventura (3) per raptos, injustos et adulteros, Pharisæum cuncta vitiorum comprehendisse genera; quia omne quod est in mundo est concupiscentia carnis, ecce adulteri; et concupiscentia oculorum, ecce injusti; et superbia vitæ, ecce raptos. A cunctis vitiis sub his tribus generibus contentis se immunem prædicat Pharisæus, et adhuc legis observatorem declarat.

2. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* (4) Nam, ut fatur Apostolus, « non enim qui seipsum commendat ille probatus est. » (5) Tum quia *in proprias laudes odiosa jactatio est.* (6) Tum quia Deus propriam prohibet laudem. *Præceptum est homini (Prov. 27.): Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui: periculosum est enim sibi placere, cui cavendum est superbire.* (7) Periculosior est omnis propria laus, sed *eo periculosior jactantia, quo sub nomine servitutis Dei decipit.* (8). Hac jactantia deceptus Pharisæus se perfectum legis observatorem asseverat: « Jejunio bis in sabbato, decimas omnium quæ possideo, » ac si dicat: Tam studiosus sum religionis ac legis ut non solum solvam decimas fructuum terræ ut lex præcipit, sed etiam præbeam decimas omnium rerum quas possideo, ad quas lege non teneor, sed ex affectu justitiæ et virtutis, de qua maxime se commendat Pharisæus.

3. *Laudem suam consecratione pensabit* (9), Pharisæus se de exacta legis observantia, et perfecta justitia jactitans: et quamvis de bono et opere virtutis non debeat homo se laudare; tum quia virtutem non operatur ex

suis meritis, sed ex gratia Dei: *Cave ne extollaris de meritis tuis; nulla enim fuerunt, cum ad te erigendum Dominus venit* (1); tum quia propria laus ut plurimum vel oritur de superbia, vel parturit superbiam: *Laudando te bonum, sis malus; bonum te fecerat humilitas, malum te fecit superbia* (2); tum quia a Deo exspectanda est laus, qui virtutem commendaturus est in judicio. *Ab illo erit et laus unicuique, a quo et contrarium laudis ut a iudice* (3); tum quia referenda est Deo laus boni operis quod ejus gratia et auxilio factum est: *Ille laudetur qui te fecit bonum, si bonus es: non tu, qui per te ipsum non poteris nisi malus esse;* (4) Pharisæus tamen Dei laudem minime curans, sese sermone et actione de justitia jactitabat: actione quidem stans erecta facie ac vultu, velut disputaturus cum Deo de ratione suorum meritorum, *stabat oculis ac ore obversus, cum Deo sermocinabatur forte, et in nubes se raptum iri propemodum spectabat, ut et in cælo cum Deo colloqueretur.* (5) Sermone etiam quo cæteros homines peccatores et scelerosos criminabatur, se vero studiosum et justum propalabat, ideo gratias Deo agebat quod non esset injustus, adulter et raptor sicut cæteri, sed castus, justus et sanctus, se cunctis longe meliorem existimans.

II. PARS. Pharisæus *publicato suo bono elatus* (6), se cunctis perfectiorem existimabat. *Arrogans atque superbus majorem se cæteris arbitratur: neminem se esse dignum existimat* (7): ut constat ex Pharisæo qui tanta erat inflatus vanitate ut inter cunctos homines nullus esset ei similis, sed divinam æmulans magnitudinem, de singularitate gloriabatur. Tria sunt quæ Deo specialiter conveniunt: nam 1. Unus est; 2. Ab omnibus creaturis dispar; 3. Omnium rerum continens perfectiones. Hæc tria sibi arrogat Pharisæus sese commendans de 1. Singularitate; 2. Inæqualitate; 3. Sanctitate.

1. *Deus solitudinem quamdam de singularitate præstantiæ suæ possidens, unicus est.* (8) Singularitatem præstantiæ divinæ æmulatur tumens Pharisæus; et ut appareat *de singularitate famosus* (9), gratias Deo agit quod non sit sicut cæteri hominum. Superbus singularitatem ambit, ut Luciferi, Amani, et Pharisæi comprobatur exemplo: Lucifer

(1) Lib. 2. Cont. Parmen. — (2) D. Aug. Serm. 36. de Verb. Domi. — (3) 1. Jean. 2. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (5) 2. Cor. 10. — (6) D. Cypr. Ep. ad Donat. — (7) D. Aug. Tract. 58. in Joan. — (8) D. Aug. lib. 2. de Serm. Domi. in Mont. — (9) Tert. L. de Res. 16.

(1) D. Aug. in Com. Serm. 42. — (2) D. Aug. in Psal. 25. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 7. — (4) D. Aug. lib. de Ovib. c. 9. — (5) Basil. Seleuc. Orat. 55. — (6) Tert. L. de vel. Virg. 14. — (7) D. Chrysost. Hom. 66. in Matth. — (8) Tert. L. 1. adv. Marc. 4. — (9) Tert. L. de Res. 13.

tertiam Angelorum partem suæ seditionis effecit participem : tamen sibi soli ascensum in cælum et sessionem in Dei solio arrogat. *In cælum conscendam, exaltabo et sedebo* (1); ubi D. Bernardus : *Qui sedere præsumpsit, se solo voluit esse contentus. Aman quoque audiens regem interrogantem quomodo sublimandus esset vir quem rex honorari desiderat, se solum tali honore dignum existimavit : Cogitans autem in corde suo Aman et reputans quod nullum alium rex nisi se vellet honorari.* (2) Adeo erat tumidus Aman ut omnes alios honore indignos reputaret, et se solum honorandum judicaret; quia, ut animadvertit Lyranus, *modus superbi est aestimare, quod nullus nisi ipse debeat honorari.* Pharisæus etiam vanitate tumens, *gratias Deo agit, non quia bonus, sed quia solus* (3), et quia inter homines nullus est ei æqualis.

2. *Sed nihil Deo par est: natura ejus ab omnium rerum conditione distat.* (4) Pharisæus neminem sibi æqualem existimat; nullam virtutem suæ comparandam et assimilandam judicat: Non sum sicut cæteri hominum, omnes excludit, nullum ad sui similitudinem admittit. « Gratias habeo tibi, quia fecisti me abstinere ab injustitia et a rapina. Sed quomodo? non sum; sibi ipsi attribuit bonum, et suo robori. » (5) omnem justitiam arrogat.

3. *Deus perfectus in omnibus* (6) omnimodam in se continet perfectionem: Pharisæus Dei æmulans perfectionem, omnimodam sibi arrogat justitiam, se a cæterorum hominum collegio sequestrans. *Bellum sane gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, et iudex et mortis sententiam in omnes ferens, non sicut cæteri. O linguam tyrannicam! se omnium loco statuit, et omnes partis alicujus, aut reliquiarum numero habet: Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri: Deo approbaturus intonuit: Non habes justum alterum in terra; ego tibi solus virtutum thesaurus, deserta sit a justitia terra, nisi hanc ego calcarem.* (7) Pharisæus in exordio verborum gratitudinem ostentat, et tamen sub illius prætextu bellum ac criminationem subinfert, non solum tyrannica lingua homines criminatur, sed etiam ipsum Deum omnium auctorem, qui omnes a virtutibus deservit, ut omnium virtutes in hoc uno collocaret: imo terra a justitia deserta esset, nisi ipse sub terra viveret. Superbus non de-

sinit de seipso loqui magnifice. (1) Quanta superbia tumuerit Pharisæus ille, quia nemine concitante et stimulante, magnifice de se prædicabat, merito in Dei offensionem incidit, siquidem superbiæ morbo laborabat. (2)

Regius Vates Deum sic deprecatur: *Non veniat mihi pes superbiæ.* (3) Non ait: Non veniat mihi caput, oculi ac manus superbiæ, sed tantum pes: superbus non habet caput ut se regat, nec oculos ut se videat, nec manus ut se teneat, sed tantum pedes ut cadat. Eusebius Emisenus Pharisæi lapsum objicit: *Pharisæus nimis sibi securus præsumptionis reportavit offensam: odibile enim fecerat sacrificium orationis suæ factore jactantiæ.* (4) Odibiles sunt etiam Deo hypocritæ cæterique Pharisæi, quos rearguit Christus Dominus, quia *in se confidebant tanquam justis, et aspernabantur cæteros.* Arabicus legit: *Dicebant se esse justos.* Optatus vero Milevitanus: *Se sanctos publicabant* (5), contemnebant autem, nihil faciebant, et *aspernabantur cæteros tanquam injustos et viles, cum ipsi sola superbia aliis essent viliores: sola enim superbia omnia destruit* (6), qua tumens hypocrita Pharisæus cæteros depretiat.

III. PARS. *Infirma commendatio quæ de alterius destructione fulcitur.* (7) Hypocritæ superbia inflati, *propter hoc enim quod confidunt in seipsis, non totum Deo tribuunt, sed alios per hoc exinaniunt.* (8) Superbos duplici injustitia reos asseverat, scilicet erga Deum et erga proximum. Erga Deum, cui non tribuunt bonum quod operantur; erga proximum quem exinaniunt, quia omnia sibi tribuentes, nihil ei referunt; imo illum depretiant et annihilare moluntur. *Lingua intonat, caretque nunquam veneno serpentis.* (9) Superbi et hypocritæ lingua nemini parcere nescit, sed in omnes serpentis effundit venenum, ut constat Pharisæi exemplo. *Non satiaverat contemptum ejus tota humana natura, sed et Publicanum aggressus est.* (10) Cunctos Pharisæus contempserat homines, omnesque crimina verat; in cunctorum cœtu involvebatur Publicanus: attamen seorsim Publicanum aggreditur: postquam enim dixit: Non sum sicut cæteri hominum, statim addit: *Velut etiam hic Publicanus; seu, ut legit D. Hilarius: Non sicut peccator iste Publicanus; quod dixit*

(1) Esa. 14. — (2) Esther. 6. — (3) D. Bern. de Grad. Homil. — (4) Tert. l. de Carn. Chr. 5. — (5) Throph. — (6) Tert. l. 1. adv. Marc. 24. — (7) Basil. Seleuc. Oral. 35.

(1) Phil. Jud. lib. de Cherub. — (2) Isidor. Pelus. lib. 3. Ep. 278. — (3) Psal. 35. — (4) Serm. 6. de Grat. — (5) Lib. 2. Cont. Parmen. — (6) Dion. Carthus. — (7) Tert. l. 4. adv. Marc. 15. — (8) Theophylact. — (9) S. Zenon. in Psal. 150. — (10) D. Chrysost. in Caten.

despective ac illusorie, de illo irridendo. Verum non fuit æqua sors tumentis Pharisæi, et abjecti Publicani. Nam 1. Pharisæus superbus non exauditur; Publicanus humiliter orans acceptatur; 2. Pharisæus de justitia se laudans reprobatur; Publicanus se peccatorem confitens justificatur; 3. Pharisæus arroganter insultans condemnatur, Publicanus impropria patienter tolerans, coronatur.

1. *Atqui cum modestia et humilitate adorantes magis commendabimus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac prope elatis; ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificator Pharisæo procacissimo discessit.* (1) Stabant Pharisæus et Publicanus, sed modo longe diverso. Pharisæus oculis ac manibus in cælum arroganter erectis; Publicanus vero incurvata facie, vultu demisso, manibus modeste et humiliter temperatis, non audebat oculos levare, sese judicans indignum ut cælum aspiceret: Pharisæus in multis superbiam et tumorem demonstrat, erectis in cælum oculis, manibus elevatis, clamore vocis, suæ justitiæ elogiis, aliorum contumeliis. Idcirco, ut animadvertit D. Augustinus, *ascendit orare, Deum noluit rogare, sed se laudare, insuper et Publicano insultare.* (2) Publicanus quoque antequam oraret, in multis præmittit humilitatem: nam a longe stat, nec accedere audet, in cælum oculos levare erubescit. *Ideo Publicanus non audebat oculos ad cælum levare, quia seipsum intuebatur.* (3) Non sublevabat oculos in cælum, quia in sua peccata mentis conjecerat oculos: Publicanus tamen, non Pharisæus Deum exorat, et hoc multiplici de causa: 1. Qui rogat impetrat: Pharisæus nihil petit, nihil rogat, sed tantummodo justitiam suam commendat, aliisque insultat. *Duo quædam in oratione tua, o Pharisæe, non tam redolent quam fœtent, tumor et tepor. Tumor est in eo quod Publicano impropere; tepor quidem, quia omnino nihil rogas.* (4) Publicanus vero humiliter deprecans, Deum exoravit a quo peccatorum remissionem impetravit. Multum potens fuit oratio dejecti Publicani, *qui dum non auderet oculos in cælum levare, ipsum cælum ad se potuit inclinare.* (5) 2. Superbos Deus non audit, humilibus autem dat gratiam. Quapropter superbi Pharisæi orationem respuit.

Non mentiebatur Pharisæus, imo etiam vera dicebat, sed omnis qui se exultat, etiamsi vera dicat, offendit. (1) Humilis vero Publicani orationem Deus acceptat: *Exaudivit orantem, qui humilibus ignoscit* (2): Publicani oratio humilitate fulcita Deum exoravit: *Sola porro humilitas vel peccatoribus opitulata, dat suffragium pervincens* (3); ut patet exemplo Publicani qui deposita superbia, et adjunctrice humilitate a Deo obtinuit quod postulavit. Et, ut fatur Basilius Seleucus, *ille pervincens suffragium obtinuit, humilitatem ad victoriam nactus adjunctricem.* Quasi oratio humilitate adjuncta de Deo victoriam reportet, ab ejusque misericordia obtineat quicquid postulat. 3. Pharisæus non impetravit, quia Deo cor non obtulit; Publicanus vero peccatorum condonationem obtinuit, quia totum se Deo exhibuit. *Publicanus autem, non membratim, sed totus exorat: qui timore totus est humilis, sua peccata contestans, secundum Domini dictum, a quo procedunt universa genera peccatorum pectus crebro percutiens, quodammodo cor suum manu verecunda castigat.* (4) Pharisæus membratim: oculis, manibus ac voce sese Deo offerebat; cor vero sibi retinebat, a quo vanitates ac jactantiæ procedebant. Publicanus vero non membratim, sed totum se Deo devovebat; pectus crebro percutiens offerens Deo, non solum oculos, manus ac vocem, sed ipsum cor, a quo procedunt universa genera peccatorum. Ideoque Pharisæus, cujus cor erat elatum, se jactans et justitiam suam arroganter commendans reprobatur; Publicanus vero cor humiliatum Deo offerens, crebro pectus manu verecunda percutiens, seseque peccatorem confitens, justificatur.

2. *Cum templum Creatoris inducit, et duos adorantes diversa mente describit: Pharisæum in superbia, Publicanum in humilitate; ideoque alterum reprobatum, alterum justificatum descendisse.* (5) Pharisæus multa a se facta commemorat, jejunia et decimarum solutionem commendat, se justum et innocentem jactat; Publicanus vero se peccatorem agnoscit, et a Deo peccatorum veniam petit. « Ingressus Publicanus templum fuerat peccatorum mole decurvata cervice, et oculorum palpebris gravi morbo iniquitatis compressis, cælum non audebat aspicere; retrogradum tumidus revocat, et extremum se non tam loco quam conscientiæ judicio

(1) Tert. l. de Orat. 13. — (2) Serm. 36. de Verb. Dom. — (3) D. Aug. ibid. — (4) Gilbert. Serm. 55. — (5) D. Bern. Serm. de 4. Mod. Orand.

(1) D. Ambr. Serm. 3. in Psal. 118. — (2) D. Cyr. de Orat. Dom. — (3) Basil. Selenc. Orat. 35. — (4) S. Zen. Serm. 1. in Psal. 15. — (5) Tert. l. 4. adv. Marc. 36.

sistit, vestigiis modum subtrahit, publicat se verecundia reum. » (1) Ecce verus pœnitentis habitus in Publicano describitur. Trepidus, tumidus, curvatus, pudore et verecundia plenus, præ dolore et contritione pectus percutiens. *Tundere autem pectus, quid est, nisi arguere quod late: in pectore, et evidenti pulsus castigare peccatum?* (2) Unde vetus et antiqua Christianorum consuetudo est, pro pœnitentiæ signo noxium tundere pectus. « Publicanus docuit Pharisæum percuti pectus, quid in actu orandi præcipue curandum, nimirum cordis contritionem et affectum. Percutit ergo pectus, quasi manu designans, unde oratio germana procedat, et ut cor ipsum quod obdormiebat excitet Deo. » (3) Priusquam Publicanus oret, dicatque: Deus, propitius esto mihi peccatori, percutit pectus, tum ut cor de peccatis doleat; tum ut attentum sit accedens ad orationem; tum ut oratio a corde contrito, humiliato, attento et ad Deum excitato, sit validior ad impetrandum. Quocirca Publicanum sic alloquitur Basilus Seleucus: *O Publicanum, clementiæ mercatorem! o Publicanum, qui de portu felicitatis recte vectigal petis! docuisti vectigalium redemptionem, justitiæ violatorem; non desisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti.* (4) Publicanus pecuniam ex vectigali accipiens, Christum effecit vectigalem, a quo non pecuniam, sed gratiam accepit. Bonus mercator Publicanus negotiationem mutans, non terrena bona, sed cœlestia dona negotiatur cordis contritione. *Deus et pudore delectatus* (5) suam ostendit erga Publicanum clementiam, qui dum Pharisæus suo de fastu et arrogantia reprobatur et condemnatur, justificatur et coronatur.

3. *Vituperationem laudatione repellas.* (6) Pharisæus suam justitiam insolenter laudat, arroganter adhuc Publicano insultat, illumque ut peccatorem infamem despicit et ignominiose tractat. Publicanus injuriis Pharisæi lacessitus, nihil contumeliosis sermonibus respondens, ad Deum suam orationem dirigens, tantummodo dixit: Propitius esto mihi peccatori. Attamen *enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum.* (7) Intrat templum Pharisæus, multa virtutum opera prædicat, Publicanum uti publicum peccatorem depretiat: Publicanus nullo se de bono commendat, se peccatorem et scelerosum declarat, sibi ir-

rogatas injurias patienter tolerat. Attende quid utrique acciderit. Descendit hic justificatus in domum suam ab illo. *Vides celeritatem? Accepit probrum, et abluit probrum. Quot labores erant subeundi Publicano, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua pauperibus elargiendo? At uunc cum nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem, ac probra Pharisæi pepere-runt illi justitiæ coronam, idque sine sudoribus et absque longi temporis mora.* (1) Gloriat Pharisæus de suis jejniis, elemosynis aliisque justitiæ operibus; fastuose adhuc se a cunctis hominibus secernit: Non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri; Publicano insuper impropert, quem de peccato et iniquitate culpatur. Audit Publicanus injurias sibi illatas, se inter raptores, injustos et adulteros nominatim comprehensum patienter tolerat, suaque tolerantia et patientia peccatorum veniam impetrat, gratiæque largitatem qua justificatur obtinet. Quanta patientiæ vis quæ injurias condonans a Deo peccatorum accipit remissionem! quantum crimen superbia, quæ tumentem condemnat! *Probatur Pharisæus ingressus est templum quam Publicanus, et condemnatus exivit.* (2) Pharisæus non erat homicida, raptor, injustus, adulter; Publicanus econtra erat peccator publicus, rapinis et exactionibus culpatus: Pharisæus tamen, quia inaniter virtutes suas jactavit, contumeliose Publicano insultavit, totum perdidit, et damnatus exivit; Publicanus de vita erubescens, de peccato dolens, se iniquum humiliter confitens, impropert et contumelias patienter ferens, justificatus et salvatus fuit; quia *qui se humiliat allevabitur, et qui se exultat destruetur.* (3) Christiane, noli tuas decantare laudes, sed humilitatem sectare; et cum feceris omnia quæ præcepta sunt tibi, fatere te servum inutilem. Attente considera Pharisæum *oratione justum de se magnifice sentientem, et peccatorem abjecte, ut inopinato versæ victoriæ spes, fugam superbiæ annuntiet.* (4) Pharisæus se justum, Publicanus se testabatur peccatorem; at inopinato versa est victoria: qui se justum testabatur, factus est peccator, et ut criminosus, reprobatus et damnatus; qui se peccatorem profitebatur, justificatus, prædestinatus et salvatus est. Versa tam subito victoria fugam superbiæ annuntiat, et humilitatem ingenerat, qua gratia et gloria comparatur.

(1) D. Ambr. lib. de Pœn. 16. — (2) D. Aug. Serm. 3. de Verb. Dom. — (3) Theophylact. — (4) Orat. 35. — (5) Philo Jud. lib. 1. de Vit. Moys. — (6) Tert. L. de Res. 5. — (7) D. Aug. lib. de Sanct. Virg. 32.

(1) D. Chrysost. Hom. de David, et Saule. — (2) D. Ambr. Serm. 3. in Psal. 118. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 36. — (4) Basil. Scienc. Orat. 35.

CONCIO QUINTA.

ET hic dimicemus necesse est adversus portentiosorem præsumptionem (1) cujusdam Neoterici anonymi, qui in libello de indaganda veritate, gallico idiomate conscripto, Tertullianum de memoria et imaginatione commendat, de defectu vero judicii, intelligentiæ et rationis culpat. Huic auctori sine nomine merito (2) conveniunt ea quæ Tertullianus de chamæleonte refert: *Sed nomen grande. Chamæleontem qui audieris, haul ante gnarus, jam timebis aliquid amplius cum leone; at cum offenderis apud vineam ferme sub pampino totum, ridebis illico audaciam et Græciam nominis.* (3) Quis enim audiens superbum titulum, perquisitio veritatis, non statim grande concipiat volumen in quo cunctæ comprehendantur veritates quæ naturam et gratiam spectant: at inspicienti videtur chamæleon cui nihil nisi nomen est grande: *Nec succus est corpori, quo minutioribus multo liquet, jejunos semper et indefectus, follicans ruminat, de vento cibus.* Vento superbiæ nutritus, in modum follis inflatus, se solum veritatis inventorem prædicat, veteres philosophos et doctores depretiat, et pro audacia qua tumet, Tertullianum in inscitæ argumentum proponit: cunctorum doctorum qui nunc sunt et antea fuerunt, condemnans judicium, quasi erraverint existimantes Tertullianum doctissimum. Post hæc quis non ridebit audaciam et græciam nominis; anonymi scilicet præsumptionem insequentis Tertullianum, *cujus quot pene verba tot sunt sententiæ, quot sensus tot victoriæ,* (4) quas de Gentilibus, Judæis, Hæreticis, depravatis Christianis reportavit? Omitto veterum scriptorum Patrumque elogias passim obvia, quibus Tertulliani sagacitatem, ingenii sublimitatem, doctrinæ profunditatem ad cælum usque extollunt: ut ipsum prodam Tertullianum de iniquo illo judicio conquerentem: *Hæc est iniquitas, ut ignari ab ignaris judicemur* (5) Hæc prælibanda erant ad ostentandam humani judicii temeritatem. Trinum namque est judicium, justum, injustum et temerarium: 1. Est justum, quia justitiæ regulis conforme; 2. Injustum quia contra jus et rationem fertur;

3. Temerarium, quia leviter et sine causa alios condemnat. 1. Licitum, quia procedit a personis legitimam auctoritatem habentibus, et secundum leges judicantibus, idcirco judices hortatur Regius Vates: *Rectum judicium judicate.* 2. Illicitum est, etsi etenim a judicibus in officio constitutis procedat, est tamen contra legem et justitiam. Hos iniquos judices redarguit Sapiens: *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis.* Tertium est illicitum et injustum, quia ad judicium justum et licitum tria in judicante requiruntur: auctoritas, scientia et probitas. Qui temerarie judicant, sunt absque auctoritate, scientia et probitate. At, prohi dolor! *temerariis judiciis plena sunt omnia* (1): quantumvis ejusmodi judicia sint illicita et injusta ex defectu 1. Auctoritatis et jurisdictionis; 2. Notitiæ et cognitionis; 3. Probitatis et dilectionis.

I. PARS. *Novi demutationem mentis in malas partes.* (2) Eorum scilicet qui alios temere judicant, abutentes Apostolo dicente: *Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur.* (3) Etenim si a nemine judicatur, neque etiam a Christo est judicandus. Ex Apostolo tamen oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. (4) Deinde non est major ratio quod alios judicet: quam quod ab aliis judicetur. Nam, ut bene ratiocinatur D. Augustinus, *iniquum est ut quisque judicare de alio velit, et judicari de se nolit.* (5) Qui temerarie alios judicare præsumit, est iniquus, Deumque proximum, semetipsum offendit: 1. Deum, cujus auctoritatem sibi arrogat; 2. Proximum, quem injuste suo judicio subjicit, et temere judicando diffamat; 3. Semetipsum, nam alios temere judicando se eorum judicio substrat et pænæ mancipat.

1. *Porro judicium soli Deo competit.* (6) Etenim cum solus Deus conspexerit sit cordis, ad ipsum humani cordis judicium spectat: judicium a legitima auctoritate procedere debet: « Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. » (7) Conspectus ille a domesticis neque ejectus; *quia malos in conscientia intelligere non omnium est, ideo hunc malum solus Deus terribilis et rex magnus invenit.* (8) Quinque sunt res quas sibi Deus specialiter reservavit, neque hominibus concedere voluit: 1. Potentiam creandi et producendi creaturas ex nihilo,

(1) Tert. L. de An. 32. — (2) L. 2. c. 3. — (3) Tert. L. de Pall. 3. — (4) Vincent. Lir. c. 24. — (5) Tert. L. ad Nat. 20.

(1) D. Aug. lib. de Past. c. 12. — (2) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (3) 1. Cor. 2. — (4) Rom. 14. — (5) D. Aug. Ep. 174. ad Pascent. — (6) Tert. L. de Fog. in Pers. — (7) Matth. 22. — (8) Pasch. lib. 10. in Matth.

terram et mare tu creasti. 2. Notitiam temporis quo ultimum adveniet iudicium : quapropter de illo sciscitantibus Apostolis respondit Christus : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* (1) 3. Gloriam et honorem sibi debitum : *Gloriam meum alteri non dabo.* (2) 4. Injuriam illatam vindictam : *Mihi vindicta , et ego retribuam.* (3) 5. Notitiam secretorum cordis : *Deus conspexit est cordis.* (4) Deus infinita qua pollet scientiæ perspicacia , non tantum exterius hominis , sed etiam interius clare cognoscit. *Auctori tantum debetur hoc privilegium , ut conscientiam possit intrare secretam* (5), et iudicare non solum de externis operibus , verum et de internis animi et cordis intentionibus : ideoque homines qui secreta cordis cognoscere et iudicare præsumunt , auctoritatem soli Deo propriam sibi arrogat. Quare Job amicos temerarie de se iudicantes de usurpata divina potestate redarguit. *Quare persequimini me sicut Deus?* (6) Quasi dicat : Quare divinam vobis arrogatis auctoritatem? Ad solum Deum pertinet interna cordis iudicare secreta , quæ perfectissime conspicit , non ad vos , qui illa ignoratis. Attamen homo temerarie iudicans , divinam sibi arrogat potestatem , et in alienum servum injuste auctoritatem usurpat.

2. A temerario illo qui alios iudicandi usurpat auctoritatem , sciscitandum est : *Quis te constituit iudicem super nos ?* (7) Nullus iudicandi habet potestatem nisi qui iudicis possidet officium. Homo privatus qui id attentare audet , vane , injuste et nulliter id exsequitur : Deus solus in cor hominis habet jurisdictionem : *Qui me iudicat Dominus est.* (8) Illam jurisdictionem in suos servos nemini contulit Deus. *Tu quis es , ut servum iudices alienum ? Domino enim suo stat quis , vel cadit.* (9) Hoc est , apud Dominum suum causa cadet et condemnabitur , vel stabit et absolvetur. Quasi dicat Apostolus : Dei interest , et illius est iudicium , cuius homo est servus : ipse videat et iudicet , an bene vel male agat ; tua nihil interest : quapropter noli eum temere iudicare , sed divino relinque iudicio : Dei namque servum iudicare , est impudens direptio dignitatis divinæ. (10) Si iudex regius non iudicat causas ad parlamentum evocatas , neque parlamentum quæ in privato regis consilio agitantur , quanto minus potest homo Dei iudicare servum ? Et tamen multi contra expressam

Dei prohibitionem id attentant , et temerariis suis iudiciis in semetipsis fratrem suum difsamant. Uti enim per detractionem honor ejus dehonestatur in audientium animis , ita per iudicium temerarium deperditur in iudicantis mente. Tamen *periculosum est de servo alterius iudicare* (1); et qui Dei servum iudicare præsumit , semetipsum adhuc offendit , et aliorum iudicio exponit.

3. *Nolite iudicare , ne iudicemini.* (2) Iudicium temerarium adeo est criminisum ut homo offendant Deum , cuius sibi arrogat potestatem ; Dei servum , in quem usurpat auctoritatem ; semetipsum , se aliorum iudicio substernens. Quamobrem *non iudicantes ne iudicemur.* (3) Si enim alios iudicaverimus , temere et severe iudicabimur. Temere , permittente Deo in pœnam nostræ temeritatis , ut homines vitæ nostræ existant censores , quemadmodum nos fuimus alienæ. *Temeritas qua punis alium , ipsa te punit. Nocet semper iniquitas injuriam facienti.* (4) Nam , ut ait Christus Dominus : « In qua mensura mensi fueritis , remetietur vobis. » Est proverbialis sententia , mensuram pro mensura , par pari , relatum significans : quali enim modo et mensura iudicaveris alios , et tu vicissim iudicaberis : in quo loco linxerunt canes sanguinem Naboth , et Jezabel lambent. (5) David dormivit cum uxore proximi sui : ait illi Deus : « Tollam uxorem tuam in oculis tuis , et dabo proximo tuo , et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. » (6) Severe etiam plectetur a Deo in præsentia vita , et futura. In præsentia : Maria , Moysis soror , lepra percussa fuit , quod suum fratrem temere iudicasset , Michol sterilis reddita , temere iudicans Davidem non ex devotione sed ex levitate animi saltasse coram arca Domini. In futuro ejus rigidam et exactam experientur sententiam. Igitur *nolite condemnare , ne condemnemini* (7) : illi enim iudicantur a Deo et condemnantur , qui absque auctoritate et scientia temere alios iudicant.

II. PARS. *Scientia instructa , et consilium inspirat , et iudicium gubernat.* (8) In iudiciis civilibus et criminalibus scientia inspirat consilium , ejusque iudicium gubernat ut sit conforme rationi , juri et legibus : at scientia non est instructa homini , ut cordis arcana cognoscat : etenim *mediocritas humana facti solum iudicat , quia voluntatis laterbris par non est* (9) : attamen homo absque

(1) Act. 1. — (2) Esa. 48. — (3) Hebr. 10. — (4) Tert. L. de Cult. Fem. 13. — (5) Pascal. lib. 2. cap. — (6) Cap. 19. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (8) 1. Cor. 4. — (9) Tert. L. de Pud. 2. — (10) Climac. Grad. 10.

(1) D. Hieron. in 1. Cor. 4. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (3) Tert. L. de Pud. 2. — (4) D. Aug. — (5) L. 3. Reg. 21. — (6) L. 2. Reg. 12. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (8) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (9) Tert. L. de Pœn. 5.

ulla scientia quæ illi voluntatis latebras de-
tegit, temerarie judicat humanas actiones
exterius apparentes; quæ vel apparent indif-
ferentes, vel dubiæ, vel bonæ: 1. Indifferen-
tes sinistre interpretatur; 2. Dubias malas
suspicitur; 3. Bonas de prava intentione cul-
pare conatur.

1. *Facilius falso malo, quam vero bono creditur.* (1) Actiones proximi de natura sua indifferentes, quæ in bonam et malam partem sumi possunt, semper sunt in bonam partem sumendæ. *In iis rebus quæ possunt et bono animo fieri et malo, iudicium Deo dimittamus, nec audeamus de alterius corde quod non videmus ferre sententiam.* (2) Homo autem temerariis iudiciis assuetus, actiones indifferentes semper sinistre interpretatur, suaque sinistra interpretatione et temerario iudicio, non leviter offendit. *Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei de quo temere iudicatur, ei autem qui temere iudicat ipsa temeritas necesse est ut noceat.* (3) Nocet iudicanti qui peccat; nam, ut docet Angelicus doctor, « cum aliquis de his iudicat quæ sunt dubia vel occulta propter aliquas leves conjecturas, dicitur iudicium temerarium. » (4) Cujus tres sunt velut gradus: primus dubitationis, secundus suspicionis, tertius iudicii et condemnationis. Primus de malitia proximi dubitat, secundus malitiam suspicitur, tertius malitiam credit, iudicat et condemnat. Dubitatio fit dum examinatis utraque ex parte rationibus quæ pro bonitate vel malitia actionis indifferentis militant, suspenditur iudicium, non plus ad unam quam ad alteram vergens partem. Suspicio dum magis ad malum quam ad bonum propensus est intellectus licet illud absolute non credat. Iudicium vero malitiam certam et indubitatam existimat. Dubitatio est mala. Suspicio pejor, iudicium dubitatione et suspicionem pejus. Nam, ut concludit D. Thomas, « dum homo ex levibus iudiciis, de bonitate alicujus dubitare incipit, est veniale peccatum; cum vero aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus iudiciis, et hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale. » Cujus hanc subministrat rationem: quia « hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, et ideo injuriatur ei. » Si enim peccat apud alterum, famam proximi lædendo, quidni apud semetipsum *de occultis alieni cordis temere iudicare peccatum est?* (5) Qui autem actiones

indifferentes sinistre interpretatur, temere iudicat. *Sunt quædam media quæ ignoramus quo animo fiunt; et quia bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare ut condemnemus. Horum autem veniet tempus, ut iudicent homines, cum Dominus illuminabit abscondita tenebrarum.* (1) Quoad usque veniat illud tempus non præsumamus iudicare ut malas, actiones indifferentes, quæ fortasse bonæ sunt, quia bono vel malo animo fieri possunt. Risit quondam Abraham audiens promissionem de filio sibi a Deo factam. (2) Eadem promissione audita, risit et Sara; quis hominum iudex, si tam similibus signis duceretur, aut Abrahamum cum Sara non reprehenderet, aut Saram cum Abrahamo non absolveret? Deus tamen Abrahamo absoluto, Saram reprehendit: quia, ait D. Augustinus (3), risus Abraham admirationis et lætitiæ fuit, Saræ autem dubitationis, et ab illo dijudicari potuit qui corda hominum novit. Gedeon et Zacharias annuntiata rei signum ab Angelo expostularunt. Quid inter utrumque discriminis? Deus tamen Gedeoni (4) tanquam fidelem moerem gessit, Zachariæ (5) vero tanquam incredulo, vocem abstulit, quia ubi humanus oculus discrimen non agnoscit, divinus facile deprehendit. Moyses (6) et Jonas (7) sese excusarunt, ne idololatris prædicarent: Quis eos internis animis non dixisset pares, qui externis factis tam pares videbantur? Deus tamen Moysi pepercit, Jonam vero corripuit: quia solus discrevit Moysen propter humilitatem, Jonam se excusasse propter vanitatem. Saul reprehensus a Samuele (8), et David a Nathan, pariter dixerunt: *Peccavi.* (9) Quid aurium iudicio similis? et tamen Deus, qui, ut ait D. Ambrosius, *vere interioris est arbiter conscientiæ, et animi ac mentis interpretes* (10), agnovit Saulem ore tenus, Davidem ex imo corde doluisse: cum igitur sub externis factis valde similibus valde dissimiles animi delitescant, actiones indifferentes non sunt sinistre interpretandæ quæ bono animo fieri possunt. Nam, ut ait incertus Augustinus, « fallimur in iudicio nostro, quia simulatio in verbis et vultu circumvenit nos: in corde enim quid sit videre non possumus. Quamobrem sequi Dei iudicium nos oportet, qui secundum cor, in quo uniuscujusque sententia est, examinat singulos. » (11) Dei autem iudicium non se-

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 7. — (2) D. Aug. in Ep. ad Rom. Propos. 79. — (3) D. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. 29. — (4) 2. 2. qu. 60. art. 3. — (5) D. Aug. lib. de vera Innoc. c. 21.

(1) D. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. 28. — (2) Gen. c. 17. et 18. — (3) Hom. 56. in Gen. — (4) Judic. 6. — (5) Luc. 1. — (6) Exod. 5. — (7) Jonas. 1. — (8) L. 1. Reg. 15. — (9) L. 2. Reg. 11. — (10) L. 1. de Abrah. — (11) L. Quæst. Vet. et Nov. Test. qu. 18.

quitur, qui actiones indifferentes sinistre interpretatur, et dubias, malas suspicatur.

2. *Non licet rectius suspicari.* (1) Homini ad temere judicandum pronò, actiones dubiæ, bonæ credendæ sunt, utpote a bono animo procedentes, illas tamen plerique homines malas suspicantur. Ex D. tamen Augustino, *iniquum est ex suspitione reprehendere, cum eorum quæ hominis sunt incognita, solus Deus iudex sit : quia justus est, et inspector verus.* (2) Iniquum profecto est male in dubiis suspicari, et absque ulla causa proximum judicare : leges civiles supponunt probitatem in cunctis qui de vitæ improbitate non convincuntur, et homo suum judicabit proximum, ignorans an probus vel improbus sit? Parlamentum ex multis viris sapientibus et doctis conflatum, circa causam in factò dubiam procedere non præsumit absque prævia inquisitione cunctorum quæ facti possunt detegere veritatem; et homo ut plurimum indoctus et inexpertus, absque ulla probatione in fratrem suum audet ferre sententiam? Ecclesia non judicat de internis, et Christianus privatus, occulta judicans, actiones dubias ut malas condemnat? Ipsemet Deus absque examine et discussione adversus criminosos non fert sententiam. Vide quomodo inobsequentem Adamum (3) interrogat ubinam sit, quomodo a fratricida Cain (4) seiscitatur quid de fratre suo fecerit. Interrogat, ait D. Chrysostomus (5), non ut eorum cognoscat crimen, quod probe noverat, sed ut nos doceat fratres temere et nimia præcipitatione non judicare. Et quod est omnino consideratione dignissimum, volens Deus judicare quinque urbes Pentapolis, quæ nefandis criminibus suis ejus vindictam provocarant, non prius eas igne succendit quin viderit an earum essent veræ salacitates. « Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non. » (6) Ut quid Deus tanta cautela utitur in exercenda justitia? ut quid malum cum difficultate credit cum auditur? Respondet Gregorius Magnus : *Ut nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare.* (7) Homo tamen temerarius plus præsumens quam Parlamentum, quam Ecclesia, quam ipsemet Deus, de internis judicat, absque ulla discussione et probatione fratrem condemnat, actiones dubias malas existimat, et apparenter et exterius bonas de prava intentione culpatur.

3. *Extraneis speculatoribus, et indicibus*

(1) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (2) Lib. de Ver. Innoc. c. 21. — (3) Gen. 3. — (4) Gen. 4. — (5) Hom. 19. in Gen. — (6) Gen. 18. — (7) Lib. 19. Mor. 25.

detracter (1), utpote fallacibus. Actiones aliæ apparent malæ, aliæ videntur bonæ : quæ apparent malæ, sunt excusandæ, et non judicandæ; ad quod plura nos inducunt : 1. Fragilitas naturæ ejus qui male agit, aut ignorantia, aut vehemens tentatio. *Cave alienæ conversationis esse curiosus explorator, aut temerarius iudex. Etiam si perperam quid actum deprehendas, non sic iudices proximum, magis excusa; excusa intentionem si opus non potes : puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dic : Vehemens nimis fuit tentatio : quid de me fecisset, si in mea fuisset potestate? Dic cum Christo, qui in atroci Judeorum scelere proclamavit : Nesciunt quid faciunt.* (2) 2. Ille quem vidimus male agentem, fortasse de peccato pœnituit, et rediit cum Deo in gratiam : libet eo bonum præjudicari, quia plerosque convertat, et sibi rapiat. (3) Ex aphorismis Galeni in morbis acutis iudicium persæpe fallit : quia conatus naturæ ægrotantem repente a periculo liberat. Idipsum operatur gratia, criminosiores quosque in momento convertens. *Facile est in oculis Dei honestare* (4), ut constat exemplo Sauli, Magdalenæ, Latronis, Publicani; unde D. Augustinus : *Quis enim homo judicat de homine? de quo desperavimus, subito convertitur, et fit optimus.* (5) 3. Etiam si homo qui male agit tam cito non convertatur, neque agat pœnitentiam, sed suis criminibus assuetus et induratus appareat, quis scit qualis sit futurus? Nonne potest conteri et salvari? *Duo sunt in quibus temerarium cavere debemus iudicium : cum incertum sit quo animo quidque factum sit; vel cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc malus apparet.* (6) Quod pulchre elucidat Paschasius ex parabola (7) boni seminis quod paterfamilias seminavit in agro suo, cui inimicus homo superseminavit zizania : « Aliud est de manifestis apertisque criminibus judicare, aliud de his quæ adhuc sub herba latent : nam zizania antequam in culmum veniant, dum in herba sunt, tanta similitudo in eis est ut discerni vix possint, aut nunquam possint; et ideo Dominus : Sinite, inquit, usque ad messem : quoniam potest fieri quod hodie zizania videtur, cras triticum fiat, et quod ad præsens apparet triticum, in futuro convertatur in lolium. » (8) Inde concludit D. Augustinus :

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 7. — (2) D. Bern. Serm. 56. in Cant. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (4) Eccli. 11. — (5) L. de Pastor. 12. — (6) D. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. 28. — (7) Matth. 13. — (8) L. 7. in Matth.

Difficile est in hac vita ut nos ipsos noverimus; quantominus debemus de quoquam præproperam ferre sententiam? Quia si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus. (1) 4. Homo peccator et scelerosus ad sua et non aliena debet attendere crimina: *sed stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit, quam in suo trabem.* (2) Hypocritis autem qui se neglectis, alios considerant, et ut habet græca radix, lynceis oculis curiose intuentur, dicendum est: *Auferte stipulam de oculo vestro, aut trabem de oculo vestro, ut stipulam de alieno extrahatis.* (3) Criminosos illos inspectores et censores redarguit Christus Dominus, ex muliere in adulterio deprehensa et a Pharisæis ad ipsum adducta. Salvator haud Pharisæorum (4) annuens votis, neque adulteram mulierem condemnans, sese inclinans deorsum digito scribebat in terra. At quid scribebat? « Terra terram accusat, » ait D. Ambrosius; vel Pharisæorum peccata, ut vult V. Beda, quæ cum legissent hypocritæ Pharisæi, unus post alium discesserunt. D. vero Augustinus asseverat Christum scripsisse ipsissima verba quæ postea protulit: *Qui sine crimine est primus in eam lapidem ferat.* (5) Idipsum hypocritis censoribus objicit D. Ambrosius: *Qui sunt immunes a peccato, peccatum fratris sui judicent et condemnent: Discite quod in nobis accusetis, et non accusabitis; recognoscite quid in vobis non accusetis, et accusabitis.* (6) 5. Esto qui alios judicant non sint scelerosi, nonne possunt cadere in peccatum? nonne debent timere ruinam? *Et hoc mirum, ut probatus aliquis retro, postea excidat? Saul bonus præ cæteris, livore postea evertitur. David, vir bonus secundum cor Domini, postea cædis et stupri reus est. Salomon omni gratia et sapientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur.* (7) Lapsui etiam justissimi obnoxii sunt, et, ut fatur D. Augustinus, *de quo multum præsumpsimus, subito deficit, et fit pessimus.* (8) Ignorantia qua laborat homo qualis sit de præsentis, an justus, an injustus: *Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo: tamen utcunque ipse quid hodie, quid autem cras, nec ipse.* (9) Inscitia etiam qualis sit in futuro, et adhuc periculum cadendi in quo versatur, ejus animum a iudicio temerario debet dimovere, sibi dicens cum illo anachoreta de quo fatur D. Bernardus, qui

fratrem suum peccantem conspiciens suspirans dixit: *Hei mihi! hodie ille, cras ego.* (1) 6. Unusquisque ad sui emendationem vacare debet antequam alios condemnet: *Emendate vosmetipsos prius.* (2) Nam ut belle ad propositum animadvertit D. Augustinus, *ii maxime temere judicant qui magis amant vituperare et damnare quam emendare et corrigere.* (3) At alios emendare et corrigere non prætendunt, cum seipsos emendare et corrigere nolint. Nam ut hypocritam urget D. Chrysostomus, « si vere ex charitate cordis argueres proximum tuum ut salvares, teipsum ante salvares: nunquid possibile est ut benevolentior sis alteri quam tibi? ut quid cum teipsum nolis salvare, alterum velis? » (4)

Quod si actiones quæ apparent malæ non sunt condemnandæ, sed excusandæ, quæ videntur bonæ non sunt malæ judicandæ: *Cum sit humanius occulta manifestis adjudicare, quam manifesta de occulto præjudicare.* (5) Interius externo conforme credendum est, et quod bonum apparet, bono animo factum existimandum; hypocritæ tamen ex externo bono bonam mentem non inferunt: *Nec tamen hoc ipso ad æstimationem alicujus latentis boni animos promovetis* (6); sed opera virtutis perperam interpretantes, exterius non valentes culpæ, intentionem damnant. Quæ de re merito queritur Sidonius Apollinaris: *Quis non erubescat, cum videat sordidari virtutum sinceritatem, criminatione vitiorum?* (7) Propheta maledictionem jaculat in eos qui dicunt bonum malum et suo perverso iudicio diabolicam ostentant malignitatem. Diabolicum plane est, cum opus non possint reprehendere, intentionem judicare et damnare. Sic Satan cum Job laudaretur tanquam timens Deum et recedens a malo, ejus judicavit intentionem, existimans id facere Job, non amore Dei, sed amore sui. « Si enim, inquit, abstuleris ab eo bona, maledicet tibi. » Vides quomodo Job dæmon ut hypocritam judicat? Eodem modo hypocritæ de viris piis judicant. Quod si eos interroges: *Cur autem non et a vobis ipsis quod justum est judicatis?* (8) hoc procedere fatentur ex defectu prohibitatis.

III. PARS. Ad recte de proximo iudicandum Christianos hortatur Tertullianus: *Justum iudicium et pacatorium iudicate.* (9)

(1) Præfat. in Psal. 139. — (2) Tert. Apol. 39. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (4) Joao. 8. — (5) In Psal. 110. — (6) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 3. — (8) Lib. de Pastor. 12. — (9) D. Aug. ibid.

(1) Serm. 2. Resur. — (2) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (3) Lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. 30. — (4) Hom. 18. in Matth. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 4. — (6) Tert. L. 1. ad Nat. 1. — (7) Lib. 7. Ep. 7. — (8) Tert. L. de Cor. Mil. 4. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 29.

His verbis, non solum iudices admonet ut probe suo fungantur officio, sed cunctos adhuc fideles a iudiciis temerariis dimovere nititur: *Pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendum prompta et parata esse probatur.* (1) Quod ex trino ut plurimum oritur principio: scilicet ex 1. Præsumptione et superbia; 2. Animadversione et invidia; 3. Perversitate et malitia.

1. Judicandi temeritas præsumptioni deputatur. (2) Hæc autem præsumptio a superbia ducit originem. Superbus de se præsumit, et præsumendo temere de aliis fert iudicium: *et hoc vitium superbia est.* (3) Homines superbia inflati ex aliorum dejectione semetipsos commendare moliuntur, quos ideo iudicant et condemnant. Sic Pharisei Christi accusant discipulos, quod non lotis manibus manducent, aut vellant spinas die sabbati. Sic hæretici, politici et mundani, perverse de ecclesiasticis iudicant: inde hæreses et schismata procedere vult D. Cyprianus. *Unde nam schismata et hæreses, nisi dum episcopus superba quorundam præsumptione contemnitur; et homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur.* (4) qui ex animadversione et invidia iudicandi habent temeritatem?

2. *Charitas non æmulatur, non inflatur, non proterit.* (5) Scilicet invidia non laborat, non superbia inflatur, non sese ostentat, non ut se attollat, alios deprimit. *Non cogitat malum* (6), non sinistre de fratre suo iudicat. *Amor et odium sæpe faciunt iudicium cognoscere.* (7) Ea est enim amoris natura ut omnia interpretetur in bonum: quapropter princeps Apostolorum Petrus Christianos ad mutuam stimulat dilectionem, *quia charitas operit multitudinem peccatorum.* (8) Charitas delicta eorum quos diligimus quantumvis magna, non solum minuit et extenuat, sed etiam operit atque tegit: odium econtra de inimico malum cogitat. Sinistræ enim suspensiones et perversa iudicia defectu charitatis animantur, et ex odio nascuntur. *Quemadmodum eadem terra stat quidem sanis, movetur autem vertiginosis, et qui se circumvolverint, cum videntium passio ad id quod cernitur transmutatur, ita et nos facile decipimur in inimicitias.* (9) Temeraria siquidem de aliis iudicia ex animadversione concipiuntur, et in odii officina culuntur. Qui sunt huiusmodi in die iudicii a Christo non

cognoscentur, scientia scilicet approbationis. « Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia eiecimus? »

(1) Quibus dicit Dominus: « Nescio vos: » et ab electorum numero separabuntur, quia, ut ait Magnus Gregorius, *probatio quippe sanctitatis, non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere: de Deo autem vera cognoscere, de proximo vero meliora quam de seipso sentire.* (2) Ea charitas erat Bernardi a Quintovallo, seraphici Francisci socii, qui post obitum apparuit fratri Leoni, oculis ad modum solis radiantibus, dixitque se tali potiri gloria, eo quod neminem temere iudicasset, sed cunctos semper se meliores existimasset. Tales non erunt qui alios sive ex odio et animadversione, sive ex iniquitate et malitia iudicant.

3. *Quanto enim proni ad malitiam, tanto ad mali fidem opportuni estis.* (3) Aurelius pictor omnes imagines ad Lucretiæ amasiæ suæ similitudinem efformabat. Ita homo cuncta ex humore aut genio iudicat: *Quidquid videtur per humorem, longe amplius vero est.* (4) Uti per vitrum rubrum aut flavum prospiciens, omnia iudicat rubra aut aurea, ita pro animi affectione alios iudicamus. *Hoc enim proclivius homo suspicatur in alio, quod sentit in seipso.* (5) Conscientia sincera et candida, suspicax non est: neque enim in aliis suspicatur malum, quod nunquam in se experta est; *minimeque in malitiam, fraudemque suspicatur cuius animus a malitia liber est* (6): neque alios de criminibus iudicat a quibus est immunis. *Probi libenter credunt, quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere quod non sunt* (7): ut Discipulorum exemplo comprobatur. Christus Dominus consummaturus humanæ redemptionis opus, cunctis in cœnaculo discipulis congregatis ait: « Unus vestrum me traditurus est, » (8) quo audito omnes attoniti cœperunt singuli dicere: « Nunquid ego sum, Domine? » Et ecce Salvator dedit eis signum dicens: « Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet; » quo signo denotatur Judas Iscariotes, quem Petrus iudicare proditorem minime ausus, interrogat: « Quis est de quo dicit? » *Signum vidit, peccatum non credidit, quia discipulus est Christi* (9), cui proprium nihil sinistri de proximo suspicari. Non potuit eviden-

(1) D. Aug. Serm. 102. de Temp. — (2) Tert. L. de Test. An. 4. — (3) D. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. 30. — (4) Lib. 5. Ep. 9. — (5) Tert. L. de Pat. 12. — (6) 1. Cor. 13. — (7) Arist. — (8) 1. Pet. 4. — (9) Greg. Naz. Orat. de Pac.

(1) Matth. 7. — (2) L. 20. Mor. 1. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 4. — (4) Senec. lib. 1. quæst. Natural. 6. — (5) D. Aug. Serm. 12. in Psal. 118. — (6) Greg. Naz. Oral. 1. in Julian. — (7) D. Ambr. lib. 3. Offic. 10. — (8) Joan. 13. — (9) D. Aug.

tius dari signum proditiōnis Judæ, hanc tamen Joannes ait se et cæteros Apostolos ignorasse: « Hoc autem nemo scivit discumbentium. » Ubi D. Chrysostomus: *Nunquid et Joannes? neque ipse: neque enim putavit discipulum in tantam prorupturam iniquitatem: cum enim longe a tali scelere abessent, neque de aliis suspicabantur.* (1) Apostoli audierant a Domino illum esse proditorem cui intinctum præberet panem: mox Christus intingit panem ante oculos Apostolorum et dat Judæ, et nihilominus non suspicantur Judam esse proditorem, cum enim ipsi longe abessent a proditiōne, de nullo proditiōnem suspicati sunt: etsi oculis viderint evidentissima proditiōnis indicia. *Innocentes Apostolicum cum essent et sancti, nihil mali de proditore cogitare sunt ausi: quod nefas a se alienum non ignorabant, hoc condiscipulo adscribere verebantur.* (2) Nemo facile credit alienum facinus, nisi qui illud patravit, vel patrare potest. A propria conscientia, aliena discitur: iniquitas et malitia, quam quisque experitur in semetipso, eum manuducit, ut simile flagitium præsumat in aliis. *Sicut insanus neminem putat esse sanum* (3), ita criminosus cæteros criminosos existimat. « Dum quis ex seipso malus est, talis faciliter de aliis malum opinatur, juxta istud Eccle. 10: « Stultus in via ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. » (4) Sic Nero salacissimus cunctos homines luxuriosos existimabat. Idem dicendum est de avaris et de superbis: etenim *omnis homo secundum se existimat alterum.* (5) Quemadmodum qui bonæ complexionis et forti stomachi est, cibos etiam duriores et crudiores, in bonam convertit substantiam, e converso qui habet stomachum (6) debilem et male affectum, in pravos humores optima quæque convertit alimenta, sic homines sinceri et pii, etiam peccata excusant, et omnia in meliorem partem retorquent: homines vero pravi semper sunt suspicaces, et optima quæque in partem pessimam detorquent. *Neque enim facile malum de alio suspicatur qui non facile ad malum impellitur.* (7)

Quo argumento Tertullianus redarguit Gentiles qui atrocissima de Christianis credebant facinora. *Qui ista credis de homine,*

(1) Hom. 71. in Joan. — (2) Laur. Just. lib. de Triumph. Agon. Christ. c. 5. — (3) Imperf. Hom. 1. in Matth. — (4) D. Thum. 2. 2. qu. 60. art. 3. — (5) D. Chrysost. — (6) S. Dorotheæ. — (7) Greg. Naz. Orat. 5.

potes et facere. Homo es et ipse, quod et Christianus: qui non potes facere, non debes credere: homo est enim et Christianus, et quod et tu. (1) Propria peccata iudicium sunt iudicandi aliena: si Gentiles vel non commississent vel non potuissent committere abominanda flagitia quæ objectabant Christianis, nequaquam præsumpsissent illa commisisse Christianos. Qui alium de crimine iudicat suo temerario iudicio satis superque demonstrat se reum esse criminis quod aliis impingit: ac proinde dum alios temere iudicat, semetipsum arguit et plane condemnat. *Inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas* (2), et sæpe sæpius innocentes a scelerosis iudicantur. Quod obplorat Tertullianus: *Hæc est iniquitas, ut absoluti a reis iudicemur* (3), et scelerosi existimemur.

Ab hac suspicandi et iudicandi temeritate liberari deprecatur Regius Vates: *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum.* (4) Opprobrium suum nuncupat, non contumelias, quas illi impropereant maledici et detractores, sive ex odio, sive ex invidia: neque etiam infamiam quam fabricat imaginatio, persæpe enim non te infamiæ, sed infamiæ opinione laboramus; sed *suum opprobrium dicit, quod de aliis suspicatur; quia facilius in alio putat, quod in se sentit. Precatur ergo auferri opprobrium quod in se sentit, et in aliis suspicatur.* (5) Temerarium de alio iudicium est opprobrium ejus qui temere iudicat, tum quia ut plurimum reus est criminis quod in aliis suspicatur; tum quia justo Dei iudicio in illud facinus labitur quod in aliis condemnat; tum quia peccatum opprobrium est; iudicium autem temerarium peccatum est; tum quia iudicium temerarium in re gravi gehennæ meretur pœnam, quæ est summa contumelia. *De occultis cordis alieni temere iudicare, peccatum est: et eum, cujus non videntur opera, nisi bona, ex suspicione reprehendere. Hoc ergo opprobrium, hoc suspicionis vitium, hic qui vult esse perfectus, a se optat auferri* (6), ut liberetur a contumelia, quæ in inferno reperitur; a dedecore, quod lethale peccatum consequitur; a suspicione et iudicio, quo suspicio et iudicium temerarium mulctatur, possitque adipisci gloriam quam charitas in cœlo meretur.

(1) Tert. Apol. 8. — (2) Rom. 2. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 20. — (4) Psal. 118. — (5) D. Aug. — (6) S. Prosper.

.....

CONCIO SEXTA.

DILECTIO non æmulatur (1) : et qui invidia laborat dilectionem non habet. *Ubi est invidia, amor fraternus esse non potest, quia qui invidet non amat.* (2) Fraternali charitate destitutus hypocrita, invidia continuo tabescit : tum quia *superbia mater est invidiæ, non potest nisi generare hanc et cum illa semper esse.* (3) Hypocrita autem est superbia inflatus : tum quia *qui falsi sunt justis, necesse est ut invideant veris justis.* (4) Nemo enim invidet alteri in eo quod non vult vel esse, vel videri. Alius tibi invidet, quia dives es, aut dives vult esse, aut putari vult dives. Alius tibi invidet, quia vel clarus es et nobilis, aut hoc esse affectat, aut hoc esse putari cupit. Et sic omnia quæ putantur et videntur bona in seculo, quod quisque vult habere et in quo vult excellere, vel cuius rei famam captat, in eo tibi invidet. Hypocritæ autem *qui falsi justis sunt, videri volunt justis cum non sint, et necesse est ut quem viderint verum justum invideant illi, et hoc cum illo agant quomodo amittat unde gloriatur.* (5) Verum quia invidia non secus ac hypocrisis plerosque toxicat Christianos : nam *quis est cujus non sensum livor invasit ?* (6) ut tanti veneni concipiant odium ostendenda est invidiæ 1. Malitia et iniquitas ; 2. Sævitia et crudelitas ; 3. Miseria et infelicitas.

I. PARS. Cunctorum vitiorum malitiam hypocritæ invidia, et *æmulatio superat.* (7) Invidiæ autem malitia et iniquitas trina ex parte colligitur, quia est vitiorum initium, vitiorum compendium, diabolicum vitium. Invidia est vitiorum origo et initium : *Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, inobedienciæ causa, ignominia principium.* (8) Gregorio Nysseno arridet Chrysologus : *Invidia peccatorum mater, origo vitiorum.* (9) Peccatum suum habuit initium in cælo, ubi Angeli rebelles a Deo descierunt, et in paradiso terrestri, ubi homo Deo inobsequens fuit : at *invidia de cælo abiecit Angelum, de paradiso exclusit hominem.* (10) In cælo invidia peccavit Angelus, et invidia adhuc hominem

ad peccandum induxit. Unde Chrysologus : *Invidia malum vetustum, prima labe, antiquum virus, seculorum venenum, causa funeris. Hæc in principio ipsum Angelum ejecit, et dejecit de cælo ; hæc de paradiso hominem principem nostræ generationis exclusit.* (1) 2. Invidia est vitiorum compendium, non solum quia, ut satur Chrysologus, est *delictorum venenum, criminum virus* (2), sed etiam quia in ea cuncta velut coadunantur delicta : *ubi enim zelus, ibi omne opus prævum* (3) contentum eo modo, quo effectus continentur in causa, radii in sole et lineæ in centro. Tandem 3. Invidia est vitium diabolicum : *Peccatum diaboli est invidia* (4), ait D. Augustinus, *qua diabolus utique diabolus est.* (5) Ex sua natura Angelus invidia effectus est diabolus. *Invidia horrendum malum : ipso malo diabolus dejectus est ; ipso dejecto, dejecit multos ; quia multum maligna pestis est.* (6) Uti autem invidia Angelum in diabolum commutavit, ita hominem in dæmonem convertit. *Invidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem ac in damnum convertit.* (7) Inde concludit D. Chrysostomus : *Tale malum invidia est, quia nulla unquam malignitas pejor invenitur, ideo est 1. Inexcusabilis ; 2. Irremediabilis ; 3. Interminabilis.*

1. Inexcusabilis est diabolus, quem Deus *prædamnando testatus est ab institutionis forma libidine propria conceptæ ultro malitiæ exorbitasse.* (8) Aliorsum (9) fuse agitatam est quodnam fuerit Luciferi peccatum : nunc sufficiat dicere Lucifero propositam fuisse adorandam Verbi incarnationem, præ invidia tamen quod humana natura et non angelica ad tantam extolleretur dignitatem, Verbo humanando denegasse adorationem. Ut enim ait Chrysologus, tantum honorem *ne haberet homo, Angelus, qui inter primos habebatur, invidit, maluitque in diabolum commutari, ne hominem plenum gloria sic videret.* (10) Homo invidus inexcusabilis est, quia diaboli æmulatur malitiam, imo, ut vult D. Chrysostomus, eam superat, estque ipso diabolo deterior. *Invidus ipso diabolo magis invidus est.* (11) Quod os aureum pulchra ratione demonstrat : *Invidet Satan, sed hominibus, sociorum nemini : tu vero homo cum sis, hominibus invides, odium adversus genus naturamque communem exerces, quod*

(1) Tert. L. de Pat. 12. — (2) D. Aug. Tract. 5. in Ep. Joan. — (3) D. Aug. in Psal. 100. — (4) D. Aug. in Psal. 139. — (5) D. Aug. ibid. — (6) Salv. l. 5. de Gubern. Dei. — (7) Tert. L. adv. Valent. 9. — (8) Greg. Nyss. in vit. Moys. — (9) Serm. 48. — (10) Chrysol. ibid.

(1) Serm. 4. — (2) Serm. 48. — (3) Jacob. 3. — (4) Tract. 5. in Ep. Joan. — (5) D. Aug. lib. de ver. Relig. 13. — (6) D. Aug. Tract. 5. in Ep. Joan. — (7) D. Chrysost. Hom. 46. in c. 21. Genes. — (8) Tert. l. 2. adv. Marc. 10. — (9) Tert. Præd. tom. 1. Tract. de Perfect. Ang. Conc. 4. — (10) Serm. 148. — (11) Hom. 41. in c. 21. Matth.

ne Satan quidem facit : quam igitur veniam assequeris ? quam tandem excusationem prætendes, si fratris successum vilens palles ? Tria sunt quæ minuunt peccati malitiam peccatoresque efficiunt venia dignos. Ignorantia, quæ non attendit ad peccati gravitatem ; violenta passio, quæ rationem contenebrat et impedit libertatis usum ; infirmitas naturæ, quæ ad malum propendet et aliquod objectum vehementer concupiscit. At nullum horum invidi excusat malitiam. Non ignorantia, quia non invidet proximo nisi ob bonum quod in illo cognoscit. Non violentia passio, quia invidia fit cum notitia et libertate. Neque naturæ infirmitas, quia invidendo nullum bonum neque verum, neque apparens prosequitur. Ut venenum nemo, nisi bono vino immixtum, aut dulcedine quadam aspersum hauseris, ita lethalis noxæ virus peccator ob corporis voluptatem, ob honoris gloriam, ob divitiarum emolumentum sectatur. Si quærat a superbo cur ambit dignitates ? respondebit : Ob honorem qui illas consequuntur. Si a lascivo, cur venereas prosequitur voluptates, respondebit : Ob oblectamentum quod in eis reperitur. Si ab avaro, cur tam sollicitè captat divitias, respondebit : Ob lucrum quo ditatur. At invidus neque emolumentum, neque oblectamentum, neque honorem invidendo sibi comparat, quapropter omnino inexcusabilis est. *Omni venia caret hoc peccatum : nam fornicator quidem concupiscentiam prætereundere potest, fur paupertatem, homicida furorem : tu vero quam dices causam ? rogo. Nullam penitus, nisi tantum intensam nequitiam* (1), nulla excusatione excusandam, et adhuc irremediabilem.

2. *Diabolus pessimus* (2) ita malo adhæret, ut ejus voluntas inflexibilis sit ; nam superbia et invidia peccans, nunquam a superbia et invidia destitit. Ut enim ait D. Augustinus, *diabolus et angeli ejus a luce atque fervore charitatis aversi, et nimis in superbiam invidentiamque progressi, velut glaciali duritia torpuerunt*. (3) Damnati absque ullo remedio sunt in inferno. Diabolum invidia reum et inexcusabiliter damnatum existimat D. Augustinus : *Vitium diabolicum est invidia, qua inexcusabiliter est reus*. (4) Inde invidiæ malitiam infert D. Cyprianus : « Quale malum est, quo Angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ille qui decipit ? Exinde invidia grassatur in terris,

dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat, imitatur. » (1) Et sicut diabolus inexcusabiliter est criminis, ita homo irremediabiliter est invidus : invidiæ enim morbus sic medullitus convisceratur invidio ut prope immedicabilis reputetur. *Invidia omnibus malis peior : quos ceperit, liberari nequeunt ; quos vulneraverit, ad curam non veniunt ; invidia vitari fuga potest, non potest superari conflictu* (2) : Dominus scelerosis minatur Judæis : *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos*. (3) *Regulus idem est ac basiliscus, alba quasi corona lineatum habens caput, ita infectus ut afflatu et spiritu interimat homines*. Tropologicè per hos regulos Gregorius Magnus (4) dæmones intelligit ; Hugo Cardinalis detractores ; Cassianus vero invidos, quibus nulla est incantatio, quia invidia est morbus immedicabilis. *Sciendum sane est, invidiæ morbum difficilius ad medelam quam cætera vitia pervenire : nam eum quem semel veneni sui peste corruperit, pene dixerim carere remedio : ipsa namque est lues de qua figuratè dicitur per prophetam : Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos*. (5) Ecce tibi, quomodo immedicabilis morsu invidia mordeat, sicut reguli quibus non est incantatio. Irremediabili plaga serpit invidiæ lues ; nam, ut belle fatur ad propositum D. Cyprianus, *calamitas sine remedio est odisse felicem*. (6) Adeo malitiæ tenax est invidiæ vitium ut hominem reddat surdum ad Dei verbum, a quo solo potest sanari ; adeo tamen mentem obcæcat et voluntatem obdurat, quod neque medicum languoris sui assumere, neque remedii aliquid invenire potest, cum præcipue omnes Scripturæ repletæ sint verbi Dei medicamentorum, quibus possint ista curari : sed inde quidem remedium non requirit : unum autem sibi remedium putat, si forte ei cui invidet, infaustum aliquid accidat. (7) Quapropter nullum sumens remedium, laborat morbo irremediabili, et afficitur malitia pene interminabili.

3. *Diabolus ob Dei gratiam invidus* (8), invidia interminabiliter torquetur : *Invidia immane est vitium, qua necesse est torqueatur* (9) invidus, ut dæmoni assimiletur in poena cui assimilatur in malitia. *Quid enim est detestabilius, et quod magis thesauriset*

(1) D. Chrysost. Hom. 40. ad Pop. — (2) Tert. l. de Pat. 5. — (3) Epist. 120. ad Honorat. — (4) L. de Discipl. Chr. c. 1.

(1) Serm. de Zelo et Livore. — (2) Chrysost. Serm. 48. — (3) Jerem. 8. — (4) Lib. 54. Mor. 5. — (5) Collat. 18. c. 17. — (6) Ibid. — (7) S. Zeno de Livor. et Invid. — (8) Tert. Apol. 27. — (9) D. August. lib. de Ver. Relig. 45.

iam in die iræ et revelationis justi iudicii Dei, quam de malo alterius mera diaboli similitudine atque imitatione letari? (1) Diabolus ubique et semper torquetur, *omni loco ac tempore angatur necesse est.* (2) Invidus ubique semper suum defert tormentum, invidia velut species quædam immensitatis et æternitatis ad omne tempus et locum sese extendit, ut in omni loco et tempore distorqueat invidum: « Quicumque es invidus, videris quam sis eis quos odisti, insidiosus, perniciosus, infestus. Nullus magis quam tuæ salutis inimicus es: quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere et vitare te poterit: tu te non potes fugere: ubicunque fugeris, adversarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est, perniciæ intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus et vinctus es, zelo dominante captivus es. » (3) Invidia, noxia quadam immensitatis et æternitatis æmulatione ad nocendum, semper præsens est. *Invidiam qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia: quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum præna est, ubi cruciatus est aliena felicitas?* (4) Quid tam calamitose infelix quam sibi ultro perpetuum adhibere tortorem, sicque dilatare malitiam ut existat sine fine peccatum, et absque termino supplicium? *Mala cætera habent terminum, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur: invidia terminum non habet, permanens jugiter malum, et sine fine peccatum.* (5) Diaboli malitia finem non habet, invidiæ malignitas terminum ignorat, finem nescit, permanens jugiter malum: mors impii æternat peccatum in quo decessit. Culpa quæ per pœnitentiam expungi poterat ante mortem, post mortem jugiter permanet, nec ulla potest pœnitentia deleri. Damnatorum culpam æmulatur invidia, quæ permanet jugiter ac si foret peccatum post mortem, adeo enim tenaciter adhæret invidio, quasi illam excutere non possit. Ea est invidiæ malitia et perversitas, quæ adhuc de sævitia et credulitate culpatur.

II. PARS. *Dilectio benefica est* (6); seu, ut fatur Apostolus, *benigna*. Ut autem animadvertit Guillelmus Antistes parisiensis, « benignitas proprie est amor alieni boni, » et quia benignitas est terminus abstractus a quo denominatur benignus, ex præfato antistite, *benigni quasi bene igniti* (7) dicuntur. Ut autem benignus est bono igne ignitus,

ita invidus est malo igne succensus. Quod innuere videtur Scriptura de Caino loquens, qui Abeli fratri invidit, eique necem intulit, quia « in maligno erat quoniam opera ejus maligna erant: » (1) seu, ut interpretatur Hugo Cardinalis, *malo igne invidiæ plena*. Duo sunt quæ nos ad benignitatem inducunt: humanitas et charitas. Humanitatem et charitatem tollit invidia: *Ubi est invidia amor fraternus esse non potest, quia qui invidet non amat* (2); et quasi parum sit invidio denegare fratri amorem, quem natura et gratia efflagitat, illum adhuc odio prosequitur. Nam, ut bene ratiocinatur D. Augustinus, *superbia est causa invidendi: Cum superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidentia vero sit odium felicitatis aliene, quid inde nascatur in promptu est: amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquantur; vel inferioribus, ne sibi coæquantur; vel superioribus, quia eis non coequatur* (3); cunctosque aversatur et crudeliter insequitur. Ideoque D. Chrysostomus, invidios peiores feris, dæmonibusque deteriores existimat. *Invidi peiores sunt feris, dæmonibus autem pares, et forte deteriores.* (4) Sunt feris peiores: *nam feræ escæ indigentes, vel a nobis irritatæ, adversus nos armantur.* Non insequuntur tamen eos qui eas non irritant, vel escam subministrant: *Invidi vero etiam benemeritis allecti, benemeritos maleficiis persecuti sunt.* Cætera vitia in malum feruntur, invidia alienum aggreditur bonum, *et usque nunc qui desiderabiles sunt, et voluntarii Deo, ipsi sunt zelabiles, et irritant ad invidiam sui tenebrarum viros.* (5) Invidi adhuc sunt ipsis dæmonibus deteriores, « dæmones licet contra nos bellum exercent impacatum, consortibus tamen generis sui non insidiantur: unde Judæis Christus os occlusit cum eum in Belzebuth ejicere dæmonia calumniarentur. » Invidi vero neque naturæ communionem, neque religionis reverentur societatem: *Summum inter se hominum vinculum est humanitas, quod qui diruperit, nefarius et parricida existimandus est.* (6) Invidus humanitatis et charitatis vincula rumpens, adeo nefarius et crudelis existit ut perpetraverit 1. Homicidium; 2. Fratricidium; 3. Deicidium.

1. Belle Tertullianus invidiosum representat, *tumentem, dedignantem, indignantem* (7), cædes et homicidia molientem. Quapropter Magnus Basilius acute animad-

(1) D. Aug. lib. de Catech. Rud. c. 11. — (2) Tert. L. de Pat. 15. — (3) D. Cypr. de Zel. et Livore. — (4) Chrysol. Sermon. 172. — (5) D. Cypr. Tract. de Zelo et Livore. — (6) Tert. L. de Pat. 17. — (7) De Retribut. Sanct.

(1) 1. Joan. 5. — (2) D. Aug. Tract. 5. in Ep. Joan. — (3) Lib. 11. de Gen. ad Litt. 14. — (4) Hom. 40. ad Pop. — (5) Imperf. Hom. 1. in Matth. — (6) Lact. lib. 6. Div. Inst. 10. — (7) Tert. L. de Pud. 14.

vertit, non casu, sed moralissimo consilio Apostolum invidiæ junxisse homicidium. *Plenos invidia, homicidio* (1): quasi cædes sit invidiæ appendix. *Quas et Paulus simul junxit, inquit, plenos invidia, cæde.* (2) Longam contexerem historiam, si referrem quos invidia, non solum dignitatum gradu, sed etiam vita dejecit. Nonne Justiniani imperatoris invidia excæcavit Belisarium de Vandalis Persisque victorem et triumphatorem, qui in tuguriolo ad viam demorans, stipem a prætereuntibus sibi erogari, hac verborum formula postulabat: *Viator, da obolum Belisario, quem virtus extulit, cæcavit invidia?* Annon Theodosii junioris invidia Cyrum, architectorum principem, belli ducem, patritium, consularem, aulæ, prætorii, urbisque præfectum, in exilium misit? Is cum Constantinopolim terræmotu fere eversam restaurasset, populusque nova urbis specie delectatus, acclamaret: *Constantinus condidit, Cyrus instauravit;* his vocibus vulneratus Imperator, Cyrum fortunæ bonis destituit, Smyrnam misit, ut ab improbo populo mactaretur. Annon invidia qua erga suum patrem Philippum æstuabat Alexander, Parmenioni ejusque filiis intulit necem? «Cum audisset ex Parmenione laudes prædicari Philippi, tanta fuit invidia percitus, ut statim, non solum Parmenionem, sed etiam ejus liberos juberet interfici.» (3)

Invidiæ crudelitatem non solum profanæ, sed etiam sacræ testantur historiæ, ut patet Danielis et Davidis exemplo. Satrapæ Babylonis invidia tabescentes, neque ferre valentes Danielem supra omnes principes sublimatum, suis machinationibus, calumniis, importunitatibus, minis atque violentiis coegerunt Darium regem ut Danielem in lacum leonum conjiceret. Projecto autem Daniele, *allatus est lapis unus et positus super os laci, quem obsignavit rex annulo suo et annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* (4) Quid opus, obsecro, tam immani saxo? ut quid os laci tanta obsignatur diligentia? Non avolabit Daniel e fovea tam profunda; capitales illius hostes scalas non porrigent; sat insuper custodum habet, tot scilicet impastos leones, quorum expositus est ferocitati et edacitati. Tanta cautela utitur rex, ne quid ab invidis fieret contra Danielem, quos magis quam leones pertimescebat. *Rex magis timuit ferocitatem aulicorum suorum malorum quam feritatem bestiarum* (5): ideo os laci obsignavit annulo, quia, ut fatur D. Hieronymus, *qui de leonibus se-*

curus, de hominibus pertimescit, quos invidia ipsis leonibus efficit crudeliores, ut exemplo Saulis comprobatur, qui ita invidia exasperabatur, ut Davidem quem oportebat ut benefactorem et salvatorem agnoscere, *quereret interficere.* (1) Percusso Philistæo, Goliath prostrato, populus decantavit: «Percussit Saül mille, David decem millia.» Brevis illa victoriæ panegyris, invidi Saulis perstringit oculos, ejusque animum adeo in furorem convertit, ut Davidi necem sæpe sæpius inferre molitus sit. Nam, prætereundo quod Davidem super mille viros tribunum constituit, ut juvenis amans gloriæ periculis objectus quam citius periret, semel et iterum eum lancea transfodere tentavit. Saül a dæmone exagitatus, et lyra quam David pulsabat a dæmone liberatus, *hastam ejaculatus, medicinæ pretium, cædem obtulit: quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, ut iterum serviret invidiæ.* (2) Libens omitto plura invidiæ crudelis exempla passim in profanis sacrisque litteris obvia, divina attestante Sapientia: *Alius alium per invidiam occidit;* (3) quam ideo homicidii matrem nuncupat D. Chrysostomus: *Invidia homicidii mater est: at omnium sceleratissimus es, cum invidias fratri.* (4) Sceleratus est qui extraneo invidet, at sceleratissimus est fratri et germano: crudelis est invidus, perpetrans homicidium, at longe crudelior ex invidia committens fratricidium.

2. *Cain ille primus homicida, et primus fratricida* (5), et, ut fatur Magnus Basilus, *primus diaboli discipulus, invidiam et cædem ab eo edoctus* (6), manus suas germani fratris sanguine cruentavit. *Primus terrenæ civitatis conditor fuit fratricida Cain: nam suum fratrem civem civitatis æternæ in hac terra peregrinantem, invidentia victus occidit.* (7) In sua adhuc infantia mundus adlevit malis, nec inter fratres secunda innocentia fuit. At cur Cain innocuo fratri nocuas manus intulit? Quia, ait Ambrosius, invidus fuit, quod non suum, sed Abelis sacrificium Deo fuerit acceptum. *Cum dolet sibi gratiæ cælestis auctor fratem esse prælatum, de sacrificio processit ad parricidium.* (8) A mundi exordio livorem sortita est religio, ipsas aras fœdavit invidentia. Aliter respondet Chrysologus, ideo Cainum Abellem trucidasse, quia totus orbis, mortalibus alioquin vacuus, duos non potuit capere fratres altero invidente: *Fecit invidia,*

(1) Rem. 1. — (2) Hom. de Invid. — (3) Justin. lib. 7. — (4) Dan. 6. — (5) Greg. Naz. 9.

(1) D. Chrysost. Hom. 46. in c. 21. Gen. — (2) Basil. Seleuc. Orat. 15. — (3) Sap. 14. — (4) Hom. 44. ad Pop. — (5) Tert. L. de Pat. 5. — (6) Hom. de Invid. — (7) D. Aug. lib. 15. Civ. 5. — (8) Serm. 16. in Ps. 1. 9.

fecit ut mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo: namque ipsa Cain junioris crexit in mortem, ut esse solum zeli livor faceret quem primum fecerat lex natura. (1) Invidi solitudinem captant. Solitudo hæc superborum est et invidorum, quia solos sese existimant, se solos appetunt reputari. (2) Romulus ut solus Romæ dominaretur, Remum fratrem interemit; Alexander ut solus orbis haberet imperium, Dario Persarum regi dimidiamque regni partem offerenti respondit: *Cælum unum duos soles, neque Asiam duos reges capere non posse.* Et quod omnem excedit crudelitatem, Solimanus, Turcarum imperator, tres pueros de medio sustulit, ne cum illis imperium partiri videretur, arroganter dicens: *Unus in cælis Deus, unus in terris Solimanus.* D. Augustinus existimat Abelem a Caino trucidatum, non quia angusta erat mundi dominatio quam nullatenus ambiebat Abel, sed mera perversitate qua mali bonis invident. *Nec in hoc alter alteri invidit quod ejus dominatus fieret angustior, qui alterum occidit, si ambo dominarentur; sed invidia illa diabolica, qua invident bonis mali.* (3) Cain malus erat, Abel vero bonus: malus autem diabolica invidia bono invidit. *O zelus! o invidia omni malitia cumulata!* (4) exclamat merito D. Chrysostomus, quæ omni adversaris bonitati. Chrysostomo assentiens D. Cyrillus Alexandrinus, invidiam sic alloquitur: « Cum odis invidentia quempiam propter bonum, jam principaliter ipsius hostis es boni: quoniam cujus gratia est unumquodque; et illud magis. Sed cum ipsum bonum sit Deus, a quo tanquam a suo fonte, bonitatis vena manans in omnia derivatur, hinc sane vincitur quod tu hostis Dei et boni sis, et tui ipsius ac omnium inimicus. Cæterum cum malitia bonitati sit contraria, vide quanta te depravavit malignitas, cui tota bonitas est adversa. » Quanta invidiæ perversitas, quæ omne insequitur bonum, ipsumque Deum bonitatis aversatur fontem! Hæc invidiæ perversitas, quæ eluxit in Cain adversus Abel, in Esaü adhuc adversus Jacob manifestatur.

Solet æqualitas æmulationis materiam ministrare. Sic figulus figulo, faber fabro invidet (5): et quod est lugendum magis, frater fratri: quapropter Rebecca Esaü conspiciens invidiam adversus Jacob, Jacobo suadet fugam, ut saltem exsilio valeat invidi Esaü vitare furorem. « Nunc ergo, fili mi,

audi vocem meam, et consurgens, fuge ad Laban fratrem meum in Haran. » (1) Hujus autem fugæ causam subministrat D. Chrysostomus: *Verisimile enim, quod separatio et temporis processus poterit mitigare iram, et finire invidiam, et oblivionem afferre eorum quæ in furto benedictionis gesta sunt.* Invidia filiorum Jacob in necem Joseph conspiravit, et Ismaelitis vendidit. De fraterna illa erga Josephum invidia fatur eloquenter Basilius Seleucus: *Fratres Josephi in speciem cædis vestem compositam, quasi sine sanguine invidentiam nequeant extinguere.* (2) Invidiæ furor absque sanguinis effusione non pacatur. Quod si quæras a D. Chrysostomo cur Deus mittens Samuelem in domum Isai, ut unum ex filiis ejus inungeret in regem, specialiter Davidem non nominavit, respondet: *Ne scilicet pateretur David quod passus est Joseph. Sicut enim illi addiscentes futurum sibi regem, insidiati sunt, et post multas injurias vendiderunt, invidia commoti, timentes ne forte frater eorum minor, ab eis regis instar adorandus esset.* (3) Adeo innata est hominibus invidia ut frater in fratrem sæviat, iniquus in bonum, homo in Deum. Quod eloquenti stylo declarat Chrysologus: *Invidia primum contaminavit terras germano sanguine; ipsa germanas compulit venundare germanum; ipsa Moysem fugavit, Aaron in fratris excitavit injuriam; Mariam maculavit livore germani; ac ne multis, quod pavet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit, ipsum Christi attendit et pervenit ad sanguinem.* (4) Christiane, quantumvis sis innocuus, etsi a culpa vaces, ab invidia non liberaris (5); a qua immunis non fuit ipsemet Christus, quem persequentes invidia Judæi, patrarunt deicidium.

3. *Ubi studium, ibi et æmulatio, per quam studium sapit: porro et ubi æmulatio, ibi et furor, et bilis, et ira, et dolor.* (6) Hæc omnia in Judæis comprobantur, qui ob Christi invidiam dolebant, irascebantur, exasperabantur, furebant, occasionemque captabant illum calumniandi, tanquam sabbati violatorem, voracem et potatorem, criminosum et peccatorem. Chymici metalla vilia in pretiosa commutare moliantur, Judæi vero alchimiæ diaboli, argentum in fæces, aurum in lutum, virtutem in vitium, honorem in opprobrium, gloriam in vituperium, sanctitatem in malitiam transformare volunt. *Isti tales omnes prorsus virtutum species decolorare contrariis, et a malitia sumptis appel-*

(1) Serm. 4. — (2) D. Bern. — (3) L. 15. Civ. 5. — (4) Hom. 44. ad Pop. — (5) Tert. L. 2. ad Nat. 20.

(1) Gen. 27. — (2) Orat. 8. — (3) In Psal. 50. — (4) Serm. 48. — (5) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (6) Tert. L. de Spect. 15.

lationibus gestiunt (1); et cum cæcus a natiuitate visum accepisse a Jesu testaretur, 1. Judæi non crediderunt sermonibus ejus; 2. Hoc miraculum arte magica operatum affirmarunt: « Homo peccator non potest hæc signa facere. » Tandem 3. Illuminatum cæcum Christi virtutem et sanctitatem prædicantem *ejecerunt de Synagoga tanquam excommunicatum et reprobum.* (2) Et hoc ex invidia qua æstuabant: et, ut ait D. Chrysostomus, *putabant miraculum annihilare. Nec mirum si invidi Judæi Christo exoptabant auferre famam, qui ejus vitæ parabant insidias. Christus postquam ab æterno Patre suum mutuasse decorem confessus est: Tu formasti me* (3), seu, ut legit Sanctus Bruno, *formosum me fecisti*; statim subjungit: *Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Per has autem tenebras præfatus Sanctus Judæos invidios intelligit: *Tenebræ conculcabunt me in mortem, invidia formositatis*: quod probe sciens Pilatus Christum de manibus Judæorum liberare tentavit: *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent illum.* (4) Scio nonnullos appositam cruci inscriptionem sic interpretari: J. N. R. J. Jesus Nazarens rex Judæorum, sed non displicent qui titulum illum sic explicant: *Invidia nostrum regem interfecit.* Inde concludendum est cum Chrysologo: *Invidia Abrahamæ progeniem, populum sanctitatis, ad auctoris sui cædem, ad mortem sui Salvatoris armavit* (5): quo nihil iniquius, crudelius et infelicius. Invidia, nequitia et malignitate culpata, sævitia et crudelitate dedecorata, miseria et infelicitate mulctatur.

III. PARS. *Cæterum inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, dolor, gaudium, passio (quia communis spiritus de communi Domino et Patre) quid tu hos aliud quam te opinaris?* (6) Unitas quam cum Deo et inter se habere debent Christiani, ab eorum animis arceret invidiam: qui sunt ad invicem charitate compaginati, *de aliena infelicitate contristantur, de aliena felicitate lætantur.* (7) Quapropter Christus Dominus ad illam unitatem nos stimulat, vultque ut quam habet cum Patre imitemur; qui, ut eloquenter fatur Sanctus Zeno, *Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri, alter retinet in altero: cujus gloria communis est honor; quia quod est Filii, Patris est; quod Patris, amborum; lætatur Pater in alio se, quem genuit ex se.* (8) Tria notatu dignis-

sima dixit Veronensis autistes: 1. Quod est Filii, Patris est, et e converso: quia eandem habent naturam, eadem attributa, perfectiones easdem. 2. Filius nihil derogat Patri, homo invidus alienæ perfectioni detrahere festinat, quasi de aliena bonitate sit imbonus, et de aliorum felicitate censeatur infelix. Perfectio autem quæ inest Filio nihil Patri derogat, ambo eadem felicitate potiuntur. Tandem 3. Lætatur Pater in Filio velut in semetipso, quem de sua generat substantia, sibi que æqualem conspicit: *Beati invident nemini* (1), divinam imitantes unitatem. Nam, 1. Quod est unius, alterius esse videtur. Amantes Deum, *totum singuli possident, et totum omnes habent.* (2) 2. Beatitudo unius alterius felicitati non derogat, et quamvis in domo Dei mansiones multæ sint, nullus tamen alienæ derogat gloriæ. *In illa beatitudinis regione, nec majoris meriti sibi aliquid quisquam arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit; nec superior inferiori invidet, quia ibi invidus nullus esse poterit.* (3) Tandem 3. Quivis beatus de alterius felicitate lætatur, quia tanta charitate et pace sociantur, *ut quod in se quisque non accepit, hoc se accepisse in aliis exsultet.* (4) Ecclesia militans triumphantis æmulatur perfectionem, verique Christiani non sunt invidi, quia Beatorum imitantur charitatem: nam amantes unitatem aliorum bonum sibi appropriant: *Si amas unitatem etiam tibi habes, quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo; tolle invidiam, et meum est quod habes: livor separat, unitas jungit.* (5) Qui sunt charitate destituti et invidiæ morbo laborant, unitatem non habent, ideoque 1. A corpore Christi separantur; 2. Cœlesti Felicitate privantur; 3. Inferni doloribus cruciantur.

1. *Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere: condoleat universum, et ad remedium conlaboret, necesse est.* (6) Duplex est corpus: naturale unum ex diversis membris et partibus compositum; mysticum aliud, ex multis Christianis conflatum. 1. In corpore naturali unum membrum de alterius dolore non lætatur, sed dolet. In corpore etiam mystico, unus Christianus de alterius felicitate gaudere debet: *Congraude illi cui Deus aliquam gratiam donavit.* (7) 2. In corpore naturali si unum membrum non sentit alterius dolorem, aridum vel putrefactum

(1) S. Zen. Serm. de Zel. et Livor. — (2) Ludolph. — (3) Psal. 158. — (4) Matth. 27. — (5) Serm. 4. — (6) Tert. L. de Pæn. 10. — (7) Tert. L. de Spect. 16. — (8) Serm. de æter. gener. Filii.

(1) D. Aug. lib. 9. Civ. 14. — (2) D. Aug. in Psal. 75. — (3) D. Prosp. lib. 1. de Vit. Cont. — (4) Greg. Mag. lib. 4. Mor. 41. — (5) D. Aug. Tract. 53. in Joan. — (6) Tert. L. de Pæn. 10. — (7) D. Aug. lib. 50. Hom. hom. 15.

est. *Cognoscant invidi omnes, qui de aliorum tribulationibus gaudent; quia membra sunt putrefacta et mortua, ideo non habent sensum.* (1) 3. Tandiu dolet membrum quandiu in corpore continetur: si enim abscissum fuerit, nec dolere poterit, nec sentire. Christiane, patitur aliquis tribulationem aut damnum? *Si doles pro illo, in corpore Ecclesie constitutus es; si non doles, praecisus es: si enim ibi esses, sine dubio doleres.* Uti membrum corpori unitum et sentiens, alteri condolet et congaudet, ita Christianus per charitatem unitus et animatus, alterius dolorem sentit, deque illius felicitate letatur, Invidus tamen de fratris prosperitate non gaudens, ut membrum putridum a Christi corpore abscinditur. *Non vis congaudere glorificato? Videt in te invidie morbum caelestis medicus, et praecidet te de suo corpore.* Noli ergo invidere de dono Dei, de virtutibus, quas non habes, ne praecidaris a corpore. (2) Merito exclamat D. Augustinus: *Quid miserius invidentia?* (3) Tum quia invidi graviter peccant. *Qui innocenter viventibus invident, faciunt peccata gravia.* (4) Magna autem miseria peccatum est: tum quia hoc peccatum maxime arguit Deus; *tristitiam de alterius bonitate.* (5) Dei autem increpatio invidiae denotat gravitatem: tum quia invidus a Christi corpore separatur, et quia invidus est alienus a corpore, ideo affectum charitatis non tenet in corde (6), caelesti beatitudine « quae in amore sita est » privatur.

2. In mundo aemula quaeque concurrunt (7): ubi invidia grassatur, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato supercenditur. (8) Invidia multis vitiis, sed tribus potissimum stipata procedit: superbia scilicet, odio et avaritia. 1. Superbia, etenim *omnis superbus invidus est* (9); 2. Odio et animadversione, quia *invidia est odium felicitatis alienae.* (10) Odium quo in suum aemulum fertur invidus, tantum est ut nequeat illum benignis prospicere oculis. *Quis non aemulum suum cum videt patitur? Quis oculis in eum potest, in quem mentibus non potest?* (11) quia, ut ait Basilius Magnus, *invidia genus est inimicitiae intractabile, ac ulmodum insuperabile.* (12) 3. Tandem avaritia: *Et quomodo invidus non avarus? quando quidquid habet alter, se computat perdidisse.* (13)

Quidquid aemulo suo fortuna dedit, sibi ablatum et sibi amissum reputat: ut patet exemplo fratris Prodigii, de quo Chrysologus: *Frater credidit damnum, qui rediisse conspicit cohaerem.* Quare cum veniret et appropinquaret domui, intrare noluit; cumque audiret symphoniam et choros, indignatus est, et nolebat intrare. *Invidum fugat symphonia pietatis, chorus charitatis excludit, et quem ad fratrem vocat ratio naturae, livor non patitur intrare.* (1) Verendum est ne multi ob livorem non ingrediantur caelestem aulam. Ut enim ait Basilius Magnus, invidia est *regni caelorum privatio.* Ad cuius fugam nos hortatur Sanctus Zeno Veronensis: *Fugiamus invidiam, obicem pietatis, obstaculum regni caelorum, viam gehennae, pignus et primitias quasdam paenae perpetuae.* (2) Quot damna incurrit invidus qui misera infelicitate, caeli gaudiis privatur, et inferni doloribus cruciatur?

3. Justo Dei iudicio statutum est, ut aemuli invidia onerarentur (3); et invidendo aliis in animo cruciarentur. Quapropter belle Gregorius Nazianzenus invidiam injustissimam simul et justissimam existimat. Injustissimam, quia alieno invidet bono; justissimam, quia invidos acerbissime cruciat: *Invidia tabes possessorum, virus ac rubigo eorum qui ea exagitantur; sola ex animi perturbationibus aequissima simul et iniquissima.* *Illud, quia bonis omnibus infesta est; hoc, quia dominos suos exedit et conficit.* (4) Invidia de aliena dolens felicitate, de scelerosa malitia et perversa iniquitate rea, sui ipsius est aequissimus iudex et justissimus vindex. *Invidia suorum carnifex semper exstitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit.* (5) Quantum invidia discruciet animos eloquenter declarat Gregorius Nyssenus: *Invidia doloris initium, calamitatis parens, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturae morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, intestinorum ignis.* (6) Tot conglobata non bona invidiae elogia, ejus amaritudinem demonstrant. Ejus adhuc miseriam et calamitatem mirum in modum declarat D. Augustinus: *Invidentia bono cruciatur alieno* (7), suaeque malitiae luit poenas: *Nullus invidus ut alterum laedat, non sibi prior tormento est; poenam peccati prior patitur, quam noceat.* (8) Imo persaepe alteri non no-

(1) D. Aug. lib. 50. Hom. hom. 15. — (2) D. Aug. — (3) L. 9. Civ. 14. — (4) D. Aug. Serm. 44. de Divers. — (5) D. Aug. lib. 15. Civ. 7. — (6) D. Aug. lib. 50. Hom. hom. 15. — (7) Tert. Scorp. 10. — (8) Tert. L. de Paen. 10. — (9) D. Aug. in Psal. 100. — (10) D. Aug. lib. 50. Hom. hom. 20. — (11) Tert. L. de Pall. 5. — (12) Hom. de David. — (13) Chrysol. Serm. 4.

(1) Chrysol. — (2) Serm. de Livor. — (3) Tert. L. de Pud. 14. — (4) Orat. 26. — (5) Chrysol. Serm. 172. — (6) In vit. Moys. — (7) L. 50. Hom. hom. 20. — (8) L. cont. Secuudum. c. 10.

cet, sed semetipsum tantummodo cruciat. *Zelare in homine donum Dei et in malo opprobrio bona aliena convertere, alienam gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admoveere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatus lacerent.* (1) Quid invidio miserius, qui absque ulla utilitate, ulla delectatione, ullo honore tormenta patitur; misera laniena excarnificatur et continuo dilaceratur? Invidia etenim, nec in ludo, nec in convivio, nec in studio, nec in somno, eum rodere cessat, sed incessanter dilaniat. *Non cibus talibus letus, non potus potest esse jucundus; suspiratur semper, et ingemiscitur, ac doletur diebus ac noctibus, pectus obsessum sine intermissione laniatur.* Multiplici comparatione utitur D. Augustinus ut tormentum quod parturit invidia aliquatenus explicare valeat. Interdum eam confert ærugini quæ consumit ferrum: *Sicut enim ærugo ferrum, ita invidia illa ipsam animam in qua est, interimit et consumit.* Interdum viperæ nascenti comparat quæ non proditur in lucem nisi dilacerando materna viscera in quibus concepta est: *Et sicut aiunt viperas dilacerato et disrupto illo ipso materno utero, in quo conceptæ sunt nasci, ita et invidiæ natura ipsam animam a qua concepta est, et consumit et perdit.* Interdum eam assimilat unguis corpora discerpentibus: *Quid infelici viro præstat invidia, quem in secreto conscientiæ quibusdam unguis livor ipse discerpit, et alienam felicitatem tormentum illius facit?* Interdum de invidia tanquam de tabe, de vulnere, de putredine loquitur. *Qui invidet sic est quomodo tabes, quomodo vulnus, quomodo apostema.* (2) Et ut ait Sapiens, *putredo ossium invidia* (3), non solum carnes, sed et ossa læthali tabe consumens.

Verum quantumvis atrociam sint memorata tormenta, non satis invidi declarant cruciatus, quos sacer textus de inferni pœnis taxat. *Dura sicut infernus æmulatio* (4): seu, zelus et invidia, ut vertunt Septuaginta. Invidia inferno comparatur duplici potissimum de causa: 1. Quia est via ad infernum, et ut fatur Basilius Magnus, invidia est *serpentis præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrhabo, via ad gehennam.* (5) 2. Quia invidus vivum in semetipso portat infernum et damnatorum quodammodo patitur tormentum. Quapropter Regius Vates ærumnis pene oppressus sic tragice

conqueritur: « Dolores inferni circumdederunt me. » (1) Quem locum sic elucidat D. Augustinus: *In his qui me circumdederunt, ut perderent me, erant dolores invidiæ, qui mortem operantur, et ad infernum perducunt.* Parum est quod invidia dicatur via gehennæ, punitionis arrhabo, primitiæ pœnæ perpetuæ, nisi præcoqua inferni gehenna nuncupetur, et invidus præpropere patiatur supplicia quæ sustinent in inferno reprobi. In inferno sunt tenebræ quæ præscitorum excæcant oculos, ignis urens, dentium stridor, vermis rodens, separatio a Deo, perpetua mors. Cuncta hæc tormenta patitur invidus: 1. Tenebras. *Non sic nubes cælum, nox diem, solem caligo, quomodo mentem cæcat, et tenebrat invidia.* (2) Quare nuncupatur a Beato Alano: *Invidia cæcæ est cæcitatibus abyssus, humanæ mentis infernus.* 2. Ignem Urentem. Ut enim ait D. Cyprianus, *quanto ille qui invidetur successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium inardescit.* Omnes alii ignes extinguere possunt; ignis invidiæ non secus ac ignis inferni est inexstinguibilis: *Invidia ignis inexstinguibilis*, ait D. Chrysostomus. 3. Dentium stridorem. Invidus præpropere inferni colonus stridet dentibus suis. « Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis. » (3) In inferno est perpetuus fletus et *stridor dentium* (4): invidus præscitorum instar de aliena gloria præ invidia æstuat, clam tristis ejulat, dentes quasi aper acuit, et velut canis cum rixatur, dentes detegit et dentibus infrendet. *Invidus alienum bonum suum facit invidendo supplicium.* (5) 4. Vermem rodentem. « Invidia vehemens atque atrox malum, ac modis omnibus crudele est. Qui enim cupiam invidet, animi angore discruciat, contabescit, misere eliquatur totus: invidia enim quasi vermis in ligno et in vestimento tinea: cor denique et faciem ejus conficit, ac macerat hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit. » (6, 5. A Deo separationem, *quia sicut nos Deo jungit charitas, a Deo invidia sic sejungit.* (7) Tandem, 6. Perpetuam mortem. Impossibile est ut quis in hoc seculo simul moriatur et vivat: illud animabus duntaxat damnatis convenit, quæ omni hora moriuntur, neque vitam unquam finire possunt. Invidus non secus ac si esset in inferno, *morte vivit perpetua*, infernum secum circumferens, gehennæ tormenta pa-

(1) Serm. 85. de Temp. — (2) Lib. 50. Hom. hom. 15. — (3) Prov. 14. — (4) Cant. 8. — (5) Hom. de Invid.

(1) Psal. 17. — (2) Chrysost. Serm. 48. — (3) Psal. 56. — (4) Matth. 8. — (5) D. Prosper. lib. 1. de Vit. Contempl. c. 1. — (6) S. Antioch. Hom. 53. — (7) Chrysost. Serm. 4.

tiens. Christiani, *invidiæ pellamus et excludamus insidias* (1), si gehennæ volumus vitare supplicia; *invidiam totis amorum cælestium viribus comprimamus, si volumus*

cælestem mereri gloriam; si paradisi beatitudinem possidere; si æterni Patris inhabitare donum. (1)

(1) Chrysol. Serm. 4.

(1) D. Chrysost. Hom. 34. in Joan.



INFERNUS.

SCHOLIUM.

Pœnarum Inferni 1. *Veritas*; 2. *Diversitas*; 3. *Acerbitas*; 4. *Ignis infernalis activitas*; 5. *Privationis Dei infelicitas*; 6. *Pœnæ tum damni tum sensus æternitas.*



CONCIO PRIMA.

SCELEROSI et peccatores sunt a Deo *gehennæ destinati.* (1) Gehennæ autem notitia debet Christianorum cordibus ingenerare timorem et peccati fugam: multi tamen inferni supplicia non credunt, plerique credentes non metuunt; nonnulli credentes et timentes libere peccant, ac si tartaræ pœnæ essent fabulosæ. Primi de impietate culpan- tur; secundi temeritatem ostentant; tertii cæcitate et stultitia laborant. Magna sane est insania non credere gehennæ tormenta quæ patiuntur in inferno reprobis; major ea credere et non timere; maxima, credere, timere et non præcavere. Veri Christiani pietate, timore et prudentia commendantur. Pietate credunt, timore metuunt, prudentia præcavent. Hæc tria præsertim præstant, dum proponitur inferni gehenna 1. Credenda; 2. Metuenda; 3. Cavenda.

I. PARS. *Si gehennam nominemur proinde decachinnamur.* (2) Incredibilis est quibusdam inferni pœna, et fideles eam credentes cachinnis deridentur. Reviviscunt hac ætate Seleucianorum errores qui inferni supplicia fictitia et fabulosa existimabant:

impii etenim qui dicunt in corde suo: Non est Deus, orci etiam tormenta de medio tollere nituntur, ut liberius suis vacent criminibus; animam morti subjiciunt, nihilque hominis post mortem residuum, in inferno torqueri volunt. *Nec ignoro plerisque conscientia meritorum, nihil se esse post mortem magis optare quam credere. Mul- tum enim extinguere penitus quam ad supplicia reparari.* (1) Ejusmodi impietas quæ animæ immortalitatem, Deo justitiam, inferno existentiam adimit, confutatur 1. Unanimes sapientum testimonio; 2. Infallibili humanatæ veritatis oraculo; 3. Evidenti rationis patrocínio.

1. *Damnati in pœnam mortis deputantur.* (2) Hoc cuncti sapientes unanimi consensu fatentur. *Itaque ridemur Deum prædicantes judicaturum: sic enim et poetæ et philosophi tribunal apud inferos ponunt; et gehennam si comminemur, proinde decachinnamur; sic enim et Pyriphlegeton apud mortuos amnis est.* (3) Romani idololatriæ adhuc dediti *inum tartarum* (4) recognoscunt, quem *carcerem pœnarum inferuarum* affirmant. (5) Chaldæi et Ægyptii apud Trismegistum in-

(1) Tert. l. 2. de Cult. Fern. 7. — (2) Tert. Apol. 47.

(1) Minut. Fel. in Octav. — (2) Tert. L. 1. de Cult. Fern. 2. — (3) Tert. Apol. 48. — (4) Tert. Apol. 11. — (5) In Asdep. c. 10.

fernum flammis replent ultricibus, ad noxios puniendos destinatis. *Noverunt et Philosophi diversitatem arcani et publici ignis.* (1) Eadem est mens Brachmanorum et Gymnosophistarum apud Indos, qui Strabone (2) teste, quoties de Deo, toties de inferno loquuntur; quasi divina justitia absque inferno cognosci non possit. Subscribunt Græci cum Platone qui inferos in gremio terræ collocat. *Inferos Plato velut gremium terræ describit, quo omnes labe mundalium sordium confluyendo et ibi desidendo exhalent, et quasi cæno immunditiarum suarum crassiorem haustum et privatam illic aerem stipent.* (3) Tandem a cunctis nationibus credita est inferorum pœna, hæcque notitia adeo est vetus ut æquo pede cum deitatis cognitione incedere videatur. *De inferis sicut de diis omnes homines habent communem notionem.* (4) Et, ut concludam cum Minutio Felice, *Gentiles etiam avitis erroribus innutriti, admonentur hominum doctissimorum libris, et carminibus poetarum, illius ignei fluminis, et de stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, et dæmonum indicibus, et de Prophetarum oraculis cognita tradiderunt; et ideo apud eos etiam ipse rex Jupiter per torpentes ripas, et aëram voraginem jurat religiose, destinatum sibi cum suis cultoribus pœnam præsciis perhorrescit.* (5) Post unanimem cunctarum nationum pœnam, impium sane et temerarium est gehennæ negare supplicium. Quod adhuc probatur infallibili humanatæ veritatis oraculo.

2. *In summa cum corcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligamus* (6): quod autem demonstrat Evangelium certo credendum est tanquam infallibiliter verum. Fabulosa sunt quæ ab Homero vel Virgilio in versibus decantantur; incerta sunt quæ Demosthenes vel Cicero sermonis eloquentia suadere nituntur; dubia sunt quæ in Porticu vel Academia docent Plato et Aristoteles: at Evangelium quod Apostolos habet auctores, imo *quod a Christo institutum est* (7), continet, non fabulas, sed veritates; in Evangelio autem Christus criminosis inferni minatur pœnas: *Animam perdere in gehennam comminatur.* (8) In Evangelio refertur tormentum quod in gehenna patitur dives epulo. *Dolet apud inferos anima cujusdam, et punitur in flamma, et cruciatur in lingua, et de digito animæ felicioris implorat solatium roris.* (9) In Evangelio tes-

tatur Christus præscitos, sive Angelos, sive dæmones, ignibus æternis mancipandos: *Angelis perditio reputatur in ignem præparatum diabolo et angelis ejus.* (1) Post Christi Domini testimonium nulla superest dubitandi ratio, præsertim cum in Evangelio de pœnis inferni serio loquatur. *An putamus, Fratres, quod jocando Prophetæ prædicent, ridendo loquantur Apostoli, Christus infantiliter comminetur?* (2) Propheta Evangelicus (3) prophetiæ suæ terminavit oracula de damnatorum pœnis sic loquens: *Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.* Eadem verba ter in uno Evangelii (4) capitulo repetit Salvator, ut belle animadvertit D. Augustinus: *Non enim piguit uno loco eadem verba ter dicere.* (5) Et hoc duplici potissimum de causa: tum ut inferni pœnas indubitatas et infallibiliter credibiles demonstraret; tum ut majorem illarum Christianorum cordibus incuteret timorem; nam, ut addit D. Augustinus, *quem non terreat ista repetitio, et illius pœnæ comminatio tam vehemens, ore divino?* Impii Salvatoris recipiunt testimonium, dum æternam pollicetur felicitatem; recusant vero dum interminabilem minatur pœnam. Verum, ut bene ratiocinatur D. Gregorius, *si falsum est quod Deus minatus est ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est ut ad justitiam provocaret.* (6)

Scelerosus Dives orci flammis cruciatus, Abrahamum rogat ut ad suos fratres mittat vel Lazarum, vel aliquem suscitatum ex mortuis, ut pœnitentiam agant, et tartari credant pœnas. Cui respondit Abraham: «Si Moysi et Eliæ non credunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent ei.» Per fratres Divitis evangelici Chrysologus intelligit Judæos, qui Christo de cælo venienti inferni que pœnas minitanti denegarunt fidem: *Ipse Christus, Fratres, Deus et Dominus noster ad Moysen est locutus de cælo, ipse in terra terreno est locutus in corpore; ipse cum terreno corpore ab inferis est reversus; et tamen referenti quæ bona in cælis, quæ sunt apud inferos mala, fratres divitis illius, qui judaicis intelliguntur in populis, credere tota obstinatione noluerunt.* (7) Inferni mala per semetipsum testatus est Dei Filius, suumque testimonium Lazari depositione voluit confirmare. Sciebant et Judæi Lazari mortem, quatrivanus et foetidus jacuerat in sepulcro; non ignorabant adhuc miraculosam ejus re-

(1) Tert. Apol. 48. — (2) Lib. 14. — (3) Tert. L. de An. 54. — (4) Sixt. Empyr. — (5) In Octav. — (6) Tert. L. de An. 58. — (7) Tert. L. de Præsc. Hæret. 9. — (8) Tert. L. de An. 15. — (9) Tert. L. de An. 7.

(1) Tert. L. de Carn. Christ. 14. — (2) D. Hier. Ep. ad Ocean. — (3) Isa. c. 66. — (4) Marc. 9. — (5) Lib. 21. Civ. 9. — (6) L. 4. Dialog. 37. — (7) Serm. 124.

surrectionem, ei tamen ab inferis revertenti non credunt: « Nam, sicut dives petit, Deus pro Lazaro Lazarum misit: sed quid missus, quid desideratus; quid resurgens profecerit, patienter audiet: Cogitaverunt (1), inquit, principes sacerdotum ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. » (2) Increduli Judæi neque suscitato Lazaro credunt, nolunt, nolunt referre visa, qui volunt audita non credi. (3)

Acute autem animadvertit Chrysologus quod cum dives exspostulat, ut quispiam ex mortuis resurgat et mittatur ad suos fratres et ei credent; hoc dives de corde omnium dicit; hoc de desideriis cunctorum petit; hoc de votis omnium loquitur mundanorum, omnes enim susurrare consuevimus: O si quis veniret a mortuis, et quod ibi agitur hic referret, omnes crederent ei! Quibus dicendum est 1. Cum Tertulliano: *Nobis curiositate opus non est cum Christo, nec inquisitione post Evangelium.* (4) 2. Respondendum est cum Chrysologo: *Qui de cælo-venienti Christo credere noluit, jam non merebitur credere ab inferis revertenti.* (5) 3. Historia compertum est multas reprobas animas apparuisse, inferni asseverantes tormenta, quibus adhibere fidem debent impii: quod si nec illis, neque aliis credent. 4. Constat a perfidiæ esse, non ignorantia, quod sic loquimur: Scimus, scimus, et vitam parari bonis, et malis tormenta præparari: cum de cælo Christus veniens, et ab inferis ipsis rediens, et quid bonos in cælo maneat, et quid malos expectet in inferno, et verbo docuerit, et firmarit exemplo. » (6) Ad negandas gehennæ pœnas, negandum est Evangelium, destruenda Christi veritas, rationi renuntiandum, cum inferni tormenta rationis fulciantur patrocínio.

3. *Judicium annuntiamus, pro cujusque meritis a Deo destinatum. Eo judicio, iniquos æterno igni, pios et insoues amæno in loco dicimus perpetuitatem transacturos.* (7) Eadem ratio quæ Deum probat infinite perfectum, ei justitiam adscribit. Nam, ut belle ad propositum fatur Tertullianus, *justitia est plenitudo divinitatis exhibens Deum perfectum.* (8) Justitia autem non exhiberet Deum perfectum, nisi præmiaret in cælo beatos, et in inferno puniret reprobos. In cælo largitur Sanctis beatitudinem illorum meritis commensuratam; in inferno præsci-

tis infligit pœnam eorum criminibus coaptatam: Marcion Deum de sola bonitate censens, eique justitiam adimens, imperfectum prodit; nec attendit quod justitia, *nec species solummodo, sed tutela reputanda bonitatis. Itaque omne justitiæ opus, procuratio bonitatis est, quod judicando damnat, quod damnando punit.* (1) Tertulliano arridet D. Chrysostomus: *Nisi rationem Deus exigeret bonus non esset: sed quoniam exigit, propterea bonus est.* Denique si Deus impunita sineret peccata, hoc eveniret, vel quia est ignarus et illa non cognoscit; vel quia est impotens, et punire non valet; vel quia est iniquus, et peccata castigare non vult. At Deus non est ignarus, quia omnia perspicue cognoscit: *Deum putode sublimioribus oculatiorem, aliquid subjecti præterire non posse.* (2) Neque 2. Est impotens, quia omnipotens; suam omnipotentiam demonstravit, mundum de nihilo creando, et adhuc ostentat in remuneratione virtutis et punitione criminis. Si solos valeret Deus præmiare bonos, non esset omnipotens; at quia et bonos præmiat et punit malos. *Sic denique omnipotens, quia et juvandi et lædendi potens. Minus est tantummodo prodesse, quia non aliud quid possit quam prodesse. De ejusmodi, qua fiducia bonum sperem, si hoc solum potest? Quomodo innocentia mercedem secter, si non et nocentia spectem? diffidam necesse est, ne nec alteram partem remuneretur, qui utramque non valuit.* (3) Neque 3. Malignus, quia sanctissimus et malignitatis osor. Ut autem profunde ratiocinatur Tertullianus: *Proinde, quis mali extraneus, nisi qui et inimicus? Quis inimicus, nisi qui et expugnator? Quis expugnator, nisi qui et punitor? Sic totus Deus bonus est, dum pro bono omnia est.* (4)

Postquam Tertullianus Gentilibus inferni demonstravit pœnas, suamque sententiam poetarum depositione, philosophorum auctoritate, rationum ponderositate, ignium Vesuvii et Æthnæ similitudine, munivit, adversus eos qui gehennæ pœnas fictitias et ab hominibus inventas existimant, sic sapienter concludit: *Falsa nunc sint quæ tuemur, et merito præsumptiones, attamen necessaria; inepta, attamen utilia: siquidem meliores fieri coguntur, qui eis credunt, metu æterni supplicii et spe æterni refrigerii: itaque non expedit falsa dici, nec inepta haberi, quæ expedit vera præsumi. Nullo titulo damnari licet omnino quæ prosunt: in*

(1) Chrysol. Serm. 66. — (2) Joan. 12. — (3) Chrysol. ibid. — (4) Tert. L. de Præsc. Hæret. 8. — (5) Serm. 125. — (6) Chrysol. Serm. 66. — (7) Tert. L. 1. ad Nat. 19. — (8) Tert. L. 2. adv. Marc. 23.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 11. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 25. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 15. — (4) Tert. ibid.

nobis itaque præsumptio est hæc ipsa quæ damnat utilia: proinde nec inepta esse possunt; certe etsi falsa et inepta, nulli tamen noxia. (1) Belle ratiocinatur Tertullianus orci supplicia et cœli præmia non esse falsa, sed vera, quia necessaria, ut homines ad virtutes urgeant, a vitiis avocent; neque inepta, quia utilia; illis enim homines efficiuntur meliores; neque damnanda, quia nulli noxia; neque ridenda, quia bono patrocinantur; neque præsumpta, nisi tantum a criminosis, qui ut liberius suis vacent sceleribus, fictitia inferni supplicia falso præsumunt: vellentque aut Deum non esse, aut saltem non esse justum, et sceleris vindicem, ut uni ipsorum bene ad propositum exprobrat Tertullianus: *Non qualem oportet Deum velles; qualem malles expediret? sub quo delicta gauderent? cui diabolus illuderet? Illum bonum judicares Deum, qui hominem posset magis malum facere, securitate delicti.* (2) Optime dicitur quod criminosis vellet Deum non qualem oportet: si etenim qualem oportet exoptaret, vellet sanctum, bonum et justum. Ut sanctus, de delictis laud lætatur, cum ea aversetur: nam *omnem malignitatem, Deus exactor innocentiae odit.* (3) Ut bonus, scelera punit: nam *quis boni auctor nisi qui et exactor?* (4) Ut justus, infernum condidit, ubi adversus præscitos suam justitiam ostendit, quam bonam verus existimat Christianus. *Hanc justitiam, malum dices, quæ malo non favet? Hanc bonum negabis, quæ bono prospicit?* (5) Scelerosi in justitiam Dei vindicativam oblatrant, tanquam malam, quia malo non patrocinantur, et bonum expostulat, probi vero Christiani illam a malitia vindicant, quia malo non favet; sed illud prohibet et commissum punit. Et adhuc de bonitate commendant; quia malum arcet, et ad bonum promovet, metu gehennæ credendæ et metuendæ.

II. PARS. *Porro timoris origo notitia est: quis enim timebit quod ignorat?* (6) Fides inferni docet notitiam, gehennæ notitia parit timorem: *O necessarius timor qui Deum metuit!* (7) Multi tamen non timent ubi timendum est, et timent ubi timendum non est (8): similes parvulo qui larvam exhorrescit, et non metuit ignem apprehendere manu. Timet avarus pauperiem, superbus lapsum, impudicus voluptatis jacturam,

politicus homines: et cæteri illic trepidaverunt timore ubi non erat timor, et non trepidant ubi est trepidandi locus. Timent etenim jacturam bonorum temporalium, et non timent damnum æternorum: *Timet quis carcerem et non timet gehennam; timet questionarios tortores, et non timet infernales angelos; timet cruciatum temporalem, et non timet pœnas ignis æterni* (1); timet homines mortales, qui animam non possunt interficere, et non timet Deum immortalem, qui animam et corpus potest perdere in gehennam. Monet autem ex Evangelio Lucæ Tertullianus *non eos timendos qui solum corpus occidunt, animam autem interficere non valeant, sed illi potius metum consecrandum, qui et corpus et animam occidere et perdere possit in gehennam.* (2) Ejusmodi gehennæ timor necessarius est Christiano tanquam 1. Sapientiæ monumentum; 2. Passionum frenum; 3. Salutis fundamentum.

1. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animæ autem nihil valent facere. Sed time te eum qui corpus et animam perdere potest in gehennam.* (3) Ut autem animadvertit Tertullianus, *quis animæ dominator, quis iste ignium comminator, nisi Deus solus?* (4) qui ideo gehennam comminatur, ut Christianos timore concutiat. Qui sancto illo concutiuntur timore, tanquam simplices et fatui ab impiis condemnantur. *Timor Domini simplicitas reputatur, ne dicam fatuitas.* (5) At qui id sentiunt, *mulctatos se sapientia* (6) et religione destitutos demonstrant. Sunt mulctati sapientia, ejus initium, corona et plenitudo est timor Domini. Ex Vate Regio, *initium sapientiæ timor Domini.* (7) Cui aridet filius ejus: *Divina alius enuntiatio Salomonis. Initium, inquit, sapientiæ metus in Deum.* (8) Ex Ecclesiastico: *Corona sapientiæ timor Domini* (9); ex eodem adhuc auctore: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum.* (10) His sacræ Scripturæ patrociniis munitus Tertullianus concludit: *Itaque qui Deum timuerit, plenam atque perfectam sapientiam obtinebit* (11); et adhuc religionem ostentabit, quia, ut docet Lactant. Firm. sapientia et religio inseparabiliter uniuntur. Eadem ratio et fides quæ Deum manifestat, ad ejus honorem et timorem stimulat. *Domnum simul cognoveris timeas; simul inspexeris, revercaris.* (12) Deus cognoscent-

(1) Tert. Apol. 49. — (2) Tert. l. 2. adv. Marc. 15. — (3) Tert. l. de Spect. 2. — (4) Tert. l. 2. adv. Marc. 13. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. l. 2. ad Nat. 2. — (7) S. Zeno. Serm. de Timore. — (8) D. Chrysost. Hom. 5. ad Pop.

(1) D. Aug. Serm. 18. de Verb. Apost. — (2) Tert. Scorp. 9. — (3) Tert. l. de Fug. in Pers. 7. — (4) Tert. Scorp. 9. — (5) D. Bern. lib. 6. de Consider. — (6) Tert. Apol. 21. — (7) Psal. 110. — (8) Tert. l. 2. ad Nat. 2. — (9) Cap. 1. — (10) Cap. 1. — (11) Tert. ibid. — (12) Tert. l. de Pern. 6.

clus est ut revereatur, estque timendus ut vera ei reddatur veneratio. Nam, ut fatur Tertullianus, *timor hominis Dei honor est.* (1) Honor enim Dei ab ejus nascitur timore: *Revereri Deum est actus doni timoris.* (2) Impii qui Deum non timent Deum non reverentur, Deumque non timentes, neque reverentes se, neque sapientiam, neque religionem habere demonstrant. Nam, ut ratiocinatur Tertullianus, *ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est.* (3) Sublato Dei timore, tollitur Deus; sublato Deo, tollitur veritas; sublata veritate, tollitur religio; sublata religione, sapientia tollitur; impii autem sunt absque sapientia, absque religione, absque veritate, absque Deo, quia sunt absque Dei timore. Veri Christiani *si bonum sapiunt* (4), si religionem profitentur, si veritate fidei illustrantur, si Deum agnoscunt, reverenter eum timent. Nam, *ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ* (5), concupiscentiæ et passionum frenum.

2. *Quid timendum est post mortem? gehennæ scilicet pœna* (6), quæ concupiscentiam frenat et inordinatos passionum motus sedat. Inferni timor nuncupatur a D. Chrysostomo *frenum* (7) quo retinentur esfrenes concupiscentiæ affectus, et ut ipse aliorum docet, *timor Dei concupiscentias extirpat.* (8) Non evellit quidem radicibus concupiscentiæ fomitem qui medullitis inhærescit, sed concupiscentias quasi extirpat, immoderatos excindens appetitus, cohibensque petulantes passionum subsultus, *quos enim non expugnat ratio, eos mansuefacit metus.* (9) Passiones velut belluæ feroces et indomitæ, timore cicurantur et mitescunt. Quapropter Basilus Seleucus Christianum hortatur: *Si mens ad nefariam appetentiam inclinatur, terrore objecto firmetur, est enim temperantiæ nervus, prævaricationis metus.* (10) A perversis inclinationibus mens revocatur objecto terrore, qui est nervus christianæ disciplinæ, roburque pietatis quæ enervatur, titubatur et corruit, nisi timore firmetur et roboratur. *Tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impune contemneret? quis custodiret, quod sine periculo amitteret? Legis mali viam latam, et multo frequentiore: nonne omnes illa laborentur, si nihil in illa timeretur? Hor-*

remus terribiles minas Creatoris, et via a malo avellimur: quid si nihil minaretur?

(1) Regius Vates propria experientia eruditus, quam sit periculosa concupiscentia, et quam sit lapsu facilis homo carne materiatus, Deum enixe deprecatur ut carnes suas sistat metus vinculis, et clavis timoris configat. *Confige timore tuo carnes meas* (2), ne libere ad illicitas vagentur voluptates. Quasi dicat, ait Remigijs, *petulantiam et impudentiam licentiosæ carnis ita constringas, ut nec velim, nec possim aliquid quod displiceat perficere; admodum illius qui clavis confixus, tametsi velit, nusquam potest membra deflectere,* a christiana scilicet disciplina. Maxima mortalium pars æstu concupiscentiæ sufflammatur, passionum furii agitatur, carnis voluptatibus titillatur, et appetitus sensitivi blanditijs periclitatur: at gehennæ memoria carnis blanditias fugat, Veneris voluptates frenat, passionum furias mitigat, æstus concupiscentiæ refrigerat: et ut fatetur etiam Lucretius Epicureus, « persuasio infernum esse, ac vindicem Deum, nec ullam esse voluptatem liquidam puramque relinquit. » Gehennalis incendii horror ardorem concupiscentiæ temperat; divini furoris metus rabiem vindictæ tranquillat; rigor divinæ severitatis passionum violentiam frenat. Quapropter Tertullianus Marcionem qui a Deo dimovebat justitiam, vindictam, severitatem, sic pungit: *Age itaque, qui Deum non times, quid non in omnem libidinem ebullis? summum, quod sciam, fructum vitæ omnibus qui Deum non timent; quid non frequentas tam solemnes voluptates circi furentis, et cavæ sævientis, et scenæ lascivientis?* (3) Circi furoribus, amphitheatri sævitijs, theatri lascivijs renuntiabant Christiani, a quibus potissimum abstinebant ex metu gehennæ, pro qua gratias Deo agendas vult D. Chrysostomus. *Pro ipsa gehenna oportet Deo agere gratias, pro pœnis et supplicijs, quæ sunt illic; ea enim res valde juvat eos qui animadvertunt: pro freno metus gehennæ imponatur cordibus nostris.* (4) Ratio autem cur gratulandum est Deo pro pœnis inferni, quia eas consideranti multum afferunt fructum. His namque velut frenis, concupiscentias, passiones pravosque appetitus coercet: *Timeate igitur fratres, damnate delicias* (5): siquidem timor est concupiscentiæ frenum et salutis fundamentum.

(1) Tert. L. de Pœn. 7. — (2) D. Thom. 2. 2. qu. 81. art. 2. ad 1. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 45. — (4) Tert. L. de Spect. 19. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 45. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (7) Hom. 2. ad Pop. — (8) Hom. 26. in Ep. ad Hebr. — (9) Clem. Alex. lib. 2. Strom. — (10) Orat. 5.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 13. — (2) Psal. 118. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (4) Hom. 29. in Ep. ad Ephes. — (5) D. Pacian. in Parænes. ad Penitentes.

3. *Timor fundamentum salutis est* (1): Timeamus interminabilem gehennam metuendam, cavendam; seu, ut vult Beatus Drogo, *basis cui innititur salus*; seu, ut ait D. Chrysostomus, *radix* (2) a qua pullulat salus. In laudem Cæsarii prædicat Gregorius Nazianzenus, quod *timore ad majorem salutem magistro utebatur*. (3) Duplex est salus, inchoata et consummata. Illa in gratia et virtute sita est, ista in gloria et felicitate consistit: utriusque fundamentum est timor. Illius quidem, tum quia est schola virtutis, pietatis eruditio, magisterium sanctitatis. Idecirco Christianis *ad honestam vitam, metus est necessarius* (4): tum quia, ut fatur D. Chrysostomus, est *thesaurus* (5), in quo pretiosæ virtutum asservantur gazæ ad salutem necessariæ: *Divitiæ salutis sapientia et scientia; timor Domini, ipse est thesaurus ejus*. (6) Salutis adhuc consummatæ fundamentum est timor: tum quia immortalem ambit felicitatem. Christianus nuncupatur a Tertulliano *æternitatis candidatus*. (7) Ut autem aliorum ait, *et ipse Dei candidatus est timore*. (8) Quasi non sit æternitatis candidatus nisi quia est candidatus timoris: tum quia beatæ gloriæ æmulatur æternitatem. *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi*. Tum quia est via ad beatam immortalitatem. *Vultis scire cujus proprietatis sit? omnes timores quoscunque invaserint, incremento conficiunt: hic solus ad hoc crescit, ut immortalem, quem possederit faciat*. (9) Tum quia spem beatitudinis subministrat. Felicitatis spes nutritur *ex metu et voto æterni ignis et regni*. (10) Nam, ut loquitur disertissime Plinius, *plurimum timeam de quo plurimum spero*. (11) Quo major est cæli quam speramus beatitudo, eo major debet esse Dei timor. Non timeamus homines a quibus non exspectamus beatitudinem, sed timeamus Deum a quo cælestia exspectamus bona, et æternam metuere debemus damnationem: plerique tamen Christiani homines mortales magis quam Deum immortalem pertimescunt: nec attendunt quod *desperandum est de illius salute qui aliud magis timet quam Deum*. (12) Timeamus igitur Deum si volumus spem habere salutis; timeamus inferni pœnas, si ab eis immunes esse desideramus; timeamus, quod minatur Deus, æternum gehennæ tormentum. *Profanis et æmulis suis, supplicium æternum æterno igni comminatur*. (13)

(1) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (2) Hom. 18. ad Pop. — (3) Orat. in laud. Cæsarii. — (4) Tert. L. de Trin. — (5) Orat. de Novilun. — (6) Esa. 55. — (7) Tert. L. adv. Jud. 2. — (8) Tert. L. 2. ad Uxor. 7. — (9) S. Zen. Serm. de Timor. — (10) Tert. L. de Pud. 1. — (11) L. 4. Epist. — (12) Greg. Naz. Orat. 12. — (13) Tert. L. 1. ad Nat. 6.

Timeamus interminabilem gehennam metuendam, cavendam.

III. PARS. *O Deum etiam ad inferos usque misericordem!* (1) Quod usque ad cœlos sit misericors Deus mirum non est: tum quia gratiam misericorditer largitur qua comparatur cœlum; tum quia misericorditer beat Sanctos, coronans sua dona dum eorum præmiat merita; tum quia libere et misericorditer se eis videndum et diligendum exhibet; tum quia eos longe ultra meritum remunerat. At omni est stupore dignissimum quod divina misericordia elucescat in inferno, qui est summæ miseræ locus? Verissime tamen et acute exclamat Tertullianus: *O Deum ad inferos usque misericordem!* Tum quia præscitos punit citra condignum; tum quia gehennæ supplicium terrorem viatoribus incutit; tum maxime quia ejusmodi timor cautos efficit Christianos ne peccata committant quæ salutem impediunt, et ad infernum deducunt. Nam, ut ipsi fatentur, *timendo cavebimus, cavendo salvi erimus*.

(2) Et ob hanc causam utiles prædicat D. Chrysostomus, non solum divinas promissiones, quibus nobis Deus pollicetur cœlum, sed etiam comminationes, quibus comminatur gehennæ incendium. Pollicitationes spem erigunt, minæ terrorem incutiunt. Spes cœli ad virtutem allicit, inferni timor a vitiis removet. *Utiles tuæ, Domine, promissiones, et exspectatum regnum tuum, utilis iterum comminata gehenna. Utiliter allicit regnum; terret vero utiliter gehenna*. (3) Hujus autem terroris fructus est cautela; cautelæ autem utilitas, est bonum quod præcipit Deus, facere; malum quod prohibet, fugere, de commisso delicto pœnitere. Quod si infernus *in vita ista salubriter terreat* (4), erit nobis 1. Sedula gehennæ cogitatio quæ ad bonum urgeat; 2. Continua peccati detestatio, quæ a malo arceat; 3. Vera pœnitentia, quæ Deo pro delicto commisso satisfaciat.

1. *Timor judicii ad bonum, non ad malum confert*. (5) Eodem modo philosophandum est de inferno ac de judicio ultimo, utriusque timor bonum spectat, cujus perpulchram tradit Tertullianus rationem: *Non enim sufficiebat bonum per semetipsum commendari, jam sub adversario laborans; nam etsi commendabile per semetipsum, non tamen et conservabile, quia expugnabile jam per adversarium; nisi vis aliqua præset timor*

(1) Tert. L. 3. adv. Marc. 24. — (2) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (3) Hom. 5. de Pern. — (4) D. Aug. Serm. de Div. et Laz. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 13.

meudi, quæ bonum etiam nolentes appetere et custodire compelleret. Bonum est ex semetipso commendabile, utpote voluntatis objectum: quia tamen natura corrupta ad malum prona est, et aliunde diaboli exposita tentationibus, timor est homini necessarius (1): tum ut diaboli detegat insidias; nam *timendo vigilat adversus hostes suos*. (2) Tum ut natura ad lapsum prona, stet, nec cadat. *Per timorem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur*. (3) Tum ut sedulo prosequatur bonum: *Qui Deum timet, quæ bona sunt non negligit*. Tum ut fugiat præsumptionem, quæ tollens cautelam, sese periculo exponit. *Nam qui præsumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur*. (4) Periculum ex defectu cautelæ procedit; defectus cautelæ ex defectu timoris; defectus vero timoris ex præsumptione: *præsumptio impedimentum timoris*. (5) Ne autem homo præsumat, sed præcaveat, et præcavendo, bono sollicitè vacet, *minatur gehennam Deus, non quo gehennam inducit, sed quo a gehenna liberet, alioquin si torquere vellet, non jam ante minatus esset; quo firmi ac stabiles evitemus minas, pœnam minatur, et terret verbo, quo minus opere torqueat*. (6) Deus pro sua bonitate, gehennæ inducit timorem, quo a gehenna liberet, quasi gehennæ meditatio alte impressa, sit liberatio a gehenna; gehennæ enim cogitatio ad bene operandum stimulat. Quo sensu dicit Psalmista (7): *Descendant in infernum viventes; videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt; sicut enim assidue contemplantando revisere amant gaudia cœlestia, ut ardentius ea appetant, sic dolores inferni, ut horreant et refugiant*. (8) In infernum vivens descendit et Job de quo Hugo Cardinalis: *Prodigium sanctitatis timet*. (9) In infernum vivens descendit D. Hieronymus, qui nullum pertransibat diem absque meditatione extremi iudicii, et pœnæ inferni, ut ipse fatetur: *Ego ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram*. (10) In infernum vivens descendit Sancta Theresia, ex gehennæ incendio in divinum exardescens ignem. In infernum descendit vivens ipsemet Bernardus sic de gehenna aiens: *Regio gehennalis, regio dura, extimescenda; terra afflictionis et miseriarum; totus tremo atque*

horreo ad memoriam regionis istius, et concussa sunt omnia ossa mea. (1) In infernum descendunt viventes probi Christiani, et ex consideratione pœnarum quas patiuntur reprobi, Dei concipiunt timorem: Dei autem timor ad bonum eos et virtutem sufflammat. *Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et allectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia*. (2) Plura dinumerat Tertullianus bona quæ a divino oriuntur timore, qui, non solum ad bonum stimulat, sed etiam peccati odium spirat.

2. *Quis autem illis eruditionis usus ac fructus, jamjam conflagatione perituris?* (3) Loquitur Tertullianus de peccatoribus æternis ignibus, nisi convertantur, destinatis, qui a gehennali erudiuntur conflagatione. Multiplicem autem eruditionis illius fructum reportant: nam 1. Superfluum hujus vitæ non gerunt curam: *Mortem sempiternam time, et præsentem non curabis*. (4) 2. Peccati concipiunt odium: nam ubi est Dei timor, ibi est Dei memoria; *ubi est Dei memoria, ibi est peccatorum oblivio et malorum interitus*. (5) 3. Pravos corrigunt appetitus: *Fructus enim timoris, correctio est*. (6) 4. A peccatis suis convertuntur. *Convertantur peccatores in infernum* (7), id est, cogitatione pœnarum inferni, convertantur. 5. Sollicitè peccata fugiunt: *Omnia quæ timentur rationabiliter declinantur*. (8) Tandem 6. Æternam timent damnationem, ad instar Cyrilli Alexandrini præ stupore attoniti et exclamantis: « Metuo mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quia æterna est. Metuo tenebras, quia nihil habent lucis; metuo vermem veneniferum, quoniam æternus est: metuo genios iudicio præficiendos, quoniam sunt immisericordes; metuo cum cogito illius diei terribile et inexpugnabile iudicium, tribunal horribile, iudicem incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illuc fluens, vehementissimamque flammam, torrentem, et acutos enses; metuo severissimas pœnas; metuo supplicium finem non habens; metuo tetram illam caliginem; metuo profundas tenebras; metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem. » (9) quot sunt in inferno timenda! Si illa Christianum non moveant, quid illum

(1) D. Aug. Tract. 9. in Joan. — (2) Lact. Firm. lib. de Ira Dei. c. 11. — (3) D. Aug. Serm. 1. de Timore. — (4) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2. — (5) Tert. ibid. — (6) D. Chrysost. Hom. 5. de Pœn. — (7) Psal. 54. — (8) D. Bern. ad Frat. de Mont. Dei. — (9) In c. 10. Job. — (10) Ep. ad Eust.

(1) Serm. de S. Nicolao. — (2) Tert. L. de Præc. Hæret. 3. — (3) Tert. L. de An. 54. — (4) D. August. in Psal. 65. — (5) D. Aug. in Psal. 140. — (6) D. Aug. Serm. de Div. et Laz. — (7) Psal. 9. — (8) D. Aug. lib. de Ver. Iun. c. 77. — (9) Orat. de Exist. An.

movebit? et, ut ait Bernardus, *quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur?* (1) Dæmones, ait Sanctus Cyprianus, ad solum inferni nomen timent, expavescunt, et homo criminosus non timet horrenda inferni supplicia, quæ incurrunt peccatores: *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.* (2) Impossibile existimat Job ut quis scienter venenosos et mortiferos velit comedere cibos. *Nunquid potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem?* (3) Christianus certo scit peccatum lethale afferre animæ mortem: *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem* (4), et peccatorem mancipat inferni supplicii: tamen non pertimescit interminabilem gehennæ mortem. *Qui pavet cavet, nam qui negligit incidit.* (5) Christiane, auditum præbe hortanti Augustino: *Vel mortem time, si peccatum non times, non times peccatum? time quo ducit peccatum.* (6) Justinus Martyr (7) Gentilium deslet infelicitatem, qui cuncta patrabant crimina, quia ignorabant infinitam peccati malitiam, et æternam peccatorum pœnam. At quanto magis deslendi tot scelerosi Christiani, qui probe scientes quanta sit culpæ iniquitas et quanta pœnæ gravitas, tamen ita libere peccant ac si peccato non offenderetur Deus, neque puniretur peccator: *Quid ergo causæ est, ut si quisquam Christianus futura credit, futura non timeat? Quid ergo causæ est, ut si credit quod dixit Deus, non timeat quod minatur Deus?* (8) Infelix Christiane, qui tanta licentia Deum offendis, ubinam est tua ratio, tua religio, tua fides? Fallor, neque ratione, neque religione, neque fide polles. *Non vis credere, ne possis cavere; non vis audire, ne incipias scire quid timeas, et timere ne pecces.* (9) Unum e duobus existat necesse est: aut te esse infidelem, neque credere inferni supplicia; aut, si credis, minime sapere, sed esse stultum, pro peccato unius momenti æterna velle sustinere tormenta. Nam, ut ait dubius Augustinus, « quis cum sano sensu pro unius diei deliciis centum annorum pœnam eligeret? Et miseri tamen illi qui sine ulla sapientia, voluptatem carnis sequentes, non vitant vitia, non effugiunt intolerabiles pœnas, non centum annorum, non millies mille, sed sine fine omnium seculorum. » (10) O quam vere ait Sapiens: « Stultorum infinitus est

numerus! » quia infinitus est numerus peccatorum: « Repleta est terra iniquitate. » (1) Hebræa lectio habet: « Repleta est terragehenna, » quia peccatores gehennæ merentur incendia, et in infernum post mortem traduntur. Ab hac æterna infelicitate se liberatum Deo gratulatur Regius Vates: « Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me a descendentibus in lacum. » (2) Per hunc lacum a quo se exutum declarat Propheta, mundum intelligit D. Augustinus: *Qui sunt qui descendunt in lacum? Omnes peccatores mergentes in profundum. Lacus est enim profunditas seculi. Quæ est ista profunditas seculi? abundantia luxuriæ et nequitiae. Qui ergo libidinibus se immergunt, et terrenis desideriis, descendunt in lacum.* Alii vero intelligunt infernalem damnatorum gehennam, in quam descendunt in peccato morientes. Nullus est nisi sit mentis inops, qui non metuat mortem corporis temporalem; peccator tamen adeo stultescit ut non timeat æternam, tum animæ, tum corporis mortem. Pertimescit mortem temporalem, quam devitare non potest, et non timet æternam, quam præcavere potest damnationem. *Non timet homo quod non habet in potestate devitare: verbi gratia, qui timet mortem, quid factururus est, ut non moriatur? Non est qua evadat. Si timet damnationem, timeat iniquitatem quam vitare potest* (3) per attentam inferni meditationem. *Nemo enim eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet* (4): quia non cadet in peccatum, quod summe aversatur, et fugit, etsi interdum in culpam labitur, timet illum qui prohibet delictum (5), et ob Dei timorem de commisso peccato pœnitet, ut offendendo Deo satisfaciat.

3. *Tempus pœnitentiæ idem est quod periculi et timoris.* (6) Periculum damnationis in quo versatur viator, in ejus animo debet ingenerare timorem; timor autem gehennæ eum ad pœnitentiam inducit. Cuncti viatores sunt in periculo damnationis, non tamen eodem modo se habent: nonnulli præsumunt, sed non timent, neque præcavent; quidam timent, sed non præcavent; alii timent et præcavent. Præsumentes maxime periclitantur. *Qui securus agit, non et sollicitus, non possidet tutam et firmam securitatem.* (7) Nam præsumendo non timet, non timendo non pœnitet: timor etenim instrumentum est pœnitentiæ. *At ille præsumptor,*

(1) Lib. de Compunct. Cord. c. 20. — (2) Psal. 35. — (3) Cap. 6. — (4) Jacob. 1. — (5) D. Bern. Serm. 4. ad Clericos. — (6) L. 50. Hom. hom. 42. — (7) Apol. 2. — (8) Salv. lib. 5. ad Eccles. — (9) D. Ambr. in Psal. 118. — (10) Lib. de Triplic. Habitac. c. 3.

(1) Gen. 6. — (2) Psal. 29. — (3) D. Aug. in Psal. 48. — (4) D. Chrysost. Hom. 2. in Ep. 2. ad Thessal. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (6) Tert. L. de Pœn. 6. — (7) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 2.

cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit: sic nec pœnitentiam implevit, quia instrumento pœnitentiæ, id est, metu caruit. (1) Qui timent et non præcavent, infructuose timent, quia non pœnitent. Verum quid est sterilius timore infructuoso? (2) Qui vero timent et præcavent, pœnitent, et vera pœnitentia fungentes, semetipsos emendant aliisque longe digniores sunt. Quem censcas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorum? et idcirco vera pœnitentia functum. (3) Vitæ emendatio est veræ pœnitentiæ argumentum, timor vero pœnitentiæ et emendationis instrumentum. Qui pœnitet, nec emendatur, non vere pœnitet; qui vero timet, neque pœnitet, inaniter timet. Quapropter Christianos hortatur D. Augustinus: *Prudenter timeamus, ne inaniter timeamus.* (4) Illi prudenter timent qui gehennæ tormenta serio meditantés, veramque suscipientes pœnitentiam, peccata commissa delet et emendationi vitæ indesinenter invigilant. Illi vero inaniter timent, qui cum peccato decedentes, gehennæ luunt pœnas, æternoque conturbantur terrore. *Jungit pœna, quæ non pœnitudo compunxit.* (5) Illorum timor utilis est, quia peccati delet maculas. *Timor Domini expellit peccatum* (6): expellendo autem peccatum ab anima, eam mundat, et ab inferni tormentis et terroribus liberat. Istorum timor inutilis et infructuosus est: quia quantumvis in orco contremiscant præsciti, nunquam salubriter possunt pœnitere: *In inferno, quis misericordiæ locus? in tormentis, quæ spes veniæ? et in hora sententiæ, opus indulgentiæ quis requirit?* (7) Quod probe scientes, hortanti Augustino præbeamus assensum: *Timeamus, ut non timeamus.* (8) Timeamus utiliter in hoc seculo, ne inaniter timeamus in inferno. « Cavendi sunt inferiores inferi, id est, post hanc vitam pœnæ graviores, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis. Quare festinemus et ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant: festinemus a secunda morte liberari, ubi nemo est qui memor sit Dei. » (9)

Lippomanus expendens plagas quibus Pharaonem Ægyptiosque castigavit Deus, etiam ranas ad illorum supplicium consecratas asseverat. *Postremo consecravit etiam ranas, aut id genus similia, in supplicium publicum peccatorum, et admonitionem ad*

resipiscentiam. (1) Ranae divina destinatione consecratæ sunt, velut divinæ justitiæ sacerdotes, tum ut de peccatoribus vindictam sumant, tum ut scelerosi a ministris divinæ justitiæ castigati, admoneantur et resipiscant. Deus consecravit ignem ut ministrum suæ justitiæ, tum ut in inferno reprobos puniat, tum ut viatores admoneat et scelerosos Christianos ad correctionem et vitæ emendationem inducat. Ob hunc finem *repræsentat creator ignium plagam.* (2) Veri Christiani, inferni horrentes et metuentes pœnas, *contemplatione et repræsentatione ignis illius correpti* (3), pœnitentiam agunt, et ad meliorem vitæ frugem resipiscunt. Christiane, si vis orci vitare supplicia, *gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet; et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* (4) Ignis in inferno est instrumentum divinæ vindictæ, pœnitentia hic est administra indignationis Dei, divinæque justitiæ agit vices. Quid timendum magis quam divina ira? quid intolerabilius gehennæ incendiis? *Ut pœnitentia de periculi timore Dominum honoret, ut et in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione, non dicam frustretur, sed expungat.* (5) Pœnitentia est et vicaria divinæ indignationis, et substituta infernalis gehennæ: divinæ indignationis agens vices in peccatum fert sententiam et peccatorem absolvit: gehennæ substituta, temporali afflictione dolores expungit æternos. Præscitus et pœnitens sunt ministri divinæ indignationis: præscitus qui tarde et inutiliter pœnitet, fert sententiam, non solum adversus peccatum, sed etiam adversus peccatorem; sibi ex rabie et desperatione irascitur: ideo stridet dentibus. *Stridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero pœniteat, sero sibi irascitur, quod tam pertinaci improbitate deliquit.* (6) Heu! tarda in inferno de inferno cogitatio! tardus et infructuosus gehennæ timor! sera et inutilis delictorum pœnitentia! Christianus viator vere pœnitens, divinæque justitiæ vices agens, sibi irascitur, non ex desperatione, sed ex contritione; damnat peccatum, absolvit peccatorem; temporalem sustinet pœnam, ne æternum patiat supplicium, semetipsum emendat, et operibus pietatis incumbit, ut valeat placere Deo in tempore et in æternitate.

(1) Tert. L. de Pœn. 6. — (2) D. Aug. Serm. de Div. et Laz. — (3) Tert. L. de Pœn. 6. — (4) Serm. de Martyre. — (5) Chrysol. Serm. 66. — (6) Eccli. 1. — (7) Chrysol. ibid. — (8) Serm. de Martyre. — (9) D. Aug. lib. de Ver. Relig. 52.

(1) In c. 8. Exod. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 23. — (3) Tert. Apol. 23. — (4) Tert. L. de Pœn. 12. — (5) Tert. L. de Pœn. 9. — (6) Rab. in c. 8. Matt!..

CONCIO SECUNDA.

NULLA res sine ordine rationalis potest vindicari (1): quapropter Deus, qui est prima et essentialis ratio, cuncta quæ produxit ordinate disposuit. Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. (2) Deus considerari potest ad intra et extra: quovis modo consideretur, semper ordo fuit apud Deum. (3) Si attendatur ad intra, est ordo originis inter personas producentes et productas. Pater enim est prior origine Filio, cum ab illo nascatur Filius. Est etiam ordo naturæ inter divinas processiones; nam Verbi generatio, quæ est per memoriam fecundam et intellectum, est prior natura, productione Spiritus Sancti, quæ est per voluntatem. Si attendatur ad extra, totum hoc iudicatum dispositum et ordinatum est. (4) Totum hoc mundi corpus tres præcipuas continet partes, seu tria regna: cœleste scilicet, elementare et infernale. Regnum cœleste belle est ordinatum cum sit regio pacis; pax autem est tranquillitas ordinis. (5) In regno elementari, ordinem constituit Deus, ordinato per elementa mundo. (6) Tandem in inferno, ordo reperitur. Summa Deo cuncta administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo, nihilque injustum est. (7) Et quamvis asseveret Job quod in inferno nullus ordo inhabitat (8); hoc debet intelligi de ordine dignitatis et fortunæ, quæ alios extollit, alios demittit, non de ordine justitiæ. Nam, ut belle ad propositum fatur Magnus Gregorius, ipsa supplicia, quæ ex lance divinæ justitiæ procedunt, inordinata esse non possunt. Itaque Deus, qui cuncta in pondere, numero et mensura (9) producit et disponit, eundem ordinem servat in inferno, ubi pænæ 1. Ponderantur; 2. Numerantur; 3. Mensurantur.

I. PARS. Omnia ut bonitas concepit, ita justitia distinxit. (10) In mundo creaturas concepit Dei bonitas, easdem justitia distinxit; infernum concepit Dei bonitas, ad terrorem mortalium, in inferno justitia distinguit præscitorum ponderans crimina et pœnas, ut ipsemet testatur apud Esaiam prophetam: *Ponam in pondere iudicium.* (11) Criminosus est oneratus, quoniam sua peccata portat. (12) Hoc onere gravatum se re-

cognoscit Regius Vates: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave, gravatæ sunt super me* (1); et ob hanc causam, ut animadvertit D. Augustinus, *Scriptura peccatores appellare consuevit valde iniquos, et grandibus peccatorum sarcinis oneratos.* (2) Quia, ut docet D. Augustinus, *sarcina pondus habet* (3); quanto quis majora habet peccata, tanto major est ejus sarcina, tantoque est gravius quo oneratur pondus: Deus autem ponit in pondere iudicium, peccatoris pondere peccatorum onusti pœnas in inferno ponderans: *Nec dubitandum est quidem pœnas ipsas quibus cruciantur, pro diversitate criminum diversas esse; et alias aliis acriores; ut in ipso igne æterno, pro disparibus ponderibus peccatorum, sint disparia tormenta pœnarum.* (4) Quam autem sint graves, onerosæ et ponderosæ gehennales pœnæ constat ex 1. Inferni profunditate; 2. Gehennæ incomprehensibilitate; 3. Suppliciorum intolerabilitate.

1. *Inferos Plato velut gremium terræ describit, quo omnes labe mundialium sordium confluendo, et ibi desidendo exhalent, et quasi cœno immunditiarum suarum, crassiorem haustum et privatum illic aerem stipent.* (5) Cunctæ nationes profunda destinarunt loca quibus reos incarcerabant et suppliciis destinabant. Sic apud Messenios erat thesaurus in quem Philopœmen conjecerunt (6); apud Romanos Barathrum, in quod detrusum Jugurtham, et fame necatum, asseverat Plutarchus (7); apud Judæos lacus seu puteus, cujus os angustum, fundum vero amplum ad multos capescendos dispositum. Sed omnium carcerum teterrimus est infernus, locus profundissimus, obscurissimus, omni horrore, fœtore, mœrore plenissimus, in centro terræ constitutus, in quo detinentur et torquentur reprobi: de quo sic fatur Tertullianus, *Platonis sententiam non approbans: Nobis inferi, non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua sentina creduntur; sed in fossa terræ, et in alto vastitas, et ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas; siquidem Christum, in corde terræ, triduum mortis legimus exspunctum, id est, in recessu infimo, et interuo, et in ipsa terra aperto, et infra ipsam clauso, et inferioribus adhuc abyssis superstructo, quo nihil horribilius concipi potest. Cuncta namque orci horrorem incrementant, nimirum loci profunditas, carceris obscuritas, aeris malignitas, odoris tetrilas, custodum crudelitas, habi-*

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (2) Rom. 15. — (3) D. Aug. lib. 2. de Ord. c. 7. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (5) D. Aug. lib. 19. Civ. 25. — (6) Tert. L. de Bapt. 3. — (7) D. Aug. lib. 85. quæst. qu. 27. — (8) Cap. 10. — (9) Sap. 11. — (10) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (11) C2p. 28. — (12) D. August. in Psal. 59.

(1) Psal. 37. — (2) In Psal. 105. — (3) In Psal. 59. — (4) D. Aug. lib. 4. de Bapt. c. 19. — (5) Tert. L. de An. 54. — (6) Plutarch. in ejus Vit. — (7) In Vit. Mari. 10.

tantium iniquitas, evadendi impossibilitas, tormentorum varietas, pœnarum æternitas. *Ideo autem Propheta dixit: Neque urgeat super me puteus os suum; quia cum susceperit reos, claudetur sursum, et aperietur deorsum, et dilatabitur in profundum; nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper urgentibus, relinquentur; detrudentur illuc vale dicentes rerum naturæ, ultra nescientur a Deo, qui Deum scire noluerunt; morituri vitæ, morti sine sue victuri.* (1) Varia nomina quæ ei tradit Scriptura probe demonstrant quam sit horridus infernus: siquidem ab Ezechiele nuncupatur *lacus* (2), quia, ut ait Magnus Gregorius, « hos quos semel cœperit semper fluctuantes et trepidos, tormentis circumferentibus absorbet. » A Job dicitur *terra miseriæ* (3), quia præsciti absque ulla consolatione et spe salutis torquentur. A Dilecto Discipulo vocitatur *puteus abyssi* (4), quia stupendæ est profunditatis, neque ab eo damnati exire et liberari possunt. A Vate Regio vocitatur *puteus interitus* (5), quia miseri in illo semper viventes, semper moriuntur. Ab Evangelista appellatur *gehenna ignis*, quia igne ardente et cruciante repletur. Tandem *locus tormentorum*, quia reprobi incomprehensibilia patiuntur tormenta.

2. *Credimus animæ immortalitatem, ut perilita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est, in gehennam* (6); quæ potius est fide credenda quam ratione cognoscenda, aut sermone explicanda. Multa sunt super terram, etiam in rebus naturalibus, quæ humanam effugiunt notitiam. *Cunctas res difficiles non potest homo explicare sermone.* (7) Sermo est mentis interpres, idcirco quidquid est homini incomprehensibile est etiam ineffabile. Gehennæ autem pœnam rationis discursu nequit concipere mortalis. Inde concludit D. Augustinus: *Ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explicare.* (8) Et cum contrariorum eadem sit ratio, quomodo inferni miseriam comprehendet homo, non valens comprehendere cœli felicitatem? 1. De cœli beatitudine sic fatur Tertullianus: *Cæterum qualia illa sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt?* (9) Eodem modo de inferni miseria philosophatur Origenes: « Sicut porro de bonis iustorum in cor hominis non ascenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus eum, ita et

peccatoribus præparavit, quæ in cor hominis non ascenderunt. » (1) 2. Sanctorum beatitudo est « status omnium bonorum aggregatione perfectus; » damnatorum calamitas est *status omnium malorum aggregatione pessimus.* (2) 3. Beati in cœlo consummata felicitate potiuntur, ibi enim cuncta ad eorum lætitiâ concurrunt: verum « sicut propter perfectam Sanctorum beatitudinem nihil erit in beatis quod non sit gaudii materia, ita nihil in damnatis quod non sit eis materia et causa tristitiæ, nec aliquid quod ad tristitiâ pertinere poterit, deerit, ut sit eorum miseria consummata. » (3) In cœlo gaudebunt Sancti de possessione Dei, de visione Angelorum, de societate hominum beatorum, de pulchritudine et amœnitate Empyreï: in inferno tristabuntur præsciti, de privatione Dei, de horribili conspectu dæmonum, de consortio hominum damnatorum, de horrore, fœtore orci. 4. Ut nihil desit, ait D. Thomas ad consummandam, sive electorum beatitatem, sive reproborum miseriam, « in ultima mundi purgatione fiet separatio in elementis, ut quidquid est purum et nobile, remaneat superius ad gloriâ Beatorum: quidquid vero est ignobile et feculentum, in infernum projiciatur ad pœnam damnatorum: » (4) et ita miseri illi, pœnam patientur intolerabilem.

3. *Malorum quorundam intolerabilis est magnitudo.* (5) Intolerabilem malorum inferni magnitudinem passim prædicant Patres et Doctores. Hanc declarat Hugo Victorinus: « Infernus locus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus horrore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili; ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi nulla spes boni. » (6) Hac supra re audiatur Petrus Damianus, qui mirum in modum gehennæ describit miseriam et calamitatem: « Regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda: terra afflictionis, terra oblivionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis et caliginis, terra maledictionis et mortis, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; ibi est ignis qui non succenditur, vermis qui non moritur, frigus horrendum; ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obsusæ tenebræ cumulatiùs indensantur; illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabile vinculum fertilitatis multitudo; »

(1) Euseb. Emiss. Hom. 5. de Epiph. — (2) Cap. 26. — (3) Cap. 10. — (4) Apoc. 9. — (5) Psal. 54. — (6) Tert. L. de Res. 54. — (7) Eccl. 1. — (8) Serm. 18. de Temp. — (9) Tert. L. de Spect. 30.

(1) Hom. 18. in Jerem. — (2) D. Chrysost. Hom. de Repar. Lapsi. — (3) D. Thom. quod. 1. 8. qu. 7. art. 16. ad. 2. — (4) 5. p. q. 97. a. 1. — (5) Tert. L. de Pat. 1. — (6) L. 4. de An.

ibi fletus et stridor dentium, plangens et gemitus, et alternantia mala, impios sine pietate discerpunt. » (1) Tot condensata mala, intolerabilem probe ostentant inferni damnationem. 1. In hac vita, qui dolent non toto corpore dolent; at in inferno, nulla est hominis pars quæ speciale aliquod non patitur tormentum. 2. Hic levamen aliquod habent miseri, vel a somno, vel ab amicorum colloquio, vel a cessatione doloris: *Magnos cruciatus habet morbus, sed hos tolerabiles intervalla faciunt* (2): At apud inferos, nullum est solatium, ibi nullus invenitur amicus, nunquam dolor minuitur, nunquam sensus hebescit, nunquam malum aliquod intervallum intercipit. 3. Hic dolor est aut levis, aut si violentus, cito finit; quia nullum violentum perpetuum: et ut ait *Moralis Philosophus*, « hoc solatium vasti doloris est, quod necesse est, desinas illum sentire, si nimis senseris: nemo potest valde dolere, et diu: sic nos amanissima nostri natura disposuit ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret: brevis morbus ac præceptum alterutrum faciet, aut extinguetur, aut exstinguet. » (3) In inferno autem valde dolent, et diu dolent miseri damnati. Et 4. in amaritudine animæ suæ *expectant mortem et non venit, quasi effodientes thesaurum*. (4) Longe majori studio ad mortem anhelant reprobi quam avarus ad opes inhiat. Malorum summa et meta putatur mors: hæc tamen est damnatorum votum, qui ad fugientem mortem hianti desiderio hiant: verum frustra et inaniter mortem exoptant, nam immortalis morte damnati sunt. *Hæc est mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia mors illa semper vivit, finis semper incipit, defectus deficere nescit*. (5) Quænam mortis spes esse poterit a morte sine morte, a morte semper vivente? quænam finis spes a fine sine fine, a fine semper incipiente? Quis expectet ut desit defectus sine defectu, defectus deficere nesciens. Sic miseri damnati *dum sibi nullam spem promittere poterunt vel post immensa tempora, jam etiam in præsentis sentient consequentia tormenta seculorum; ac sic dolorem mortis conscientia impositæ immortalitas augebit*. (6) Addit 5. Gregorius Magnus: « In hujus vitæ tormentis, timor dolorem habet, dolor timorem non habet: quia nequaquam metus cruciat, cum pati jam ceperit quod metuebat. Infernum autem et umbra mortis obscurat, et sempiter-

nus horror inhabitat: quia ejus ignibus traditi, et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloris angustia, pulsante se semper pavore, feriuntur, et ut quod timent, tolerant; et rursus quod tolerant, sine cessatione pertimescant. Hic metus amittitur cum tolerari jam ceperit quod timebatur; illic et dolor dilaniat, et pavor angustat: horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine. » Durum sane est hominibus dolorem gravioris tormenti tolerare, at in ipsis cruciatibus aliquod habent levamen: quia dolor evacuat timorem, qui plerumque est ipso dolore acerbior. Homo cum de præsentibus tormentis dolet, de illis duntaxat cruciatibus dolet, quibus torquetur; timor autem imaginatur omnia, omniaque exspavescit, quæ ei accidere possunt: unde malis prope cunctis sibi imminentibus, de cunctis exacerbatur meticulosa imaginatione carnifice. Hæc erit misera damnatorum calamitas, qui atrocissimos sustinebunt dolores, et in ipsis doloribus æterna timebunt supplicia. Dolor non eis adimet timorem, sed et quod patientur de præsentis pertimescent, et quod in æternum passuri sunt, acerbissima formidine metuent: quo nihil pœnalius, nihil horribilius. *Væ qui hæc lugenda in posterum, ridenda nunc deputant! Væ quibus hæc prius experienda sunt quam credenda!* (1) Inferni tormenta experitur nunc Lutherus, quæ vivens non credidit: Sybillæ namque Ducissæ Saxonie quæ in comitatu quamplures habebat speciosas puellas, impie dixit: Si tales in inferno essent, libenter cum illis eo descenderem. Descendit profecto infamis ganeo, et impie apostata, et patitur intolerabiles quos non credidit dolores. Quot sunt hac tempestate Lutheri æmulantes impietatem, qui gehennæ non credunt tormenta! Etenim si ea crederent, tanto ambitu non captarent honores, per nefas aliena non raperent, in omnem libidinem non ebullirent. Nemo est qui articulum ardenti cereo, per horæ quadrantem, quocumque lucro, quavis proposita voluptate, admove-re sustineat; et tamen superbus, avarus, impudicus, et quilibet scelerosus Christianus, pro honore momentaneo, volatica voluptate, totum corpus, totam animam æternis gehennæ mancipat incendiis. « In inferno innumera sunt pœnarum genera. Præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, miseriæ et dolores sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine. Væ igitur illis qui

(1) Serm. 59. — (2) Senec. Ep. 78. — (3) Ibid. — (4) Job. 5. — (5) D. Greg. lib. 9. Moral. 48. — (6) Euseb. Emis. Hom. 1. ad Monach.

(1) Euseb. Emis. Hom. 1. ad Monach.

subire hæc omnia mala sine fine merentur, pro delectabili unius horæ somnio. » (1) Sicut enim momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis, sic *momentaneum et leve delectationis vestræ æternum ignis ac tormentorum pondus operatur in vobis.* (2) Nam, quemadmodum peccata ponderantur et numerantur, ita inferni pœnæ ponderantur et numerantur.

II. PARS. *Bonitas Dei operata est mundum, justitia modulata est* (3), cuique creaturæ proprietates tribuens ejus naturæ convenientes: *Omnia situs, habitus elementorum, effectus, motus, status, ortus, occasus singularum, judicia sunt Creatoris.* Quod si ab elementis mente ascendamus ad homines, quibus elementa, ex Dei bonitate famulantur, divina justitia eorum statum, habitum, motum et occasum modulatur. Statum, nam cuilibet largitus est gratias statui suo convenientes. Habitum et motum, an sit in statu sanctitatis vel criminis, an bene vel male operetur: præcipue occasum peccatorum modulatur, contemperans tormenta, *juxta numerum uniuscujusque* (4), juxta numerum criminum quæ patravit. Et quia suis criminibus cunctas res generaliter offendit, in inferno pœnarum patietur universalitatem. Hæc autem pœnarum generalitas desumitur ex parte 1. Dei vindicantis; 2. Hominis peccantis; 3. Ignis cruciantis.

1. Marcionem a Deo iram, severitatem, justitiam rescindentem ironice pungit Tertullianus: *Audite, peccatores, qui que nondum hoc estis, ut esse possitis: Deus melior inventus est, qui nec offenditur, nec ulciscitur, cui nullus ignis coquitur in gehenna, cui nullus dentium stridor frendet in exterioribus tenebris.* (5) Si etenim Deus peccatorum non offenditur criminibus, neque humana ulciscitur delicta, cur eis inferni minatur pœnas? cur asseverat Christus reprobos simul cum diabolis in gehenna arduos? cur dives epulo infernalis gehennæ patitur tormentum? Nam, ut prosequitur Tertullianus, *et hoc decerni non poterit, nisi ab irato, et offenso, et exsecutore delicti, id est, iudice.* Deus peccatum prohibet sub pœna mortis æternæ, et peccatorem pertinacem reprobatur, et æternis cruciatibus mancipat. *Deus in nullo actu animam deserit sine præmio, sine pœna.* (6) In cælo præmiat innocuam, in inferno pu-

nit scelerosam. Præmium quod largitur Deus animæ innocuæ est summum, quia a summa Dei bonitate procedit; pœna qua punit animam scelerosam, est summa, quia a summa Dei oritur justitia. Præmium Beatorum est effectus summi amoris quo Deus eos prosequitur; pœna damnatorum est effectus summi odii, quo eos Deus aversatur. Deus summe beatus Sanctos, eis cunctorum bonorum quæ continet largitur generalitatem. Nam, ut fatur Apostolus, est omnia omnibus Deus, summe puniens reprobos, infligit illis malorum universalitatem, ut ipsemet declarat: *Congregabo super eos mala.* (1) *Beatitudo est aggregatio bonorum, damnatio est aggregatio malorum: Congregentur aque quæ sub cælo sunt in locum unum; congregationes aquarum appellavit maria.* Divina justitia cunctos dolores et cruciatus congregavit in uno loco quem vocavit infernum: « *Congregabo super eos mala,* » id est, ut expendit Oleaster, *omne genus malorum in eos mittam, non unum, aut aliud.* Ut quemadmodum mare est cunctorum acervatio aquarum, ita infernus sit velut quinta essentia tormentorum quæ patiuntur reprobi. *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.* Hoc est, ut explicat doctus Auctor, « *tot plagas et calamitates immittam, ut videri possim pharetram meam exhaustis, et sagittarum nihil esse reliquum.* » (2) Beati, cuncta possidentes bona, inæqualiter felicitate potiuntur; damnati malorum patientes universalitatem inæqualiter cruciantur. In cælo beatur *unusquisque in suo ordine.* *Ordo nihil aliud est quam meritum dispositum* (3), in inferno torquetur *anima peccatrix, quia pro meritis est ibi ubi esse talem decet, et ea patitur quæ talem pati æquum est.* Pœna peccatis coaptatur; et ut fantur damnati apud Prophetam Evangelicum, *peccata nostra responderunt nobis.* (4) Quasi gehennæ supplicium sit echo culpæ, ei ex æquo correspondens. Quapropter præciti, ait D. Maximus, patientur *stridorem dentium propter risum lascivum, intolerabilem sitim propter crapulam, pervigilem vermem propter obliquum et malignum cor, caliginem propter fallaciam; limbum abyssi propter superbiam, ignis ardorem propter voluptatem, generalitatemque pœnarum eo quod cunctis animæ facultatibus et corporis membris peccaverint.*

2. *Ipse homo, non tantum opus Dei, verum*

(1) D. Aug. — (2) D. Chrysost. lib. de Repar. Laps. — (3) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (4) Job. 18. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (6) D. Aug. lib. de Quant. An. 36.

(1) Dent. 32. — (2) Jacob. Bonfrerius. — (3) Tert. L. de Res. 48. — (4) Cap. 59.

etiam imago est; et tamen corpore et spiritu descit a suo institutore. (1) Homo peccans reus est injustitiæ, ingratiitudinis et deordinationis. Injustitiæ, quia Deum contemnit, cui ex æquitate præstare debet honorem; ingratiitudinis, quia ex Dei donis Deum offendit; deordinationis, quia animæ facultates et corporis membra non assumit, ut assequatur finem ad quem ordinata sunt. Accepit etenim memoriam, intellectum et voluntatem, quæ divinam referunt imaginem, ut Dei recordaretur, eum cognosceret, diligeret, illique adhæreret; et tamen neque Dei meminit, neque Deum recognoscit, nec diligit, sed scædis imaginibus memoriam scædat, pravis cogitationibus intellectum contaminat, inordinatis motibus voluntatem sufflammat, animam criminibus dedecorat: *Aut spiritus ideo insitus corpori, ut insidiarum, ut fraudium, ut iniquitatum cogitatorium fieret, non opinor.* (2) Et quia caro est animæ ministra, peccatum mente conceptum, corde consummatum, corpore adhuc exsequitur homo scelerosus. Oculis etenim impudicos emittit aspectus; auribus detractionis suscipit sermones; ore ingluviæ et crapulæ indulget; lingua maledictiones in proximum, juramenta et blasphemias in Deum jaculat; manibus, vim aliis infert, eorum bona injuste usurpat; pedibus, ad male operandum cursitat; ventre, venereas voluptates captat, cunctisque corporis membris contra Dei intentionem et prohibitionem peccat: *Neque enim oculos ad concupiscentiam sumpsimus, et linguam ad maliloquium, et aures ad exceptaculum maliloquii, et gulam ad gulæ crimen, et ventrem ad gulæ societatem, et genitalia ad excessus impudicitæ, et manus ad vim, et gressus ad vagam vitam* (3), et alias corporis partes ad operandum peccatum. Peccator tamen ordinem a Deo institutum pervertens, animæ facultatibus et corporis membris in malum abutitur. Pericula et damna quæ a carne criminosa incurrimus eleganter describit Petrus Blesensis: *Caro nostra aculeis contradictionum hispida, rebellis, superba, murmurosa, querulosa, contumax, inquietata, in suum et animæ conjurat exitium; nec posse satisfieri sibi putat, donec et animam et se præcipitet in æternæ damnationis abyssum.* (4) In inferno autem singulæ animæ facultates et corporis partes, speciale patientur tormentum: nam *per quæ quis peccat, per hæc et punietur*; et ita in animæ facul-

tatibus, et corporis membris quibus peccavit punietur, abusus abusu Deus vindicabit: anima et corpore ad Dei contemptum abusus est peccator, Deus quoque eis abutetur, « In tempore furoris tui abutere eis, » *quia enim abusi sunt rebus Domini, id est, corpore suo et anima, ideo eis Dominus abutetur in pœna, ut quos creavit ad gloriam consummet ignominia* (1), et infernali cruciet igne.

3. Nam *criminosos subter ignis exspectat.* (2) Ut autem animadvertit D. Hieronymus, *in uno igne omnia supplicia sentient in inferno peccatores.* (3) Gehennalis ignis est velut quoddam omnium pœnarum compositum, omne fel aspidum, cuncta viperarum venena, universæ ferarum immanitates, malignæ elementorum et siderum qualitates, cunctaque in universum suppliciorum genera in infernali continentur igne, ut peccator *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* (4) Frigus intolerabile tolerat in inferno reprobis, ardorem quoque ardentissimum sustinet, et licet in hac vita calor et frigus ab eadem causa non procedant, neque in eodem subjecto possint compati in summo, in inferno tamen ab eodem præscito patiuntur, et ab eodem oriuntur igne qui cuncta infligit supplicia; ex 1. Status æmulatione; 2. Divinæ justitiæ administratione; 3. Creaturarum deputatione. 1. Scelerosum in inferno *quædam ratio æmulæ operationis insequitur.* (5) Sensum etenim tactus a quo venereæ procedunt voluptates æmulando punit *ignis æmulatio.* (6) Tactus in hoc ab aliis sensibus discriminatur, quod hi in aliqua speciali parte corporis resident, ut visus in oculis, auditus in auribus, olfactus in naribus, gustus in palato et lingua: at ille per totum extenditur corpus: ignis autem æmulus, et instrumentum quo cruciatur tactus, non minorem habebit extensionem. Venenum, funes, vincula, gladii aliaque justitiæ instrumenta, nequeunt in cunctis partibus torquere corpus: venenum immediate solum afficit cor; funes collum duntaxat tangunt; gladius soli parti vulneratæ infligit dolorem: at nullum est corporis membrum quod non crucietur ab igne, tactus æmulo agente igne adhuc 2. Tanquam ministro *crematoris Dei* (7) Ut autem asseverat Jeremias Propheta, in inferno *aperuit Dominus thesaurum suum, et vasa iræ suæ.* (8) Thesaurus est depositio multiplicis rei magno pretio habitæ, puta auri, argenti, gemmarum. Ex

(1) Tert. L. de Spect. 2. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. ibid. — (4) Epist. 11.

(1) Hug. Card. in c. 18. Jerem. — (2) Tert. L. de Pat. 16. — (3) Ep. ad Pammach. — (4) Job. 24. — (5) Tert. Apol. 2. — (6) Hebr. 10. — (7) Tert. L. 5. adv. Marc. 16. — (8) Jerem. 50.

Tertulliano, *gehenna est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus* (1) : quia multiplices in se continet pœnas, variisque et miris modis exeruciat damnatos. Binum inuenio in sacris paginis thesaurum : unum bonitatis, alium justitiæ Dei. Utriusque meminit Apostolus. Primi quidem, quando peccatori exprobrat divinæ bonitatis contemptum : *an divitias bonitatis ejus contemnis ?* (2) Secundi etiam, dum obscuratum admonet peccatorem, quod sua obstinatione sibi divinæ iræ congregat thesaurum : *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Ostentavit Deus Israëlitis in deserto thesaurum bonitatis largiens manna in se habens omne suavitatis delectamentum ; manifestat quoque reprobis in inferno thesaurum iræ, in uno igne suæ justitiæ ministro, infligens illis omnem pœnam. Tanto ditior æstimandus est thesaurus quanto plures continet gazas. *Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus* (3), cum damnatos omni tormentorum genere cruciet ut minister divinæ justitiæ, et 3. Deputatus cunctarum creaturarum, quarum vices agit, et vindictam exercet in peccatorem ? *Universam conditionem certis usibus mancipatam* (4) homini Deus tradiderat : peccator tamen universa abusus est creatura : *Unde eam et Apostolus invitam vanitati succidisse testatur.* Creatura invita et non volens homini sceleroso servit, quia eam a suo ultimo fine divertit, suumque Creatorem temerarie offendit. Idcirco ut de peccatore sumat vindictam, deputabit ignem velut offensæ sibi illatæ vindicem, qui cunctarum gerat vices creaturarum, et omni pœnarum genere cruciet criminis illum qui suis sceleribus creaturas adhibuit adversus Creatorem. *Tunc ille ignis arcanus erumpet, et universam substantiam depopulatus* (5) ; animam scilicet et corpus peccatoris succendens, tormenta numerabit juxta numerum delictorum ; *statuit enim Deus unicuique manere peccatorum consonam pœnam gehennæ ignis ; propter carnis incendium* (6) deliciosa vita ad infernum properat, et carnis voluptates sunt gehennæ cognatæ et affines. Libidinosi Veneris sufflamantur incendio, *majoris ignis ardorem inferentes.* (7) Quod probe sciens ille de quo fatur Magnus Basilius, voluptates detestans, rigidam pœnitentiam amplexus est. *Est qui istius vitæ vanitatem detestatus, et cognito, quod illius voluptates*

etiumnum hic catastrophem suam habeant, fomenta quædam et strues æterno illi igni congerentes, quam celerrime autem cursu prætervectæ, me accessit, cum proposito deserendi vitam hanc ærumnosam, suspirii refertissimam. (1) Plura fuerunt quæ voluptuosum illum ad conversionem incitarunt : vitæ istius 1. Vanitas quam celerrime transiens ; 2. Ærumna et calamitas miseriis et suspiriis referta ; 3. Catastrophe et infelicitas persæpe ex hac vita eveniens. Catastrophe, latine subversio, est extrema pars tragediæ, in qua res lætæ tristem sortiuntur exitum. 4. Quia vita voluptuosa cito transiens fomentum et struem gehennali congerit igni. Tristem tragediæ catastrophem videmus in divite gulone, vitam deliciosam ducente : nam epulabatur quotidie splendide. Post divitis delicias, gehennale sepulcrum opulentæ felicitati confine enarrat Scriptura : « Mortuus est dives, et sepultus est in inferno ; » et quia suis deliciis fomenta et struem igni inferno congererat, flammis cruciatur æternis. *Ignem eversionis* (2) metuat Christianus : similem cum epulone divite catastrophem habet peccator deliciis vitæ carnisque voluptatis assuetus, cum *post illam clibanus vel furnus gehennæ sequatur* (3), ubi pœnæ et tormenta mensurantur.

III. PARS. *Cum judex Deus justitiæ carissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat, et in eam omnem summam disciplinæ sue sanciat* (4) : damnatorum in inferno mensurans pœnas ; ponens *justitiam in mensura.* (5) Ut enim ratiocinatur D. Augustinus, *non concupiscit Deus pœnam reorum tanquam saturari desiderans ultione ; sed quod justum est, cum tranquillitate discernit, et recta voluntate disponit, ut etiam mali non sint inordinati* (6) ; non ex vindicta, sed ex justitia. Damnatorum Deus pœnas decernit, et ne reprobi sint etiam in suppliciis inordinati, eas mensurat 1. Divinæ majestati ; 2. Scelerosi qualitati ; 3. Delicti gravitati.

1. Lethale peccatum est *summa offensæ penes Deum.* (7) Offensæ magnitudo ex trino capite desumitur : scilicet ex dignitate offensi, vilitate offendentis, obligatione qua offendens offenso adstringitur. Ex trina autem illa parte peccatum mortale est summa penes Deum offensæ : tum quia Deus infinitæ majestatis offenditur ; tum quia ab homine infinitæ vilitatis offenditur ; tum quia homo vilis

(1) Tert. Apol. 47. — (2) Rom. 2. — (3) Tert. l. de Pœn. 11. — (4) Tert. l. de Cor. Mil. 6. — (5) Tert. l. adv. Valent. 52. — (6) S. Maxim. — (7) Tert. l. de Præsc. Hæret. 2.

(1) Epist. 383. — (2) Tert. l. 4 adv. Marc. 29. — (3) Tert. ibid. 50. — (4) Tert. l. de Pœn. 2. — (5) Esa. 28. — (6) Lib. de Ver. Ian. cap. 12. — (7) Tert. l. de Spect. 2.

et offendens Deo infinito et offenso summe obligatur, pro donis naturæ, fortunæ, gratiæ, et potissimum pro Verbi humanatione. Si pœna offensæ commensuratur, *pro mensura delicti erit et plagarum modus* (1), quantam in inferno patietur pœnam anima scelerosa quæ offendit Deum infinitæ majestatis, Deum summæ liberalitatis? Profecto *diversis malitia catenata criminibus* (2), summum patietur supplicium, luetque pœnas temeritatis, qua ausa est Deum infinitæ majestatis offendere; iniquitatis, qua creatura de nihilo producta suum est aggressa Creatorem; ingratiitudinis, qua redemptionis perdidit fructum: et, ut addit Eusebius Emissenus, *quantum perdidit pretium, tantum exceptura supplicium*. Christi sanguis in passione effusus, quem reprobis delinquendo neglexit et ingratis contempsit, erit tormentorum mensura. Humanæ redemptionis pretium, tempore exhibitum, infinitum est, utpote meritum hominis Dei, infiniti valoris. Huic autem infinitati respondet tormentorum æternitas. *Productior est pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna*. (3) Divina enim justitia commensurat pœnam supremi numinis majestati, et peccatoris qualitati.

2. *Justitiæ opus est, quod inter luminaria majora et minora separatio pronuntiata est*. (4) Scio, per luminare majus Tertullianum intelligere solem qui præest diei, per minus vero, lunam quæ præest nocti. Verum si ex Apostolo sicut alia est claritas solis, alia claritas lunæ, ita diversa et inæqualis Sanctorum gloria; per luminaria majora possunt intelligi beati qui majori felicitate potiuntur; per minora vero illi qui minori pollent gloria. Inter luminaria autem majora et minora separatio pronuntiata est, quia divina justitia præmia meritis commensuravit; et quia contrariorum eadem est ratio, Deus etiam in inferno supplicia peccatis contemperat: *Intelligimus unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in pœnam converti; nec putemus illam tranquillitatem, et ineffabile lumen Dei de se proferre, unde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinare, ut quæ fuerunt delectamento homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti*. (5) Trina in inferno pœnarum servatur mensura. Prima delictorum naturæ coaptatur; secunda criminum gravitati commensuratur; tertia, juxta peccantium statum et qualitatem ordinatur. Prima peccati

naturam respicit, et ex opposito punit, ut gulam fame intolerabili, crapulam siti insatiabili: juxta istud: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormenti et luctus*. (1) Secunda ad criminum gravitatem attendit, et quo graviora fuere crimina, eo major eis respondet pœna: et ut fatur D. Augustinus, *diversitate pœnarum, diversitas cognoscitur meritum*. Tertia peccantium statui et qualitati quamdam habet proportionem, *ut quos similis pœna inquinat, par etiam pœna constringat*. (2) Addit D. Gregorius: *Pares cum paribus sociabuntur, ut pares cum paribus ardeant* (3): hæretici cum hæreticis, impii cum impiis, blasphemii cum blasphemis, superbi cum superbis, avari cum avaris, impudici cum impudicis. *Die suo colligentur adulteræ fruges, et cum cæteris scandalis igni inexstinguibili cremabuntur*. (4) Ad hunc finem *stipula collecta synagoga peccantium*, (5); seu, ut vult Propheta Evangelicus, peccatores eodem delicti genere contaminati, *congregabuntur in congregatione unius fascis* (6) in lacum, quos ad comburendum alligari præcipit ipsemet Christus: *Alligate in fasciculos ad comburendum*. (7) Nullum est verbum quod speciali energia non fulgeat. Alligate reprobi animam, ut nihil unquam boni ejus facultates valeant operari. Alligate memoriam, ut nullam virtutis formet imaginem; intellectum, ut nullam pietatis habeat cogitationem; voluntatem, ut nullum boni eliciat amorem. Alligate corpus animæ scelerosæ habitaculum, ut movere nequeat oculos, linguam, pedes, manus. Alligate manus quæ tot tactus fecerunt impudicos; pedes, qui toties ad malum cursitarunt; aures, quæ detractionis sermones susceperunt; linguas, quæ tot blasphemias protulerunt; membra, quæ tot impudicitis fœdata sunt. Sed alligate in fasciculos cum aliis reproborum corporibus ad comburendum. Quo plus ligni, picis, sulphuris, fascis, vel paleæ in ignem injicitur, eo majus exardescit incendium, quali, quæso, ardore cruciabuntur reprobi? nam *sicut spinæ se invicem complectuntur, sic consumentur quasi stipula ariditate plena*. (8) In tanta tamen dolorum acerbitate supplicia criminum gravitati commensurabuntur.

3. Qualia erunt reproborum scelera, *tale et incendium, talis et flamma*. (9) Ex D. etenim Augustino, *tanta est suppliciorum,*

(1) Deut. 25. — (2) Euseb. Emiss. Hom. 1. ad Mon. — (3) D. Aug. Tract. 124. in Joan. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (5) D. Aug. in Psal. 7.

(1) Tert. Apol. 18. — (2) D. Aug. Serm. 59. de Sanct. — (3) Lib. 9. Mor. 47. — (4) Tert. L. adv. Prax. 1. — (5) Eccles. 21. — (6) Cap. 24. — (7) Matth. 13. — (8) Nahum. 1. — (9) Tert. L. 4. adv. Marc. 29.

quanta est diversitas peccatorum. (1) Insignioribus criminosis sulphuratiorem gehennam præparabit (2) Deus. Ut enim asseverat Sapiens, *potentes potenter tormenta patientur*. (3) Syriacus habet: *Potentes potenter interrogabuntur*. Arabicus legit: *De potentibus scrutabitur scrutatione potenti*. Græcus vertit: *Potentes valide examiabantur*. Vatablus vero: *In potentes inquiretur acriter*. At cui committetur ejusmodi interrogatio, scrutatio, examen, inquisitio? Nulli alteri præterquam igni. Ideo nuncupatur a Tertulliano *sapiens ignis* (4), quia sapienter discernit inter damnatorum demerita, illaque congruis cruciatur tormentis. Ab Eusebio Emiseno vocitatur *rationalis disciplina* (5), quia quasi ratione præditus, iudicium exercet in damnatos. Ab eodem Eusebio appellatur *ignis arbiter*, quia pœnam juxta uniuscujusque culpam decernit, quasi libertate agat. A Cassiano dicitur, *inquisitor meritorum omnium* (6); quia exacte cunctorum exquiret delicta. Nam, ut ait Julius Firmicus, *ignis iste scrutatur abdita, quærit absconsa*. Et ut addit Eusebius Emisenus, *interrogabit ossa, et medullas, et cogitationes nostras*. Multum est quod publica examinet crimina, majus quod abdita et abscondita exquirat; at quale examen quod ossa, medullas, ipsasque interroget cogitationes, ut nihil impunitum remaneat, sed unusquisque patiatur tormentum suis criminibus conforme? Christiani, fugiamus peccata quæ tanta diligentia perquirunt sapiens ignis. *Opus arbitrii nostri non arsurum paremus*. (7) Opus sive bonum sive malum est opus arbitrii nostri: bonum opus non est arsurum in inferno; malum opus econtra est arsurum in gehenna, quia est pabulum ignis æterni. Si malum faciamus, opus *tarde nobis displicemus sub conspectu ignis æterni*. (8) Qui enim male operantur *ignis illius inexstinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ curantes*. (9) Peccatum enim est inferni gravidum, et gehennam infauste ominatur: Deus est *ignium comminator* (10), ut nos a malo revocet et ad bonum provocet. Christiane, attende ad hæc D. Augustini verba: « Non erit iste ignis sicut tuus; quo tamen si manum tuam mittere cogaris, facies quidquid voluerit, qui hoc minatur. Si tibi dicat: Scribe contra caput patris tui; scribe contra capita filiorum tuorum; nam, si non feceris, manum tuam mittam in focum tuum: mina-

(1) Tract. 59. in Joan. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 28. — (3) Sap. 6. — (4) Tert. Scorp. 4. — (5) Hom. 1. de Epiph. — (6) Collat. 15. c. 10. — (7) D. Paul. 14. — (8) Euseb. Emis. ibid. — (9) Tert. L. 1. ad Uxoriam. 6. — (10) Tert. Scorp. 9.

tur ergo inimicus tam leve malum, et facis malum; minatur Deus æternum malum, et non facis bonum: unde piget, nisi quia non credis? Sed si non credis, jam iudicatus es, et experieris miser, quod non credis, prima veritas te arsurum igne æterno pronuntiat. » (1) Crede igitur Deo minitanti, apprehende æternum quem comminatur ignem, et si vis non ardere, fuge malum, fac bonum ut sis in numero electorum.



CONCIO TERTIA.

DE fide certum est animas scelerosas statim ac separatæ sunt a suis corporibus, iudicio addici particulari gehennæque condemnari tormentis: *Nam et nunc animas torqueri penes inferos, licet nudas, probavit Lazari exemplum*. (2) Constat etiam post universale iudicium, præscitorum corpora horrendis inferni crucianda doloribus. Nam *unde erit fletus, et dentium frendor in gehenna, nisi ex oculis et dentibus? occiso scilicet etiam corpore in gehennam, et detruso in tenebras exteriores, quæ oculorum proprie sunt tormenta*. (3) Pœnæ autem quas patiuntur et passuri sunt reprobi, tantæ sunt ut omnem intellectus humani superent aciem, omnimodam linguarum excedant facundiam. Ipsemet Evangelicus Propheta, etsi de cælo totus illustratus, damnatorum conspiciens supplicia, sermone enarrare posse diffidit; utpote quæ multitudine et atrocitate sunt inenarrabilia. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi*. Hoc est, ut expendit D. Hieronymus, *non possum enarrare quæ cerno, hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur. Væ mihi quantum ordo pœnarum ante oculos versatur meos!* (4) Enuntiare non valeo quod alii audire non valent: in corde teneo oclusum secretum quod exprimere lingua nequeo. Quas video gehennæ pœnas, tantæ sunt, ut attingere intellectus non possit humanus; adeo horribiles, ut omnem mortalium superent æstimationem; adeo ingentes et atroces, ut nulla lingua, quamvis facunda, eas enarrare valeat. Quis enim sufficiens sit ad concipiendas et narrandas inferni pœnas, universalitate atrocissimas, intensione acerbissimas, continuitate perpetuas, et adeo intolerabiles ut superent 1. Omnia quæ passi sunt mortales supplicia; 2. Cuncta quæ Christus sustinuit in cruce tormenta;

(1) In Psal. 49. — (2) Tert. L. de Res. 17. (3) Tert. L. de Res. 35. — (4) In c. 2. Esa.

3. Neque concipi possint nisi ex oppositione ad Beatorum præmia.

I. PARS. *Quis hæc supplicia interim montium non iudicii minantis exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni alicujus et inestimabilis foci missilia quædam et exercitoria quædam jacula consentiet?* (1) Loquitur de Æthna et Vesuvio, montibus tanto incendio ardentibus, ut audacibus quibusvis terrorem incutiant, et tamen horrenda illa incendia sunt duntaxat jacula exercitoria, id est, lusoria missilia quædam, et velut scintillæ, quæ nobis aliqualem ignis inferni conferunt notitiam. Ut autem Tertullianus ab ardoribus montium assurgit, vel potius descendit in gehennæ incendium, ita nos ex cruciatibus quos patiuntur in hac vita mortales, reproborum deberius investigare tormenta. Cruciatibus quos in hoc seculo sustinent homines, ad tria capita reduci possunt. Nam, vel procedunt ab infirmitate, ut morbi; vela tyrannorum crudelitate, ut dolores quos tolerarunt martyres; vel a divina justitia et ultione, ut supplicia quibus etiam ex hac vita aliquando punit Deus scelerosos. Inferni autem tormenta absque ulla comparatione superant

1. Dolores quos sustinuerunt homines ex naturæ infirmitate;
2. Cruciatibus quos passi sunt martyres ex tyrannorum crudelitate;
3. Supplicia quæ tolerarunt peccatores ex divina indignatione.

1. Dolores quos patitur homo vel ex infirmitate naturæ, quæ est pœna originalis delicti, vel ex creaturarum violentia et persecutione, vel casu fortuito et per accidens: cuidam Marcionitæ objicit Tertullianus: *At nunc et febricitas, o Marcionita, et cæteros tribulos et spinas dolor carnis tuæ tibi edit; nec fulminibus tantum, aut bellis et pestibus, aliisque plagis Creatoris, sed et scorpiis ejus objectus; cujus te muscæ adhuc calcant.* (2) Attamen cuncti hujusce vitæ dolores, angustiarum omnes, tristitiarum, afflictionum, adversitates, ægrotudines, infamiarum, jacturæ, quæ evenire possunt a terra, a cælo, ab elementis, a natura, ab arte, fortuito, naturaliter, a casu, a voluntate, universa hæc in unum collecta nequeunt inferni doloribus comparari. *Omnia enim mala quæ veteribus historiis continentur, aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut pestilentia, morbis, fame, bestiis, hostium vastitate, hominibus acciderunt, his suppliciis non poterunt comparari.* (3) Coa-

cerva, si potes, honorum temporalium jacturam, quæ ad summam redigit egestatem; ignominiam, quæ aufert honorem et famam; adversam fortunam, quæ animum tristitia afficit et mœroris; amicorum perfidiam, quæ molitur prodiones et insidias; incendia, quæ villas et domos in cineres redigunt; aquarum inundationes, quæ devastant campos; pestilentiarum lues, quæ charos toxicant et interficiunt filios; bellorum strages, quæ tollunt facultates, uxores et filias inhonorant; morborum dolores, qui corpora discruciant; horrores mortis clarissimos suo imperio subdentis: cuncta hæc damna nequeunt inferni comparari suppliciis, quæ superant omnia etiam tormenta quæ ingeniosa tyrannorum crudelitas potuit unquam invenire adversus martyres.

2. *Multa genera pœnarum* (1) adinvenere iudices ad puniendos latrones, homicidas, sacrilegos, parricidas, aliosque criminosos. Retulisse sufficiat supplicium quod æquissime subiit (2) impius Ravillac, regicida Henrici Quarti Francorum, regis augustissimi. Nefarius ille sicarius, in plateam supplicio destinatus ductus, ibique pectus, brachia, femora, forcipibus candentibus fuerunt inusta; manus dextera parricidii cultrum tenens, igne sulphureo concremata, in partes forcipibus inustas plumbum liquefactum, oleum fervens, resina accensa, ceraque simul cum sulphure liquato injecta; quibus peractis, scelerati illius monstri corpus a quatuor fuit equis distractum; membra igne consumpta. Supplicium tamen illud, cæteraque alia tormenta quibus reos mulctat humana justitia, parva, imo nulla in comparatione pœnarum inferni existimat D. Augustinus: *Quæ quisque gravia patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis, non parva sunt, sed nulla sunt.* (3) Insontibus horrenda inflixerunt supplicia tyranni *per omne ingenium crudelitatis.* (4) Quis absque horrore audire possit Phalaridis Agrigentini (5) tyranni crudelitatem, qui tauro ex ære confecto includebat homines quos morti devoverat, uti subjecto igne comburerentur, et in combustione bovis ederent mugitum. Exsecrabilior est adhuc sævi illius tyranni immanitas de quo loquitur Poeta (6), qui hominem vivum, cadaveri mortuo alligabat adnectebatque ventrem ventri, pectus pectori, os ori, ut putredine infectus, verminibus consumptus, miseram efflaret animam.

(1) Tert. L. de Pœn. 12. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (3) D. Hieron. in c. 2. Joel.

(1) Tert. L. de Pud. 22. — (2) Dic 27. Man. An. Do. 1610. — (3) Serm. 109. de Temp. — (4) Tert. Lib. de An. 1. — (5) Aul. Gel. lib. 6. c. 4. — (6) Lib. 7. Æneid.

Taceo cæteros tyrannos, qui *omni tormentorum machinatione* (1) innocuos dilaniarunt homines. *Sed hæc omnia ludicra sunt, et risus sunt, ad illa supplicia* (2) quæ in inferno patiuntur reprobi. Gentiles tyranni Christianos *per atrociora quæque ingenia pœnarum* (3) insecuti sunt. Quid non spectavit sub Nerone, Diocletiano, Decio, Valeriano, Maximiniano, Roma? quid non vidit sub Maximino Alexandria, sub Henrico et Elizabetha Anglia? quid non conspexit sub Taicosama Japonia? Quæ crudelitatis instrumenta adversus martyres non admoverunt istius modi dæmonum ministri? Puta *gladium gravem, et crucem excelsam, et rabiem bestiarum, et summam ignium pœnam, et omne carnicis ingenium in tormentis*. (4) Hæc tamen aliaque tormentorum genera quæ a mundo condito tolerarunt martyres, sunt duntaxat pictura vel umbra pœnarum quas patiuntur in inferno præsciti. *Pone scilicet ferrum, ignem et bestias, et si quid est difficilius; attamen nec umbræ sunt hæc ad illa tormenta* (5) in quibus divina completur indignatio.

3. *Quid timetur nisi ira? Unde ira nisi ex animadversione?* (6) Dei ira ex ejus animadversione nascitur, animadversio autem in peccatum fertur: Deus multa dedit animadversionis et indignationis suæ monumenta. Taceo bella, pestes, fames, mortes, aliaque ejusmodi sæpe sæpius a divina indignatione immissa. Tria potissimum iræ Dei signa sacræ referunt historiæ. 1. Universale diluvium, seu, ut fatur Tertullianus, *cataclysmum, casum orbis, omnium rerum abolitorem*. (7) Diluvio autem hominum corruptionem punivit iratus Deus. *Dehinc ut Deus censor est, impietas ignium meruit imbres*. (8) Loquitur de Sodoma et Gomorrha Tertullianus, quæ divinam irritarunt animadversionem. Sicut enim diluvio humanam malitiam, ita et incendio castigavit Deus. Ideo Scriptura 2. *Malitiam avi illius imbribus, dehinc et ignibus causam* (9) refert. Divina siquidem justitia *Sodomam et Gomorrham nimbo igneo exussit*. (10) Ejusmodi autem ignis ex divina procedit indignatione, ut asseverat ipsemet Deus per Esaiam: *Ignis exarsit ex indignatione mea*. (11) Tandem 3. *Ægyptum sceleratissimam, superstitiosam, amplius hospitis populi conflictatricem,*

decemplici castigatione percussam (1), sacra asseverat Scriptura. Attamen neque *omnes seculi plagæ* (2) sunt inferni tormentis comparandæ. Testatur V. Beda sua tempestate fuisse in provincia Norolan patremfamilias Drithelmum nomine: hic vi morbi ad extrema redactus, tota nocte fatis functus fuit habitus. Ubi diluxit, ad se reversus, omnibus attonitis, vitam dixit sibi concessam, sed longe alia ratione ducendam: ex illo namque momento, sese in prolixas preces abiecit, mox facultates omnes, in conjugem, liberos et pauperes distribuit, cunctisque seculi expeditus curis, in cenobii angulum se recepit, ubi continuo austeritati, mortificationi et pœnitentiæ vacans, de tam rigida vita communerantibus nihil aliud dicebat præterquam: *Acerbiora vidi*. Recogita, Christiane, sæviora supplicia quæ unquam humana justitia decrevit in reos; perpende crudeliora tormenta quæ tyrannorum crudelitas et *ingenia carnicis* (3) exercuerunt unquam in martyres; imaginare tibi cunctas plagas quibus unquam divina vindicta percussit impios, dicet inferioris spectator: *Acerbiora vidi*. In omnibus plagis quas divina animadversio misit in criminosos mortales, est aliqua duntaxat iracundiæ umbra. Aliter disserendum est de gehennæ supplicio: *Hæc enim pœna vocatur ira Dei* (4), quasi in inferno totam suam ostendet Deus iram et vindictam. *Differunt autem pœna et ultio: nam pœna ejus qui patitur gratia fit, ultio vero ejus qui facit*. (5) Quanta, quæso, damnatorum tormenta, quæ ab ultrice et tota Dei iracundia fulminantur, in quorum comparatione martyres a sævis tyrannis cruciati *in paucis vexati* (6) dicuntur. Nec mirum: nam inferni cruciatus, Christi Domini dolores longe superant.

II. PARS. Atrocissima sustinuit Christus in sua passione tormenta. *Taceo quod figitur, despuitur, verberatur, deridetur, sceleratissimis vestitur, sceleratissimis coronatur*. (7) Tanti fuisse patientis Domini cruciatus ut superent martyrum acerbitates. Quanti vero fuerint ipsemet declarat Salvator, dicens: « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Et aliorum: « Dolores inferni circumdederunt me. » Verum quantumvis acerbissimos sustinuerit dolores, hi cruciatus non accedunt ad rigidissima quæ reprobi tolerant in inferno supplicia: Christus crucis dolores sustinuit volens, passus est duntaxat ab hominibus,

(1) Tert. L. de Res. 8. — (2) D. Chrysost. Hom. 49. ad Pop. — (3) Tert. L. de Res. 8. — (4) Tert. L. ad Mart. 4. — (5) D. Chrysost. Hom. 49. ad Pop. — (6) Tert. L. de Test. An. 2. — (7) Tert. Lib. 1. de Cult. Fem. 5. — (8) Tert. L. de Pall. 2. — (9) Tert. L. 2. adv. Marc. 14. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 29. — (11) Tert. ibid.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 14. — (2) Tert. Apol. 41. — (3) Tert. L. de Pœn. 22. — (4) D. Aug. in Euchir. c. 212. — (5) Arist. lib. 1. Rethor. c. 10. — (6) Sap. 5. — (7) Tert. L. de Pat. 3.

in sua passione fuit aliquomodo consolatus : at damnatus, 1. Invitus patitur; 2. Absque ulla consolatione patitur; 3. A dæmonibus patitur.

1. *Deprehenditur et in Domino concupiscentivum, quo Pascha cum discipulis suis edere concupivit* (1), crucisque mortem ardentissime desideravit. Concupiscentia etenim est ardens desiderium, vehemens voluntas, qua quis aliquod vult et exoptat objectum. Christus autem ardentissima voluntate suam concupivit passionem: non solum *oblatus est quia ipse voluit* (2), quia, ut animadvertit D. Augustinus, *si patinallet, non pateretur* (3), sed etiam vehementi desiderio exoptavit mortem. Quam vero ardens fuerit crucis illius desiderium ipsemet declarat Salvator apud Regium Vatem: *Cucurri in siti* (4): innuens, non minori ardore exoptasse crucis tormenta quam cervus siti oppressus, fontes aquarum. D. Ambrosius sitim Salvatoris Pharisæorum et Sacerdotum opponit siti: *Cucurri in siti: cucurrerunt in siti*. Scribæ et Pharisæi meam desiderant mortem, ego quoque illam exopto: illi sufflamantur ardore mihi inferendi supplicia, ego etiam æstuo et sufflamor siti patiendi: et in cursu passionis meæ, *plus ibi facio quam patior* (5) quia ardentiori voluntate elegi et desideravi mortem, quam fuerit ardens odium quo Judæi me affixerunt cruci: *Quæ voluntas sine concupiscentiæ stimulo est? quis volet, quod non concupiscit?* Inde de Christo loquens concludit Tertullianus: *Igitur voluit et concupivit in hominis salutem* (6), quam sua passione et morte operatus est. Aliter disserendum est de reprobis. Tantum abest ut velint et concupiscant inferni tormenta, quin immo illa nolunt et aversantur. Quibus competit *volentia, odium, dedignatio*. (7) Nolentia, etenim si ab illorum dependeret voluntate, non cruciarentur in gehenna; odium, nam tormenta illa quæ volentes et inviti tolerant, oderunt; indignatio siquidem ob dolores quos per vim et coactioni sustinent, indignantur adversus semetipsos, adversus peccata quæ commisierunt, adversus justitiam divinam punientem, adversus ignem cruciantem, adversus tormenta quæ absque ulla consolatione patiuntur.

2. *Quid autem aliud saperet vir quilibet injuria damnatus, præter injuriæ solamen?* (8) Christus Dominus injuste a Judæis morti

damnatus, consolantem quærit: *Cui nec consolanda injuria, sed potius insultanda*. Verum licet satellites Christo morienti insultaverint; licet eum Herodes exercitui illudendum tradiderit; licet magistrum discipuli fugientes dereliquerint: aliqualem tamen habuit Dominus in sua passione consolationem; nam Angelus descendit de cælo confortans eum; filiæ Jerusalem amare super eum fleverunt; Pilatus ejus agnovit probitatem; Lætro innocentiam prædicavit; Centurio divinitatem testatus est; Maria mater, Magdalena, aliæque mulieres ad crucem stantes, ejus doloribus compassæ sunt: damnati autem absque ulla consolatione inferni tolerabunt tormenta, et quivis reprobus per totam æternitatem dicet: *Consolatio abscondita est ab oculis meis*. (1) In mundo solatium est miseris socios habere pœnarum: contrarium accidit in inferno, quia, ut docet Angelicus Doctor, *ibi enim miserorum societas miseriam non minuet, sed augebit*. (2) Et ob hanc causam tam enixe Abrahamum deprecatur dives epulo ut Lazarum, vel aliquem ex Prophetis mittat ad fratres suos, ne veniant in locum tormentorum. *Non ex charitate, sed ne pœna ejus augmentaretur, quia quanto plures sunt damnati, tanto magis augmentatur ejus pœna*. (3) In hoc mundo afflicti aliquod accipiunt levamen ex conspectu amicorum, proximorum, parentum, filiorum; at in inferno vir solatium non affert uxori, nec uxor viro, neque pater filio, neque filius patri, imo filia auget matris tormentum, mater filiæ incrementat cruciatum; pater ex visu filii torquetur, et quivis reprobus ex consortio amicorum et proximorum quos habet damnationis socios dicens: *Contristatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*. (4) Contristatus sum ab aspectu hominis scelerosi, sed multo magis a conspectu dæmonis inimici. Qualis, quæso, damnatorum afflicto dum vident diabolos, a quibus tormenta patiuntur?

3. Judæi *indignatione sua Christum post necem Prophetarum interfecerunt, et nervos ejus suffigendo clavis descævierunt*. (5) Gravissima fuere tormenta quæ a satellitibus passus est Christus, sed minime comparanda cum suppliciis quæ a dæmonibus patiuntur damnati. Juste puniuntur a dæmonibus reprobi: duplici potissimum de causa. 1. Quia, ut docet Angelicus Doctor, *omnes peccatores se diabolo subdiderunt peccando, ergo justum erit ut eis subjiciantur in pœnis,*

(1) Tert. L. de An. 16. — (2) Esa. 53. — (3) Tract. 8. in Joan. — (4) Psal. 61. — (5) D. Aug. in Psal. 50. — (6) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (7) Tert. ibid. — (8) Tert. L. de An. 1.

(1) Osee. 15. — (2) 3. p. q. 89. a. 4. — (3) S. Vincent. Sermon. Fer. 5. Post. Dom. 2. Quadrag. — (4) Psal. 54. — (5) Tert. Lib. adv. Jud. 10.

quasi ab eis puniendi. (1) Quare diabolus, qui hominem ad peccandum induxit, dicit infelici illi præscito : *Sume calicem vini furoris de manu mea.* (2) 2. Quia dæmones uti justitiæ suæ ministros assumet Deus ad torquendos criminosos, qui injuste ejus offenderunt majestatem : ut sicut boni Angeli divinæ bonitatis ministri homines illuminarunt, ita dæmones divinæ justitiæ exsecutores damnatos puniant. Idcirco Deus sic fatur per os Jeremiæ : *Bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos.* (3) Alia lectio habet : *A facie inimici quem ego mittam eis.* Magnus sane damnatorum dolor, qui cogentur ad bibendum calicem furoris Dei ; sed major adhuc sumere calicem furoris de manu dæmonis hostis infensissimi, potentissimi, crudelissimi, et ad torquendum sagacissimi. 1. Humani carnifices reorum non sunt inimici, neque eos ex vindicta torquent, sed ex commissione duntaxat tanquam justitiæ ministri. Dæmon vero est damnatorum hostis infensissimus : 2. In hoc mundo hostes persæpe sunt impotentes, neque possunt nocere inimicis : at dæmon est potentissimus graviæque potest præscitis inferre supplicia. *Multum spiritualibus viribus licet.* (4) 3. Inimici multoties animum mutant, pietateque moventur ne suis noceant hostibus ; at dæmon erga damnatos crudelissimus est, nullaque compassione tangitur, sed in proposito eos torquendi inflexibiliter perseverat. *Hostem habemus perpetuum ac fœderis nescium.* (5) 4. Humani carnifices ad criminosiores puniendos adhibent ingenia, sed quantumvis ingeniosi sint ad torquendos reos, ad dæmonum sagacitatem non accedunt. Idcirco Tertullianus de illis edisserit tanquam *de ingeniis, vel viribus fallaciæ spiritualis* (6), multo ingenio pollentibus ad cruciandam, tum carnem, tum animam. Inde concludit Tertullianus : *Operatio dæmonum est hominis eversio : sic malitia spiritualis a primordio auspicata est in hominis exitium.* At in inferno insumit malitiam, inimicitiam, industriam, ut hominis tum corpus, tum animam cruciet. *Suppetit illi ad utramque substantiam hominis adeundam subtilitas et tenuitas sua.* (7) Quapropter D. Chrysostomus illum *carnificem incorporeum* (8) nuncupat. Alludere videtur ad ministros publicos, qui homines sibi a justitia traditos verberant, torquent, excarnificant. Sic traditur diabolo peccator, quasi

carnifici in pœnam. (1) Crudelis autem ille carnifex tanta sævitiâ suum adimplet ministerium ut nunquam a cruciando miserum hominem cesset, sed tanta cum severitate, ut cuncta hujusce vitæ tormenta nullatenus sint gehennæ supplicio conferenda. *Intende animo quascunque seculi pœnas, quoscunque tormentorum dolores, quascunque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehennæ, et leve est omne quod pateris.* (2) Quocirca infelices inter tot quos patientur dolores, ista lamentationis et gemitus proferent verba : « Affligunt nos undique pœnæ, tormenta certam minantur mortem, et nunquam morimur : transimus ab aquis nivium, ad calorem nimium, et omnia exquisitissima tormentorum genera, perpetua morte gustamus : sed quod crudelius nostra dissecat viscera cordis, ab impiis ministris hæc omnia patimur, de nostra infelicitate sævissime gaudentibus. » (3) Christiane, hæc diligenter considera, *hæc time, et hoc timore correptus, animam a peccatorum concupiscentia, tanquam freno quodam reprime* (4) : characteribus indelebilibus cordi tuo imprime dæmonum in damnatos crudelitatem, pœnarum inferni acerbicem, quarum magnitudo ex oppositione cum cœlesti beatitudine dignoscenda est.

III. PARS. Quia contrariorum eadem est ratio, lubet *contrariu contrariis redarguere* (5) ; seu potius inferni mala, ex oppositis cœli bonis investigare. Ex D. Augustino, « tria sunt in hoc mundo deteriora omni malo : anima peccatoris in peccato perseverans, quæ nigrior corvo est, mali angeli qui eam rapiunt, et infernus in quem ducitur. Item sunt tria quibus meliora non sunt in mundo : anima Sancti in bonis operibus perseverans, Angeli qui eam suscipiunt, et paradus in quem ducitur. » (6) Cæteris autem prætermisissis, de cœlo et inferno disserendum est : *Ducæ quippe civitates sunt : una in regno æterno, altera in igne æterno.* (7) In illa 1. Cuncta sunt generatim bona ; 2. Bona pura absque ulla permixtione mali ; 3. Bona perpetua : in ista sunt 1. Cuncta mala ; 2. Mala pura ; 3. Mala perpetua.

1. *Bonorum quorundam sicut et malorum intolerabilis est magnitudo.* (8) Magnitudo bonorum cœli est intolerabilis : tum quia ab humana mente nequit comprehendi, tum quia bonorum continet generalitatem. Eis-

(1) 5. p. q. 89. a. 4. — (2) Cap. 25. — (3) Jerem. 25. — (4) Tert. Apol. 32. — (5) D. Chrysost. Hom. 60. in Gen. — (6) Tert. Apol. 22. — (7) Tert. ibid. — (8) Orat. de Diabol. Tentat.

(1) Tert. L. de Fug. in Pers. 2. — (2) D. Isid. in Similit. c. 1. — (3) D. Chrysost. Hom. 52. ad Pop. — (4) Basil. Mag. in Psal. 35. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (6) Lib. de Salut. Decum. c. 49. — (7) D. Aug. Serm. 18. de Verb. Apost. — (8) Tert. L. de Pat. 1.

dem rationibus intolerabilis est gehennæ magnitudo, tum quia est incomprehensibilis: nequit enim investigari nisi ex hujusce vitæ tormentis, inferni autem pœna longe est acerbior; *præcipua atrocitate suppliciorum, crucis dico, et securis, et gladii, et feræ* (1), tum quia malorum complectitur generalitatem. Unde Job de reprobis ait: *Omnis dolor irruet super eos.* (2) 1. Nullus in hoc seculo malorum patitur generalitatem: ut plurimum unam aut duas duntaxat sustinet morbidus ægritudines. Qui capite dolent non semper podagra laborant; podagri non habent oculos lippientes ac debiles. Verum in inferno omnis dolor irruet super eos. Reprobi namque patientur in cunctis corporis membris: cum enim peccator eis ad Deum offendendum abusus sit, æquissimum est in quolibet specialem sentiat dolorem. 2. Quælibet humani corporis pars pluribus obnoxia est morbis: Galienus plusquam ducentas dinumerat oculorum ægritudines. At in inferno, omnis dolor irruet super eos: caput etenim cunctis capitis afficietur doloribus; oculus cunctas oculi sentiet ægritudines, et sic de cæteris. 3. In hoc seculo ægritudines pedetentim adveniunt, at in inferno in instanti omnis dolor irruet super eos. 4. In hac vita morbi suum habent progressum, neque continuo sunt intensissimi: in inferno dolor sicut extensione, ita intensione erit summus: summe enim affliget cunctas animæ facultates et corporis partes. Justum est ut *qui auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corpore et corde puniantur.* (3) Tunc adimplebitur votum Prophetæ exoptantis: *Utinam pluat super illum bellum suum.* (4) Loquitur Job de impio, desideratque ut indignatus Deus super illum intolerabiles pluat ærumnas; seu, ut vertit Pagninus, *faciat pluere ægritudines malas.* In hac vita dum Deus punit scelerosos, guttatim supplicia immittit. *Stilla ad Africum.* (5) Flagella quibus castigat Africam tertiam mundi partem, nuncupatur stilla, nimirum imber dulcis guttatim defluens. Iude concludit D. Hieronymus: *Si tanta est stilla, quid de totis imbribus æstimamus? si una stilla tantam efficit stragem, quid integra efficiet pluvia?* Bonorum cœlestium magnitudinem per diluvium denotat Vates Regius: diluvium inhabitare facit: infernus quoque *diluvium immensum* (6) malorum continet. Hanc malorum immeusitatem inenarrabilem Poeta decantat:

*Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.* (1)

Plitorius, thebanæ reipublicæ senator, conspiciens plerosque cives vitiis obnoxios, cuncta suppliciorum instrumenta congegit, humerisque deferens coram senatoribus præsentem populo projecit, ut ad illorum conspectum scelerosi metuerent, et ni vellent puniri, sese a suis sceleribus converterent: Deus quoque ad conversionem urget peccatores ex intuitu inferni. Christiani, *nolite misericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare, ante supplicium cogitate de supplicio* (2), quod cuncta mala et mala pura complectitur.

2. *Natura bonum et malum notum est.* (3)

Quamvis humana ratio honorum cœli et malorum inferni intolerabilem nequeat comprehendere magnitudinem, eorum tamen cognoscit puritatem: quia elementa pura sunt in suo centro: ibi eorum qualitates summum attingunt gradum, neque ullam admittunt qualitatis contrariæ permixtionem. Cœlum est honorum centrum, non secus ac infernus malorum. Ibi reperiuntur bona cum omnimoda puritate, absque ulla permixtione mali. Et, ut fatur Guillelmus, Antistes Parisiensis, *locus puræ felicitatis nihil habet quod non addat felicitati, locus puræ miseriæ nihil habet quod non addat miseriæ.* (4) In cœlo est sanitas sine morbo, gaudium sine tristitia, consolatio sine dolore, gloria sine dedecore, opulentia sine egestate, sublimitas sine dejectione, et omne bonum absque ullo malo. Econtra in inferno, est demissio sine magnitudine, paupertas sine divitiis, ignominia sine honore, dolor sine voluptate, ægritudo sine sanitate, mors sine vita, omneque malum absque bono. Cœlum est abyssus bonorum inenarrabilis: infernus malorum abyssus ineffabilis: *Dedit abyssus vocem suam.* (5) Cœli abyssus ad virtutem stimulat, qua possit pura comparari felicitas. Inferni abyssus a vitiis avocatur, ne pura incuratur miseria. Quam felices innocui Christiani qui virtutibus sollicitè vacantes, puram acquirunt felicitatem! Quam infelices scelerosi Christiani, vitiis addicti, qui suis criminibus merentur puram tolerare miseriam! Quanta peccatoris cæcitas puram respicere felicitatem, sese puræ subjicere miseriæ! Stulte, qui criminosam ducis vitam, quomodo ferre valebis intolerabile divinæ

(1) Tert. l. de An. 56. — (2) Cap. 20 — (3) D. Greg. lib. 5. Moral. 17. — (4) Job. 20. — (5) Ezech. 20. — (6) Tert. l. adv. Jud. 4.

(1) Æneid. 6. — (2) D. Greg. — (3) Tert. l. 4. adv. Marc. 16. — (4) De Univ. cap. 55. — (5) Abbae 3.

justitiæ pondus, sustinere cunctorum malorum cumulum, tolerare immensum gehennæ supplicium? Ad modicum expavescis dolorem, quid facies in inferno, ubi super te irruet omnis dolor? ad inimici pallescis aspectum, quid facies in inferno ubi horribiles dæmonum conspicias formas? Muscæ sonitus tibi importunus est, quid facies in inferno, ubi perpetuos damnatorum audies gemitus et clamores? Tetrum non vales spirare odorem, quid facies in inferno, ubi cunctorum immunditiarum exhalantur fœces? Dapes pretiosissimæ, optima quoque vina tibi fastidium ingenerant, quid facies in inferno ubi famæ et siti laborabis perpetua? Uno duntaxat febris accessu æstuas, quid facies in inferno, projectus in fornacem ignis inexstinguibilis? Si insomnem ducis noctem, tibi videtur angustiarum seculum, quid facies in inferno ubi somnus peribit ab oculis tuis? Gutta podagræ ad impatientiam te provocat, quid facies in inferno, ubi morborum patieris generalitatem? Intolerabilem clamitas calculi cruciatum, quid facies in inferno, ubi nec membrum, nec musculus, nec nervus, sine gravissimo erit cruciatu? *Quam lugenda perversitas; ut animam quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem diabolo vendat! Vere nimium plangenda et miseranda conlittio, ubi cito præterit quod delectat, et manet sine fine quod cruciat.* (1) Eodem modo disserendum est de avaro, superbo, blasphemo helluone, aliisque peccatoribus qui pro momentanea iniquitate, atrocissimas inferni luunt pœnas: ut ipsimet fatentur damnati: « Miseri præ nimia doloris amaritudinis amarissime flentes, et præ angustia spiritus gementes, dicent in inferno: Quid nobis profuit superbia nostra, divitiæ, honores, dignitates, luxuria, gulositas, et omnes delectationes carnales, quid profuerunt nobis? Ecce omnia transierunt quasi somnia, quasi fumus et umbra, et quasi non fuerint, et nos cruciatibus deputati sumus, et suppliciis æternis. In inferno nulla est redemptio; quoniam ibi gemitus sunt et suspiria, non est qui misereatur; ibi est dolor, et planctus, et clamor, et non est qui audiat. » (2)

Loquuntur etiam nunc horti Neronis (3) feralem illam musicam, quam Christiani suffixi palis, et lento igne ustulati, imo peccatore producebant. At quis memoret questus, lamenta, blasphemias, execrationes, diras quibus tot millia damnatorum igneum illud ergastulum complehant? Illic lasciva cantica, verba spurca, in æternum vae con-

vertentur; illic filius execrabitur et mille maledictis proscindet patrem, uxor maritum, frater sororem, pater filium, amasius scortum; illic jactabuntur horrendæ blasphemias in Redemptionis pietatem, divinæ justitiæ severitatem. Quorum ferrea pectora hæc non lancinant voces? O si vel unam vocem ex hoc carcere erumpentem audire possemus, me tacente hæc sola diserta foret. Verum illæ damnatorum voces abeant in auras, inferorum tormenta fidelium objiciantur oculis, quis tam ferus qui ad tanta supplicia non mitescat? Sanctus Patricius cum barbaram Hibernorum (1) gentem, plusquam hiberno frigore obrigescentem, sermone quantumvis fervido, cicurare et emollire non valeret, hoc patravit miraculum. Campum qui ei pro suggestu erat, de repente subsidere, et immani hiatu patescere fecit. Hiberni flammaram conspicientes incendia, damnatorum audientes gemitus, emolliti sunt, et ad meliorem frugem conversi. Christiani, non indigent miraculo, ut inferni credant supplicia: si vere illa credunt, « etsi est sub terra tartari carcer; si est combustio ardens; si est infernus sine fine crucians; si est apparitor horribilis, qui nos ad ista rapiat post seculi labores: quid stupemus? ubi sumus? quis est iste qui nos eludit somnus? quæ est ista quæ nos tenet oblivio letialis? quare non omnibus contemptis evadendi a malis talibus nobis solasit cura, ne viventes mundo, ne aliis currentes, ad tantas, tales, tam credules, subito rapiamur pœnas? » (2)

Docent Jurisperiti (3) justitiam punitivam trina potissimum de causa fuisse institutam: 1. Ad satisfaciendum parti offensæ; 2. Ad delinquentis punitionem; 3. Ad aliorum exemplum. Hac triplici de causa damnati cruciantur in inferno: 1. Ut Deo offenso satisfaciant; 2. Ut criminum pœnas luant; 3. Ut aliis exemplum præbeant: *Exempla sunt omnium, tormenta paucorum.* (4) Ad hunc finem Christus Dominus divitis epulonis proponit exemplum, ut nos a similibus arceat criminibus, pro quibus ille miser cruciatur in flamma. « Ipse est qui induebatur purpura et bysso; quid est dives? ab æstu byssus non defendit; purpura non resistit inferno? Remanserunt ista, deseruerunt illa, et ipse nunc nudus sudas, æstuas; qui aliquando insultabas æstibus artificiosa nuditate vestitus. Quid est dives? ubi sunt torrentes torcularium tuorum? ubi sunt horrea, non minus cupiditatibus dilatata, quam copiis? ubi sunt vina annositatibus et ipsa temporum oblivione servata? ubi sunt effusio-

(1) D. Aug. Serm. 250. de Temp. — (2) D. Aug. — (3) Cælius de Mineralibus. lib. 3. c. 7. sec. 20.

(1) Salian. lib. 8. de Timor. Dei. c. 38. — (2) Chrysol. Serm. 184. — (3) Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 7. — (4) D. Cypr. Tract. de Laps.

nes, lapsus, flumina, ministeriorum tuorum? Ista omnia tibi periere non crimini, qui sitis extremi digiti guttam.» (1)

Scelerosi Christiani mundo addicti, divitis illius non erudiuntur exemplo. Verum ut ab eorum mentibus expellantur tenebræ, et obdurata eorum emolliantur corda, Christus Dominus duos homines diversa sorte in Evangelio proponit qui considerandi sunt in hoc seculo et in futuro. In hac vita, unus cunctis fortunæ abundat bonis, alter vero extrema egestate gravatur. Utriusque conditionem eloquenter describit Chrysologus: « Induebatur dives purpura, pauper livore; dives bysso, pauper squalore; auro dives, pauper fœtore; dives plumeo decumbebat in sirmate, jacebat durissima pauper in terra; dives ructabat epulas, fame pauper anhelabat; fundebat vina dives, pauper lacrymas; exsatiatus dives projiciebat panes, micas pauper esuriens non habebat; pascebat oblatantes pauperem dives ferculis suis, pauper vulneribus suis saturabat divitis canes: ac ne pluribus, ad divitem bona omnia, ad pauperem mala omnia perlegimus provenisse.» (2) In tanta fortunæ inæqualitate fuit omnimoda vitæ diversitas. Nam, ut prosequitur Chrysologus, « neque tamen pauperem fregerunt adversa, aut diviti omnia secunda profuerunt, imo pauperem provexit ad philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, necessitas ad voluptatem, fames ad jejunium, sitis ad tolerantiam, ad vitam mors, ad præmium pœna, ad cœlum terra, egestas ad regnum.» Quot fructus ex sua miseria percipit pauper Lazarus! quot vero damna ex sua prosperitate incurrit opulentus! Nam, ut solita eloquentia prosequitur Chrysologus: « Divitem extulit purpura ad superbiam, byssus ad luxum, ad inhumanitatem copia, abundantia ad impietatem, unguenta ad mœrorem, ad cæcitatem splendor, sublimitas ad ruinam.» Egenum adhuc ad divitis januam adducit Chrysologus, ut utriusque sors, vita et finis, magis elucescat: « Januæ divitis pauper apponitur ulceribus plenus: ac fit hoc non humano casu, judicio fit divino, ut divitis et pauperis conflictus esset in terra, spectaculum maneret in cœlo: dives totus indutus divitiarum stabat armis, et contra pauper jacebat ipsa vestitus in carne, nisi forte lorica erat illi unum totius corporis vulnus: dives morabatur servorum choris, pauper exutus cute dolorum stimulis age-

hatur: jaciebat impietatis tela dives, clypeum miserationis Lazarus opponebat.»

Inæqualis fortunæ sors, dispar vitæ conditio, magna morum diversitas! sed stupenda post mortem utriusque inæqualitas. « Modo inhumani divitis, et Lazari pauperis, stupendas vices, pavendas successiones, conditiones admodum lamentandas, in medium producere et afferre gestimus.» (1) Dives namque in Deum ingratus, crudelis in proximum, bona in mala commutavit: pauper vero devotus in Deum, benignus in proximum, pro toleratis malis, cœli bona suscepit. Quod eloquenter suo more declarat Chrysologus: Beneficiorum immemor dives « de divitiis tantis nec victum dedit pauperi, nec sacrificium Deo minima oblatione dependit.» (2) Idcirco impietatis in Deum, et crudelitatis in pauperem, reus nunc pœnas in inferno solvit. « At pauper, dives vulnere, censu nudus, exutus corpore, vestitus pœnis, animam quam solam non tenebant vulnera, Deo in hostiam jugiter offerebat.» Ad utriusque exitum et sortem in futuro attendite, quem sic enariat Chrysologus a Lazaro incipiens: « Hinc est quod recipit pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro despectu gratiam, pro pœnis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro siti refrigerii fontem, pro fame cœlestis mensæ delicias sempiternas, et quem divitis angulus non cepit, sinus divinæ consolationis includit.» Elucidata Lazari felicitate Chrysologus criminoso diviti suam exprobrat miseriam: « Tu dives fulgens quondam purpura, nunc tegere fimo; pro coccino, vestire flammis; pro molli discubitu, sustine tormentorum dura; pro lautis ferculis, epulare pœnas, copias inopia compensa, ebrietates siti digere; pro doloribus, aspergere fœtore; et cui adstiterunt voluptatis obsequia, adstent tibi ministeria nunc pœnarum.» Quam dissimilis exitus divitis in mundo prosperantis, et Lazari mendicantis! « En, Fratres, quam rerum lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli, divitem deglutit infernus. En, Fratres, mors pauperis totam vitam divitis vicit: et elatio sola pauperis, totam divitiis pompam transcendit et gloriam.» (3) Moritur pauper, sed ut felicitati vivat; exhalat animam dives, sed ut damnationi vivat; Lazarus suscipitur ab Angelis, dives a dæmonibus; Lazarus de humilitate ascendit ad sublimitatem, dives

(1) Chrysol. Serm. 122. -- (2) Serm. 124.

(1) Chrysol. Serm. 66. -- (2) Chrysol. ibid. -- (3) Chrysol. Serm. 121.

de sublimitate in infernum detruditur. « Immutatio quanta rerum? quo descendit dives? quo pauper ascendit? Despiciat ibi sursum, quem despexerat hic deorsum: et videt eum de inferno in sinu Abrahæ, quem jacentem se, coram superbo de sigmate non videbat.»

(1) Lazarus humilitate ascendit, superbia vero descendit dives. « Jam vobis versæ sunt vices: vides ejus gloriam, cujus supplicium sic spreveristi; videt ille cruciatus tuos qui te tunc tua mirabatur in gloria.» (2)

Vidistis, Fratres, diversas sortes divitis et Lazari in vita, in morte et post mortem. In vita, dives cunctorum habuit affluentiam bonorum: Lazarus cunctis denudatus fuit fortunæ bonis, et omnibus iusuper gravatus malis; in morte, dives in impietate scelerosam efflavit animam; Lazarus obiit virtute decoratus; post mortem, dives sepultus est in inferno, et gehennæ cruciatur incendiis; Lazarus in sinu Abrahæ requiescit et cœlesti fruitur beatitudine. Quis ex illis duobus fortunatior vobis videtur? Mundani divitis felicitatem proclamant, et Lazari miseriam despiciunt; perfecti Christiani divitem infeliciter felicem, Lazarum vero feliciter infelicem existimant; scelerosi temporalem beatitudinem cœlesti gloriæ præponunt, nullatenus de paradiso curantes, modo sint in terra fortunati; quibus dicendum est: Aut cœli credunt præmia et inferni supplicia, aut non credunt. Si non credunt, sunt impii, suæque impietatis luent aliquando pœnas; si credunt, cur post terrena tantopere anhelant, cur non cœlestia desiderant? « Quare non cœlo mutamus terram? quare non caducis emimus æterna? quare non perituris manentia comparamus, et supplicia devitamus inferni?» (3) Si beatitudinis nos magnitudo non attrahit, suppliciorum nos moveat perpetuitas: cœli præmia et inferni tormenta æterna sunt.

3. *Admonens vos, dum in vita estis, Moysem et Prophetas prædicantes utrunque judicium pœnæ et salutis æternæ.* (4) Æterna salus tribuenda est justis, in virtutis præmium, pœna vero æterna est supplicium quo criminosi puniuntur. Tempus hominibus præstitit Deus ad virtutis operationem; æternitatem voluit esse virtutis mercedem. *Ævum ita destinata ac distincta conditione conseruit ut prima hæc pars ab exordio rerum quam incolimus, temporali ætate ad finem defluat: sequens vero, quam expectamus in infinitam æternitatem propagetur.* (5) Vita nostra finito

quidem tempore mensuratur, sed ad infinitam æternitatem terminatur. Tempus nobis concessum est ad bene operandum, æternitas vero ad bonum premiandum, vel malum puniendum. Opus virtutis in tempore factum ex divina ordinatione infinitam meretur æternitatem, opus criminis in tempore factum infinita puniendum erit æternitate. Quæcunque seminaverit homo, hæc et metet; si bonum, præmium colliget æternum; si malum, pœnam patietur æternam. *Cum ergo finis, et limes medius, qui interhiat, adfuerit, ut etiam mundi ipsius species transferatur æque temporalis, quæ illi dispositioni æternitatis aulæ vice oppansa est, tunc restituetur omne humanum genus, ad expungendum quod in isto ævo boni seu mali meruit, et exin dependendum in immensam æternitatis perpetuitatem.* (1) Neque solum in mundi consummatione quando tempus non erit amplius, justi et peccatores, boni vel mali, quod fecerunt recipient mercedem vel supplicium, sicutque participes faustæ vel infaustæ æternitatis, sed etiam ex tunc animæ innocuæ vel criminis, a corporibus per mortem separatæ, vel mercedem, vel pœnam recipiunt æternam. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* (2) Si cadat versus cœlum, in cœlo semper erit; si cadat versus infernum, in inferno semper erit. In quovis statu moriatur homo, *ibit in domum æternitatis suæ.* (3) Si in statu gratiæ, in domum beatæ æternitatis; si in statu peccati, in domum miseræ æternitatis. Sacræ Scripturæ testimonio erat Issachar *recubans inter duos terminos* (4): quivis homo quoad vivit, inter duos terminos requiescit, inter duas æternitates volvitur: et necessario ad unam vel alteram illi eundum est. Si innocuam ducat vitam, ibit in domum felicis æternitatis; si scelerose vivat, ibit in domum infaustæ æternitatis. Seraphicus Franciscus ut filios suos ad virtutis studium et vitii odium induceret, binam illis proponit felicitatis et miseræ æternitatem. *Fratres, voluptas brevis, pœna perpetua; modica passio, gloria infinita.* Stultescit homo qui pro brevi voluptate pœnam vult sustinere perpetuam. « Quis tam insensatæ tamque obstinatæ mentis homo poterit inveniri, qui non expavescat et omnino abhorreat, transitoria carnis blandimenta tormentis æternis mercari; si diligenter aspiciat indesinenterque attendat quam sint modica, seu etiam momentanea

(1) Chrysost. Serm. 124. — (2) Chrysost. Serm. 22. — (3) Chrysost. Serm. 124. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 34. — (5) Tert. Apol. 48.

(1) Tert. Apol. 48. — (2) Eccles. 11. — (3) Eccles. 12. — (4) Gen. 49.

ista omnia carnis oblectamenta, quæ pertranseunt : et quam sint immania, quamque atrocia tormenta illa æterna, quæ finem non habent, nec habere possunt. » (1) Quod si ille stultescit qui pro brevi voluptate æternam pœnam subit, iste non sapit qui modica passione æternam gloriam non acquirit. Profecto nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis acquiritur. (2) Tertullianus Christianos ad tolerantiam pro acquirenda beata æternitate stimulat exemplo eorum qui ambiunt magistratus, qui nullum non patiuntur tormentum ut unius anni fungantur officio. *Sed enim illos qui ambitus obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ et corporis, nec incommodis tantum, verum et contumelias omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis et crudelis salutationibus occupant? Ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis convivii celebres, nullis comessationibus congreges, sed exsules a libertatis et lætitiæ felicitate : idque totum propter unius anni volaticum gaudium.* (3) Hæc patiebantur Gentiles pro unius anni dignitate. Inde redarguit Tertullianus delictos Christianos qui pati nihil volunt tum pro vitanda misera, tum pro acquirenda beata æternitate. *Nos in periculo æternitatis tolerare dubitamus : et castigationem victus atque cultus offenso Domino præstare cessavimus, quæ Gentiles nemine omnino læso sibi irrogant.* Idem premit aliorum argumentum, fideles urgens infidelium exemplo, qui pro vanitate omne suppliciorum genus constanter sunt perpessi. *Hæc benedicti, non sine causa Dominus in seculum admisit, sed ad nos et tunc exhortandos, et in illo die confundendos, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.* (4) Inde concludit immensitatem gloriæ cum modica passione conferens : *Igitur si tantum terrenæ gloriæ, licet de corporis et animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere : Modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cælestis et divinæ mercedis, qua Beati per immensam potiuntur æternitatem.*

(1) Rich. Viet. de Statu inter hom. Hom. 3. c. 3. — (2) D. Hier. — (3) Tert. L. de Pœn. 11. — (4) Tert. L. ad Mart. 5.



CONCIO QUARTA.

JAM et ipso diabolo cum angelis suis ignibus merso (1), inter creaturas materiales nulla est quam toties assumpserit Deus ac ignis, sive ad ostentandam naturæ suæ majestatem; sive ad attributa Divinitatis manifestanda; sive ad suam hominibus diffundendam bonitatem; sive ad sua decreta executioni mandanda. Nam, Moysi loquens, *de rubo ardenti vocem suam emisit* (2): liberatos de Ægypto Israëlitas per desertum ducit media columna ignis quæ tanquam fax eos inter tenebras noctis præcedebat: Ezechieli apparuit in curru igneo rotato a quatuor animalibus quorum oculi erant accensi sicut carbones ignis; hostias sibi in tabernaculo vel templo oblatas consumit per ignem ejus præsentiam innuentem; Spiritum Sanctum in terram mittit sub forma ignis qui est amoris divini symbolum; in ultimo judicio, ignis ante Christum præcedet: et ut in inferno puniat reprobos, devovebit illos igni præparato. Hujus autem ignis activitas est 1. Admirabilis; 2. Ineffabilis; 3. Incomparabilis.

I. PARS. *Longe alius ignis qui usui humano, aliud qui judicio Dei apparet.* (3) Duplitter autem potest intelligi quod gehennæ ignis quo utitur Deus ad cruciandos reprobos, sit alius ab illo qui usui servit humano, vel secundum essentiam, vel secundum qualitatem. Non est alius secundum essentiam, quia ambo ejusdem sunt speciei, sed, ut vult Tertullianus, *secundum qualitatem.* (4) Multimoda est autem inter utrumque, sed præsertim trina accidentaliter diversitas: nam humanus ignis lucet et ardet, urit et destruit, tandem agendo consumitur et exstinguitur; at gehennæ ignis 1. Ardet et non lucet; 2. Urit et non destruit; 3. Agit incessanter nersese consumit.

1. Credimus venturum Christum cum claritate ad profanos adjudicandos igni perpetuo (5): absoluto autem universali judicio, reprobi secundum animam et corpus projicientur in tenebras exteriores, quæ oculorum

(1) Tert. L. de Res. 58. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 29. — (3) Tert. Apol. 41. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 29. — (5) Tert. L. de Præsc. Hæret. 13.

propria erunt tormenta. (1) In Marcionis derisum Pontum Euxinum a quo oriundus erat apostata, sic describit Tertullianus : *Dies nunquam patens, sol nunquam libens; unns aer, nebula.* (2) Hæc probe conveniunt inferno, ubi nunquam dies elucescit, ubi aer totus est nebulosus; ubi perpetua habetur nox. Cælum est *civitas solis* (3), quia a Christo, Sole justitiæ, illustratur; infernus econtra est *terra tenebrarum* (4), quia divini illius Solis non recipit radios: Angeli qui in cælo habitant, nuncupantur *lucæ*, quia lumine gloriæ illustrati, perspicue lucidam Dei majestatem intuentur; dæmones in inferno degentes dicuntur *principes tenebrarum*, quia Dei privantur visione. Animæ beatæ cælum habitantes fruuntur luce; animæ scelesosæ in infernum detrusæ, versantur in tenebris: *Angelorum operatio proprie est contemplari, unde beatis assignatur cælum empyreum, id est, lucidum, ut illis congruum; malis autem locus tenebrosus, quantum ad potentius per peccatum obtenebratas, quia recesserunt a prima luce.* (5) Bona opera in gratia facta sunt opera lucis; mala opera sunt opera tenebrarum. Opera lucis in cælo perpetua die præmiantur, opera tenebrarum perpetua nocte in inferno puniuntur: Christiani sunt *ad solem uncti* (6), id est, gratia Salvatoris inuncti et sanctificati, ut edant opera lucis; quia vero peccatum est *carentia lucis*, (7) id est, gratiæ privatio, peccatores edunt opera non lucis, sed tenebrarum: siquidem, *peccata tenebræ animarum sunt.* (8) Idcirco quemadmodum justi qui ambulant in luce gratiæ, merentur gloriæ lucem, ita scelerosi peccatorum tenebris obscurati, merentur gloriæ lucem, ita scelerosi peccatorum tenebris obscurati, merentur gehennæ tenebras. Inter plagas quibus Ægyptum percussit Deus, solæ tenebræ vocitantur horribiles: verum *non sunt tales tenebræ noctis quales sunt illæ quæ de confusione veniunt peccatorum* (9), quæ jure merito puniuntur in inferno, qui est *locus perpetua nocte cæcatus.* (10)

Hæc pœna adumbratur in homine illo inurbano qui absque veste nuptiali, regis convivium ausus est adire; jubetur namque mitti in tenebras exteriores (11), quo et delicti reatum, et qualiter crucietur ostendat. Ut enim expendit Galfridius: *In tenebris siquidem positus, jam non intus, sed foris*

erit: alienus quidem a luce veritatis, sed ab ea palam et publice redargutus. (1) Arcanæ infernorum tenebræ, etsi reprobos obscurant, supplicia tamen ad ignominiam clarant in pœnæ incrementum; ad consolationis gratiam meræ tenebræ sunt, ad tormenti dedecus et augmentum sunt meræ lucæ, ignis inferni totus est tenebrosus. *Illu ultrix flamma vitiorum habet ardorem, non habet penitus lucem.* (2) Divina virtute splendor a calore ejus dividitur; quomodo Basilus Magnus intelligit istud Davidicum: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* (3) Vatablus legit *dividentis*; Theodoretus vero, *separantis flammam ignis.* Deus qui in fornace babilonica divisit calorem ab splendore ignis, in inferno etiam splendorem a calore separat. Ibi ignis lucebat, sed non ardebat; hic econverso ardet et non lucet; ibi tres pueri erant illustrati et non combasti, hic damnati uruntur et non illuminantur. Deus sua virtute efficiens ut ardeat ad illos cruciandos, et non splendeat ad illos recreandos. Quod si aliquam luminis immittit speciem, id efficit in damnatorum pœnam, ut mediante illa luce videant objecta quæ eorum pœnas incrementent. *Num gehennæ flamma reprobis nequaquam luget ad consolationis gratiam, et tamen lucet ad pœnam.* (4) Scilicet ut videant quæ illorum augent supplicium. *Ignis lucebit miseris ad augmentationem pœnæ, ut videant unde doleant: et non ad consolationem, ut videant, unde gaudeant.* (5)

Magnum sane tormentum obvolvi undequaque tenebris: etenim si una duntaxat nox nobis tædiosa est, quid in perpetuis versari tenebris? Majus est adhuc tormentum videre peccatorum suorum ignominiam et dedecus: *Locus ille tenebrosus est, sed ex divina dispositione est ibi aliquid luminis quantum ad videntium illa quæ animum torquent.* (6) Sed maximum est tormentum semper intueri horribiles dæmonum formas: attamen *malis in inferno terribiles atque deformes assistunt Angeli, nocti vultu similes, propter mærorem et odium in humanum genus.* (7) Addit ibidem D. Thomas quod *dæmones apparent frequenter in figuris bestiarum quæ designant conditiones eorum*, quo magis miseros terreant et affligant damnatos. Aut, ut vult D. Augustinus, *videbunt ibi monstra terribilia, et larvatas facies eorum, quorum visio posset illos occidere.* Etenim si ex horrenda dæmonum apparitione justi sunt

(1) Tert. L. de Res. 55. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (3) Josue. 19. — (4) Job. 10. — (5) D. Thom. in 2. d. 6. q. 1. a. 5. — (6) Tert. L. 5. adv. Marc. 13. — (7) D. Aug. lib. 1. Civ. 10. — (8) D. A. lib. 1. de Bap. 11. — (9) D. Ambr. Serm. 5. — (10) Cassiod. lib. 11. Var. Ep. 40. — (11) Matth. 22.

(1) In lib. 4. Reg. 5. — (2) Pet. Dam. Opusc. 50. c. 2. — (3) Psal. 28. — (4) D. Greg. lib. 9. Mor. 19. — (5) D. Isidor. lib. 1. de Sum. Bon. — (6) D. Thom. 2. 2. q. 165. a. 2. ad 3. — (7) D. Basil. in Psal. 53.

pavore exterriti, et pene mortui, quid facient in inferno reprobis videntes innumeras dæmonum larvas, ad quod deservit tenebrosus ignis qui ardet nec lucet, urit et non destruit?

2. Secundam diversitatem arcani et publici ignis prodit Tertullianus. Publicus ignis absumit corpora quæ exurit; arcanus vero inferni ignis *non absumit quod exurit*. (1) Tantum abest ut destruat damnatorum corpora; quin immo illa ad pœnam et tormentum mirabiliter servat: et ut fatur Cassiodorus, *absumet ut servet, servabit ut cruciet; dabiturque miseris vita immortalis, et pœna servatrix*. (2) Quod duplici exemplo declarat Tertullianus, scilicet exemplo Vesuvii et Æthnæ montium, qui ardent nec consumuntur; deinde exemplo corporum quæ fulmine tacta a nullo igne possunt in cineres redigi. *Adeo manent montes semper ardent, et qui de cælo tangitur, salvus est ut nullus jam igni decinerescat*. (3) Idem sapit Minutius Felix Tertulliani referens verba: *Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt, ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium pascitur, sed inexcisa corporum laceratione nutritur*. (4) Alia adhuc ratione declarat Tertullianus quomodo ignis inferni non destruat corpora quæ urit, quia scilicet *dum erogat reparat*. Erogare proprie significat in rogam dare atque adeo assumere; et ita infernalis ignis, erogando seu consumendo miserum damnatum reparat eundem. Quod asseverat etiam Minutius Felix Tertullianum secutus: *Ille sapiens ignis membra urit et rescit, carpit et nutrit*. Verax gehennalis ignis flamma sic pœnalissime cruciat damnatos ut brevi absumeret, nisi arcana ignis virtute repararentur, et morte viverent ad cruciatum. Quod eloquenter edisserit Lactantius: *Idem igitur divinus ignis, una eademque vi atque potentia, et cremabit impios, et recreabit: et quantum corporibus absumet, tantum reponet, ac sic æternum pabulum ministrabit*. (5) Ignis inferni urendo sic consumet damnatos ut illos reparet, et recreet ad pœnas, quasi velut vim habeat iterum creandi præscitos, ut iterum crucientur: *Post animarum tempestiva supplicia, redivivis quoque perpetua corporibus pœna servatur, Nemo Tityi jecur credat, et vulturem pasturum; ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus. Attentite si non creditis, aquarum impetus qui ignibus*

urit supplicio nutriente reparabitur. (1) Arcana divina autem potentia habebit vim arcanus ille ignis subministrandi incorruptibilitatem; unde Tertullianus: *Detrudentur in infernum profani, in pœnam æque jugis ignis, habentes ex ipsa natura ejus, divina scilicet, subministrationem incorruptibilitatis*. (2) Quantum enim ab illis absumpsisse videtur ignis immanitate supplicii, tantum reponet ad æternos cruciatum. *Novi ignem non purgativum, sed afflictivum*. (3) Trinus est ignis: unus purgativus, non destructivus, nec afflictivus: sic aurum in fornace non affligitur nec destruitur, sed purgatur; alius afflictivus et destructivus; sic in hoc mundo reorum corpora simul affliguntur et destruuntur ab igne; tertius afflictivus, sed non destructivus: sic damnati non destruuntur, sed affliguntur ab igne inferni qui agit semper nec unquam sese consumit.

3. Noverunt et philosophi diversitatem arcani et publici ignis. (4) Multimoda autem est hujusmodi diversitas; nam 1. Publicus ignis ardet et lucet, arcanus vero ardet, sed non lucet. Quapropter Regius Vates nuncupat infernum *terram tenebrosam et operatam mortis caligine* (5), ubi reprobis sunt *tenebris sigillati* (6), habentes duntaxat aliquam malignam lucem, non ad aliquod solatium, sed ad supplicii incrementum, scilicet ut videant suos olim flagitiorum complices, et quos videndo amaverant, et amando deliquerant, eosdem nunc videndo oderint, odiendo excrucientur, et de eorum visu et tormentis, supplicii mutentur augmentum. 2. Ille absumit quod urit, iste econverso urit, sed non absumit: *Ita longe alius aut usui humano, alius qui iudicio Dei apparet, sive de cælo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans, non enim absumit, quod exurit*. (7) 3. Ille carnem mortificat, stupefacitque doloris sensum, iste absque ullo carnis stupore acerrimum infligit dolorem. *Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax pœna*. (8) 4. Ille lente exurit, iste summa celeritate exurit reprobos. *Consumuntur quasi stipula ariditate plena*. (9) 5. Ille corporum duntaxat attingit superficiem, iste usque ad intima viscera et ossium penetrat medullas. *Reprobi exterius interiusque ardent*. (10) 6. Ille successive et gradatim

(1) Tert. Apol. 48. — (2) In Psal. — (3) Tert. Apol. 48. — (4) In Octav. — (5) L. 7. Div. Inst. c. 21,

(1) D. Pacian. paræn. ad pœnit. — (2) Tert. Apol. 48. — (3) Orat. in Sancta lumina. — (4) Tert. Apol. 48. — (5) Psal. 48. — (6) D. Cyr. Serm. de Ascen. — (7) Tert. Apol. 48. — (8) D. Cyr. Ep. ad Drmet. — (9) Nahum. 1. — (10) D. Greg. lib. 15. Mor. 17.

suum intromittit calorem, calefacit enim aerem pelli proximum, deinde pellem, post pellem carnem, post carnem ossa, post ossa medullas, iste in instanti summum introducit calorem, simulque urit pellem, carnem, ossa et medullas. *Devorabit eos ignis qui non succenditur.* (1) 7. Ille ad sui conservationem indiget alimento, iste vero nequaquam, sed potius nutrit ad pœnam reprobos quos exurit: *Inter medios ignium globos damnata natura dat pabulum, et accipit incrementum.* (2) 8. Ille facile potest extinguui, et de facto quotidie extinguuitur; iste nunquam extinguuitur, neque nisi divinitus potest extinguui. *Paleas autem comburet igne inexstinguibili* (3): quod intelligendum est tum active, tum passive. *Active, quia non omnino extinguuit quos pascit* (4); passive etiam; nam, ut ait Evangelicus Propheta, *ignis eorum non extinguetur.* (5) Inter Arcadiæ montes reperitur lapis *Albeston* nuncupatus, qui semper ardet, et nunquam consumitur: nam, ut ait Christus Dominus de reprobis loquens, *vermis eorum non moritur, et ignis non extinguuitur.* (6)

Infernalis ignis inexstinguibilitatem duplici exemplo ostendit Tertullianus: 1. Prodit exemplum ignis Sodomitici: *Regiones affines ejus Sodoma et Gomorrha igneus imber exussit. Olet adhuc incendio terra, et si qua illic arborum poma conantur oculis, cæterum contacta cinerescunt.* (7) A multis seculis Sodoma combusta est; hujus tamen incendii vestigia remanent, non solum in terra, sed etiam in proximo mari, quod ideo mare mortuum appellatur. *Haecenus Sodoma et nulla Gomorrha, et cinis omnia, et propinquitas maris juxta, cum solo mortem vivit.* (8) 2. Proponit exemplum montium quorundam semper ardentium: *Et hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum judicii pœnam nutrientis: montes uruntur, et durant.* (9) Hujusmodi videtur in Islandia mons *Hecla*, in Sicilia mons *Æthna*, in quo Plinius junior ob nimiam curiositatem consumptus est; in regno Neopolitano *Vesuvius*. *Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus factu; et quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur.* (10) Ejusmodi autem montes semper ardentes perpetuitatem ignis inferni denotant, cujus sunt *sumariola quædam*, ut fatur Tertullianus. *Quid illum thesaurum ignis æterni æstima-*

mus, cum sumariola quædam ejus tales flammularum ictus susciteut, et proximæ urbes, aut jam nullæ exsistent, aut idem sibi de die sperent? (1) Belle Tertullianus ex mira ignis qui tales comburit montes, violentia et continuitate, admirabilem ignis inferni colligit activitatem, ejusque infert perpetuitatem. (2) Tertulliano arridens Beatus Pacianus sic de præfatis loquitur montibus: *Gehennæ vim et de præsentibus æstimate, cujus sumariola quædam maximos montes, subterraneos ignes decoquunt; æstuat indefessis flammularum globis Æthna, et Inaciniculus, et Vesuvius campanus: et quo nobis judicii perpetuitatem probent, dissiliunt, devorantur, nec ullis tamen seculis finiuntur.*

Quod si inquiras unde procedit quod montes illi semper ardent, et nunquam extinguuntur, respondeo id ex triplici capite provenire: 1. Ex divina ordinatione quæ ignem illum produxit, velut quamdam infernalis ignis umbram: *Quis hæc supplicia interim montium, non judicii minantis exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni alicujus et inæstimabilis foci missilia quædam et exercitoria jacula consentiet?* (3) 2. Ex materiis combustibilibus in ejusmodi montibus contentis, nempe bitumine, sulphure et aliis. 3. Ex ventis subterraneis qui semper flantes, ignem accendunt et illas materias combustibiles sufflamant, in verum perpetuitatis ignis inferni specimen: qui est 1. A Dei ira incensus. *Ignis accensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Deus qui de oleo bullienti Dilectum eripuit Discipulum; Deus qui inter igneos globos rubum servavit illæsum; Deus qui in fornace Babylonica, a flammis devorantibus innocuos liberavit pueros, assumet ignem, non ad illæsos conservandos damnatos, sed ad illos et acrius et longius puniendos. *Gehennæ ignis non minus erit divinæ ordinationi subditus ac elementaris: hic Deo etiam contra naturam obsecutus est, ut immunes conservaret insontes; ille Deo obtemperabit ut criminosos cruciet: ideoque in antiquis sceleribus mortuum, ad sola tormenta redivivum, finem in ipso interitus confinio non inveniet, sed exinanita tolerantia virtus sic perit, ut resurgat.* (4) Cujus hanc subministrat rationem: *Flamma illa non tam rem persequitur quam reatum: quia non recipit causa remedium, carebit sine supplicium.* Quam vere dicit Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis!* (5) quia,

(1) Joh. 20. — (2) Euseb. Emiss. Serm. 1. ad Monach. — (3) Matth. 5. — (4) Hug. Card. — (5) Cap. 66. — (6) Marc. 9. — (7) Tert. Apol. 40. — (8) Tert. L. de Pall. 2. — (9) Tert. Apol. 48. — (10) Tert. L. de Pœn. 12.

(1) Tert. L. de Pœn. 11. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. ibid. — (4) Euseb. Emiss. Hom. 1. ad Monach. — (5) Hebr. 10.

ut elucidat D. Anselmus, *pœnas semper viventes infert eis, quos damnat: immutabile permanet quod in reprobos pronuntiavit judicium: Stat sententia, manet pœna; ignis urget, quem vitare non poterit* (1); quia Deo obsequetur ignis, a quo mandatum accepit cruciandi semper præscitos. Tandiu manebit damnatorum pœna quoadiu ignis erit obsequens; tandiu autem obtemperabit ignis, quoadiu divinum remanebit mandatum; Dei autem præceptum in æternum manebit. *Mauebit præceptum et auctoris et iudicis, ut viscera doloribus obnoxia, et solis cruciatibus consecrata, ignis arbiter depasta non devoret.* (2) Notanda sunt hæc, solis cruciatibus consecrata. Quæ ex divina ordinatione alicui consecrantur usui nequeunt ad aliud assumi negotium: res sacris dicatæ altaribus usui profano inservire non possunt. Damnatorum corpora sunt doloribus et cruciatibus consecrata, ideoque non nisi tormentis possunt aptari; et quia ignis est consecrationis illius institutus a Deo minister, illa cruciabit, depasta tamen non devorabit. Victimæ sibi oblatas sale conditas exoptabat Deus, ut diutius durarent: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies.* (3) Reprobi sunt victimæ divinæ mactatæ justitiæ: quapropter sale condiendæ sunt ut in æternum permaneant et puniantur. *Reprobis ignesalietur; igneus autem ille sal ut semper urat reprobos, illos servabit incorruptos.* Ut enim ait D. Augustinus, *gehennæ ignis, salis redolens naturam sævit et parcit, cruciat et reservat.* (4) Antiquitus corpora fulmine tacta non poterant igne consumi. *Hominem ita exanimatum cremari fas non est* (5): quasi deberent considerari tanquam patientia divinæ indignationis monumenta. Damnatorum corpora sunt divino percussa anathemate, ideoque conservantur in inferno velut divinæ indicia justitiæ: et ignis divinæ minister vindictæ *culpam jubetur inquirere, substantiam nescit absumere* (6), et quo illam vehementius cruciet, 2. A flatu dæmonum sufflam-

natur. Damnatorum corporibus ignis inflabellatus est (7), non solum ab ira Dei, sed etiam a diabolo ejus ministro, ut ipsemet testatur Deus: *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas.* (8) Per hunc fabrum communiter interpretes diabolum intelligunt, qui velut follibus ignem gehennalem sufflat, et miseros damnatos exurit. Quam vehemens autem sit fabri hujus infernalis flatus, de-

clarat Job ex mente Lyran: *Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur.* (1) A flatu autem diaboli ardent semper prunæ. Illo enim justitiæ Dei ministro continuo sufflante, ignis nunquam exstinguitur, neque deficiunt damnatorum corpora sempiterna morte rediviva. *Occidente itaque pœna et vivificante sententia, stabit seculis materia reparabilis, et nunquam ad metam malorum termino fugiente perveniet.* (2) Tria ad pœnarum inferni perpetuitatem concurrunt: 1. Dei sententia quæ contulit igni virtutem reficiendi, reparandi, et velut recreandi damnatorum quæ exurit corpora. Perpetuus 2. Dæmonis halitus, qui ex divino imperio incessanter flat inexstinguibilem gehennæ ignem. 3. Consecratio damnatorum qui tormentis sese peccando devoverunt, præbentque materiam combustibilem qua ignis sufflamatur.

In quavis Consecratione tria considerantur. Minister consecrans, finis ob quem consecrat, et materia consecrationis. Criminosi et peccatores sunt ministri infernalis consecrationis, et, ut satur Tertullianus, *gehennæ sacerdotes.* (3) Finis ad quem terminatur præfata consecratio, sunt perpetua supplicia, *in stagno sulphuris et ignis.* (4) Materia quæ consecratur sunt vel damnatorum corpora, vel crimina: *Escas ardoribus crimina ministrabunt.* (5) Reprobi materiam ad comburendum subministrant. Vos etiam vestris sceleribus accenditis ignem qui vos exuret, insufflatis prunas quæ vos cruciabant, sufflammatis flammam quæ vos devorabit, et escas subministratis ardoribus qui vos in æternum cremabunt. Avaritia, qua æstuat; ardens bonorum temporalium concupiscentia; venerea voluptas, quæ corpora vestra cœno libidinis immergit; superbia, qua animus vester tumescit; invidia, de aliena gaudens adversitate; detractio, qui proximi dedecorat honorem; animadversio, quæ meditatur vindictam, cunctaque alia quæ patris crimina, sunt gehennæ pabulum, escasque inferni ardoribus subministrant.

Unusquisque autem videat quomodo superædificet. (6) Quivis Christianus in hac vita velut architectus superædificat supra fundamentum a Christo positum, suisque operibus sibi quasi domum ædificat. Nonnulli super illud fundamentum ponunt aurum et argentum, quidam fœnum et stipulam, alii ferrum et plumbum: *Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.*

(1) Jul. Firm. lib. de Error. Proph. Relig. c. 16. — (2) Euseb. Emis. ibid. — (3) Levit. 2. — (4) Serm. 227. de Tem. — (5) Plin. lib. 2. c. 54. — (6) Euseb. Emis. — (7) Tert. L. adv. Valent. 25. — (8) Esa. 54.

(1) Job. 41. — (2) Euseb. Emis. 16. — (3) Tert. L. 1. ad Uxorem. 6. — (4) Tert. L. de Fug. in Per. 7. — (5) Euseb. Emis. — (6) 1. Cor. 3.

Aurum et argentum opera sanctitatis et virtutis denotant; fœnum et stipula peccata venialia significant; ferrum vero et plumbum innuunt scelera et crimina mortalia. *Dies Domini declarabit quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Auro etenim et argento tribuet splendorem, fœnum et stipulam aggredietur, a culpisque venialibus purgabit justos: at perpetuo adhærebit ferro, damnatorum corpora mirabiliter exuret et animas ineffabiliter cruciabit.

II. PARS. In inferno punientur homines criminosi; cum abierint in ignem quem præparavit diabolo et angelis ejus. (1) Nam, ut docet D. Augustinus, unus quidem utrisque ignis est (2), quem Deus elegit ad utrosque cruciandos, ob majorem quam habet cum spiritibus convenientiam. Nam cum sit sublimius elementorum, et super illa supremum debeat replere locum, suo descensu hominibus et dæmonibus repræsentat barathrum in quod prolapsi sunt. Et licet mirabiliter exurat humana corpora et non absumat: tale miraculum suadere nititur D. Augustinus; tum exemplo salamandræ: *salamandra in ignibus vivit* (3); tum ex nonnullis vermibus qui in ignibus vivunt, nec dolent. « Nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impune contrectat; illos autem, non solum sine sui aliqua læsione ibi esse, sed extra esse non posse: mirabile est vivere in ignibus, nec dolere. » (4) His exemplis redarguit eos « qui non credunt posse humana corpora animata atque viventia, non solum nunquam morte dissolvi, sed in æternorum ignium durare tormentis; quibus dicimus esse animalia profecto corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus vivunt. » Adducit adhuc: « Siciliæ montes, qui tanta temporis diuturnitate ac vetustate, usque nunc et deinceps flammis æstuant, atque integri perseverant, satis idonei sunt testes, non omne quod ardet absumi: et anima indicat, non omne quod dolere potest, posse etiam mori. » (5) Inde concludit: « Quid adhuc a nobis poscuntur rerum exempla, quibus doceamus non esse incredibile, ut hominum corpora æterno supplicio punitorum, et in igne animam non amittant, et sine detrimento ardeant, et sine interitu doleant? » Quomodo autem id fiat in corporibus, explicat, duo in corpore mortali distinguens: 1. Disposi-

tionem quam habet recipiendi contrarias qualitates (1), quæ in illud agant, illud alterent, immutent et destruant, uti ignis per calorem, glacies per frigus, aer per humiditatem, terra per siccitatem; 2. Actualement destructionem quæ de facto per contrarias evenit qualitates. Damnatorum corpora sunt primo modo corruptibilia; ignis enim illa exuret, glacies frigefaciet, dæmones percutient; non autem secundo modo; Deus enim tantam illis conferet essendi firmitatem, quod æternaliter exurentur ab igne neque consumerentur. Major est difficultas in explicando modo quo ignis ex sua natura corporeus et materialis cruciat animam spiritualem et incorpoream. Circa hanc difficultatem tres sunt opiniones tribuentes infernali igni actionem 1. Physicam; 2. Metaphoricam; 3. Detentivam.

1. *Cæterum incredulitas miratur, non credit* (2) quod ignis materialis et corporeus actione physica animam incorpoream et spiritualem cruciare valeat: tum quia repugnat quod elementum extensum et ex partibus compositum, ullam faciat impressionem in substantias inextensas et partibus carentes. Tum quia nequit urere nisi alterando subjecta media siccitate et calore. Substantiæ autem spirituales nequeunt qualitatibus corporeis alterari. Qui igni actionem physicam tribuunt, facile his rationibus respondent dicentes, quod licet ignis non possit naturaliter agere in substantias spirituales, bene tamen supernaturaliter elevatur divinitus, ut accidit in præsentia materia, in qua Deus hanc virtutem tribuit igni tanquam suæ justitiæ instrumento. Deinde, quemadmodum corpus materiale extensum et mortale unitur physice animæ spirituali, inextensæ et immortalis, cum qua constituit essentialiter compositum physicum et naturale; et quemadmodum sacramenta quæ sunt signa sensibilia et materialia conferunt etiam physice juxta quorundam sententiam gratiam spiritualem animæ spirituali; ita etiam ignis corporeus potentia divina et supernaturaliter elevatus, physice animam spiritualem cruciat, ut ex divitis confessione colligitur: Crucior in hac flamma, cujus verba actionem physicam et effectivam denotant. *Dicamus ergo, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi* (3), vel efficienter et physice, vel moraliter et metaphorice.

2. De damnatis apud inferos mussitanti-

(1) Tert. Lib. adv. Hermog. 11. — (2) Lib. 22. Civ. 10 — (3) Lib. 21. Civ. 4. — (4) Lib. 21. Civ. 2. — (5) Lib. 21. Civ. 4.

(1) Secm. 221. de Verb. Apost. — (2) Tert. L. de Bapt. 2. — (3) D. Aug. lib. 22. Civ. c. 10.

bus (1) fatur Tertullianus, quos repræsentat velut puerulos mussitantes, ejulantes et suspiria edentes, quo cogantur aliquid agere aut pati contra ipsorum voluntatem. Non absimiliter mussitant in inferno damnati, quia, ut vult Subtilis Doctor (2), Deus cogit illos semper intueri ignem ardentem, ut nullatenus aliorum ferre valeant mentis cogitationes. Visio autem coacta illius objecti quod aversantur, summam in eis producit tristitiam, quæ procedit a rebus quæ contra voluntatem eveniunt. Alii hanc actionem metaphoricam (3) rejiciunt tanquam insufficientem ad animas cruciandas.

3. *Majorem ignis ardorem inferentes* (4), quod animas velut incarceratas per vim detineat. « Verum in Theologia speculativa dicitur, quod ignis cruciat spirituales substantias, non comburendo, sed alligando illas. Etenim ignis, ut instrumentum divinæ justitiæ, est detentivus spiritus damnati, ita quod est velut carcer spirituum. Nec solo carcere privato libertatis localis, sed ademptione liberi usus tam intellectus quam voluntatis cruciabuntur. Detinebitur enim illorum intellectus ad considerandum, et voluntas ad detestandum supplicium illud; ac per hoc ad continuam tristitiam actuale. » (5) Ex mente igitur Cajetani ignis erit ergastulum et vincula, quibus corpora constringantur in inferno, et nexus quo mens alligatur ad cogitandam acerbitatem supplicii; et voluntas cogatur ad impatientiam pœnæ, et exinde oriantur lugubris mœstitudo, continui gemitus, luctus perennis, ejulatus impatiens, seræ lacrymæ et infernalis furor. Attamen non est in hac re aut laborandum *superflua inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum.* (6) Sive physice, sive detentive, sive metaphorice, cruciet ignis animas spirituales, mirabiliter et ineffabiliter illas cruciat. Ideo a Sancto Dorotheo (7) dicitur inexplicabilis; a D. Chrysostomo (8) vocitatur ignis tormenta indicibilia inferens; a Lactantio Firmiano (9) appellatur ignis reos inenarrabiliter torquens; a D. Augustino (10) nuncupatur ignis admirabilis et ineffabilis. Quare quævis anima damnata dicet Deo: *Mirabiliter me crucias* (11), medio scilicet igne. Nam, ut animadvertit Lactantius, *in igne habitat Deus, et per ignem vindicatur Deus* (12): quem ut justitiæ suæ

ministrum elegit ad puniendos reprobos; et ob hanc causam in die judicii omnes alias pœnas silentio præteribit Christus, de solo igne loquens, quia tum animas tum corpora damnatorum cruciat tormento admirabili, ineffabili et incomparabili.

III. PARS. Reprobi in gehennæ igni *inextinguibili cremabuntur* (1); et, ut ait Angelicus Thomas, *affligentur ab aqua et ab omnibus quatuor elementis.* (2) In semet ipsis terræ sentient gravitatem, tetros aeris afflabunt odores, aquæ glacie frigescent, et ignis cruciabuntur ardoribus. Ex D. tamen Augustino, *duo sunt principaliter tormenta in inferno: frigus intolerabile, et calor ignis inextinguibilis.* (3) Magnum sane est tormentum frigus intolerabile, sed absque ulla comparatione majus pati ignis ardores. Huic pœnæ nulla est comparabilis, quam ideo *summam ignium pœnam* (4) nuncupat Tertullianus. Verum quantumvis magna videatur ignis pœna quam patiuntur in hoc mundo, vel a iudicibus criminosi, vel a tyrannis martyres, picturam duntaxat pœnæ quam ab igne infernali sustinent reprobi existimat D. Anselmus (5); et ut fatur Tertullianus, *ignis illius inextinguibilis imaginem.* (6) Recogitate fornacem Babylonicam quadraginta novem cubitis flamma jaculantem; recogitate ignem de cælo missum, et Pentapolis urbes in cineres redigentem; ejusmodi ignis et quivis alius qui fingi potest, est tantummodo *in similitudinem ignis inferni* (7), cujus activitas est incomparabilis, sive sit 1. Physica; 2. Detentiva; 3. Aut metaphorica.

1. *Repræsentat creator ignium plagam Hælia postulante.* (8) Ignis efficienter devorans sacrificatores Baal aliquomodo repræsentat incomparabilem ignis activitatem, reproborum tum corpus, tum animam cruciantem. Hujus pœnæ magnitudo extrinsece desumenda est: 1. Ex virtute agentis; 2. Ex sensibilitate patientis; 3. Ex intimissima utriusque unione. Agens erit ignis incomparabili activitate pollens, tum quia habebit secum sulphur admixtum: divina namque justitia reprobis *sulphuratiorem gehennam præparabit* (9); tum quia erit clausus in inferno, *et in ipsa terra aperto, et infra ipsam clauso, et inferioribus adhuc abyssis superstructo.* (10) Quo magis dilatatur ignis, eo minor est ejus activitas; quo magis coarctatur, eo major,

(1) Tert. Apol. 11. — (2) In 4. d. 47. q. 2. a. 2. — (3) D. Aug. lib. 14. Civ. 15. — (4) Tert. L. de Præsc. Hærel. 2. — (5) Cajet. et in c. 25. Matth. — (6) D. Aug. lib. 22. Civ. 10. — (7) Doct. 22. — (8) Parænes. 1. ad Theodor. — (9) L. 7. Inst. 21. — (10) L. 21. Civ. 10. — (11) Jub. 10. — (12) Ibid.

(1) Tert. L. adv. Prax. 1. — (2) In 4. dist. 50. q. 2. ad 3. — (3) Lib. de Triplic. Habitac. — (4) Tert. L. ad Mart. 4. — (5) In Elucidat. — (6) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 2. — (7) Epist. S. Jud. — (8) Tert. L. 4. adv. Marc. 25. — (9) Tert. L. 1. adv. Marc. 28. — (10) Tert. L. de An. 55.

quia virtus unita fortior est seipsa dispersa : ignis autem clausus et opertus minus suam flammam extendit, magisque ardet, ut constat ex opertis fornacibus ; tum quia summo frigore circumdatus per antiperistasim suum intendet calorem ; ignis etenim propter frigus circumstans est calidior hieme quam æstate. In inferno ignis erit fortissime caliditatis, quia calor ejus erit undique congregatus propter frigus terræ ipsum undique circumstans. (1) Quo magis aliquis locus distat a sole, eo magis in illo friget ; quapropter Marcionis patriam sole haud illustratam, sic devenustat Tertullianus : *Sol nunquam libens ; totus annus hibernum, omne quod fluverit aquilo est ; liquores ignibus redeunt, annes glacie negantur, montes pruina exaggerantur* (2) : nullus est autem locus ita distans a sole ac infernus, qui est in recessu infimo et interno, et in ipsis visceribus terræ abstrusa profunditas. (3) Ideoque in illo est summum frigus quo circumdatus ignis, totum suum congregat calorem, summeque ardet, ut summum valeat superare frigus ; tum quia erit a Deo præparatus, neque naturaliter, sed supernaturaliter aget, tanquam instrumentum crematoris Dei. (4) Gladius acutus infligit vulnera juxta robur ejus qui illum movet : inter pueruli manus leviter vulnerat, in manu viri fortissimi, grande efficit vulnus. Qualis, quæso, erit ardor ignis inferni a Deo præparati, et adhuc instrumenti Dei crematoris ? Incomparabilem illam ignis activitatem innuit Scriptura : *Devorabit eos ignis qui non exstinguetur* (5), ait Job ; seu, ut fatur Vates Regius Deum alloquens, *pones eos ut clibanum ignis*. (6) Imo ipsemet Deus incomparabilem illam activitatem sceleroso minatur : *Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum : non exstinguetur flamma succensionis*. (7) Et aliorum ignem in furore suo accensum testatur : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima*. (8) Christo etiam teste criminosis a Deo per peccatum separatus mittetur foras sicut palmas, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet. (9) At cur dixit ardet in præsentem, non ardebit in futuro, ut consequenter loqueretur : omnis namque sententiæ contextus expostulabat, ut diceret : *Ardebit in futuro* ? Non inconsulte dicit *Ardet*, « quia unico verbo dno exprimit : unum est vehementia ignis

hujus : ut enim palmas postquam aruit, igni immixtus citissime ardet, ut non tam vere dixeris ardebit quam ardet : ita mali immixsi ardent : tanta est enim vehementia illius ignis ut sine mora ardeat : nam solet ignis calefacere ligna prius quam inflammare ut ardeant ; at quando vehementissimus est, statim ardent ; sicut et sicca ardere statim solent : hæc vehementia significatur verbo præsentem. Alterum est, duratio : ardet sine fine, non ad tempus, sed in perpetuum : » (1) quapropter uti Vulgatus legit *ardet* in præsentem, Arabicus vertit *ardebit* in futuro ; nec mirum si vehementer ardet et in æternum ardebit ; quia Dei furor illum accendit et continuo in illum sufflat. *Præparata est ab heri Tophet a Rege, præparata et dilatata : nutrimenta ejus ignis et ligna multa : status Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam*. (2) Ignis etiam publicus semper arderet, si in eum injiceretur aliqua gutta sulphuris et flaret ventus. Quis de vehementia et perpetuitate ignis infernalis dubitare potest, in quem non gutta sulphuris, sed torrens projicietur, et quem non ventus, sed Dei flatus in æternum accendet, ut cruciet damnatorum corpora et animas ? ex quorum sensibilitate 2. Æstimanda est incomparabilis gehennæ activitas.

Magnitudo passionis non solum dependet ex virtute agentis, sed etiam ex passibilitate patientis ; quia quæ sunt bene passibilia, multum patiuntur etiam a parvis activis. (3) Licet enim corpus humanum sit totum sensibile, nullaque sit ejus pars quæ non sit capax doloris, quia anima quæ est sensus principium, reperitur in cunctis, sunt tamen nonnullæ magis quam aliæ sensibiles, majorisque doloris capaces ; ut patet in oculo, qui dum percutitur, acriorem per sentit dolorem quam genua ; item corpus rustici ad pœnam et laborem assueti, non est adeo sensibile ac corpus principis, tenere educati et in deliciis enutriti. Et ob hanc rationem Christus Dominus graviores sustinuit dolores, ratione scilicet delicati temperamenti quo pollebat. Damnatorum autem tum animæ, tum corpora erunt summe sensibilia, summeque doloris capacia. Animæ quidem quæ majori pollentes vita quam corpora, magis erunt patibiles. Justinus (4) velut oraculum ab humanata veritate propalatum existimat animas separatas pati ab igne aliquam pœnam sensus, cujus flammis dolorificas nuncupat Gregorius Nyssenus. (5)

(1) D. Tho. cont. Gent. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 1. — (3) Tert. L. de An. 55. — (4) Tert. L. 5. adv. Marc. 16. — (5) Job. 20. — (6) Psal. 10. — (7) Ezech. 20. — (8) Deuter. 32. — (9) Joan. 15.

(1) Tolet. — (2) Esa. 30. — (3) D. Thom. 12. q. 21. a. 3. — (4) In Apolog. — (5) Orat. de An. et Resur.

Corpora etiam erunt ad dolores præparata, summeque sensibilia. Qui in hoc mundo gravi podagra aut gonagra laborant, sunt in hac parte adeo sensibiles ut pertimescant ne qui accedunt, tantillum illos tangant, neque linteum supra genu vel pedes ferre possunt. Quælibet corporum damnatorum pars, erit delicatior magisque absque ulla comparatione sensibilis, quam sint manus, pedes, vel genua, vehementissima affecta ponagra, gonagra, vel chiragra: ita miseri reprobi in cunctis corporum partibus incomparabilem persentiunt dolorem, qui 3. Tanto erit gravior quanto unio agentis cum patiente intimior.

Ad dolorem duo requiruntur: conjunctio alicujus mali, quod ea ratione est malum, quia privat aliquo bono, et perceptio hujusce conjunctionis (1): ideoque ut quis sentiat ignis ardorem, necesse est ut ignis ei uniatur; deinde requiritur ut cognoscat læsionem quam recipit ab igne. Ex defectu hujus conditionis lethargici nullum sentiunt dolorem, etiamsi urantur ab igne. In inferno autem reprobi sentiunt dolorem illumque cognoscunt; ignis eorum animæ et corpori ita unitur ut quemadmodum ferrum ignitum videtur in ignem transformatum, ita ignis in eorum quasi transit substantiam, et ut fatur Tertullianus, *pavor, mæror, substantiæ fiunt*. (2) Miseri damnati sepelientur in inferno, et *pars illorum eris in stagno ardenti igne et sulphure*. (3) Corpus quod libidinis æstuavit incendio a flammis lambetur infernalibus. *Incendia corpus nudum allambent*. (4) Impudici aliique scelerosi Christiani, omni vitiorum genere contaminati, tartareo igne horrendum in modum sine fine cremabuntur: et, ut addit D. Cyprianus, *Miseri vivent inter incendia; in proprio adipè frixæ libidines bullient, et inter sartagineas flammeas, miserabilia corpora cremabuntur*. Nec minus incendium patientur animæ scelerosæ quam fœda corpora: damnati namque erunt velut fornaces ardentes, ut jam dictum est ex Regio Vate: *Pones eos ut clibanum ignis* (5): ardebunt velut carbonēs succensi, et flammæ ejaculabunt per oculos, aures, nares, os, cunctas corporis partes. Qui infernali igni physicam concedunt actionem, his rationibus incomparabilem ejus activitatem declarant, quam aliunde investigant qui detentivam ei tribuunt actionem.

Recogitemus ipsum mundum carcerem

esse. (1) Reprobi non sunt e carcere liberati, sed *de carcere in custodiarium si forte translatos existimetis*. Ut autem cognoscatis quam gravis sit inferni carcer, et quam intolerabilis damnatis gehennæ captivitas, duo adnotetis velim. Unum, quod inter corpora nullum ita ad ens spiritale accedit ac ignis et ventus: ideo Spiritus Sanctus in die Pentecostes apparuit sub forma venti et ignis; aliud, quod corpora illa, quæ naturam spiritus velut redolent, quando sunt detenta et occultata, miros efficiunt impetus ut libertate sibi conveniente potiantur. Quid non præstat pulvis sulphureus igne sub terra abscondito accensus? Rupes, arces, mœnia, urbesque evertit: quem merito vocabis *ignem eversionis*. (2) Constat etiam ex terræmotu; ventus etenim in cavernis terræ absconditus civitates, montes, provincias totas, effodit, obruit, insulas a continentibus separat: quomodo a regno Neapolitano separatam Siciliam existimant auctores, *cum Italiæ quondam latus, Hadria Tyrrenoque quassantibus medio tenus interceptum, reliquias Siciliam facit*. (3) Ex eversionibus ab igne et vento velut incarceratis, colligi licet quanta violentia detineantur ab igne animæ spirituales, quosve moliantur conatus, sed in vanum, ut vincula quibus velut ligantur rumpant, et a coacto illo carcere liberentur.

3. Et quia *triste illic expirat*. (4) Qui actionem metaphoricam igni duntaxat tribuunt, incomparabilem ejus activitatem inferunt ex eo quod affligat damnatos tanquam objectum eorum voluntati contrarium et disconveniens; suamque explicant mentem dicentes, quod infernalis ignis eodem fere modo concurrat ad pœnam damnatorum, quo lumen gloriæ ad Beatorum felicitatem. Lumen gloriæ beatis manifestat divinitatem uti veræ beatitudinis objectum: ex illa visione intellectus emanat perfectus Dei amor in voluntate, ex visione vero et amore Dei, sequitur in corde ineffabile gaudium. Non absimiliter ignis inferni damnatorum affligit animas; objicitur namque eorum intellectui tanquam unicum objectum quod continuo intueri coguntur: et ut fatur Ezechiel Propheta, *quasi aspectu crystalli horribilis*. In illo crystallo intuentur criminum quæ pataverunt enormitatem; pœnas quas per universam retro æternitatem passuræ sunt; Dei indignationem, quem suis sceleribus de benigno patre immutarunt in severum judicem; senten-

(1) D. Thom. 12. q. 55. a. 1. — (2) Tert. Lib. adv. Valent. 10. — (3) Tert. L. de Pud. 19. — (4) D. Cypr. Sermon. de Ascens. — (5) Psal. 20.

(1) Tert. L. ad Mart. 2. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 29. — (3) Tert. L. de Pall. 2. — (4) Tert. Lib. ad Mart. 2.

tiam quam in illas pronuntiavit justus ille iudex; instrumenta suppliciorum quæ tolerabunt, aliaque objecta quæ illis summum possunt ingenerare odium. Ex horribili illo aspectu orietur in reproborum voluntate implacabile odium; oderunt sua peccata quæ eos ad tartara deduxerunt; oderunt Deum qui eos tanta severitate punit; oderunt ignem qui eos adeo acriter cruciat; oderunt parentes qui eos genuerunt; oderunt daemones et reprobos qui eorum incrementant miseriam; oderunt semetipsos, vellentque nunquam existisse. Terribilem illum aspectum, odiumque implacabile sequetur afflictio, tristitia, furor, rabies, desperatio. Nero medio smaragdo (1) sanguinem gladiatorum viridem conspiciebat, et de tali aspectu aliquod percipiebat delectamentum: tantum abest ut reprobi ex aspectu crystalli illius horribilis aliquam percipiant lætitiã, quinimo summo afficiuntur mœrore: tanta erit eorum tristitia ut in furorem erumpant, præ dolore Deum blasphemabunt, maledicent semetipsos, convitiisque continua vibrabunt in alios.

Hæc aliaque tormenta miseris damnatis infligit incomparabilis ignis infernalis activitas, quibus ignibus (2) utendum esset ut ad aliquam illius possemus assurgere notitiã; cum clibanii accensi, fornaces ardentes, rogi et cuncti in universum mundi ignes, infernales duotaxat adumbrent. His de admirabili, ineffabili et incomparabili activitate ignis, positus tanquam veris, indubitatis et fide certis: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (3) Quis ex vobis, nobiles, divites, principes, qui hic epulamini quotidie splendide, qui hic pretiose induti, in deliciis enutriti, in lectis eburneis molliter quiescitis? Quis ex vobis, mercatores, milites, belli duces, qui hic adeo podagræ et calculi dolores perhorrescitis? Quis ex vobis, medici, cauidici, qui hic vel noctem unam, in molli strato insonnem ducere tormenti genus reputatis? Quis ex vobis, teneri adolescentes, delicatæ filiæ, quæ hic vel ignis scintillam, vel puncturam acus adeo reformidatis? Quis ex vobis, Christiani molles, qui hic adeo mortificationes, austeritates, pœnitentias, jejunia aversamini? Quis ex vobis, scelerosi peccatores, qui tanta licentia Deum offenditis, habitare poterit cum igne devorante? Attamen cum ardoribus sempiternis habitabunt criminosi suis sceleribus *auspiciã pœnæ suæ curantes.* (4)

Quot peccata lethalia facitis, tot sunt auspiciã quæ infauste ignem devorantem ardoribusque sempiternos ominantur.

Deus ut Pharaonis emolliret duritiã, præcipit Moysi et Aarõni: « Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. » (1) Ubi Procopius: *Redigit nobis caminus in memoriã ænigma de camino; significat enim camini fuligo, ignis gehennæ pœnam, quam nobis Scriptura comminatur.* Expandat quotidie ænigma Christianus, revocet ad memoriã intolerabilem inferni pœnam: sic concupiscentiæ temperabit ardorem; et ut satur Tertullianus, *incendium ignibus exstinguetur.* (2) Quoties ad aliquod sufflammatur vitium, sumat cineres eorum qui ob id vitium in inferno cruciantur. D. Bernardus hoc remedium cuidam adhibet juveni, ut eum eximat ab æstu libidinis: *Cum libidine pulsaris, cogita ignem æternum.* Seria ignis inferni cogitatio admirandam habet efficaciam, tum ad bene operandum, tum ad malum vitandum; tum ad diaboli, mundi et carnis tentationibus resistendum; tum ad pœnitendum de commissis peccatis. Quare Christianos verbis a Tertulliano mutuatis alloquitur D. Pacianus: *Si de cruciatu exomologesis retractatis, gehennam recordemini, quam vobis exomologesis exstinguet.* (3) Profecto ad vitandam gehennæ pœnam cunctis seculi renuntiandum est alacri animo voluptatibus; atrociora quæque ultro subeunda sunt tormenta. Quis homo sanæ mentis vellet remanere per annum in rogo, ut centum regnaret annis? Quis nisi insanus vellet exuri centum annis in camino, ut viginti dominaretur annis? Quis adeo instultescet ut velit mille annis detineri in fornace ardenti, ut septem diebus regis ageret personam? At, prohi dolor! qualis peccatoris stultitia et cæcitas, qui pro honore cito transituro, pro momentanea voluptate, pro divitiis perituris, æternis inferni se mancipat ignibus? Quam deploranda hujus seculi perversitas in quo scelerosus Christianus *Deum non timet, æterni supplicii memoriã nihil æstimat* (4), suaque insolentia satis demonstrat se neque rationem, neque religionem habere? Cui dicendum est id ipsum quod comiti cuidam scribit D. Augustinus: *O mi frater, nunquid ferreæ sunt carnes nostræ, ut non contremiscant; vel etiã sensus noster adamantinus, ut non emollescat ad illa Dei verba: Ite, maledicti, in ignem æternum?* (5) Qui ad tremenda illa verba non metuit, neque cou-

(1) Plin. lib. 38. c. 15. — (2) Tert. Lib. de Jejun. 2. — (3) Esa. 55. — (4) Tert. L. 1. ad Uxor. 6.

(1) Exod. 9. — (2) Tert. L. 1. de Pud. 1. — (3) Patres. de Pœn. — (4) Climac. Grad. 15. — (5) Cap. 55.

vertitur, de sua salute periclitatur. Strabus Fuldenſis acute animadvertit quod *arcus duos habet colores, cæruleum et igneum, qui duo judicia expriment: unum aquæ, quod præterit; aliud ignis, quod venturum creditur in fine seculi; unde cæruleus color extrinsecus, ignitus vero intrinsecus.* (1) Cæruleus Iridis color signum est transacti nec deinceps futuri aquæ diluvii; igneus vero Iridis color est gehennæ color, et nostræ signum incolumitatis: nam ignem inferni representans, contemplanti incutit timorem, estque evasionis signum, et incolumitatis pronosticum? Christiane, cupis videre signum fugiendi infernalis incendii, attolle oculos ad igneum Iridis colorem, ejusmodi aspectus tibi timorem incutiet, te ad pœnitentiam inducet, et perpetuam auspiciabitur incolumitatem.

.....

CONCIO QUINTA.

QUONIAM duo hæc mala fecit populus meus: Me, inquit, dereliquerunt fontem aquæ vitæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere. (2) Creatura nequit heare hominem; Deus econtra est vera hominis beatitudo; cujus desiderium plene satiare potest. Homo tamen criminosus Deo derelicto et contempto, adhæret creaturæ; in ea suum constituit finem, et felicitatem reperire nititur. In quo, ait D. Augustinus, binæ deordinationis reus est; scilicet aversionis Deo et conversionis ad creaturam: *Peccatum est hominis inordinatio atque perversitas, id est, a præstantiore conlitore aversio, et ad condita inferiora conversio.* (3) Bina ejusmodi deordinatio duplici mulctanda est pœna: damni scilicet et sensus. Pœna damni, in privatione Dei consistit; pœna sensus in exustione infernalis ignis potissimum sita est. Etenim æquissimum est ut peccator qui perverse Deum dereliquit et creaturæ adhæsit, patiat a creatura quam ordinate dilexit, Deoque privetur quem insolenter contempsit. De pœna sensus actum est; nunc pœna damni est examinanda et demonstranda 1. Maxima; 2. Acerbissima; 3. Æquissima.

I. PARS. Pœna damni quæ Deo privat (4) reprobos, maxima est. Siquidem *dammum dicitur quod aliquis perdit* (5); tanto majus,

(1) In c. 9. Gen. — (2) Tert. L. adv. Jud. 13. — (3) L. 1. quasi. ad Simplicium. q. 2. — (4) Tert. L. de An. 2. — (5) D. Aug. lib. de Mendac. 18.

quanto majus est id quod perditur. Miseri autem præsciti perdunt Deum *summuum; magnum* (1); et ita incurrunt damnum 1. Incomparabile; 2. Irreparabile; 3. Intolerabile.

1. Pœna damni est incomparabilis, quin cuncta generatim tormentorum genera superat. Nam *quid erit singulare, nisi cui nihil adæquabitur? quid principale, nisi quod super omnia?* (2) Pœna autem damni adeo est principalis, ut cuncta transcendat supplicia; adeo singularis, ut nullum possit illi supplicium cœquari. *Perire a regno Dei; exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei; carere tam magna multitudinis dulcedinis Dei; tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta comparari.* (3) Pœna sensus quam patiuntur in inferno reprobi, cuncta supplicia superat, quæ tolerarunt unquam, vel ab acutissimis morbis mortales; vel ab humana justitia rei; vel a sævissimis tyrannis fideles; vel a Deo irato scelerosi et peccatores. Pœnam tamen sensus, pœnæ damni haud comparabilem existimat D. Bernardus: *Ego vero multo durius tormentum esse assero quam gehenna est, non assecutum esse tantam gloriam et illinc elapsu esse; et opinor non tanto dolore lugendum de malo gehennæ, quam casum deplorare, quod cælo excidimus, qui est cruciatus omnium gravissimus.* (4) Plus audet D. Chrysostomus et omnes inferni cruciatus quasi nihil ducit in comparatione pœnæ damni, quæ prescitos Deo, cœlestique beatitudine privat. *Tantum malum videtur de tanta gloria cecidisse, ut gehennam pro nihilo habeam, pro hoc damno ac ruina.* (5) Eodem tormentorum genere cruciantur in gehenna animæ criminosæ ac Angeli rebelles. Sicut societas fuit criminis, est etiam consortium damnationis. (6) Consortium pœnæ sensus, jam et ipso diabolo cum Angelis suis ignibus merso. (7) Projiciuntur animæ criminosæ in ignem æternum, quem præparavit diabolo et angelis ejus: ultra ignis tormentum, tum dæmones, tum animæ reprobæ *habent suam exinde damnationem* (8), nimirum pœnam damni, quam primo sustinuit Lucifer cum de cælo ejectus, Deo privatus fuit. In cælo creatum Luciferum existimant auctores, imo in empyreo, ut vult Angelicus Thomas. Apostatam illum *privatum loci* (9) severiori Dei justitia censet Cardin. Damian. *Deserviit Omnipotentis in-*

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 5. — (2) Tert. L. adv. Hermog. 4. — (3) D. Aug. in Echir. c. 212. — (4) Epist. 5. ad Theodor. — (5) Rom. 15. in Ep. ad Philip. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 54. — (7) Tert. L. de Rog. 58. — (8) Tert. L. de Præsc. Hæret. 54. — (9) Tert. L. de An. 46.

dignatio, totaque divinitatis dextera percussus est inimicus, et in perditionis devolutus est abyssum. (1) Cuncta flagella quibus in hac vita iratus Deus percudit peccatores, *ignium plagæ* (2) quibus Sodomam et Gomorrhiam in pulverem redegit; decem plagæ quibus devastavit Ægyptum, et in universum *omnes seculi plagæ*, (3) Dei iram indicant, sed modicam, sed parvam, *propter peccata habitantium in ea, modicum Deus fuerat iratus* (4): major est Dei indignatio in reprobum quem cruciat igne inexstinguibili justitiæ suæ ministro. *Plaga inimici percussite, castigatione crudeli, dolore insanabili.* (5) At dum Deus Luciferum pœna damni mulctat, suaque visione privat, tunc totam suam ostentat indignationem; tum adhibet totam majestatis virtutem, et omnipotentis dexteram; tunc tota desævit irati Dei indignatio. Tanta est ejusmodi severitas, ut Deus cui nihil est impossibile, majus nequeat inferre damnum; etenim sicut Deus nihil seipso melius et majus dare potest, ita privare damnatos seipso est damnum incomparabile et irreparabile.

2. *Delinquentium privatum* (6) pœnam damni nuncupat Tertullianus. Non immerito peccatum privatio dicitur, criminosum privans honore, afficiens ignominia; fortuna, ad egestatem redigens; sanitate, morbos ingenerans; tranquillitate, conscientiam turbans; cognitione, mentem contenebrans; rectitudine, voluntatem depravans; sanctitate, gratiam annihilans; beatitudinis, Deo irreparabiliter privans. *Frustra pulsabunt fatuæ virgines, vanum clamabunt ubi impletæ fuerint nuptiæ discumbentium, et janua clausa erit: infelix anima illa, quam a nuptiis illis contigerit excludi, infelix de quo clamabitur: Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* (7) Homo de jactura dupliciter consolatur, vel dum id quod perdidit recuperare sperat; quomodo amicus de amici consolatur absentia, sperans illum aliquando rediturum, vel dum loco rei perditæ aliam accipit, vel meliorem, vel saltem æquipolentem. Sic Eva de nece Abelis consolata fuit in nativitate Seth, quem Abelis loco substituit Deus. At neutro modo consolabitur damnatus: tum quia nihil unquam habere poterit quod amisso Deo æquipolleat; tum quia nullam habebit spem possidendi Deum: *in quantum enim Deus, nec bonum*

damnat, nec malum admittit (1); bonum cœlesti beatitudine remunerat, malum felicitate privat: ita peccator Deo in æternum peribit. Etenim *ille perire Deo dicitur, qui ab illa beatitudine quam dat Sanctis suis, per supplicium separatur.* (2) Bajazethus, Turcarum Imperator, profligato exercitu suo, et Ortogulo primogenito a Tamberlano, Tartarum rege, occiso, quamprimum infaustum accepit nuntium, in itinere pastorem tibia seu fistula ludentem inveniens præcepit illi ut lugubrem istum modularetur concentum: *Infelix Bajazeth, nunquam concipies filium tuum Ortogulum.* Quam miser reprobus, qui per totam retro æternitatem a Deo separabitur, nec illum videre poterit! *O temporis illius tribulationem! o necessitatem! o tempestatem! a Deo dissociari.* (3) O dura tribulatio atrocissima quæque continens tormenta! o sæva necessitas, a cœlesti curia expellens! o procellosa tempestas omnem spem evadendi absorbens! o crudelis separatio pro semper Dei visione frustrans!

Paulus Apostolus militibus ad custodiam traditus, Romamque ducendus neque inde unquam revertendus, Milesiis (4), præcipuisque Ecclesiæ Ephesinæ fidelibus his verbis valedixit: « Nunc ecce ego scio quia non amplius videbitis faciem meam, vos omnes per quos transivi prædicans regnum Dei; » quo dicto, ait sacer textus, « magnus fletus factus est omnium; » omnes amarissime fleverunt, et tum viri, tum mulieres, ubertim in lacrymas proruperunt. At cur tantum persenserunt dolorem? cur tot ejulatus et fletus emiserunt? quænam fuit causa mœstitudinis fidelium? *Dolentes maxime in verbo quid dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri.* Paulus multa illis prædixerat dignissima lacrymis: *Dixerat: Ingressuri sunt lupi rapaces; dixerat: Mundus sum a sanguine omnium: hæc utraque terribilia et ad contristandum sufficientia; maxime autem hoc omnium dolebant, quod ultra eum visuri non essent, qui est cruciatus omnium gravissimus.* (5) Si Christiani tantopere dolent se avelli a facie Pauli hominis mortalis, quid erit avelli a facie Dei immortalis, in quam desiderant Angeli prospicere? Si Milesii tanta amaritudine flent audientes dicentem Paulum, « quia faciem ejus non essent amplius visuri, » qualis erit damnatorum cruciatus audientium Deum dicentem: *Et irascetur furor meus in die illo, et dere-*

(1) Serm. de S. Michael. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 23. — (3) Tert. Apol. 41. — (4) Lib. 2. Mor. 5. — (5) Jerem. 50. — (6) Tert. L. de Pœn. 2. — (7) D. Bern. Serm. 2. in Vidi Dominum.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (2) D. Aug. Tract. 89. in Joan. — (3) D. Cyril. Orat. de Exit. An. — (4) Act. 20. — (5) D. Chrysost.

inquam eum, et abscondam faciem meam ab eo. (1) Sed quid inde? *Invenient eum omnia mala et afflictiones.* Derelinqui a Deo, a Deo separari, Dei visione privari, est summum malum, cunctorumque malorum compendium. *Quis sortem illam damnatorum non desleat, quando a facie Creatoris perpetuo exclusi, ab ipso, et Angelis, et electis separabuntur* (2), patienturque damnum irrecuperabile et intolerabile?

3. Arguit Christianum Tertullianus, mortem propinqui nimio dolore ferentem: *Cur immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris?* (3) Si adeo impatienter absentiam fratris cito videndi fert homo, nonne intolerabilem sustinebunt damnati pœnam, in perpetuum a Deo separari? Intolerabilis illius pœnæ magnitudo colligitur, tum quia quo majus est bonum quod amittunt, eo major est pœna: amittunt autem Deum bonum infinitum; tum quia sicut beatitudo Sanctorum qui Deum possident est summa, ita pœna damni qua reprobi Deo privantur est summa; tum quia pœna damni respondet aversioni a Deo, sicut pœna sensus conversioni ad creaturam. (4) Aversio autem a bono incommutabili magis ad malitiam peccati attingit quam conversio ad bonum commutabile. Deinde ex D. Thoma (5) peccatum ex parte aversionis est infinitum, quia ejus gravitas desumitur ab infinita Dei majestate quam offendit, et creaturæ ab illa infinite distanti postponit. Quod autem in peccato est præcipuum, maxima pœna est puniendum: tum quia pœna sensus est intolerabilis, pœna autem damni major est pœna sensus: quantum enim anima a corpore distat, tantum distant animi dolores a doloribus corporis: sicut delectationes spirituales animæ superant delectationes corporis, ita dolores animæ superant dolores carnis, pœna sensus affligit corpus, pœna damni cruciat animam, eam Dei privat visione. *Dei autem alienatio atque aversio illi qui eam patitur intolerabilior graviorque est pœna, quam cætera gehennæ expectata supplicia.* (6)

D. Chrysost. de stultitia culpatur Christianos magis pœnam sensus quam intolerabilem pœnam damni pertimescentes: *Sunt quidam insipientes qui sibi sufficere arbitrantur, si a sensibilibus inferni suppliciis eruantur. Ego autem omni pœna gravius reor, a vultu Dei repelli: imo si mille gehennas mihi proponas, non tantum hoc re-*

puto neque abhorreo, sicut a gloriosa illius societatis jucunditate repelli, exosum fieri creatori, et ejus aspectu indignum aestimari.

(1) Grave est profecto in æternum pati ravidam famem ut canes; grave est rodi a verine qui non moritur; grave, audire stridorem dentium; grave, horribiles dæmonum aspicerere formas; grave, teterrimos afflare foetores; grave, summum nivis et glaciei sentire frigus; grave, immergi in stagnum ignis et sulphuris: sed longe gravissimum quod mille gehennas superat, separari a Deo, neque unquam ejus visione potiri. Quod ipsimet confitentur damnati dicentes: *Addantur tormenta tormentis et pœnæ pœnis; sæviant sævissimi ministri; crescant crudelissima flagellorum genera, et Deo non privemur* (2); quod est cunctorum suppliciorum acerbissimum, omniumque pœnarum maxima; in cujus comparatione flammæ et ignes habentur velut rosæ et flores: serpentium morsus, oscula; dæmonum verbera, blanditiæ; horrendi carceres, magnifica palatia; damnatorum gemitus, musicæ concentus; cuncta gehennæ tormenta, deliciæ. Etiam si in inferno non essent torquentes dæmones, incendentes ignes, vermes rodentes, funes stringentes, tenebræ excæcantes, foetores labefacientes, privari tamen Dei visione esset pœna intolerabilis.

Asseverat D. Bernardus Beatissimam Virginem Christum duodecimum annum agentem magno cum dolore quæsiisse: non quia verebatur eum fame periturum, aut aliquid incommodi passurum, sed quia illius absentiam ferre non poterat. *Tantum subtractus vel ad modicum, ineffabiles præsentiae ejus delicias quærebatur: tam enim est dulcis Dominus Jesus quærentibus eum, tam speciosus ad videndum, tam suavis ad amplectendum, ut brevis ejus absentia materia doloris maxima sit.* (3) Plus audet adhuc Bernardus dicens: quod animæ innocuæ quæ semel gustarunt quam sit suavis cœlestis illius sponsi præsentia, eligerent ad tempus tolerare gehennam quam a Christo discedere. (4) Si animæ sanctæ, charitate ferventes, adhuc corpori immersæ, adeo moleste sponsi ferunt absentiam, ut vitam omni morte acerbiorum ducant, qualem patientur animæ separatæ dolorem, in perpetuum Dei privatæ conspectu? Animæ innocuæ Sponsi præsentia ad tempus duntaxat privatæ, sperant intra breve tempus frui illius præsentia; at animæ damnatæ absque ulla spe in æternum

(1) Deuter. 31. — (2) Ephrem. — (3) Tert. L. de Pat. 9. — (4) D. Aug. lib. 11. Civ. 8. — (5) D. Thom. 5. p. q. 1. art. 2. ad. 2. — (6) D. Basil. de Furor. Jud. c. 14.

(1) Hom. 24. in Matth. — (2) S. Bruno. Serm. de Judic. — (3) Hom. Infr. Oct. Epiph. — (4) Serm. 55. in Cant.

Dei visione privabuntur. Ut autem ait D. Augustinus, *absentia Dei quoad visionem ejus, est omnibus pœnis intolerabilior*. (1) Absaloni ob cædem Ammonis fratris exsuli, Joab mediatore (2), Thecnice quoque intercedente, concessit rex ut in domum suam rediret, hac conditione ut biennio Davidis privaretur aspectu: hæc tamen conditio adeo onerosa et gravis visa est Absaloni, ut etiamsi in domo cunctis abunde frueretur bonis, tamen patriam, divitias, propinquos, vitamque ipsam pro nihilo duceret, si patris non posset intueri faciem. *Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse. Obsecro ergo ut videam faciem regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me*. Si Absalon morte intolerabilius existimat biennio a patris exulare presentia; si Christi sponsæ gehenna gravius existimat ad tempus a cœlesti separari Sponso, quid erit in æternum a Deo sejungi, *in ignominiosa æterni exsili vastitate* (3) detineri?

D. Augustinus (4) hanc quam præ manibus habemus materiam tractans, hunc ad suos auditores sermonem habuit. Si Deus qui in sacris loquitur paginis appareret vobisque diceret: *Vultis peccare? consentio ut peccetis, concupiscentias vestras adimpleatis; cunctis fruamini voluptatibus; omnibus abundetis bonis; de inimicis vindictam sumatis; inferatis necem quibus volueritis; nihil voluntati vestræ sese opponat; citis ad solium sublimati, fortuna sit vobis adeo secunda ut divitiis, honoribus et deliciis abundetis; verum tamen faciem meam nunquam videbitis*: scio impios mundo addictos, Dei facile renuntiare visioni, modo terrenis fruuntur bonis. Verum aliter sentirent Christiani virtutis studiosi, Dei que amore sufflammati, ut nec etiam pro cunctis seculi bonis unquam Dei renuntiant possessioni: et, ut fatur D. Augustinus ad ejusmodi propositionem, *steteret quidem timor castus, et diceret: Imo tollantur omnia, ut faciem tuam videam: timor castus exclamaret de psalmo: Ostende faciem tuam, et salvi erimus: timor castus exclamaret de psalmo, et diceret: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem ejus*. Omnia perdere desidero, ne faciem Dei perdam. At, prohi dolor! quam pauci sunt qui casto illo moveantur timore! quam pauci qui pro acquirenda Dei visione, bonorum temporalium velint pati jacturam! quam pauci qui Dei possessioni postponant car-

nis concupiscentias! Deus sui visionem promittit animabus innocuis, sui vero privationem criminosis minatur: homines tamen scelerosi malunt æternam damni sustinere pœnam quam a suis abstinere vitiis.

Res sane lugenda! Pro comparandis fortunæ bonis cuncta peccatores perpetrunt crimina, et pro acquirenda Dei possessione nolunt vacare a criminibus; et quod est stupendum magis, si quoties delicta committunt, terrenis privarentur bonis, nunquam peccarent: timor amittendi terrenas facultates, mundanos honores, eos a vitiis avocaret, et timor amittendi cœlestes gazas, cœleste regnum, ipsumque Deum, minime eos a vitiis arcet. Annon qui alicujus feminæ amore capiuntur, velut cæcutientes ejus obsequuntur voluntati? vestes sumunt conditioni suæ haud convenientes, æstatis æstus, hiemis frigus tolerant, longinqua et laboriosa suscipiunt itinera, periculosa ineunt certamina: totum hoc quia metuunt ne eos femina sua privet præsentia? *Quod ibi timetur est: Faciem meam non videbis*. (1) Christiani non ita Deo obtemperant, ac amasii scorto, neque tantopere Deum timent, ac amasii scortum pertimescunt. Obediunt amasii feminæ impudicæ, quæ eis res valde difficiles imperat, neque ullum verum valet conferre bonum obtemperantibus, neque afferre malum inobsequentibus, et Deo non obtemperant qui res facillimas præcipit, obsequentes sui visione remunerat, inobsequentes sui visione privat. *Impudica hoc dicit et terret: dicit hoc Deus, et non terret*. Impudica dicit libidinoso: *Nisi hoc malum facias, non videbis faciem meam, et lascivus ad impudicæ nutum, malum operatur*. Deus dicit Christiano: *Si feceris malum, non videbis faciem meam, et mavult Deum perdere, ejusque conspectu privari, quam cessare a malo*. Potestne concipi major stoliditas? potestne inveniri nequior perversitas? Annon lugenda est sanguineis lacrymis eorum stultitia et cæcitas, *quos pœnam luituros exitialem, æternam, a facie Domini et a gloria valentiæ ejus* (2), sustinentes in inferno pœnam damni maximam et acerbissimam.

II. PARS. Utinam Christiani nec criminis, nec pœnæ dæmonum essent consortes: et ut fatur Tertullianus, *nihil de damnatitiis participarent* (3), id est, non essent participes damni, quod sustinent in inferno angeli rebelles et damnati. Tria potissimum torquent

(1) In Man. c. 1. — (2) L. 2. Reg. 14. — (3) Tert. L. adv. Valent. 20. — (4) In Psal. 127.

(1) D. Aug. ibid. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 16. — (3) Tert. L. de Præsc. Hæret. 54.

et adaugent pœnas. Id quod 1. Parit dolorem; 2. Quod voluntati contrariatur; 3. Quod damnum affert. Quod parit dolorem affligit corpus; quod voluntati opponitur, affligit animam; quod damnum affert, affligit simul corpus et animam. Summus dolor, affligit corpus; privari re ardentem amata, uniri objecto summo odio prosecuto, affligit animam; jactura boni possessi, privatioque boni cujus sperabatur possessio, simul corpus et animam affligit. Hæc omnia in inferno reperiuntur, concurruntque ad miseris torquendos damnatos, et eorum pœnas incrementandas: nam corpora post generalem resurrectionem intolerabilem patientur dolorem: animæ extremam persequentur afflictionem ex unione inseparabili cum igne justitiæ divinæ ministro, quem summe aversabuntur, nec ab ejus præsentia se in æternum poterunt expedire: anima simul et corpus acerbissimum tolerabunt damnum; amisso felicitatis objecto. Damni illius acerbitas ex trina potissimum parte orietur: ex 1. Cognitione boni perditum; 2. Dilectione boni perditum; 3. Ex spe seu desiderio boni perditum.

1. Apparebit Christus in judicio *ostendens quid prosit, et quid non prosit*. (1) Ostendet etenim electis quod ad eorum proderit beatitudinem; reprobis vero quod eorum efficiet pœnam et damnationem. Homo gradatim et successive trinum ingreditur habitaculum: matris scilicet uterum, mundum, cœlum vel infernum. Ut autem Moralis ratiocinatur Philosophus (2), eadem proportio quæ est inter primum et secundum habitaculum reperitur inter secundum et tertium; si in primo habitaculo sese posset dignoscere infans, nihil aliud conspiceret præter sanguinem in quo fluitat; et feces a quibus contaminatur, attamen in illo sibi placet, nobilioris habitaculi non habens notitiam. A primo illo habitaculo egrediens secundum ingreditur quod nihil aliud est quam amplius ergastulum, in quo sibi adhuc complacet; quod procedit ex ignorantia quam ex materno detulit utero; vel quia de cœli beatitudine non est probe eruditus, vel ex malitia et perversitate qua credere non vult quæ de immortalis felicitate fides docet. Quod si feliciter cœlesti ingrediatur habitaculum, primum stupet et horrescit; secundum, dedignatur et contemnit, cuncta terrena bona velut pueruli ludibria respicit, indigna suo amore judicat, immobiliter summo bono adhæret tanquam unico quod

eum valet perfecte satiare. Quod si infelicitate a cœlo exsulat et in infernum detruditur, in terra illa tenebrarum aliquam habet divinæ magnitudinis notitiam ex qua colligit quantum patitur damnum tanto privari bono. Ignorantia tum damni, tum magnitudinis ejus, impediunt afflictionem et dolorem in eo qui ejusmodi patitur damnum. Dum rex in infantia regnum amittit, patitur regni privationem, sed nullum de tali damno concipit dolorem, quia neque se privatum regno cognoscit, neque damni quod incurrit agnoscit magnitudinem: *Quandiu sumus in hoc mundo*, ait D. Chrysost. *imperfecte cognoscimus felicitatis objectum, hujusque magnitudinem ignoramus*. (1) Anima nostra in corpore velut in carcere includitur, in sua notitia a sensibus dependens, etiam spiritualia, abstractivè duntaxat cognoscit: *vivit hic anima operta mortis involucro*. (2) Notiones fidei sunt obscuræ et ænigmaticæ. Assimilamur puerulis qui de nece parentis tantum abest ut concipiant dolorem, quinimo lugubres cum gaudio suscipiunt vestes: at veniet aliquando tempus in quo suum cognoscent damnum, de ejusque magnitudine tristabuntur. Idem accidit peccatoribus: ignorantia et malitia quæ mentes eorum obscurant, impediunt ne damnum quod peccando incurrunt agnoscant; at post mortem aperient oculos, et ex pœna quam patientur colligent quantum perdidit bonum: et quemadmodum æger ex morbo quem sustinet colligit quam pretiosa sit sanitas, ita damnatus ex sua infelicitate colliget quam sint felices Beati qui Deo fruuntur: tunc anima libera ab ergastulo corporis, independens a sensibus in memoriam revocabit naturalem quam habuit de Deo cognitionem, Deus etiam imprimet ejus menti notitiam damni quod patitur, ut majori tormento crucietur.

Deus præcepit Moysi ut quosdam idololatrias suspenderet in ligno, facie ad solem versa. *Suspende eos contra solem in patibulis* (3), ut majorem perirent dolorem aspicientes pulchritudinem principis planetarum, quam moriendo perdituri erant. Dammati quoque ut acerbiori pœna puniantur, damni pœnam continuo considerabunt: talis jacturæ magnitudo menti eorum semper versabitur: hoc autem fiet tum naturæ instinctu; quo quis cum in grave damnum incidit, semper de eo cogitat, nec potest ab eo avertere mentem; tum maxime di-

(1) Tert. L. de Res. 37. — (2) Epist. 102

(1) Hom. 49. in Matth. — (2) D. Ambr. Serm. 24. n. Psal. 116. — (3) Num. 25.

vina virtute damnatorum mentem ad hoc applicante, et efficiente, ut assidue apprehendant, et considerent damnum quod fecerunt, ut inde mœrorem percipiant: tum quia notitia debet præcedere amorem qui auget pœnæ acerbitatem.

2. *Deus sicut æternus, ita et perfectus in omnibus.* (1) Infinita et æterna Dei perfectio est summo et æterno amore diligenda. Deus contulit animæ voluntatem et immortalitatem ut eum æternaliter amaret. Ut enim ratiocinatur Gregorius Nyssenus: « Cujusque naturæ ea vis est ut affinia, propria atque cognata trahat: propinquum autem quodammodo atque conjunctum Deo genus humanum est, quippe ferens in se imaginem principalis figuræ, necessarium est ut anima trahatur ad id quod divinum simul atque cognatum. » Quatuor habet Deus in ordine ad animam rationalem quæ eam ad illum naturaliter trahunt. Scilicet rationem principii efficientis, causæ finalis, objecti beatifici ac centri allicientis: 1. Deus ut principium efficiens, animam effecit ad sui imaginem et similitudinem, seu, ut habet hebræa lectio, *sui umbram*. Quemadmodum umbra inseparabiliter sequitur corpus, ita anima per amorem Deo adhæret; 2. Deus ut causa finalis, animam ad semetipsum ordinavit, non enim creata est propter terrenas divitias, delicias, dignitates: sed, ut ait D. Augustinus, *ut Deum cognosceret et amaret*. Siquidem finis animæ rationalis est nobilior ipsa, anima vero est dignior cunctis terrenis: quapropter *in Deum oculus mentis dirigatur tanquam in finem* (2); qui cum sit anima perfectior, eam valet perficere. 3. *Deum summum bonum credi necesse est* (3): ut autem docet D. Augustinus, *nemo beatus nisi summo bono*. (4) 4. Deus ut centrum, animam ad se allicit, velut *magnes attrahens ferrum* (5), ut in illo quiescat. Sub hac quadruplici consideratione, anima ad Deum naturaliter fertur: 1. Tanquam ad principium, tum quia similitudo est amoris fundamentum; tum quia effecta est amoris capax, ut suum diligeret auctorem: *Creatori diligendo ædificaverat hominem* (6); tum quia, ut ait D. Bernardus, *illum ratio urget et justitia naturalis; totum se tradere illi a quo se totum habet; et quem ex se toto debet diligere*. (7) 2. Naturaliter anima fertur in Deum, ut in finem ultimum, ut ab

illo suam mutuet perfectionem. *Duobus modis dicimus finem: vel quo fit ut non sit quod erat, vel quo fit ut perfectum sit quod imperfectum tamen erat.* (1) Anima autem naturaliter tendit ad Deum ut ad finem, non ut non sit et destruat, sed ut perficiatur: siquidem *Deus finis est perficiens, non interficiens*. (2) Anima naturaliter miseriam odit et beatitudinem diligit, et ita ad illam naturaliter fertur, *beate omnes vivere volumus* (3): et consequenter Deum ut summum et veræ beatitudinis objectum amat. *Nou facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem*. (4) Cætera omnia hominem possunt efficere miserum, solus Deus illi veram præstare potest beatitudinem: *Beatus est qui fruitur summo bono*. (5) 4. Anima naturaliter quietem exoptat, quam nequit reperire nisi in Deo: *hæc enim est requies cordis nostri, cum in Dei amore per desiderium figitur*. (6)

Quandiu sumus in hoc seculo, non probe sentimus quatuor illas inclinationes, quibus anima fertur in Deum, tanquam ad suæ naturæ principium, creationis finem, felicitatis objectum et quietis centrum; ab illo amore et impulsu naturali impedimur; tum quia anima incarceratur in corpore, cujus motus sequitur; tum quia dependet a sensibus, qui cum ad alia tendant objecta, a Deo animam divertunt; tum ob intellectus ignorantiam, qui probe non cognoscit Dei perfectionem: at in inferno nihil impediet naturalem animæ in Deum amorem. Non corpus, separata enim erit a corpore; non sensus, erit enim independens ab eorum operationibus; non alia objecta ad quæ tendat, ad solum Deum feretur; non ignorantia, ex magnitudine damni quod patietur cognoscet boni quod amiserit magnitudinem. Ideoque toto conatu in Deum fertur: etenim cum ejus motus sit naturalis et necessarius, tanto impetu rapitur quanta virtute prædata est, quæ tota quanta est tendet ad suum principium, finem, beatitudinis objectum et centrum.

Vide quanto impetu ignis ascendat sursum, lapis tendat deorsum, fluvius rapidus in mare rapiatur; major absque ulla comparatione est impetus quo anima separata naturaliter fertur in Deum. Sagitta nervo emissa, celeri penna alite, velocius per aera volat. Ingens saxum ex alto decidens, quanto impetu fertur ad centrum; globus tormento bellico excussus, quanta velocitate jactatur?

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 24. — (2) D. Aug. in Psal. 74. — (3) Tert. L. adv. Hermog. 11. — (4) L. 2. de Lib. Arb. 9. — (5) Tert. Lib. adv. Hermog. 44. — (6) Tert. Lib. 4. adv. Marc. 25. — (7) Tract. de dilig. Deo.

(1) D. Aug. in Psal. 30. — (2) D. Aug. Tract. 55. in Joan. — (3) D. Aug. lib. de Mor. Eccles. c. 5. — (4) D. Aug. Ep. 51. ad Maced. — (5) D. Aug. lib. 3. de Lib. Arb. c. 9. — (6) D. Aug. lib. de Spir. et A. 14.

his autem si quis validum obicem in medio cursu objecerit, nonne sagittam confringi, lapidem comminui, glandem contundi, necesse est? His omnibus inanimatis longe major est in anima impetus, quo in Deum suum rapitur; quem ubi sibi eripi videt, non potest non gravissime cruciari. Ejus dolor amori ejus commensuratur; quia, ut ait D. Hieronymus, est *tantus dolor in amittente, quantus amor in possidente*. Amor Beatorum qui Deum possident est summus. Dei amor Beatorum in cœlo parit lætitiā; Dei amor in inferno damnatorum parturit tristitiā. Reprobi damnati sunt eo quod non amaverint Deum, damnati cruciantur quia Deum amant. Deus est summe amabilis, animæ damnatæ amore naturali vehementer Deum amant; ab illo tamen objecto summe amabili et summe amato, in æternum separabuntur: *Qui exsulant, in doloribus corporis non sunt, nec torquentur, nec carceris tenebris affliguntur, hæc illis sola pœna est, non esse in patria; magna est pœna.* (1) Inde colligendum est quanta sit animæ damnatæ pœna, quæ cœlestem patriam summe amans nunquam erit in patria. Dolor a divisione seu separatione producitur, et quo strictior est unio, eo acerbior est separatio: animæ autem damnatæ perpetuo a suo principio, fine, centro et felicitatis objecto separabuntur: sicque separatæ arescent velut ramus separatus ab arbore; continuo morientur sicut piscis extra aquam existens; absque ulla quiete agitabuntur sicut ignis extra suam sphæram; acerrimum sentient dolorem sicut os dum est extra locum, et summa afficientur mœstitia ob damnatum boni summi summeque amati.

In anima damnata duplex est amor: naturalis unus, alius liber. Amore innato Deum amat, amore libero Deum odit; amore innato ad Deum convertitur, amore libero a Deo avertitur: Deum sub duplici respectu conspicit: primo, ut summum bonum summe amabile, et sub hoc respectu Deum naturaliter amat. Secundo, ut judicem severum qui eam condemnavit et cruciat, et sub hoc respectu illum libere aversatur; et quemadmodum beati sunt sicut Angeli voluntatem habentes inflexibilem in Dei amore, ita damnati tanquam dæmones voluntatem habent inflexibilem in odio Dei. Beati Deum necessario et immutabiliter diligunt, damnati Deum necessario et immutabiliter aversantur: in quibus est amor necessarius et odium necessarium; amor necessarius a naturæ impetu habetur, odium vero necessarium oritur a vo-

luntatis perversitate, et ita ad instar Titii seu Promethei cor eorum dilaceratur odio, amore et adhuc desiderio amissi boni.

3. Deus est *plane desiderandus* (1), et quo magis est desiderandus, eo magis ejus desiderium torquebit animas damnatas. Quo quis majori ardore aliquod amat objectum, eo vehementiori desiderio illius possessionem exoptat: *Quis volet quod non concupiscet?* (2) et dum honore desiderato privatur, gravi dolore affligitur, quem spes possidendi augescit. Nam, ut fatur Gilbertus Abbas, *nemo eo quod ardentem quærit, non anxie caret; tantoque cumulatione angustia, si vicina spe jam quoque apprehensura fraudatur.* (3) Christianorum desiderium duplici innitebatur fundamento: uno ex parte Dei, altero ex sua parte desumpto. A Deo acciperant fidem, spem, charitatem, sacramenta, gratiam, Christi sanguinem, tanquam salutis media, quæ illorum accendebant desiderium; ex parte sua habebant virtutes quibus vacarant, bona opera quæ operati fuerant, quæ eos cœlo dignos effecerant: peccando tamen cuncta illa salutis media inutilia reddiderunt, salutis fundamenta everterunt; se beatitudine indignos præstiterunt, ideoque fraudatum desiderium miseros damnatos acerbissime affligit. *In hominis corde qui non desiderabat regnum cœlorum, pœna est de perversitate. Si autem desiderabat, pœna est de fraudata charitate.* (4)

Passiones animæ sunt in duplici differentia: quædam tendunt ad bonum, aliæ ad malum respiciunt. Amor et gaudium, spes et desiderium ad bonum tendunt; timor, odium, fuga, tristitia, malum respiciunt. Passiones quæ malum respiciunt, semper illud fugient, et nunquam vitare poterunt. Deus iratus semper damnatos prosequetur, nec unquam ejus iram evadent, et ita tristitia inconsolabili afficientur. Passiones quæ ad bonum tendunt, nullum eis afferent levamen, quia semper quærent bonum, et nunquam invenient; ardentem Deum possidere desiderabunt, et Deo in æternum privabuntur. Et quia nullo solatio unquam erit *id desiderium temperandum* (5), rabie et desperatione semper agitabuntur.

Hæc veritas Tantali fabula elucidatur. Tantalum fingunt poetæ immersum in aquis usque ad labia neque valentem haurire aquam; qua ardentem qua æstuabat exstingueret sitim; sed ne fictitia et profana cum indubitatis et sacris misceantur, Evangelium prodivitem epulonem ardentissima siti laborau-

(1) D. Aug. Serm. 148. de Verb. Apost.

(1) Tert. L. de Pat. 9. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (3) In. c. 5. Cant. — (4) D. Aug. Serm. 14. de Verb. Apost. — (5) Tert. L. de Pat. 9.

tem, qui ut Lazarum in sinu Abrahamæ conspexit, illico clamat: « Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti in aqua. » Acute animadvertit Chrysologus: rogat dives Lazarum *ut intingat in aqua, non ut deferat aquam* (1); petit linguam refrigerari, non tamen petit aquam afferri: *Ergo juxta est aqua, et si juxta te est, quare de proximo non sumis? Quare? quia vincitæ sunt manus.* Vehementer sitit epulo, juxta se habet aquam, ardorem tamen sitis temperare non potest, quia ligatæ sunt manus, nec possunt aquam haurire: aquæ præsentia ad nihil aliud valet quam ad ejus sufflammandum desiderium: ardens autem desiderium pœnam efficit graviolem. Rutilia Cottam *filium secuta est in exsilium, malens exsilium pati, quam desiderium.* (2) Si Rutilia exsilium prætulit desiderio, absentiam filii exsilio multo acerbiolem existimans, quanta est damnatorum pœna, Deum semper *desiderare, in mente habere* (3), nec unquam possidere?

Deus nuncupatur a Salviano *magnes cordium*, quia sua pulchritudine illa allicit, et velut ad se trahit. Si, ut fatur Tertullianus, *decor solummodo apparens vulnerat animam* (4), quale, quæso, est vulnus animæ damnatæ non apparenti, sed vero, sed infinito Dei decore sauciatæ? Recogita, Christiane, ex una parte, Deum suo decore summe allicientem, et ex altera parte, animam a divina pulchritudine summe allectam, nec valentem, *quod magnes ferro* (5), uniri objecto illi summe pulchro et desiderabili; et judica quale tormentum ex ejusmodi separatione patitur. Deus est summe desiderabilis, quia est summe bonum: omne bonum in seipso; quia cuncta in universum bona continet; omne bonum beatis, quorum desideria replet: at summum illud bonum quod Beatorum plene satiat desideria, nullam unquam dulcedinis umbram largietur animæ damnatæ, divinæ bonitatis desiderio sufflammata: et ut belle ait Marsilius Ficinus, *omne bonum non est illi bonum.*

In magnete sunt duæ qualitates, quæ videntur contrariæ prout diversimode applicatur magnes. Ex una parte, attrahit ferrum; ex altera repellit: Deus ut magnes cordis hinc illa virtute velut potitur: siquidem ad se attrahit beatos, eorumque desideria replet: a se vero propulsat reprobos, eorum desideria vacua et egena relinquens: imo in ordine ad damnatos duplicem illam magnetis exercet virtutem: nam illos simul allicit

et repellit: sua pulchritudine et bonitate allicit, in eorum cordibus ardens unionis ingenerans desiderium, sua justitia, indignatione et severitate repellit, in æternum vehemens desiderium possessione privans. Itaque anima damnata a Deo duplici movetur motu: attractionis scilicet et rejectionis. Motus rejectionis motum attractionis superat, miseramque illam animam acerrime cruciat, illam tum a Deo, tum a semetipsa dividens, appetitum ejus liberum appetitui naturali opponens; instinctu innato ad Deum inclinans; voluntatis perversitate a Deo separans, et ex illa appetitus naturalis et liberi oppositione et contrarietate tolerans pœnam acerbissimam et æquissimam.

III. PARS. Dum reprobi a Christo (1) supremo iudice nuncupantur maledicti; *in sua nominatione damnantur* (2), ait Tertullianus: ideo maledicti, quia tanquam rei et peccatores condemnantur et puniuntur. Acerbius est autem pati ut criminosus quam ut innocuus: tum quia innocens exterius patitur, interius consolatur ob bonum conscientiæ suæ testimonium; reus vero torquetur exterius in corpore, et interius cruciatur in anima, secum vivum infernum deferens: tum quia acerbius affligit pœna quam cruciatus: homo innocens cruciatur, reus luit pœnam; innoxius patitur, noxius castigatur; pati naturæ est, puniri culpæ; plus autem excruciat culpa damnata quam molestia tolerata: tum quia innocens nec se, nec dolores aversatur. Non dolores, quibus utitur velut instrumentis pietatis, et mediis comparandæ felicitatis; non se, quia absque culpa sustinet tormentum. Reprobis vero a Deo damnatus, et se et pœnam odit. Pœnam, quia ad hanc condemnatus est; seipsum, quia sua culpa illam pœnam meruit. Pœnam damni justissime patitur a Deo *irato et offenso, et exsecutore delicti, id est, iudice.* (3) Peccator est triplicis criminis reus: 1. Animadversionis Dei; 2. Separationis a Deo; 3. Dissipationis honorum Dei: merito igitur pœnam damni sustinet, qua 1. A Deo aversatur; 2. A Deo separatur; 3. Bonis cæli privatur.

1. *Odium injustum* (4) est illud quo homo Deum odit, Deus est infinite amabilis: Ratio et fides, hominem docent se naturam rationalem mutuatum, christianam religionem professum, ut Deum toto corde diligeret; homo tamen criminosus contra rationis lumen, fidei eruditionem, Deo multis titu-

(1) Serm. 122. — (2) Senec. ad Helvid. c. 16. — (3) Tert. L. 2. ad Uxor. 4. — (4) Tert. L. adv. Hermog. 44. — (5) Tert. ibid.

(1) Matth. 25. — (2) Tert. L. de Præsc. Hæret. 54. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (4) Tert. L. de Spect. 16.

lis debitum denegat amorem, et quod est horribile dictu, quoties peccat mortaliter, toties Deum aversatur: nam Dei odium in lethali peccato involvitur; quo nihil iniquius: odium filii in parentem benignum, iniquum est; at iniquissimum odium hominis in Deum infinite perfectum, quem gratis et absque ulla ratione aversatur, ut ipsemet conqueritur Deus: « Odio oderunt me gratis. » Ut autem expendit D. Augustinus, *gratis odit qui nullum ex odio commodum querit, vel incommodum fugit. Sic oderunt Deum impii* (1), qui odiendo et Deum amittunt amorem, qui diligentes se diligit, et insuper Dei incurrunt animadversionem, qui *iniquitatem justissime odit.* (2) *Hæc odii justitia defenditur* (3) qua sui osores prosequitur Deus. *Altissimus odio habet peccatores,* ait Ecclesiasticus (4); et ut satur adluce idem auctor, *odio est Deo impius et impietas ejus.* (5) Ejusmodi odium adeo est justitiæ et æquitati conforme, ut in eo rationis et religionis summam constituat Lactantius: *In eo est summa ratio, et ordo religionis.* (6) Nec mirum, *si omnem malignitatem, Deus exactor innocentia odit.* (7)

Sylla (8) dicere solebat neminem sibi fuisse unquam comparandum, neque in amore, neque in odio, neque in liberalitate qua in amicos bona largiter diffundebat; neque in severitate, qua de inimicis sumebat vindictam. At cum Deus cunctos reges et imperatores infinite superet, tum in potentia, tum in potestate, longe majori amore et odio, suos amicos et inimicos prosequitur: illis majora absque comparatione largitur bona, istis graviora infligit supplicia. Suum amorem ostentat in terra et in cælo: in terra justos gratis et beneficiis opulenter ditat; in cælo Beatos gloria immarcessibili coronat. Suum etiam demonstrat odium erga peccatores in terra commorantes, et damnatos in inferno existentes. Illos flagellis verberat, istos pœna interminabili cruciat; illos castigat tanquam pater, ut corrigantur; istos cruciat tanquam judex, ut in æternum puniantur. Flagella quibus in hoc mundo castigat peccatores ad conversionem, ab ejus oriuntur amore: cruciatus quibus reprobos ad pœnam punit in inferno, ab ejus proficiscuntur odio. *Plaga inimici percussit te.* (9) Quid illo infelicis qui in hoc mundo ab aliis hominibus velut hostis publicus aversatur? At omnium infelicissimus damnatus, quem

Deus ut infensissimum inimicum odit. Horribiliter in Ægypto aquæ conversæ sunt in sanguinem: at longe horribilior mutatio quæ suis criminibus divinum amorem in odium mutavit damnatus.

Magnum est discrimen inter amorem quo Deus hominem diligit, et odium quo aversatur damnatum. 1. Deus prius hominem diligit quam ab homine diligatur: damnatus prius odivit Deum quam illum Deus odio prosequatur. 2. Dei amor in hominem est liber, potestque Deus ab illo cessare; Dei odium in damnatum est necessarium, neque unquam ab illo Deus desistere potest, quia cum Deus sit essentialis sanctitas et bonitas, non potest non odisse peccati malitiam et culpam. Quemadmodum calor in summo cum frigore compati nequit, sed frigus necessario expellit, ita summa bonitas necessitate naturæ odit peccatum, quod est verum malum. 3. Dei amor finite amat hominem, quia libere et secundum ordinem suæ sapientiæ amat; Dei odium infinite aversatur damnatum, quia cum Deus necessitate naturæ illum persequatur, se toto illum odit: inde sequitur quod sicut amor Dei est summa Sanctorum beatitudo, ita Dei odium est summa damnatorum miseria. Beati Deum æternaliter amant, et amantur a Deo; damnati in æternum Deum aversantur, et vicissim Deus odit damnatos, tanquam *inimicus sempiternus.* (1) Beati Deo inseparabiliter unimur, damnati perpetuo a Deo separabuntur.

2. Siquidem reprobis *judicatur abjiciendus, et utique judicio damnationis.* (2) Peccator suis sceleribus recedit a Deo: nam, ut satur Propheta Evangelicus alloquens scelerosos, *iniquitates vestrae dividerunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem suam a vobis.* (3) Duo dicit Vates: unum, quod iniquitates dividerunt inter criminosos et Deum; aliud, quod peccata absconderunt damnatis Dei faciem. Inde de reprobo loquens concludit Tertullianus: *Ergo salutis in detrimentum abjicietur* (4), quo nihil justius. Nam si civis patriæ traditor, merito exsulat a patria; si servus infidelis juste a domini ejicitur domo; si filius patri ingratus et rebellis benigno parentis privatur aspectu: annon ex æquitate Deus faciem suam abscondit damnato, qui est servus infidelis erga supremum suum Dominum, filius ingratus erga celestem Pa-

(1) Tract. 91. in Joan. — (2) Tert. Apol. 1. — (3) Tert. ibid. — (4) Cap. 12. — (5) Cap. 14. — (6) L. de Ira. Dei c. 1. — (7) Tert. L. de Spect. 2. — (8) Plutarc. in Syll. — (9) Jerem. 30.

(1) Ezech. 55. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (3) Cap. 59. — (4) Tert. ibid.

trem, et proditor qui recessit a Deo, ut diabolo manciparetur?

Sciscitatur D. Augustinus an Deus deserat peccatorem antequam peccator deserat Deum, et concludit nunquam Deum derelinquere hominem, antequam homo sua perversitate Deum derelinquat. *Nec malam facit voluntatem nisi defectio qua deseritur.* (1) Quod ex ipsa natura ipsius peccati dignoscitur, quod nihil aliud est quam aversio ab incommutabili bono, et inordinata conversio ad bonum commutabile. Quod innuit ipsemet Deus criminosos duplici feriens maledictione: *Væ eis cum recesserint a me! væ cum recessero ab eis!* (2) Prius recedunt a Deo quam Deus ab eis, et Dei recessus est pœna, qua juste puniuntur peccatores, eo quod a Deo recesserint.

Falso multiplicarunt deos gentiles. *Cum humana mediocritas facilius deos fugere sibi norit, secundum totius ævi experimenta, quam verum sectari quem natura jam intelligunt.* (3) Ejusmodi autem erronea deorum multiplicitas ex duplici proficiscebatur principio, ut animadvertit D. Augustinus: vero uno, falso altero. Vero, quia agnoscebant nullam creaturam absque Dei concursu habere naturam, vitam, motum et operationem; falso, quia credentes Deum finitum et limitatum, non existimabant unum sufficere posse ad mundum regendum, in cunctis locis existendum, et omnibus humanæ naturæ casibus et indigentis subveniendum: ideo deos tanto excessu multiplicabant, cunctis in locis admittebant, et omnibus et singulis addicebant negotiis: non solum in templis et locis publicis deos venerabantur, non solum in domibus colebant penates deosque domesticos, sed adhuc unusquisque parvulos secum deferebat deos, milites in baltheis, mulieres inter ubera, alii supra vestes ad modum quo Sanctorum reliquias ex devotione deferunt Christiani. Et quia ex deorum præsentia sibi bonum et prosperitatem provenire censebant, sicut ex eorum absentia, malum et adversitatem, deorum alligabant statuas ne discederent. Sic alligarunt Jovem Lacedæmonii, et Apollinem Tyrii, ne transiret ad castra Alexandri Macedonis. Illa Gentilium erga suos deos veneratio et sollicitudo Christianorum arguit negligentiam et impietatem. Gentiles colunt religiose suos deos, et Christiani Deum insolenter contempnunt. Gentiles deorum suorum præsentiam sollicite curant, a qua diffluere credunt omne bonum, sicut omne malum ex

eorum absentia: Christiani a Deo recedunt quasi ejus præsentia sit infausta, absentia vero felix. Qualis cæcitas! sed quanta perversitas! Derelinquere infinitum honorum pelagus, et malorum consequi summam, quæ Dei consequitur separationem. *Væ eis cum recesserint a me! væ cum recessero ab eis!* Maledicti sunt quia a Deo recedunt; maledicti sunt, quia Deus recedit ab eis. Magna est quidem maledictio peccatoris a Deo recedentis, sed multo major maledictio qua Deus a peccatore recedit. Peccator sua malitia recedit a Deo, Deus sua justitia recedit a peccatore, quem merito punit et beatitudine privat.

3. *Judæi retro penes Deum fuerunt, dehinc ejecti ob delicta, extra Deum esse ceperunt.*

(1) Ut ingratos Deus puniat Judæos, minatur se eos derelicturum, velut maximum indignationis suæ monumentum. *Et irascetur furor meus in die illa, et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo.* (2) Merito hac pœna punitus fuit Israël eo quod Deum prior dereliquerit: *Derelicta est filia Sion tanquam specula in vinea, vel in cucumerario casula: ex quo scilicet Israël Dominum non cognovit, et populus eum non intellexit, sed dereliquit magis, et ad indignationem provocavit sanctum Israël.* (3) Ex quo Deus ingratum Israël dereliquit, invenerunt eum omnia mala et afflictiones: privati namque sunt Judæi patria, regno, civitate, templo: *Facta est terra eorum deserta, civitates eorum exustæ igni, regionem eorum sub ipsorum conspectu extranei devorant.* (4) Neque solum tempore Vespasiani et Titi illa passi sunt Judæi, eo quod Deum dereliquerint, sed etiam nunc eos divina prosequitur indignatio. Etenim *dispersi, palabundi, et cæli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam, saltem vestigio, salutare conceditur.* (5) Hæc pœna quam juste tolerant Judæi est idea damni, quod patiuntur in inferno reprobis, qui eo quod recesserint a Deo, a Deo derelicti sunt, Deo autem illos derelinquente et abjiciente, cœlesti beatitudine æternaliter privati sunt. Ut enim humana justitia cuncta rei quem morti damnavit confiscat bona, eum cunctis privat, et inhabilem ad quidquam comparandum reddit: ita Deus reprobis condemnans, irrevocabili sententia eum excludit a cœlesti beatitudine, et a cunctis bonis quæ illam sequuntur, abjicit. *Et quid erit abjici, nisi*

(1) Lib. 11. Civ. 9. — (2) Osee. 9. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 16.

(1) Tert. L. de Præsc. Hæret. 8. — (2) Deut. 31. — (3) Tert. L. adv. Jud. 13. — (4) Tert. L. 3. adv. Marc. 23. — (5) Tert. Apol. 21.

amittere quod erat consecutus, si non abjiceretur, id est, salutem? (1) Christianus non fuisset a Deo abjectus si Deum non dereliquisset; si autem Deum non dereliquisset neque a Deo abjectus, salutem fuisset consecutus: quia Deus illum ad imaginem suam formaverat, ut cœlesti frueretur felicitate. *Summa voluntatis ejus, salus eorum quos adoptavit.* (2) In baptismo autem Deus Christianum adoptavit in filium. Christus humanatus est, ut homini mereretur media quibus homo [posset consequi salutem; ad hoc natus est in stabulo, ad hoc prædicavit, Ecclesiam fundavit, sacramenta instituit, ad hoc in cruce mortuus est. *Horum bonorum unus est titulus, salus hominis.* (3) Ad hoc Spiritus Sanctus in igneis linguis apparuit, innumerasque largitus est gratias: quia *nihil tam dignum Deo quam salus hominis.* (4) Itaque Christianus si non reliquisset Deum, fuisset salutem consecutus: ad hanc divina imagine donatus, ad hanc divina providentia ordinatus, ad hanc sacro caractere insignitus; ad hujus spem Christi sanguine et gratia Spiritus Sancti evector; suis tamen criminibus Deum derelinquens, a Deo abjectus est, et jure beatitudinis privatus: non secus ac impius filius in patrem, paterna quam sperabat hæreditate frustratur.

Illud autem beatitudinis damnum quod patitur reprobus, eo acerbius 1. Quo majus est bonum quod perdit; 2. Quo majus est jus, quod ad illud bonum habuit; 3. Quo magis in ejus dispositione fuit talis boni possessio; 4. Quo vilis est id pro quo sua culpa tantum perdidit bonum. Hæc omnia reprobo revocat in memoriam Jeremias Propheta: *Scito et vide, quia malum et amarum est, reliquiste te Dominum Deum tuum.* (5) Porro hæc poena tanta est, 1. Quanta res est Deus, quanta est æterna ejus possessio; tanto acerbior, quanto majus fuit jus quod ad illam habuit miser damnatus; 2. Quantum patitur tormentum unigenitus regis qui suo crimine despoliatur regno, ad quod jus conferebat regia nativitas? Quo magis regnum cœleste cuncta terrena superat regna, tanto majus patitur tormentum damnatus, qui in baptismo de Deo natus fuerat et tanquam Dei filius jus ad cœlestem hæreditatem adeptus. Quam 3. Consequi potuit habens ad nutum Spiritus Sancti gratias, Christi sanguinem in sacramentis contentum, multaque alia quæ contempsit salutis media; et 4.

(1) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (2) Tert. L. de Orat. 4. — (3) Tert. L. de Pœn. 2. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 27. — (5) Cap. 2.

Immarcescibilem cœli hæreditatem pro nihilo perdidit.

Quali, quæso, tristitia miser afficietur damnatus, sese considerans cunctis denudatum donis, quæ illi jus ad cœlum conferebant? Nihil illi remanebit præter impressam Dei imaginem, et indelebilem baptismi characterem, quæ semper conservabit ut acrius torqueatur, conspiciens titulos quibus innitebatur jus quod habebat ad cœleste regnum, quod suis criminibus perdidit. Hæc attente considerans, acerbissime cruciabitur; tum de Deo perditio, tum de Deo culpa sua amisso; tum pro nihilo amisso. O infelix ego, exclamabit præ summa tristitia reprobus, justissimo Dei judicio, cœlum pro terra amisi; pro divitiis perituris cœlestibus depauperor thesauris; pro volatica carnis voluptate, ab Angelorum exsulo societate; pro vanis sceleribus ab empyreo propulsor; pro creatura amisi Creatorem, et pro peccato unius momenti, bonum infinitum et in æternum possidendum perdidit, vana reddens salutis media, et quæ mihi præstiterat Deus, et quæ ego bonis operibus vacando comparaveram!

Ergo in vanum creatus sum ad Dei imaginem, dicet miser ille præscitus, divina illa similitudo nunquam Dei alliciet amorem, sed semper ejus sufflammabit indignationem; in vanum anima mea recepit potentias Dei capaces, nunquam earum desideria satiabuntur, sed semper egena et mendica remanebunt; in vanum pro me mortuus est Christus, ejus passio de mea ingratitude exposcet vindictam; in vanum fidei virtutibus illustratus sum, christiana religio quam professus sum, commissa mihi exprobat crimina; in vanum toties accessi ad sacramenta, quæ me de profanatione et sacrilegio convincent; in vanum tot suscepti gratias, cum ex illis nullum fructum fuerim consecutus; in vanum tot habui salutis media, cum nec minimum mihi modo suppetat.

Miser ille sese conspiciens omni spe salutis privatum, desperatione et rabie agitabitur, perpetuaque jaculabit maledicta in Dei potentiam, quæ eum de nihilo produxit; in Dei sapientiam, quæ criminum suorum gravitatem agnovit; in Dei bonitatem, quæ ei nullum malorum præbet solatium; in Dei providentiam, quæ ad peccati et peccatoris pœnam produxit infernum; in Dei justitiam, quæ eum adeo graviter cruciat; in Christi sanguinem, qui tot aliis fuit efficax, sibi que nihil prodest; in semetipsum, quod suis sceleribus cœli perdidit bona et inferni patiatur supplicia.

Infamis voluptas, dicet adhuc, tu mihi æternum dulcedinis eripuisti torrentem, et in immensum dolorum immersisti pelagus! Crudelis ambitio, tu cœli mihi claudis januam, et detines alligatum in teterrimo inferni carcere! Infaustæ divitiæ, quæ mihi cœlestes furamini gazas! Horrendum peccatum, quod es damni quod patior origo! Vale, æterna paradisi gloria, quam pro fumo vanitatis perdidisti! Vale, ineffabile cœli delectamentum, quod pro ignominiosa amisi voluptate! vale, amplissima empirei beatitudo, quam pro terræ puncto reliqui! valete, Angeli, vestrum contempsi cœlum, ut dæmonum consociarer pœnis! vale, cœlum, vale terra! cogor a vobis separari, ut æternum in inferno boni patiar damnum, et omnium malorum genere crucier. *Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt* (1), qui persæpe pro uno duntaxat lethali peccato damnati sunt. Non solum deicidia, aut homicidia, aut latrocinia publica, aut alia ejusmodi crimina Deo privant. Superbia Luciferum ad tartara detrudit; divitem pauperis Lazari repulsa; Saûlem inobedientia; Esau invidia, alios luxuria, vindicta, gula, vel aliquod aliud mortale peccatum.

Belle ad propositum ait D. Chrysostomus (2) quod ex omnibus bonis quæ in hac vita valet habere homo, majus est non peccare, et ex cunctis malis quæ in hoc seculo tolerare potest homo, deterius est peccare. Qui sine peccato vivit, est apte ad Dei visionem dispositus; qui in peccato vivit, damni pœnam incurrit. Christiane, fuge peccatum, quod parturit damnationem et Dei possessione privat; odi peccatum, quod est infensissimus tuus inimicus, summum tibi asserens damnum. Hoc odium debes et Deo et tibi: Deo, cui solum opponitur et contrariatur peccatum; tibi, ut assequaris gloriam ad quam creatus es, felicitatem ob quam Christianus factus es, et in cœlo Deum possideas in æternum.

•••••

CONCIO SEXTA.

Sic et Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat, modicum quidem contempibilem pronuntiando, magnum vero, non diuturnum. (3) Explicata tamen non est facile an in tormentis doloris acerbitas sit intolerabilior eorum duratione. Acerbitas est

brevior: homo magnanimis illam constanter tolerat, sperans quod cito pertransiet; duratio est quidem facilior, sed longius durat et majori tædio afficit: plerique homines facilius acutum et brevem dolorem quam lentum et longum susinent. Quod probe scientes tyranni lentum, sed longum inferebant martyribus tormentum, ut majus paterentur incommodum longius tolerantibus martyrium. Hoc agnoscit D. Augustinus inter hujusce vitæ et futuræ cruciatu discrimen, quod in hac vita aut natura vincit dolorem aut dolor naturam. Si natura dolorem superat, tollitur doloris sensus; si vero dolor vincit naturam, patiens cito moritur, et brevis est dolor. In damnatis nec natura vincit dolorem, nec dolor naturam superat, sed acerrimus dolor semper naturam cruciat. *Hic quando contingit ille conflictus, aut dolor vincit, et sensum mors adimit; aut natura perdurans vincit, et dolorem sanitas tollit; ibi autem et dolor manet ut affligat, et natura perdurat ut sentiat, quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat.* (1) Deus, qui sua omnipotentia unit in inferno vitam et mortem, odium et amorem, timorem et dolorem, unit quoque doloris acerbitatem cum ejus duratione ut reprobi gravissimum simul et æternum patiantur tormentum. Nam, ut fatur Magnus Gregorius, *hæc supplicia in se demersos et ultra vires cruciant, et in eis vitæ subsidium extinguendo servant, ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus vivat.* Gravissimi autem illius sempiternique supplicii, quo Deus in inferno punit damnatos, nunc examinanda est 1. Justitia et æquitas; 2. Duratio et infinitas; 3. Fructus et utilitas.

I. PARS. *Enimvero nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternum ab eo pœnam providemus, pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni eum timentes.* (2) Hæc pœnarum inferni æternitas a trino hominum impugnatore genere. Primi sunt athæi, qui in corde suo Deum negantes, animæ tollunt immortalitatem. Verum, ut acute ratiocinatur Tertullianus animam alloquens, *cur in totum times mortem, si nihil est tibi timendum post mortem, quia nec experiendum post mortem?* (3) Et enim in vanum times mortem, si nihil passionis est tibi post mortem, si nulla sensus perseverantia, si denique nihil es ipsa, ubi corpus reliquisti. Secundi sunt Millennarii, sic nuncupati, quia existimant tum dæ-

(1) Sap. 5. — (2) Hom. 14. in Matth. — (3) Tert. Apol. 45.

(1) Lib. 19. Civ. 28. — (2) Tert. Apol. 45. — (3) Tert. L. de Test. Ap. 4.

mones, tum homines damnatos post mille pœnarum inferni annos fore ab eis liberandos, et in cœlo cum Angelis et animabus sanctis beandos. Horum antesignanus videtur Origenes, qui, ut refert Guillelmus, Parisiensis Antistes, voluit omnes damnatos tam dæmones quam homines aliquando a pœnis liberandos, et bonis sociandos esse. (1) Tertii, vel ficta misericordia, vel potius vera temeritate moti, clamitant æternam inferni pœnam esse contrariam, tum divinæ misericordiæ, tum divinæ justitiæ: divinæ misericordiæ, ut ob momentaneam delectationem sola cogitatione conceptam, hominem miserum æternaliter puniat; divinæ etiam justitiæ, ut culpa brevi tempore commissa æternis puniatur tormentis. Quibus omnibus satis est dicere: Aut quæ in sacris paginis continentur sunt vera, vel falsa. Si falsa, mentitus est Deus qui ea revelavit: arguere autem Deum de mendacio est Deum de medio tollere, quia repugnat ut Deus, qui est essentialis veritas, mentiatur: *Unum tamen veritus est, mentiri. Veritus autem semetipsum et suam veritatem.* (2) Si vera, certe credenda tanquam a vero Deo revelata: *Et ideo veracem Deum credens, scio illum non aliter quam disposuit pronuntiasset; nec aliter disposuisse quam pronuntiavit.* (3) In Scriptura autem sacra pronuntiat Deus reprobos pœna æterna mulcandos. De quibus Apostolus: *Dabunt pœnas in interitu sempiternas.* (4) Quos ipsemet Christus in die iudicii abiciet a semetipso, et mancipabit æterno igni. (5) Taceo innumera alia sacræ Scripturæ loca, ut concludam æternas damnatorum pœnas esse de fide certas, quia Deus verax illas pronuntiavit, nec aliter quam disposuit pronuntiavit. Verum, ut nulla sit dubitandi difficultas, indubitata illa et christiana veritas trina ratione confirmatur: scilicet 1. Gravitate offensæ; 2. Iniquitate culpæ; 3. Institutione divinæ justitiæ.

1. *Sequens ævi pars quam expectamus in infinitam æternitatem propagatur.* (6) Hac autem infinita pœnæ æternitate puniuntur in inferno reprobi, quantumvis injusta ab impiis vindicetur. *Quidam eorum contra quos disputamus, Deum injustum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur æterna.* (7) Culpa debet commensurari pœnæ, fuiti autem ad infinitum nulla est proportio; quod non æterno peccato commis-

sum est, æterno non debet cruciari tormento, neque sine fine puniendi culpa cum fine. Verum pœna non semper commensuratur tempori quo duravit culpa, *quasi ullius id unquam justitia legis attendat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admisit.* (1) Inhumana justitia, latrocinium, homicidium, sacrilegium, quod parvo tempore committitur, perpetua velut pœna punitur: *Octo genera pœnarum in legibus scribit esse Tullius, damnnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, servitutem, mortem: quid horum est quod in breve tempus pro cuiusque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, nisi forte talio; id enim agit, ut hoc patiat quisque quod fecit?* (2) Hæ omnes pœnæ, talione excepto, sunt criminibus multo longiores: imo quodammodo æternæ videntur, ut patet in scelerosis quibus amputatur auris, vel imprimitur regium stigma. Si in æternum viverent, in æternum essent aure privati, et stigmati deustulati. Qui etiam perpetuo exsulant a patria, vel triremibus ad centum annos damnantur, vel suspendio necantur, si eorum esset æterna vita, æterna cruciarentur pœna: nam in æternum exsularent, triremibus manciparentur, æterna vita privarentur: itaque in pœna infligenda, non attenditur tempus quo commissum fuit crimen, sed malitia qua toxicatur crimen. Deus autem reprobos æterna pœna crucians, non est injustus, sed summe justus, quia pœnam culpæ commensurat: *Nunquam esset illorum æterna miseria, nisi esset magna malitia.* (3) Peccati mortalis malitia est quodammodo infinita: unde ut æquo puniatur debet pœnam sustinere infinitam vel in intensione, vel in extensione. Homo cujus natura finita et limitata est, nequit ferre pœnam intensive infinitam: ergo debet pati tormentum extensive infinitum et ita æternum.

Sex malitiæ infinitates in peccato mortali deprehendo: 1. Desumitur ex infinita Dei offensa majestate, quia tanto offensa est gravior, quanto dignior est ille qui offenditur: major est offensa nobili quam plebeio facta; major facta Marchioni quam Nobili; major adhuc facta Principi de stirpe regia quam Marchioni; longe major facta Regi quam Principi; et cum Deus infinitæ sit majestatis, infinita est malitia peccatoris in cunctis Deum offendentis et infinite a divina majestate distantis. Ita 2. Malitiæ infinitas

(1) Serm. 1. post. Dom. 1. Quadrag. — (2) Tert. L. adv. Prax. 11. — (3) Tert. ibid. — (4) 2. Thess. 2. — (5) Matth. 25. — (6) Tert. Apol. 48. — (7) D. Aug. lib. 21. Civ. 11.

(1) D. Aug. lib. 21. Civ. 11. — (2) D. Aug. ibid. — (3) D. Aug. lib. 9. Civ. 13.

desumitur ex qualitate offendentis, qui est homo ex nihilo productus, per peccatum ad nihilum redactus, cuncta quæ habet a Deo mutuatus, necessario a Deo dependens, ejusque dominio de jure mancipatus; homo tamen criminis Deo subditus ab ejus imperio dependens, tot beneficiis obligatus, ex sua natura et peccato nihilum redolens, et a Deo infinito et summo bono infinite distans, Deum temerarie offendit, ejusque majestatem insolenter contemnit. Peccatum etenim est inobedientia servi erga suum dominum; ingratitude obligati erga benefactorem, perfidia amici erga amicum, rebellio vassali erga regem, impietas filii erga parentem, offensa hominis de nihilo producti erga Creatorem, Deo qui creaturam præponit. Inde desumitur 3. Malitiæ peccati infinitas. Eadem distantia quæ est inter ens et non ens, reperitur inter creaturam et Creatorem. At inter ens et non ens est distantia infinita, et ob hanc causam nulla creatura aliquid potest creare: quia ut quis valeat superare distantiam illam infinitam quæ est inter nihilum et ens, debet pollere potentia infinita; nulla autem creatura potentiam habet infinitam. Peccator tamen creaturam præponit enti, nihilum infinito essentiæ pelago: peccatum etenim nihil aliud est quam aversio a Deo, conversio ad creaturam. Peccatum ex parte aversionis est infinitum, ex parte etiam conversionis sapit infinitatem. 4. Adhuc ejus infinitas desumitur ex infinito dominici sanguinis pretio, qui necessarius fuit ut ex rigore et ex æquo pœnæ peccato debitæ satisfaceret. Debitum esse proportio inter pœnam peccato debitam et satisfactionem a Christo oblatam; Christi satisfactio fuit infinita, ergo pœna peccato debita est extensive infinita, quam nulla creatura valuit compensare, et pro qua solus Christus tanquam fideijussor sanguinem fudit valore infinitum. Unde D. Bernardus: *Si non essent hæc ad mortem sempiternam, nunquam pro eis Filius Dei moreretur.* (1) Pretiosum autem illum sanguinem peccator vilipendit, pro nihilo ducit, suisque criminibus iterum fundit. 5. Malitia peccati est infinita, quia privat gratia quæ est semen gloriæ æternæ; item charitate, quæ ex sua natura perpetuam exspostulat durationem: *merito ergo nunquam excidet.* (2) Tandem 6. Peccati infinitas desumitur ex eo quod Deum frustrat gloria et laude quam ei redditurus erat homo in æternum. Peccati offensa tot titulis infinita debuit puniri supplicio quodammodo infini-

to, id est, æterno quod ex justitia meretur peccator, tum ex malitiæ gravitate, tum ex culpæ perpetuitate.

2. Condemnato in universali judicio reprobato illi *exin dependendum est in immensam æternitatis perpetuitatem.* (1) Pœnæ perpetuitas juste debetur culpæ perpetuitati. Ex D. Bernardino Senensi (2) in peccatore in impœnitentia moriente duplex est perpetuitas: una dum vivit, altera post ejus mortem. Prima est scelerosus perpetuo peccandi affectus, quia, ut fatur Magnus Gregorius, *vellet sine fine vivere, ut posset sine fine peccare.* (3) Quapropter æquissimum est ut nunquam careat supplicio, cujus voluntas nunquam voluit carere peccato; et nullus ei detur terminus ultionis, qui quandiu valuit, habere noluit terminum criminis. Licet enim actus peccati non fuerit æternus, affectus peccandi fuit æternus. At *merito malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus.* (4) Quemadmodum in peccatoris voluntate fuit quædam æternitas peccandi sine fine, ita in pœna debet esse æternitas absque ullo fine. *Ideo sine fine pœnas luit, quia habuit voluntatem sine fine peccandi, si naturam habuisset sine fine vivendi.* (5) Secunda est perpetuitas culpæ, quæ in æternum remanens in damnatorum animabus, eos æternæ pœnæ reddit obnoxios: quandiu enim erunt criminosi, tandiu erunt pœna multandi; et divina justitia de jure eos puniet quandiu erunt illi mancipati. Non secus ac creditor debitorem ad solutionem debiti etiam corpore adstrictum, jus habet detinendi in carcere quoadusque solverit debitum; damnati erunt æternaliter scelerosi, æternaliter justitiæ divinæ subditi. *Ira divina manet in æternum, adversus eos peccant in æternum.* (6) Damnati erunt in æternum in culpa, et in æternum erunt in pœna, quæ culpam sequitur eo modo quo umbra corpus; nec potest tolli nisi tollatur culpa. In inferno autem nunquam tolletur culpa a damnatis, et consequenter nunquam tolletur pœna.

Quandiu peccator vivit, habet aliquam conversionis et salutis spem: Pater misericordiarum illum benigne respicit; Christi sanguis rutilat in sacramentis; Spiritus Sanctus offert illi suam gratiam; accessus ad tribunal pœnitentiæ liber est; divinam bonis operibus potest placare justitiam. At in inferno nunquam ullam conversionis et salutis spem habebit. Deus non erit amplius Pater misericordiarum, sed iudex severus, qui, ait

(1) Tert. Apol. 48. — (2) Tom. 2. Serm. 11. a. 3. c. 3. — (3) Lib. 4. Dialog. 44. — (4) D. Aug. lib. 16. Civ. 4. — (5) D. Hieron. — (6) D. Aug. lib. 21. Civ. 11.

(1) Serm. 5. de Nat. — (2) Tert. L. de Pat. 12.

Rupertus, *impios in inferno arduentes, siccis oculis videt.* (1) Christus non obibit Redemptoris munus: *In inferno nulla est redemptio.* Neque miser damnatus redemptionis gaudebit beneficio. *Non dabit Deo placationem suam, nec fructum redemptionis animæ suæ.* (2) Spiritus Sanctus nullam ei largietur gratiam, quæ est sola qualitas valens delere peccati culpam, et unicum remedium quod sanare potest illud malum. Ideoque *cum damnatus nullum ex se habeat remedium, neque dignus sit illud aliunde recipiendi; hinc supplicium ejus futurum est sine termino.* (3) Non erit amplius pœnitendi tempus, neque ipse reprobis valebit satisfacere Deo per eleemosynas, orationes, jejunia, aliaque ejusmodi opera pœnalia. *Cum locus illi viam præciudat ad meritum, compensationis etiam beneficium non admittit.* (4) Tandem, ut fatur D. Augustinus, *in inferno est fletus, ululatus, lamentatio et pœnitentia sine ullo remedio.* (5) Quod denotat Sophonias Propheta, sex dies afflictionum quas patiuntur reprobi, dinumerans, septimum qui est sabbatum, nullomodo commemorans. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbis, dies tubæ et clangoris.* (6) At cur sex duntaxat dies commemorat Propheta? Hujus causam assignat Rupertus: *Quia de septima die nihil ibi erit, nihil de sabbato Domini, sed sine requie, sine ulla requietionis spe, tribulabitur.* Septimana hujus vitæ septem complectitur dies, quia sabbatum habemus quod idem sonat ac requies seu cessatio, aut quædam de laboribus præcedentium sex dierum respiratio: tribulationes enim quas homines patiuntur in hoc mundo, interdum cessant, et post illas quiete potiuntur: sex diebus afflictionis elapsis sequitur consolationis sabbatum, vel in hoc mundo, vel saltem in cælo. In inferno non dantur plures quam sex dies: ibi prorsus sabbatum ignoratur, ibi miseri damnati cunctis diebus, horis et momentis, doloribus subjacent; per totam æternitatem acerbissime cruciabuntur, absque ulla quiete imo et spe consolationis patientur *calamitatem sine remedio* (7); et tolerabunt supplicium æternum absque ullo termino.

3. *Recogitate etiam pro brevitate supplicii cujuslibet, non tamen ultra mortem remansuri.* (8) Sic loquuntur impii qui animam simul perire cum corpore existimant. Ve-

rum, quia aliorum (1) vindicavimus animæ rationalis immortalitatem, sufficiat nunc credere damnatorum *animam viventem, nec facile morientem, curata mora suis, ad plenitudinem pœnæ.* (2) Anima damnata ex sua natura immortalis, æternaliter vivet in tormentis. Licet enim suo vitio et supplicio perdidit beate vivere, non tamen, ait Magnus Gregorius, perdidit vivere. *Anima mortaliter est immortalis, et immortaliter mortalis: ita enim immortalis est ut mori possit: nam beate vivere, sive per vitium, sive per supplicium perdi; essentialiter autem vivere, neque per vitium, neque per supplicium perdit.* (3) Anima damnata simul mortua est et vivens: mortua vitæ gratiæ, quam peccando perdidit; mortua vitæ gloriæ quam etiam suis sceleribus amisit; est tamen vivens vita naturali, et æternaliter vivet ut æternaliter crucietur. Humana etiam corpora *moriuntur ut vivant* (4): nam cuncta resurgent, et vivent vel in cælo, ut deliciis affluant, vel vivent in inferno, ut ignis patiantur arduores. Deus qui corporibus beatis communicat subtilitatem, agilitatem, claritatem, impassibilitatem et immortalitatem, communicabit corporibus damnatis, non agilitatem, neque subtilitatem, neque claritatem, neque impassibilitatem, sed immortalitatem, ut semper pati possint, *et quid gravius est immortalitate miserabili?* (5) ait D. Ambrosius.

Nonnulli tamen censent pœnam illam æternam repugnare conditioni creaturæ, tam ex parte ignis agentis, quam ex parte hominis patientis. Etenim ignis nequit esse æternus cum indigeat pabulo; infinite autem agens sæpius omne absumet pabulum: deinde corpus passibile non semper potest esse passibile: nam si patitur, necesse est ut aliquod detrimentum patiat; si patiat detrimentum, oportet ut aliquo tandem tempore consumatur et pereat. Hæc difficultas in superioribus explanata est, ubi demonstratum est damnatos fuisse mancipatos *in pœnam æque jugis ignis, habentis ex ipsa natura ejus, æivina scilicet, subministrationem incorruptibilitatis.* (6) Verum ut nihil supersit insolutum, ignis infernalis perpetuitas ostenditur a Tertulliano exemplo Vesuvii, Æthiæ, aliorumque montium semper arduentium, quos scintillas tantum gehennæ existimat. *Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus factu, et quod nobis iudicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nar-*

(1) Lib. 1. in Joan. 1. — (2) Psal. 48. — (3) Euseb. Emiss. — (4) Petr. Blesn. Epist. 60. — (5) Serm. 252. de Temp. — (6) Cap. 1. — (7) D. Chrysost. Hom. ad Bapl. — (8) Tert. Apol. 45.

(1) Tert. Prædic. tom. 1. Tract. de An. — (2) Tert. Lib. de An. 55. — (3) Lib. 4. Mor. 7. — (4) Tert. Lib. 1. ad Nat. 19. — (5) Serm. de Resur. — (6) Tert. Apol. 48.

quam tamen finiuntur. (1) Corporum etiam immortalitas ab eodem Tertulliano probatur dum homines ait futuros tanquam Angelos quod ipsemet asseverat in Evangelio Christus. *Non dixit: Erunt Angeli, ne homines negaret; sed, Tanquam Angeli, ut homines conservaret; non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.* (2) Angeli sunt immortales, homines quoque per resurrectionem erunt similes Angelis, et consequenter immortales; *dum mortale istud induet immortalitatem* (3), et mortalis ipsa vita transferetur a temporalitate in æternitatem; sive beatam in cælo, sive miseram in inferno; ubi homo secundum animam et corpus, aut in æternum beatur, aut in æternum punitur. *Proinde si quis occisionem carnis atque animæ in gehennam, ad interitum et finem utriusque substantiæ arripierit, non ad supplicium (quasi consumendarum, non quasi puniendarum), recordetur ignem gehennæ æternum prædicari in pœnam æternam, et inde æternitatem occisionis agnoscat. Tunc et æternas substantias credet, quarum æternam sit occisio in pœnam.* (4)

3. Siquidem Dei iudicium in suos in æternitate aut pœnæ, aut salutis vertitur (5); mercedem æternam largitur justis; pœnam quoque æternam infligit scelerosis. Eadem ratione qua Deus erga probos justitiam distributivam exercet, justitiam quoque vindicativam exercet erga scelerosos: illos justitia distributiva, felici æternitate remunerat; istos justitia punitiva, infausta æternitate cruciat. *Inconveniens est ponere quod justorum vita quandoque finiatur: ergo inconveniens est ponere quod reproborum supplicium terminetur* (6), imo longe majus videtur inconveniens, terminare pœnam reproborum quam finem ponere præmio beatorum: quia justis non se solis cælestem compararunt mercedem, sed simul cum gratia Dei cui magis debetur quam humanæ voluntati: at reprobi absque ullo Dei adiutorio propria malitia, se dignos pœna æterna inferni præstiterunt, agentes contra ordinem divinæ providentiæ, quæ, quantum est ex se, cunctos homines ordinavit ad gloriam, si suum gratiæ velint præbere consensum; contra divinam legem, quæ justis vitam promittit æternam, injustis pœnam minatur æternam: contra divinam justitiam quæ obsequentibus præmium largitur æternum, supplicium vero æternum inurit inobsequentibus. Qui pœnarum tollunt æternitatem ut Dei

commendent misericordiam, Deum exhibent fallacem, perversum et impotentem, ejusque legem et disciplinam penitus destruant. 1. Fallacem, quia multis Scripturæ locis asseverat damnatorum pœnas fore æternas: et ita, ait Magnus Gregorius, *dum sagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem.* (1) 2. Dum nimiam Dei bonitatem prædicant, *perversissimum Deum ostendunt, in ipso præconio solitariæ bonitatis.* (2) Et, ut addit Tertullianus, qui 3. *Removent ab illo severitates et judicarias vires, in totum immobilem aut stupentem Deum* (3) concipiunt, huic imperatori similem, qui uno brachio perdito, sese imperii et dominationis incapacem et inidoneum existimabat. Tandem 4. Dei legem et disciplinam pœnitus evertunt, quæ nisi justitia regatur, *hoc erit bonitas imaginaria: disciplina, phantasma: et ipsa transfunctoria præcepta, secunda delicta* (4), minusque erit providens Deus ad mundi regimen, quam principes terræ ad terreni gubernium imperii. Principes terræ potestatem habent instituendi leges quibus subditos in suo officio retineant, decernunt pœnas in inobservantes, et scelerosos adhuc pœna quodammodo æterna puniunt. Ab humana dominatione assurgendum est, ait D. Augustinus, ad divinum imperium. *Dominus rex noster, Dominus legis noster, Dominus iudex noster.* (5) Ut Dominus, supremum in omnes creaturas habet dominium; ut legis, hominibus dedit leges quibus eos arcet a malo sub pœna æternæ mortis, et allicit ad bonum sub præmio æternæ vitæ; ut iudex, probos promissa mercede remunerat, malos comminata pœna cruciat. Qui Deo titulum Judicis justis et severi adimit, eique duntaxat titulum patris benigni et nimium indulgentis concedit, *tanto errat deformius et contra Dei verba perversius, quanto sibi clementius sentire videtur.* (6) Ne in ejusmodi incidamus errorem, credamus *Deum perfectum et Patrem et Dominum: Patrem clementia, Dominum disciplina; Patrem potestate blanda, Dominum severa; Patrem diligendum pie, Dominum timendum necessarie* (7); quia scelerosos judicat, condemnat et pœnæ mancipat æternæ, quæ cum sit infinita, sine fine durat.

II. PARS. *Æternitatem quanto constare vultis?* (8) Tanto scilicet quod illud homo mortalis neque mente concipere, neque sermone valet explicare. Non mente concipere:

(1) Tert. L. de Pœn. 12. — (2) Tert. L. de Res. 62. — (3) Tert. L. de Res. 60. — (4) Tert. L. de Res. 35. — (5) Tert. L. de Pat. 4. — (6) D. Thom. in Supplem. q. 99. a 1.

(1) In cap. 41. Job. — (2) Tert. Lib. 1. adv. Marc. 26. — (3) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (5) Lib. 22. Civ. 12. — (6) D. Aug. — (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 13. — (8) Tert. L. 1. ad Nat. 7.

nam, ut fatur D. Augustinus, *cum nos mente aliquod æternam quantum possumus, capimus, non in hoc mundo sumus.* (1) Quamdiu sumus in hoc mundo, nihil cognoscimus nisi per species quas ab objectis sensibilibus mutuamus: nullum est in hac vita objectum quod nos ad æternitatis ducat notitiam; *quæ enim videntur temporalia sunt* (2); et cum sermo sit mentis interpres, non potest homo mortalis sermone declarare æternitatem, quam intellectu non valet concipere. *Cum homo de æternitate disserit, cæcus de luce loquitur.* (3) Etenim si, ut vult Sapiens (4), nemo unquam dimensus est cœli altitudinem, terræ latitudinem et maris profunditatem: licet cœli altitudo, terræ latitudo et maris profunditas finem habeant; quis miseram damnatorum narrabit æternitatem, quæ finem non habet? *Propterea ignis æternus est, quod sine fine sit.* (5) Æternum gehennæ velle explanare supplicium, est rem metiri quæ omnem mensuram superat, id numerare quod est super omnem numerum, definire infinitum, cuius nullus est finis. Quis itaque mortalium posset mente concipere et sermone explicare miseram damnatorum æternitatem, quæ est 1. Rota malorum semper rotata et nunquam quiescens; 2. Mors semper vivens et crucians et nunquam moriens; 3. Duratio pœnarum semper existens et nunquam finiens?

1. *Quæ finiuntur æterna non sunt* (6): æterna autem damnatorum pœna nunquam finitur, sed ut rota a divina justitia rotata semper volvitur, et nunquam quiescit: quod repræsentarunt Gentiles per Ixionis rotam quæ semper volvitur. Peccatores in hoc mundo criminum suorum movent rotam: *In circuitu impii ambulant, vellentque sine fine vivere ut possent sine fine peccare.* In inferno autem est *rota in medio rotæ.* (7) Rota culpæ in medio rotæ pœnarum: Deus rotam rota punit, et impios qui in seculo criminum voluerunt rotam, infestæ æternitatis rota punit. Quod innuit Regius Vates, Deum sic alloquens: *Sagittæ tuæ transeunt, vox tonitruï tui in rota.* (8) Morbi, afflictiones, adversitates, hujus vitæ damna, sunt sagittæ quibus divina bonitas mortales vulnerat ad correctionem vel probationem, citoque transeunt: at vox terribilis tonitruï et fulguris quod vibrat in reprobos Deus, est velut rota quæ semper volvitur et nunquam quiescit. *In æternum, Domine, permanet verbum tuum, tum in cœlo, tum in inferno.* In cœlo est vita

immortalis nunquam moriens, sed semper vivens; in inferno econtra est mors semper vivens et crucians, et nunquam moriens.

2. *Mortem vivit* (1) in inferno miser damnatus; et ut fatur Magnus Gregorius, *flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in morte servatur: non enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur, sed ut sine fine cruciatur, vivere sine fine in pœna compellitur; ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna: quia cruciatur et non exstinguitur; moritur et vivit; deficit et subsistit; finitur semper et sine fine est.* (2) Magnum agnoscit D. Augustinus (3) discrimen inter mortem quam homines patiuntur in hoc mundo, et mortem quam reprobis sustinent in inferno. In hoc mundo nequit inveniri mors formata, quæ simul suum habeat esse completum. Homo moriens considerari potest, vel ante vel post mortem suam. Si consideretur ante mortem, mors non est adhuc, alias eodem tempore esset et non esset, quod repugnat. Si consideretur post mortem, mors non est amplius, jam transiit; homo animam efflavit. Aliter autem res se habet in inferno: præsciti nunquam erunt mortui neque ante neque post mortem, sed semper erunt in morte, seu semper morientur. *Ibi econtra non erunt homines mortui ante mortem, nec viventes post mortem: sed semper in morte, ac per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes.* Et ratio hujus discriminis est, quia homo in hoc mundo mensuratur tempore, cuius natura in continuo motu consistit: et ita dum est præteritum, futurum non est, et dum futurum advenit, præteritum amplius non est. Damnatorum autem mors æternitate mensuratur, quæ non admittit neque præteritum, neque futurum. *Mentis quippe aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, et in ipsa æternitate nulla spatia temporis præteritis et futuris rerum motibus constant: nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est: quia et quod præterit esse desinit, et quod futurum est nondum esse capit* (4), et quia damnatorum pœna, non temporum spatium, sed æterna duratione mensuratur, nunquam sunt mortui, sed semper moriuntur.

In hac vita, mors solatium est miserorum, at damnati *infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durabunt.* (5) Qui in hac vita felicitate potiuntur, longam exoptant

(1) Lib. 4. de Trin. 20. — (2) 2. Cor. 4. — (3) Greg. Mag. lib. 27. Mor. 26. — (4) Eccli. 1. — (5) D. Aug. lib. de Nat. Bon. c. 59. — (6) Tert. l. adv. Herm. 7. — (7) Ezech. 10. — (8) Psal. 76.

(1) Tert. L. de Pall. 2. — (2) Lib. 15. Mor. 11. — (3) Lib. 13. Civ. 11. — (4) D. Aug. lib. de Ver. Relig. 43. — (5) D. August. in Enchir. 111.

vitam, ut diutius potita fruantur felicitate : at reprobi, in inferno doloribus oppressi, desiderabunt mortem et fugiet ab eis. (1) Fugiet ab eis ne eos destruat ; non fugiet ut eos torqueat : mors gravior omni morte, semper mori et non posse unquam mori : *Nunquam erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.* (2) Damnati quippe nunquam morientur et semper dolores mortis patientur. Nam, ut belle ad propositum fatur Regius Vates, *sicut oves in inferno positi sunt* (3) : quia, ut explicat Petrus Blesensis (4), sicut lana ovium tonsa permittitur crescere, ut iterum tondeatur, sic damnati moriendo vivent, et non desinent mori. Quoad vivunt oves, lana semper crescit, et incrementata amputatur ut iterum crescat : sic damnatorum tormenta semper renovabuntur : *ut mors eis adsit ad supplicium et desit ad finem.* Addit Propheta : *Mors depasset eos.* Ubi Hugo Cardinalis : (5) « Sicut animalia depascunt herbas, et non penitus eradicant, sed radices remanent, unde iterum crescat herba, ita miseri in inferno a morte corrodentur, sed afflicti iterum reservabuntur ad pœnas. » Infernus est locus pascuæ, cruciatus sunt pascua, reprobi sunt oves pascentes : at mors *velut pastor cruciat, pascit et sustentat, ut in illis cruciatibus in æternum vivant.* (6) Tormenta erunt alimenta qui miseros nutriunt damnatos : qui, ait D. Athanasius, *viventes semper morientur, et moriendo semper vivent in pœnis* (7), ni potius ipsamet nutriantur morte : quapropter *semper morientur ad vitam, et semper vivent ad mortem.* Alimenti sumptio est vitæ indicium ; non enim comedimus nisi ut vivamus : ideoque si mors est præscitorum cibus, eorum victus ad mortem, et non ad vitam respicit. Quam belle ad propositum D. Augustinus (8) : Damnati vivent et non vivent : vivent, quia non destruentur, sed naturam suam semper servabunt ; non vivent, quia semper mortis persentient cruciatus : et ita morientur et non morientur. Morientur, quia continuo patientur mortis dolores ; non morientur, quia patientur absque ullo termino, *ut mors eis adsit ad supplicium et desit ad finem.* In inferno namque est pœnarum duratio semper existens et nunquam finiens.

3. *Non habet tempus æternitas. Omne enim tempus ipsa est.* (9) Æternitas est omne tempus, quia cunctis temporis partibus coexistit ; et, ut fatur D. Augustinus, *in*

(1) Apoc. 9. — (2) D. Aug. lib. 13. Civ. 11. — (3) Psal. 48. — (4) Epist. 95. — (5) In Psal. 81. — (6) D. August. in Psal. 48. — (7) D. Bern. Serm. 1. de Trip. Habitac. — (8) Lib. 19. Civ. 28. — (9) Tert. L. 1. adv. Marc. 8.

æternitate omnia stant tempora. (1) Æternitas non habet tempus, tum quia, ut addit D. Augustinus, *in æternitate est stabilitas, in tempore autem varietas* ; tum quia tempus est finitum et limitatum, æternitas vero finem non habet. Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, *in se sine fine est.* (2) Duplex illud discrimen quod intervenit inter æternitatem et tempus belle explanat Tertullianus : *Quantitas enim temporis non pertinebit ad eam rem quæ iuncta creditur. Quod enim æternum est, neque finem temporis admittendo, nullum modum temporis patitur ; cui temporis modus nullus est, nec ulli demutationi subest.* (3) Æternitas quæ fine caret finis est temporis, et vita nostra mortalis quæ finito tempore mensuratur, *in infinitam æternitatem propagatur.* (4) Cuncti homines qui fuerunt, qui nunc existunt et qui futuri sunt, redditori sunt rationem de bono vel malo quod in tempore gesserunt, et accepturi vel æternum virtutis mercedem, vel æternum vitii supplicium. *Tunc restituetur omne humanum genus, ad expungendum quod in isto ævo boni seu mali meruit, et exin dependendum in immensam æternitatis perpetuitatem.* (5) Vides quomodo pœnarum inferni æternitas nuncupatur immensa et infinita ; quia tanquam particeps divinæ immensitatis et infinitatis, omnia complectitur tempora, nec ullum unquam habitura est finem. *Omnia res quæ habet finem, brevis est.* (6) Decem annorum morbus brevis est, quia finem habet ; viginti, triginta annorum captivitas, brevis est, quia finem habet ; mille millionum seculorum cruciatus et dolores breves sunt, quia finem habent ; at in inferno reperies vinctos qui jam quinque millia annorum in illo igneo et candenti ergastulo transegerunt, nec ullus finis est ; et postquam damnati per mille millena seculorum passi fuerint, eorum tormenta semper incipient, nec ullum unquam finem habebunt : sed *ardebunt miseri in igne æterno in æternum.* (7) In æternum, id est, semper, integra erit æternitas, nec ullam patietur diminutionem ; quia semper durat, et nunquam deficit, quantumvis diuturno coexistit tempori, semper remanet integra, nullumque unquam habebit finem.

Æternitatem per tempus investigandam vult Doctor Angelicus : « Sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita, ita in cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus » (8) Totum tamen

(1) Serm. 58. de Verb. Dom. — (2) D. Aug. in Psal. 145. — (3) Tert. L. de An. 24. — (4) Tert. Apol. 48. — (5) Tert. ibid. — (6) D. Aug. in Ps. 60. — (7) D. Bern. lib. Medit. c. 4. — (8) 2. p. q. 10. a. 1.

tempus quod fuit a mundi exordio, et fluit usque in finem, guttulam existimat D. Augustinus æternitati comparatum. *Totum hoc tempus, non dico ab hodierno die usque ad finem seculi, sed ab Adam usque ad finem seculi, exigua gutta est comparata æternitati.* (1) Plus audet Sanctus Antistes et cuncta in universum tempora æternitati collata, non solum exigua, sed etiam nulla declarat: quia *nihil est diuturnum in quo est aliquid extremum: et omnia seculorum spatia desinita, si æternitati interminæ comparentur, non sunt existimanda exigua, sed nulla.* (2) Tam longa, tam diuturna, tam immensa est misera damnatorum æternitas, ut in ea explananda desudarint doctissimorum hominum ingenia. Si quispiam damnatorum, ait Seraphicus Doctor, singulis centenis annis unam funderet lacrymulam servandam cum aliis singulis centenis annis fundendis, plus demum lacrymarum funderet quam aquarum habeat mare; omnes enim maris guttæ possunt in certum redigi numerum, et illum Deus novit, et tamen lacrymæ damnatorum omnem illum superarent guttarum maris numerum. Adde: Submergatur denuo aquis diluvii totum universum, ad hunc tam immensum oceanum singulis millenis annis adsit avicula ad bibendum; quando arbitraris exhausturam aviculam tam grande aquarum pelagus, quod cum finitum esset, aliquando haberet finem? *Verum tamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* (3) Immane illud spatium infinite superat misera damnatorum æternitas.

Alii alia similitudine utuntur ad explicandam infinitam æternitatis durationem. Extendatur cælum ad modum membranæ, *sicut pellem.* (4) Omnes pennæ volucrum aptentur in calamos, totum mare convertatur in atramentum, omnes cœlestes intelligentiæ velociter scribentes innumeros arithmeticiæ numeros describant supra membranam illam, ultra hos numeros adhuc protenditur æternitas. Venturum foret aliquando tempus quo numeri præterierint, et tamen tunc nulla pertransierit pars æternitatis. Alii tandem aliam imaginationem subjiciunt: Innumeros contemplantur mundos, omnesque illos hoc universo tanto capaciores, quantum unitas ab illo innumerabili exceditur numero: fingunt adhuc cunctos illos mundos solum arenarum cumulo repletos, licet arenulæ tam exiguæ forent, ut decem millia unum duntaxat papaveris magnitudine adæquarent gra-

num: tot vero ex tot tantisque et tam immensis arenarum montibus, singulis mille millionibus annorum una tollatur arenula, quot milliades millionum labentur, quam pugillum tollatur ex hoc arenæ cumulo? et tamen certum est tantos arenarum montes non modo minuendos, sed et penitus delendos esse: et his omnibus sublatis, et toto illo temporis spatio in flammis arserit damnatus: post tam longa, tamque immania tormenta, nihil esset de æternitate imminutum, nihil de tormentis immutatum: tantum abest ut post hæc tempora futurus sit tormentorum modus et finis, ut tunc dici posset: Jam primum incipit æternitas, tota est et superest æternitas.

Ex D. August. (1) pueruli modo discurrunt mortales, dum per multitudinem dierum, per longitudinem temporum, per seculorum durationem explicare æternitatem conantur; quidquid dicunt aliud ab æternitate et minus æternitate dicunt. *Quidquid vis, dicis de æternitate: ideo autem quidquid vis, dicis, quia quidquid dixeris minus dicis.* Si dixeris æternitatem tot annorum miliones comprehendere quot sunt guttæ in Oceano, *minus dicis*; si multiplicaveris tot maria quot sunt in Oceano guttæ, et dixeris tot esse in æternitate annorum miliones, quot sunt guttæ in Oceano ita multiplicato, *minus dicis.* Quod si iterum multiplicatis tot guttarum millionibus per millia millionum, dixeris tot esse in æternitate secula, *minus dixeris.* Si adhuc dixeris æternitatem comprehendere tot seculorum myriades quot sunt arenæ in omnibus littoribus, quot guttæ in omnibus aquis, quot folia in omnibus arboribus, quot gramina in omnibus pratis, quot semina in omnibus agris, quot pili in cunctis animantibus, quot plumæ in cunctis avibus, *minus dicis.* Adjungo prædictis, quot annos excogitare nosti, multiplica secula quantumvis intelligere potest, auge numerum quantum tuus capere potest intellectus, et dicet tibi D. Augustinus: *Quid appendis cum infinito quantumcunque finitum?* (2) *Quidquid dixeris, minus dicis: imo nihil dicis; id unum tibi sufficiat, Deum solum perfectam habere de æternitate notitiam, quæ tandiu erit quandiu erit Deus æternus; tandiu beati in æternis gaudiis, tandiu damnati in æternis tormentis: In æternum erit ipsum diu, et ideo vere diu erit:* (3) hoc autem diu, hoc tandiu, hoc æternum quandiu erit cum sit infinitum, omnem

(1) In Psal. 101. — (2) Lib. 12. Civ. 12. — (3) Psal. 52. — (4) Psal. 103.

(1) In Psal. 90. — (2) D. Aug. ibid. — (3) D. August. in Psal. 145.

non modo mortalium, sed et cœlestium excedit capacitatem: *Quomodo in Scripturis pœnæ peccatorum dicantur æternæ, quanquam quolibet modo sint, vitandæ sunt potius quam sciendæ.* (1) Non multum curetur curiosa infaustæ æternitatis scientia, modo ejus acquiratur utilitas.

III. PARS. Christiane, *cupio respondeas: si tanti æternitas* (2), si infinito æternitatis spatio reprobi in inferno cruciantur, nonne toto conatu tantum et tam diuturnum debes vitare supplicium? Ad quod tria potissimum tibi servient: 1. Seria miseriæ æternitatis cogitatio; 2. Peccati pœnitentia et castigatio; 3. Sincera vitæ emendatio.

1. In anima humana est *cogitatorium* (3) quod dedit illi Deus, ut declinaret a malo et faceret bonum, in his duobus hominis perfectionem sitam asseverat Propheta: *Declina a malo et fac bonum.* Idcirco lex divina qua humana regulatur vita, duo mandatorum complectitur genera: negativa, quæ malum prohibent; affirmativa, quæ bonum præcipiunt. Imo Dei Filius, qui *magnum cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus seculo erat* (4); ad mali fugam et abnegationem, et boni prosecutionem præsertim homines docuit. Nam « apparuit erudiens nos ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc seculo. » Ut autem valeamus et declinare malum et facere bonum, necessaria nobis est bona cogitatio. Necessaria ad declinandum malum: nam, ut ait D. Augustinus Christianum alloquens, *cogitatio sancta custodiat te.* (5) Necessaria adhuc ad faciendum bonum; nam, ut fatur Sanctus Doctor, *non potest fieri ut in mala opera exeant cogitationes bonæ, quoniam hoc actione promittitur quod mente concipitur.* (6) Talia sunt opera quales sunt cogitationes: si cogitationes sunt pravæ, prava etiam sunt opera; si cogitationes sunt bonæ, bona etiam sunt opera. Inter bonas autem cogitationes quæ avocant a malo et ad bonum stimulant, nulla est efficacior ad duplicem illum præstandum effectum quam quæ æternam damnatorum pœnam attente considerat. Quare nuncupatur a D. Augustino *magna cogitatio.* Opus redemptionis quod operatus est Christus Dominus, vocitatur a Tertulliano magnus cogitatus æterni Patris; et cogitatio quam habet Christianus de æternis inferni suppliciis, appellatur a D. Augustino *magna*

cogitatio; quia multum est efficax, tum ad vitandam magnam inferni miseriam, tum ad comparandam magnam cœli felicitatem. Magna hæc cogitatio die noctuque versabatur in mente Regii Vatis: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, et non sum locutus.* (1) At quid Prophetæ abstulit somnum? quid ejus interturbavit quietem? quæ hæc autelucana negotia? Unde hic stupor qui vocem adimit? unde hæc animi perturbatio? Causam agnoscite: *Cogitavi dies antiquos et annos æternos in mente habui.* Hæc annorum revolutio Davidem sic exterruit, ut ei quietem et vocem ademertit. Cogitavit dies antiquos instar umbræ præterisse cum regnis, tot reges Israël interiisse, omnesque in domum æternitatis introisse, ubi nullus exitus: eodem se tendere vivaci meditatione cogitabat, et hac cogitatione se ad odium mali et amorem boni accendebat. Ad quod multum quidem valet beatæ æternitatis consideratio: sed adhuc multo magis infaustæ æternitatis cogitatio; quam totis viribus ingenerare nititur Bernardus Christianorum menti. *Utinam, utinam saperent; saperent utinam, utinam!* (2) Quorsum hæc nobis, Bernarde, sapientia? *Ut æternitatis imago reformetur in nobis, videlicet ut præsentia moderemur, præterita per intelligentiam diducemus, novissima provideamus ad cautelam.* Æternitas præteritum, præsens et futurum suo sinu complectitur. Cogitatio infaustæ æternitatis hæc tria attente considerat: præterita, ut videat qualia sunt opera quæ quis fecit an bona vel mala, an digna felicis vel infaustæ æternitatis; præsentia, ut concupiscentiæ mitiget æstus, et passionum coerceat impetus spe beatæ æternitatis, vel metu miseræ æternitatis; futura, præcavens ne sua culpa felicem amittat, et infaustam incurrat æternitatem. Quam belle Apostolus nuncupat *æternum pondus!* Nam uti pondera in stateris ponderantur, ita æternitas est in mente per seriam cogitationem ponderanda. Etenim *cogitare est multa simul perpendere, cum suspensione rei faciendæ.* (3) Homo serio cogitans, non leviter, nec præcipitanter agit, sed diu ruminat an aliquid agendum sit necne; mature ponderat rationes quæ ad agendum urgent, rationes etiam quæ contrarium suadent, comparatione utitur neque temere sese determinat, sed cunctis ex utraque parte rationibus ponderatis, eligit id quod melius judicat: *Ipsa mente sincera utens in recogitando, ad ca-*

(1) D. Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in Mont. — (2) Tert. Apol. 8. — (3) Tert. 1. de Spect. 2. — (4) Tert. L. de Carn. Christ. 14. — (5) In Serm. Com. Scrm. 17. — (6) Lib. de Ver. Inuoc. c. 81.

(1) Psal. 76. — (2) Serm. de Sanct. Pet. et Paul. — (3) D. Thom.

piendum sincerum quodque rerum. (1) Cogitet Christianus infaustam gehennæ æternitatem, hanc conferat cum peccato; infinitam æternitatis durationem cum momentaneo peccati tempore, universalitatem tormentorum quam complectitur infausta æternitas, cum aliquo vano honore, aliqua venerea voluptate, aliqua terrena voluptate: acerrimos et ineffabiles miseræ æternitatis cruciatus, cum modica et volatica peccati jucunditate: facta autem trina hac comparatione, præfata ponderet, ponat in una bilance tormentorum universalitatem, acerbiter et infinitatem, et in altera voluptatis singularitatem, modicitatem et brevitatem; et recogitet an pro voluptate singulari, modica et brevi, debeat sese subicere tormentorum universalitati, acerbiter et æternitati; et si sapit, futura præcaveat, præsentia moderetur, præterita peccata judicet, et deleretur per pœnitentiam et castigationem.

2. Impii, pœnitentes miseros prædicant. *Miserum est sic ad exomologesim pervenire.* (2) Quos merito redarguit Tertullianus: *Malo enim ad miseriam pervenitur: sed ubi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare.* Mala sunt quæ nos ad miseriam ducunt; quæ vero nos a miseria redimunt, non sunt mala, sed bona: cujusmodi est pœnitentia quæ parva corporis castigatione liberat a peccato, quod est summum malum et ab æterna inferni pœna, quæ est summa miseria; et ita magna quæ procedit ex pœnitentia utilitas, modicum excusat quod infligit malum. Quod hac comparatione belle declarat Tertullianus: *Miserum est secari, et cauterio exuri, et pulveris alicujus mordacitate cruciari: tamen quæ per insuavitatem medentur, ea et emolumento curationis offensam sui excusant; et præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant.* Qui corporali laborant morbo, potiones quantumvis amaras sumunt, ignes, incisiones, magnosque libenter patiuntur cruciatus, quibus consequuntur sanitatem. Anima criminosa ægrotat, estque in mortis æternæ periculo nisi sumat pœnitentiæ remedium. Quo periculosior est animæ quam corporis morbus, et quo utilior est pœnitentia quam cunctæ Galeni et Hyppocratis medicinæ, eo majori affectu est amplectenda. Medicorum remedia acerbissima sunt, et sæpe sæpius nullam afferunt corpori utilitatem: at pœnitentia magnam affert animæ utilitatem: nam eam a peccati macula mundat, et ab æterna pœna peccato

debita liberat. *Christiane, in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi, crede, Deus parcat.* (1) Si pœnam temporalem pœnitendo sustineas, Deus et peccati delebit maculam, et æternam condonabit pœnam. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus, *peccata sive magna, sive parva, impunita esse non possunt, quia aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante plectuntur: cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana: amat enim Deus confitentibus parcere, et eos qui semetipsos judicant, non judicare.* (2) Nulla autem est comparatio inter vindictam quam de criminosis sumit iudex Deus, et pœnam quam suscipit pœnitens Christianus. Deus in inferno interminabili pœna punit scelerosos, pœna vero quam suscipit pœnitens, et modica et brevissima est. Tantum utriusque punitionis discrimen attende, Christiane, pœnitentiamque suscipe. *Deliqui, dicito, in Deum et periclitor in æternum perire; itaque nunc pendeo, et maceror, et exerucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi* (3), *cujus volo captare benevolentiam per vitæ emendationem.*

3. *Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana.* (4) Verus pœnitens semetipsum emendat. Consideratio autem miseræ æternitatis Christianum ad pœnitentiam et vitæ emendationem inducit. Quod probe sciens Jacobus Blasius, Franciscanus, Namurcensis Episcopus, pro symbolo hæc sumpsit verba: *Urget æternum.* Ly urget est terminus in schola usitatus: cum arguens suis rationibus sustentem valide impugnat, tunc urget: Christianum ad pœnitentiam et vitæ emendationem, *urget æternum* ad instar Vatis Regii, qui de fausta vel infausta æternitate incertus, trepidus exclamat: *Nunquid in æternum projiciet Deus?* (5) Nunquid in æternum projiciet a facie in quam desiderant Angeli prospicere? nunquid in æternum projiciet in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium? nunquid projiciet in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus? At quæ ex inferni recordatione utilitas, quis fructus, quis animi affectus? *Dixi: Nunc capi.* Studere perfectioni cœpit quasi tot ante exercitata virtutes nihil essent, et quamvis esset secundum cor Dei, a recordatione tamen miseræ æternitatis melior effectus est. Christiani, hujus sancti vatis imitemur exemplum, absque ulla mora convertamur et virtuti studeamus: tum quia

(1) Tert. L. de Pœn. 10. — (2) Tert. L. de Pœn. 10.

(1) Tert. L. de Pœn. 10. — (2) Lib. de Ver. Innoc. c. 87. — (3) Tert. L. de Pœn. 11. — (4) Tert. L. de Pœn. 2. — (5) Psal. 76.

miseri cordiæ Domini quia non sumus consumpti (1); tum quia una hora vel uno duntaxat momento a misera æternitate dividimur, non secus ac uno momento a morte separamur. *Uno tantum grulu ego morsque dividimur* (2), quia a mortis momento dependet æternitas; mors autem a momento vitæ dependet. Tum quia voluptates, divitiæ et honores hujus mundi sunt mera vanitas: *Si annis multis vixerit homo, et in omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui cum venerint vanitatis arguentur præterita.* (3) Tum quia miseris damnatis nihil proderunt seculi oblectamenta, ob quæ in inferno cruciantur. Nam, ut ait D. Bernardus, *quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, felices divitiæ, magna familia et mala conscientia? De tanta lætitia, quanta tristitia! post tantillam voluptatem, quam gravis miseria!* (4) Tum quia infelices damnati, in pœnæ augmentum ad memoriam continuo revocabunt cuncta quæ commiserint peccata, pro quibus æternis mancipantur suppliciis. « Ad confusionem illorum qui se illis vitiis polluerunt, ipsa vitia eorum oculis ac memoriæ ingerentur, ut sicut in corpore pœna, ita et peccatum pro quo puniuntur, versetur in conscientia. Erit ergo in illa civitate damnata sicut pœna æterna, ita et peccatorum quæ fecerunt æterna memoria. » (5) Hac pœna acerbior concipi nequit: nonne illa attente considera-

ta, Christianos avocant a vitiis et ad virtutes stimulant?

Scio impios, seclerosos, hominesque seculo addictos æterna inferni irridere tormenta, existimare vel stultos vel melancholicos, qui ea considerant, gehennæque meditationem decere anachoretas et religiosos, non seculi divites, potentes et magnates. *Gehennam si comminemur, quæ est ignis æterni subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinamur.* (1) Verum ad pravos illos retundendos Christianos hoc sufficiat. An credunt æterna gehennæ supplicia esse communia cunctis scelerosis indiscriminatim, sive sint pauperes, sive divites, sive servi, sive principes? Si credunt, ad cunctos etiam pertinet illorum timor, illorum meditatio: nam, ut belle ad propositum Salvianus, *quid ergo causæ est, ut si quisquam Christianus futura credit, futura non timeat? Quid ergo causæ est, ut si credit quæ dixit Deus, non timeat quæ minatur Deus?* (2) Impossibile judicat Salvianus, ut quis habeat fidem et non timeat æterna gehennæ supplicia: fidelis Deo veraci credere tenetur: Deus autem verax docet inferni æternitatem, minatur gehennæ æternitatem: quapropter Christianus non est fidelis, qui gehennæ non credit æternitatem. Quod si illam credit, stultus est si illam non timet; si timet, debet præcavere ne incurrat, non præcavet nisi declinando a malo et faciendo bonum: per fugam mali et boni studium, miseram vitabit æternitatem, et felicem acquirere æternitatem.

(1) Tren. 3. — (2) Lib. 2. Reg. 20. — (3) Eccle. 11. — (4) Serm. ad Frat. de Mont. Dei. — (5) Aster. Serm. 20. in Isa.

(1) Tert. Apol. 47. — (2) L. 3. ad Eccles. Cathec.



JUDICIUM ULTIMUM.

SCHOLIUM.

In ultimo Judicio peccator 1. Coram Christo timore percutitur ; 2. Sanctorum gloria opprimitur ; 3. Criminum manifestatione confunditur ; 4. De suis sceleribus convincitur ; 5. A cunctis entibus punitur ; 6. Judicium reram consummatione perficitur.



CONCIO PRIMA.

Duos dicimus Christi habitus a prophetis demonstratos, totidem adventus ejus prænotasse. (1) Multiplex est inter duos illos adventus discrimen. In primo apparuit humilis; in secundo cum majestate veniet. *Qui venit humilis, veniet excelsus.* (2) In primo apparuit in tenebris; in secundo conspicietur in luce. *Quamvis jam in claritate, non in pristina sit humilitate venturus.* (3) In primo venit salvos facere peccatores; in secundo ad illos perdendos veniet. *Qui in infirmitate venit ut redimeret, in potestate est venturus ut judicet.* (4) In primo ut servus est habitus, in secundo rex agnoscetur. In primo suum ostentavit amorem, et misericordiam demonstravit; in secundo suum ostendet odium; et manifestabit justitiæ severitatem. In primo agni mansueti peregit officium; in secundo rugiet ut leo ira et furore succensus. Reges terræ sumunt vestes convenientes rebus quas tractant: dum ad venationem progrediuntur, deferunt indumenta huic oblectamento conformia; dum convivia vel nuptias frequentant, pretiosis induuntur vestimentis; dum ad bella procedunt, optimis teguntur armis quæ eos invulnerabiles præsent. At dum apparent in regio solio subditis justitiam reddituri, tanta majestate coruscant ut conspicientibus incutiant terrorem: Dei filius veniens in mundum ad salvandos mortales, humanitatis as-

sumpsit infirmitates; volens peccatorum solvere debita, factus est in similitudinem carnis peccati: opus redemptionis in Calvario adimplens solus illud peregit, neque ullum accepit ab amicis, propinquis et discipulis auxilium; corpus suum crucis exponens supplicio, tot fuit sputamenti dehonestatus et plagis dilaceratus, ut ei non remanserit species seu decor. At in fine mundi veniens ut Judex vivorum et mortuorum et rex cunctarum gentium, apparebit, innumeris stipatus Angelis, fulgidissima nube delatus, adeo splendidis indutus vestibibus ut sol, luna et stellæ luce destituta videbuntur. Præfata ignobilitatis argumenta primo adventui competunt, sicut sublimitatis secundo. (1) Tantam sublimitatis majestatem, et severitatis magnitudinem ferre non valentes præsciti, exoptabunt ut montes cadant super ipsos, eos absorbeat mare, terra devoret, et recipiat infernus ad vitandam formidabilem Christi præsentiam. *Quale spectaculum, adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam triumphantis!* (2) Belle dicitur adveniens Christus non indubitatus, sed verus Dominus; non demissus, sed superbus; non dejectus, sed triumphans; non amplius in pusillitate, sed in magnitudine; non amplius in ignominia, sed in gloria; non amplius patiens, sed impassibilis; non amplius ut servus, sed ut rex victoriis gloriosus; non amplius tanquam reus, sed ut supremus judex; non amplius ad Pilati prætorium ducendus, sed

(1) Tert. L. adv. Jud. 14. — (2) D. Aug. in Psal. 66. — (3) D. August. Tract. 99. in Joan. — (4) D. Aug. Tract. de Fide. Serm. 3.

(1) Tert. L. adv. Jud. 14. — (2) Tert. L. de Spect. 50.

pro tribunali sedens. *Quæ tunc spectaculi latitudo! tot spectans reges, qui in cælum recepti nuntiabantur, cum ipso Jove et ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes? Item præsidēs, persecutores Dominici nominis, sævioribus quam ipsi contra Christianos sævierunt flammis insultantibus liquescentes; præterea sapientes illos philosophos coram discipulis suis, una conflagrantibus erubescentes; etiam poetas, non ad Rhadamanti, nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes.* (1) Ante Christi tribunal apparebunt Alexandri et Cæsares victoriis et triumphis famosi; Neronēs et Domitiani sævitia et crudelitate infames; Platones et Aristoteles tantopere de sapientia commendati; Cicerones et Demosthenes mira eloquentia et facundia præditi; Helene et Cleopatrarum de venustate insignes; et generatim cuncti homines cujusvis nationis, generis et gradus. In tanta statuum et conditionum diversitate; in tanta nationum, populorum et gentium multitudine; in innumerabili illo hominum numero, inter quos virtutis et vitii duntaxat erit discrimen; quomodo ad Christi tribunal apparebunt peccatores? *Palpitantes, præ metu trementes, summa perciti formidine. Annon illis erit timendum coram Deo* 1. Munifico cujus gratias non agnoverunt; 2. Coram Deo infinita majestate prædito, cujus magnitudinem contempserunt; 3. Coram Deo severo cujus indignationem provocaverunt?

I. PARS. *Marcion Deum timeri negat, defendens bonum non timeri, sed judicem, apud quem sint materiæ timoris, ira, sævitia, judicia, vindicta, damnatio.* (2) Verum hæreticus irrationaliter et falso, Christo rationem judicis tollere nititur. Irrationaliter *de Epicuri schola Dominum inferens hebetem.* (3) Falso, quia, ut constat infallibili Scripturæ sacræ oraculo, Dominus *veniet cum cæli nubibus judex* (4), tanto majorem incutiens hominibus timorem, quo majora largitus est eis beneficia. Timebunt scelerosi justitiæ severitatem, metuent etiam ingrati bonitatis effusæ liberalitatem. Etenim in effusioris beneficentiæ officina acerbior ira ingratis excuditur, et beneficentioris gratiæ officiositas furorem obarmat, quam ingratis exprobrabit iratus judex. Exprobrabit illis 1. Tot beneficia oblitos fuisse; 2. De tot beneficiis acceptis nullum fructum retulisse; 3. In divinum benefactorem crudeliter sæviisse.

1. *Plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus ab omni homine.* (1) Ubique et semper gratulari Deo debemus pro tot favoribus ab eo acceptis. Ut autem divinas valeamus decantare laudes, servanda est jugis beneficiorum ejus memoria. Nam, *quomodo gratias Deo canemus, si non manebit in nobis sensus et memoria debiti hujus?* (2) Judith, Holopherne decollato et Assyriorum exercitu profligato, arma quibus præclarum illud egerat facinus *obtulit in anathema oblivionis*; seu, ut expendit Dionysius Carthusianus, *condemnationem immemorationis beneficiorum cunctorum*: ne scilicet Judæi adeo essent ingrati ut diei qua ab Assyriis fuerant liberati, unquam obliviscerentur; quia *ingrattissimus omnium qui oblitus* (3), et ejusmodi oblivio tanto est scelerosior quanto majus est beneficium acceptum, et quanto dignior est ille qui largitur beneficium. *Cum tanta sit injuria oblivio, quanta est gloria ejus cujus oblivio est?* (4) Inde colligenda est judaicæ ingratitude enormitas, quæ Dei a quo tot acceperat beneficia oblita est. *Nam Israël, qui Deo fuerat cognitus, quique ab eo in Ægypto exaltatus fuerat, et per Erythræum pelagum transvectus est, quique in eremo manna cibatus, quadraginta annis ad instar æternitatis redactus, nec humanis passionibus contaminatus, aut seculi hujus cibus pastus, sed Angelorum panibus manna cibatus, satisque beneficiis Deo obligatus, Domini et Dei sui oblitus est.* (5) Quo majora acceperunt a Deo Judæi beneficia, eo major fuit eorum ingratitude: quapropter Deus ut scelerosam illam puniret oblivionem, dum adversitate gravantur, munificentiam suam ad eorum revocat memoriam, ut ejus recordatione amplius torqueantur, iniquam oblivionem justa puniens recordatione, ut eis exprobrat Zeno Veronensis: *Judæe, manna de cælo gustasti, ut cum esses ad egestatem post modum devolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.* (6)

Scelerosi Christiani Judæorum æmulantes, imo superantes ingratitude, divinæ obviscuntur bonitatis, quos ideo pungit Tertullianus: *Certe oblitos agitis.* (7) Quapropter Christus Dominus ad eos confundendos et acrius puniendos, revocabit in memoriam redemptionis beneficium, et ob hanc causam, ut vult Doctor Angelicus, ultimum

(1) Tert. L. de Spect. 30. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 8. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 19. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 10.

(1) Tert. L. de Orat. 3. — (2) Tert. L. de Mon. 10. — (3) Sen. lib. 3. Benef. 1. — (4) Tert. L. de An. 24. — (5) Tert. L. adv. Jud. 3. — (6) Serm. 1. in Exod. — (7) Tert. Apol. 10.

judicium adimplebitur in valle Josaphat, media inter montem Olivarum et Calvarium, ubi Christus tristis effectus est usque ad mortem, et cruci patibulatus est: *Ad exprobrationem ejus qui beneficio ingratus exstiterit.* (1) En stabulum Bethleemiticum, dicit Salvator, in quo pro te natus sum in paupertate, nuditate et frigore. En Salomonis templum, in quo pro te sumpsi circumcisionem et sanguinem fudi. En hortum Gethsemani in quo comprehensus fui, et funibus tanquam scelerosus ligatus. En Calvarium ubi crudelem et ignominiosam sustinui mortem. Ingrate, post tot divini amoris monumenta, post tot cruciatus pro te toleratos, *oblitus es Domini Creatoris tui*; (2) seu, ut legit D. Hieronymus, *oblitus es Dominum vulneratum tuum*, neque ullum passionis ejus retulisti fructum.

2. *Cujus soles et imbres tanquam ingratus habuisti.* (3) Soles et imbres quæ terram fecundant, denotant gratias quibus Salvator hominum mentes illustrat, voluntates sufflammat, ut virtutum exerant fructus. Quemadmodum qui cœlestibus donis suum præbent consensum, bonaque producent opera, in Deum sese exhibent gratos. *Gratus in Deum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris.* (4) Ita illi sunt in Deum ingrati qui ejus respuunt gratias, neque ex illis quidpiam proficiunt, Dei donum contumelia afficientes, ipsumque Deum simul cum suis donis injuriose rejicientes. *Dei dono contumeliam facit; respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet.* (5) Deus homini largitur suam gratiam, ut bene operando, et sibi salutem comparet, et benefactoris procuret gloriam. *Bonorum fructus munerum, in ipsos qui contulerunt revertuntur; et gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit.* (6) Liberalitas namque laudem meretur, et benefactoris gloriam prædicat: at homo scelerosus et ingratus, neque Deum glorificat, neque sibi proficit, sed oblatas respuendo gratias sibi noxius est, Dei dono contumeliosus, ipsique Deo injuriosus quem ejus contemnendo donum despicit. Ideoque Christus ingratos infructuosos, per hædos denotatos, constituet a sinistris: gratos vero et bene operatos, per secundas oves figuratas, ponet a dextris: « Et statuet oves quidem a

dextris, hædos autem a sinistris. » (1) *Hos vocat hædos, illos autem oves, ut horum infructuositatem ostendat (nullus enim fit ab hædis fructus), illorum autem utilitatem: multus autem est ovium fructus, et a lana, et a lacte, et a fetibus qui pariuntur.* (2) Electi ovibus comparantur ob virtutum fecunditatem; præciti vero hædis, ob sterilitatem quam eis exprobrabit Christus Dominus. Exprobrabit illis, ait D. Augustinus, dedisse animam ad sui imaginem formatam, quam suis criminibus deformarunt; corpus puritati in baptisate consecratum, quod fœdis polluerunt voluptatibus; mundi creaturas, quibus iniquissime ad illum offendendum abusi sunt; Angelos ad eorum custodiam, quorum contempserunt ministerium; legem, cujus mandata transgressi sunt; doctrinam, cujus veritates non integrarunt; sacramenta, quæ sacrilegiis profanarunt; virtutum exempla, quæ nullatenus imitati sunt; suum sanguinem, quem impie concularunt; tandem semetipsum, et nullum de ejus nativitate, vita et morte perceperunt fructum. *Pro tanta liberalitate facilius idolis, quam sibi debitum gratiæ referentes* (3), et quod est horribile dictu, adeo munificum benefactorem 1. Contempserunt, *cur non auctorem honoratis, cujus hæc dona sunt?* (4) 2. Dereliquerunt, *ingratus sensu dereliquit liberantem se.* (5) Tandem 3. Persecuti sunt et morte affecerunt.

3. Si humana gens illius est rea, cujus et ingrata (6), quam reus est peccator, 1. Reus oblivionis beneficiorum quæ a Deo accepit, similis Judæis qui Christum in beneficiis non agnoverunt (7); 2. Reus, abusus creaturarum, adhibens universam conditionem usibus vanis, turpibus, injustis, impiis. (8) 3. Reus inutilitatis et defectus virtutis denegans Dei adjutorio suum concursum, gratiamque reddens otiosam, inexercitam et inanem, quæ inutilis et vana est, nisi probis, necessariis et salutaribus usibus adhibeatur. (9) 4. Reus contemptus et contumeliæ dono et datori irrogatæ: nihil est autem quod ita iram sufflammet ac despectus beneficii et benefactoris; et quia scelerosus contemnit redemptionis beneficium in quo Deus humanatus dat semetipsum, non viventem aut regnantem, sed morientem, peccator suo contemptu divinam accendit indignationem. 5. Reus crudelitatis et Christicidii, non solum quia pro suis sce-

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (2) Deut. 32. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (4) Tert. L. de Pœn. 7. — (5) Tert. L. de Pœn. 5. — (6) D. Amb. l. de Naboth. c. 7.

(1) Matth. 25. — (2) D. Chrysost. Hom. 80. in Matth. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 17. — (4) Tert. L. 2. ad Nat. 16. — (5) Eccli. 29. — (6) Tert. Apol. 40. — (7) D. Ambr. in Psal. 59. — (8) Tert. L. de Cor. Mil. 6. — (9) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 6.

leribus mortuus est Christus, sed etiam quia quoties peccat lethaliter, toties Christum recrucifigit. Nunquam Orator Romanus nec majori eloquentia, nec efficaciore sermone locutus est quam perorans pro morte matris, quam filius inhumane interemerat. Ut tanti sceleris demonstraret enormitatem his verbis usus est matricidam alloquens: *Matrem tuam occidisti; quid dicam amplius? matrem tuam occidisti.* Paucula illa verba quæ innuunt tantum, ac tale ejusmodi crimen, ut alteri non sit comparandum, vivacius ejus ostentant gravitatem, quam omnis verborum facundia quam adhibere potuisset Orator. Non absimiliter Christus ut ostendat scelerosis quanta crudelitate eum cruci affixerint, illis dicet: *Ecce hominem quem crucifixistis! videte vulnera quæ inflixistis* (1); videte caput spinis coronatum, manus et pedes clavis transfixos, totum corpus flagellis dilaniatum, cor lancea percussum, Deum vestrum cruci patibulatum.

Theodoricus rex injuste damnarat Symmachum quem crudeliter jussit decollari. Paucis post diebus cœnanti sibi, cum miræ magnitudinis piscis decoctum caput appositum vidisset, illico expavescere, oculos extorquere et avertere cœpit Theodoricus, extensa manu famulis mandans: *Auferte, inquit, caput hoc Symmachi, tollite ne diutius videam; tollite, ejus aspectum ferre non valeo. Symmachi nuper occisi caput illi visum est* (2), ait Procopius. Theodoricum lancinat conscientia, et quo torqueat magis, in abscisso piscis capite Symmachi innocui caput repræsentatum intuetur. Nec minus Neronem turbabat occisæ matris aspectus. Monstrum illud naturæ post enecatam Agrippinam, acerbissimum patiebatur tormentum, suos oculos nunquam ab specie materna divertens, de quo sic fatur Historicus: « Occisa matre Agrippina sceleris conscientiam aut statim, aut nunquam postea ferre potuit; sæpe confessus agitari se materna specie, verberibus furiarum actelis ardentibus. » (3) Quod si inaginario Symmachi et Agrippinæ aspectus adeo Theodoricum et Neronem exagitat, qualis erit reproborum timor et conturbatio videntium Christum, non in aliqua specie, sed vere et realiter præsentem, et crudelitatem quam in illum exercuerunt eorum oculis objicientem? Quod pulchre, quamvis longiuscule refert, Eusebius Emisenus: *Cogitemus illius judicis adventum, qui utinam sic nos paratos inveniat, quomodo*

nemo potest dubitare quod veniat. Quod si requiras quomodo veniet, illo utique corpore quod pro nostra salute susceptum, pro nostris criminibus addictum, pro nostra absolute damnatum, et pro nostrorum vulnerum medicina, lancea clavisque transfixum est. (1) Servabit passionis monumenta, vulnerum cicatrices cum quibus veniet ad iudicium ut acrius torqueat præscitos. Nam, ut addit Eusebius, *prima enim erit in reos intoleranda sententia, reverendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra nos crucifixi Domini livores, nota peccatorum nostrorum, ac maculæ libidinum profitentur? Aut quo putas vultu respiciet redemptio nostra perditionem nostram? Tanto graviora erunt humana delicta, quanto majora se ostenderant divina beneficia: et cum redemptionis beneficium sit maximum, de amisso illius fructu maxime dolebunt reprobi, et de Redemptoris præsentia et conspectu summe timebunt. Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt: quia Crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt.* (2) Et ita summo tremore concutientur adstantes coram Deo munifico cujus gratias non agnoverunt, et coram Deo infinitæ majestatis, cujus magnitudinem contempserunt.

II. PARS. Ultimum iudicium nuncupatur a Tertulliano *dies magnus Domini et illustris*, quia coruscantes et fulgidas quas velaverat formas, manifestabit. In Incarnatione tres magnas et gloriosas formas, sub tribus abjectissimis occultarat: formas scilicet Dei, regis et judicis. Formam Dei sub forma hominis; formam regis, sub forma servi; formam judicis, sub forma rei; et hoc ne hominibus incuteret timorem, sed demonstraret amorem. At in iudicio, ut magis terreat scelerosos qui eum sub humilitatis formis latitantem contempserunt, gloriosas illas resumet formas, et apparebit sub forma 1. Judicis; 2. Regis; 3. Dei.

1. *Veniet cum cœli nubibus iudex.* (3) Christus Dominus, universalis omnium iudex, in die iudicii summa severitate suum perficiet ministerium. *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* (4) Tantum abest ut homines scelerosi Christum iudicem honorificarint, quin imo illum iudicandi auctoritatem temere usurpaverunt. Rei similitudo quam ex amore assumpserat ut de peccato damnaret

(1) D. Aug. lib. de Symb. ad Catech. — (2) Lib. 1. de Bel. Goth. — (3) Dio. in Ner.

(1) Hom. 4. ad Monach. — (2) D. Chrysost. Hom. 77. in Matth. — (3) Teri. L. 4. adv. Marc. 10. — (4) Joan. 5.

peccatum, dedit illis audaciam judicis munus tollere Christo sibi que insolenter arrogare. *In humilitate judicium ejus sublatum est.*

(1) Ultra suscepta humilitas quæ hominum æstimationem et amorem debebat acquirere, eorum contemptum et odium attraxit : quapropter *qui venit judicandus, veniet judicaturus.* (2) Tum ut contemptum sibi irrogatum repararet, et honoretur ab eis qui contempserunt illum. *Quod enim modo sustinet peccatores, judicaturus est contempnentes.* (3) Tum, ut juste judicet illos qui eum injuste judicarunt. *Manifestus veniet judicaturus juste, qui prius venit occultus ab iniquis judicandus injuste.* (4) Tum ut iniquis illis iudicibus silentium imponat, ante quos ipse siluit. *In voce judicis evidens apparebit, qui prius cum venisset occultus, ante iudicem siluit.* (5) Tum ut tanquam veros reos condemnet iudices iniquos, qui eum tanquam falsum reum condemnarunt. *Damnabit veros reos, qui factus est falsus reus.* (6) Tum ut criminosis ostendet quanta sit iudicis Dei offensus et irati severitas. *Judex terribiliter districtus, inæqualiter severus, immoderate offensus, vehementer iratus.* (7)

Recogita, Christiane, reum adstantem coram augusto Parlamento ex venerandis Senatoribus composito, quorum officium, ait Theodosianus, codex est *auctoritatis formidabile ministerium.* Quantumvis magna audacia polleat scelerosus, ille terretur tamen coram iudicibus, in quorum facie et oculis legitur justitiæ rigor et severitas : at terror quo moventur criminosis ante humanam justitiam, non est comparandus timori quo torquebuntur peccatores ad *formidabile illud nec ulli mortalium tolerabile Christi iudicium* (8) : ubi Christus, ait D. Cyprianus (9), tanto formidabilior videbitur sub forma iudicis, quanto contemptibilior apparuit sub forma peccatoris. Bone Deus ! qualis erit reprobatorum timor coram supremo illo iudice cum in ejus conspectu, *et ipsæ vires cælorum concuti habeant*? (10) Hujusmodi autem virtutes cælorum quæ movebuntur (11), sunt Angeli : nam, ut expendit Glossa, *Angelicæ potestates tremunt adventum iudicis* ; et licet cælestes spiritus felicitate potiantur, sintque securi de æternæ beatitudinis duratione, attamen de ultimo iudicio pertimescent, et *furorem iudicis aspicere non aude-*

bunt. (1) Quod si queramus a D. Hieronymo cur in monte Thabor transfigurato Domino, Petrus, Joannes et Jacobus « timuerunt valde, et ceciderunt in faciem suam ; » (2) respondebit, quia Christus *qualis futurus est tempore iudicii, talis apparuit.* In resurrectione etiam Salvatoris, « et ecce terræ motus factus est magnus : » (3) quia scilicet Angelus Domini descendit de cælo. Inde colligit Chrysologus : *Quæ conservi, hoc est Angeli, præsentiam sustinere non valuit, quemadmodum Deum iudicem sustinebit ?* (4) Homo per terram denotatur, quia ex corpore terreno componitur : terra illa præsentiam Angeli ferre non valet : ideo Israëlita quibus Deus loquebatur per Angelos, dicunt ad Moysen : Non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur. (5) Quod si homines conservos Angelos ferre non valent, quomodo Deum iudicem sustinebunt ? Angelus per cælum denotatur, sicut homo per terram ; at in die tremenda iudicii, cæli movendi sunt et terra. Quod si tunc etiam Angeli, Beati, sancti quoque homines movebuntur, quid facient peccatores, *sacrilegii, et rei majestatis* (6) divinæ quam insolenter offenderunt ? Tantus erit illorum tremor. ait D. Hieronymus, *ut damnatis melius esset sustinere inferni pœnas quam Domini præsentiam iudicantis.* (7) Si ab eorum dependeret voluntate, aut atrocissima pati gehennæ supplicia, aut terribilem irati iudicis conspectum, potius eligerent, ait S. Vincentius Ferrerius, inferni supplicia quam Christi præsentiam.

Christiane, revoca ad memoriam quæ acta sunt in horto Gethsemani, ubi militum cohortis prostrata est. Quænam vis perversos illos prostravit milites ? terrane sub eorum pedibus tremuit ? suntne fulgura emissa de cælo, forte Angelorum chori visi sunt ad pugnandum pro Christo armati : *Quo mihi ordines Angelorum, quo mihi cælestem exercitum ? vox Domini sola plus terret.* (8) Ceciderunt retrorsum ferre non valentes vocem Domini. *Qui ceciderunt ad unam vocem Christi morituri, quid facient sub voce iudicaturi.* (9) Militibus benigne locutus est Christus, non iudicis demonstravit severitatem, sed agni mansuetudinem : *Nondum eos in iudicium trahebat, nondum tribunalis terrorem ostentabat, nondum iudicii flammam accendebat* (10), sed amoris monumenta

(1) Esa. 53. — (2) D. Aug. in Psal. 66. — (3) D. Aug. Tract. 55. in Joan. — (4) D. Aug. lib. 20. Civ. 24. — (5) D. Aug. ibid. — (6) D. Aug. Serm. 64. de Verb. Dom. — (7) D. Aug. lib. Medic. c. 22. — (8) D. Basil. in Psal. 51. — (9) Tract. de Laps. — (10) Tert. L. 4. adv. Marc. 59. — (11) Luc. 21.

(1) D. Hieron. in c. 4. Joel. — (2) Matth. 17. — (3) Matth. 28. — (4) Serm. 57. — (5) Exod. 20. — (6) Tert. Apol. 10. — (7) In c. 28. Matth. — (8) D. Ambr. in c. 22. Luc. — (9) D. Aug. Tract. 113. in Joan. — (10) Basil. Sel. Orat. 25.

præbebat, et tamen ad unam vocem audaces prostravit milites: *Ego sum dicens, et impios dejecit; quid judicaturus faciet, qui judicandus et hoc fecit? quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit?* (1) Etsi in humili forma servi inimicos exterruit, quanto timore perentiet reprobos in forma regis superbi et triumphantis?

2. *Data est illi regia potestas* (2), etiamsi illam quoad conversatus est cum hominibus non exercuerit: ideo servi ducens vitam dicere solebat: Regnum meum non est de hoc mundo, at in die judicii, *in tempore scilicet regni* (3), totam regie potestatis ostentabit majestatem. Acute animadvertit D. Hieronymus, quod dum Deus ad magnum illud invitavit convivium, homo rex dicitur: « Simile est regnum cælorum homini regi; at dum illum condemnat qui absque veste nuptiali accesserat, non amplius homo; » (4) sed rex simpliciter nuncupatur: « Tunc dicit rex. » *Quando invitabat ad nuptias, et agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est; quando ad ultionem venit, homo siletur, et rex tantum dicitur.* Eodem modo loquitur Evangelista de Christo ad judicium veniente, et in damnatos sententiam pronuntiante. Dum ad judicium venturus dicitur, nuncupatur Filius hominis: « Cum venerit Filius hominis. » At dum sententiam terens proditur, rex appellatur. « Tunc dicit rex; » et quoties in Oratione Dominica postulamus, « adveniat regnum tuum, » ultimum postulamus judicium: *Cum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem seculi tendat, optamus maturius regnare, et non diutius servire.* (5) Quoties Orationem Dominicam proferimus, toties mundi optamus consummationem, ut Christus non amplius vilem servi exhibeat formam, sed sublimem regis ostendat majestatem; non minus formidabilem quam rigidam supremi judicis auctoritatem.

Xerxes, Persarum imperator, regalibus indutus vestibus, tanto majestatis splendore coruscabat, ut milites qui eum conspexerant pallescerent: sciscitante autem hujus palloris causam: Ut quid pallescitis, commilitones? responderunt: Insolita quædam Imperatoris majestas est in causa. (6) Idem eveniet in die judicii, in quo Rex regnantium Christus apparebit *honestiore et gloriosiore regni sui* (7)

pompa, et tanta fulgebit majestate ut non solum exterreat scelerosos, sed etiam innocuos. Seditione olim facta in exercitu Scipionis Africani, Scipio, congregato coram se exercitu, militum causas cogniturus, sedit pro tribunali tanta majestatae præditus « ut nemo miles ex inermi exercitu esset qui aut e terra oculos erigere, aut dicentis vultum sustinere per ruborem posset: conscientia enim perpetratae rei, et suppliciorum metus terrebat animos, et optimi ducis præsentia noxiis pariter et innoxiiis ruborem incutiebat. » (1) Quanto major est regis Christi, qui est *beatus, et solus potentator, et Rex regnantium* (2), quam cunctorum ducum, regum et imperatorum majestas, tanto majorem incutiet terrorem, et si adhuc infans in cunis ligatus exterruit Herodem, quid faciet in solio sedens, et de inimicis vindictam sumens? *Quid est tribunal judicantis, quando superbos reges cuna terrebat infantis?* (3)

Legitur in sacris paginis quod rex Assuerus *residebat super solium regni sui, indutus vestibibus regiis, auroque fulgens et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu* (4), non solum mancipiis et servis, non solum domesticis et magnatibus, sed ipsimet Esther: *Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput.* Majestas regis deliquium reginæ attulit non valentis ejus ferre gloriam. *Conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Infelix peccator, qualis erit tuus in die judicii timor? Conturbatur Esther coram Medorum rege, et tu adstabis coram Rege regum et Domino dominantium? Esther terretur ad præsentiam principis auro et lapidibus pretiosis induti, et tu coram Christo amicto lumine sicut vestimento? Esther coram sponso qui eam tenerrime et ardentissime diligebat, tu coram Rege offenso et irato, qui te summe aversatur. Esther terretur in conspectu hominis mortalis, et tu in conspectu Dei immortalis, qui tanta fulgebit majestate divinitatis in forma, quanto fuit despectus humilitatis in forma.

3. Credimus Christum in cælis sublimatum in die Ascensionis, *venturum inde suggestu paternæ claritatis prædicamus* (5), quod ipsemet asseverat Salvator. Nam, cum a Summo Pontifice Caïpha adjuratur an vere sit Christus et Filius Dei naturalis, ad per-

(1) D. Aug. Tract. 112. in Joan. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 59. — (3) Tert. ibid. — (4) Matth. 2. — (5) Tert. L. de Orat. 5. — (6) Theat. Vir. Hum. tom. 1. lib. 6. — (7) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 25.

(1) Plut. in Scip. — (2) Tert. L. de Res. 23. — (3) D. Aug. Serm. 50. de Temp. — (4) Esth. c. 15. — (5) Tert. L. de Carn. Christ. 16.

suasionem et confirmationem majestatis divinæ allegat sublimitatem quam in ultimo habebit iudicio : « Verumtamen dico vobis : amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli, » (1) *cum plurima virtute* (2), non solum quia supernis stipabitur spiritibus, sed etiam quia summa pollebit potestate, et divinam manifestabit majestatem. *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et Patris, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* (3) Venturus est Christus in majestate, id est, in divinitate, explicat Hugo *Carepsis*, quæ tunc palam cognoscetur; veniet cum majestate Patris, scilicet cum tota virtute et majestate divinitatis, quæ est illi et Patri communis. At cur Evangelista, imo ipsemet Christus, diem horribilis iudicii advocat in signum augustioris majestatis? Nonne aptius resurrectionis gloriam allegaret, aut gloriosæ Ascensionis triumphum, aut Thaboris fulgorem, aut sublimem ad Patris dexteram sessionem? Verum quia *ad iudicium veniet, humilitatem nesciens* (4), pro illustriori divinitatis insigni, ultimum producit iudicium. Judicaturus namque orbem, adeo sedebit gloriosus in augusto majestatis solio, ut ad denotandam plenissimam divinitatis manifestationem, cætera omittat gloriæ insignia, et tantum iudicii ultimi advocet gloriam, ad quod veniet *humilitatem nesciens*. In cæteris dominicæ gloriæ insignibus humilitatem scivit Salvator. Cum adoratur a Magis, parvuli sapit humilitatem; cum in monte Thabor transfiguratur, passionis ignominiam commemorat; cum gloriosus exsurgit de tumulo, conversatur adhuc cum mortalibus; cum in cælum ascendit triumphans, a nonnullis ejus cognoscitur divinitas, a multis ignoratur, imo negatur. At in ultimo iudicio, *tanquam Filius hominis adveniens* (5), humilitatem nesciet, ejusque divinitas a cunctis cognoscetur. Quandiu conversatus est cum hominibus, Christus fuit semper humilis; at in mundi consummatione, nesciet humilitatem, et totam majestatis divinæ ostendet plenitudinem. Quod belle declarat Tertullianus : *Duobus enim adventibus Christi significatis: primo, qui jam expunctus est in humilitate conditionis humanæ; secundo, qui concludendo seculo imminet in sublimitate divinitatis exertæ.* (6) Tantus erit Christus Deus in rigoribus, ut vel tunc maxime majestatem divinitatis exerat et ostendet. Modo Christi divinitas humanitate occultatur, majestas sub humilitate

subducitur; at in die iudicii, majestas non amplius humilitate velabitur, divinitas humanitate non occultabitur, neque virtus et potestas sub infirmitate latebit, sed totam potestatis emittet virtutem, majestatis ostentabit fulgorem, divinitatis exeret sublimitatem.

Christus est *homo Deo mistus* (1) : magnus et parvulus, humilis et sublimis, passibilis et impassibilis; despectus et gloriosus, et, ut fatur Tertullianus, *miscente in semetipso hominem et Deum; in virtutibus Deum: in pusillitatibus hominem, ut tantum homini conferrat, quantum detrahit Deo.* (2) Ex pusillitatibus namque quas assumpsit in humanatione Deus, sumunt ansam peccatores et illum ignorandi et illum velut dimidiate cognoscendi humanas: duntaxat pusillitates considant, ad divinas virtutes non spectant; formam hominis intuentur, non vero Dei formam; attendunt humanam dejectionem, non vero divinam majestatem; frigore argenti in præsepio conspiciunt, nec recogitant quod in sua indignatione cæli movet columnas et Angelos timore concutit. Uno verbo humanas dedignantur pusillitates, et divinas non reverentur virtutes. *Verendum est ne maxima hominum pars Deum inæquate et quasi dimidiate cognoscat.* (3) Ex dimidiata illa et inadæquata notitia qua Christus cognoscitur *non secundum plenitudinem divinitatis* (4), nascitur in hominum animis ejus contemptus; at in die iudicii, despectus ille Salvator cognoscetur adæquate. Tunc impii qui ejus negarunt divinitatem, eam tormentis coacti fatebuntur. *Cognoscetur Domini iudicia faciens.* (5) Tunc suam manifestabit dominationem de inimicis suis sumens vindictam. *Et notus efficiar cum judicavero te, et scies quia ego sum Dominus.* (6) Tunc suam ostentabit gloriam superbis qui eum contempserunt. *Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.* (7) Tunc suam exercebit justitiam erga scelerosos qui ejus iram non formidarunt: *Dijudicabit Dominus in igne.* (8) Hebræa lectio habet: *Dijudicabitur Dominus in igne;* id est, homines scelerosi qui eum iudicem non æstimabant, iudicem severum sentient.

Eodem modo se habent peccatores erga Christum quo Philisthæi erga Jonatham, qui *munibus pedibusque reptans* (9) montem, ab iis per derisum invitatus est ut eos adiret.

(1) Matth. 26. — (2) Tert. l. 4. adv. Marc. 59. — (3) Matth. 25. — (4) Petr. Dam. Serm. 57. — (5) Tert. ibid. — (6) Tert. Apol. 21.

(1) Tert. Apol. 21. — (2) Tert. l. 2. adv. Marc. 27. — (3) D. Bas. Orat. de Iudicio. — (4) Tert. l. adv. Prax. 14. — (5) Psal. 9. — (6) Ezech. 55. — (7) Psal. 95. — (8) Esa. 66. — (9) L. 1. Reg. 24.

At princeps ille statim ac pervenit ad cacumen montis, hostium provocatione et contemptu indignatus, stricto gladio tanto furore eos aggreditur, quod alii calebant ante eum, alios armiger ejus interficiebat. Jonathas, qui, ut animadvertit Lyranus, idem est ac columba, montem magno cum labore ascendens, repræsentat Christum in Calvariae locum crucem deferentem. Philisthæi Jonatham iridentes, significant criminosos humilem et patientem despicientes Salvatorem; Jonathas iratus et præ furore Philisthæos profligans, figurat Dominum, qui in ultimo judicio, totam divinitatis suæ ostendet potentiam, et criminosos a suo aspectu fugabit: *Exsurgat Deus ut dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.* Iracundia quæ apparet in facie Jonathæ, quæque terret et in fugam convertit Philisthæos, innuit Domini indignationem, quam videntes reprobi arescent præ timore: *A facie iræ columbæ, et a facie furoris Domini.* (1) Vatablus legit: *A facie oppressoris*; Hebræus: *A vino furoris Domini* (2); Chaldæus: *A facie inimici: quod iram columbæ prædixerat, hoc furorem Domini subjungit*; quia est furor Dei infinitæ majestatis contempti, et Dei summæ justitiæ, ad iracundiam provocati.

III. PARS. *Sublimitas timoris ejus elata est* (3), quam scelerosis incutiet ejus indignatio. Nam, ut fatur Tertullianus, *quid timeatur nisi ira?* (4) Ira singulorum hominum est pertimescenda: *nam ultio fructus est iræ.* (5) Verum regis ira est multo magis formidanda quam cujusvis hominis privati. Cuncta sunt metuenda in supremo principe, quia potest quidquid vult, et ejus furor potentiæ commensuratur quemadmodum potentia voluntati. (6) Sacer textus regis iram confert cum rugitu leonis: *Sicut fremitus leonis, ita et ira regis.* (7) Leo suo rugitu cunctas silvæ terret feras, et regis indignatio cunctos commovet subditos. Verum si indignatio regis nuntius mortis (8), Dei ira absque ulla dubitatione cunctis præscitis inferret mortem, nisi ejus potentia illos efficeret immortales, ut æternam possint in inferno sustinere pœnam. (9) Ut autem aliqualem divinæ indignationis habeatis notitiam, sat est scire quod erit ira 1. Dei potentis offensi; 2. Dei patientis contempti; 3. Dei amanti derelicti.

(1) Esa. 35. — (2) D. Greg. lib. 52. Mor. 17. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 59. — (4) Tert. Lib. de Test. An. 2. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 26. — (6) Sen. lib. 1. de Clem. 8. — (7) Prov. 19. — (8) Prov. 16. — (9) Euseb. Emiss. Ep. 24 Rom.

1. *Unde ira, nisi ex animadversione? unde animadversio, nisi de judicio? unde judicium, nisi de potestate? cujus potestas summa, nisi Dei solius?* (1) Judicium ultimum in quo Deus summam ostendet potentiam, ejus demonstrabit animadversionem; animadversio autem iram accendet; magnitudo autem animadversionis et iræ sufflammabitur; tum ab omnibus criminibus quæ unquam commissa sunt; tum a præsentia cunctorum peccatorum sive hominum, sive dæmonum; tum a suscitatæ præscitorum corporibus, quæ peccatis ministraverunt, neque ullam adhuc pœnam subierunt. Hæc omnia divinam succendent iram, quæ tanta erit ut præ admiratione dicat Regius Vates: *Quis novit potestatem iræ tuæ!* Quasi dicat: Tanta erit in ultimo judicio Dei ira ut superet cunctos Arithmeticæ numeros et omnes intellectus creati notiones. Deus demonstravit virtutem potentiæ suæ creaturas producendo de nihilo: virtutem sapientiæ mundum ordinate disponendo: at in ultimo judicio, virtutem iræ suæ manifestabit de peccatoribus vindictam sumendo. Quælibet ex his divinis perfectionibus aliquod habet tempus suæ destinatum dominationi. Regnum potentiæ fuit potissimum in mundi exordio; regnum sapientiæ sese extendit ab initio usque ad finem mundi; regnum justitiæ et iræ in fine mundi elucebit. *Nunc enim non infert furorem suum, nec irascitur valde* (2); nunc in pœnis infligendis moderatus est Dominus, non exhibet totam iracundiæ suæ acerbicatem, summum justitiæ suæ rigorem non ostendat: *at non pareet in die vindictæ iræ suæ* (3), sed totam iræ ostendet virtutem, et sicut ignis vehementer accensus, omnia devastat, sic indignatio ejus effusa est ut ignis. (4)

Nihil non perfectum operatur Deus; sese dejiciens usque ad exinanitionem, humiliatur; homines amans, amore quodammodo infinito eos diligit, divinitatem humanitati adnectens; dona diffundens, liberalitatem suam velut effudit in Eucharistiæ sacramento; humanam operans salutem, sanguinem suum fundit, et crudele et ignominiosum crucis patitur supplicium; iram suam in judicio demonstrans, summam indignationem propalabit. *Sicut viventes, sic in ira absorbet eos.* (5) Hebræa lectio habet: *Sicut vivens, sic ira.* Non ulciscetur ut sapiens, ut potens, ut rex, sed ut vivens. Non vocitatur a Propheta Deus majestatis, Deus fortis, Deus justitiæ: hi omnes tituli non satis denotant

(1) Tert. L. de Test. An. 2. — (2) Job. 35. — (3) Job. ibid. — (4) Nahum. 1. — (5) Psal. 57.

iræ magnitudinem, quæ melius exprimitur dum nuncupatur vivens. Impii Deum negarunt, et quasi non esset Deus, criminose vixerunt. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus; propter quod irritavit impius Deum?* (1) Seu, ut legit Biblia regia, *ad iram provocavit*. Ut autem tantam redarguat Deus impietatem, ulciscetur ut vivens. Peccator suis criminibus Dei vitam aggredi tentavit, eique necem afferre molitus est: quare de Deicidio illo sumet vindictam ut vivens; et sicut homo qui evasit homicidæ manus qui ei vitam volebat adimere, vehementer irascitur: sic summa erit Dei indignatio adversus criminosos qui ad ejus attentarunt vitam, *extendet manum suam super eos: tunc firmabit dexteram suam quasi hostis*. (2)

Tantam Dei indignationem considerans Apostolus, exclamat: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*. (3) Deum appellat viventem dum castigat, quasi non tam vivens et efficax sit dum miseretur. Vivacior et efficacior videtur Deus quando justo furore accensus crimina punit offensus, quam dum munera largitur munificus. Hanc ultionis vivacitatem ostendet in ultimo judicio adversus reprobos. Tunc apparebit *Deus ultionum, Dominus Deus ultionum libere egit*. (4) Ultionem ingeminat, ut exaggeret vindictæ rigorem, neque tantum Deus dicitur, sed Dominus, ut supremum in scelerosos dominium exercere dignoscatur. Addit Propheta: *Libere egit*. Cæteri judices juxta leges reis infligunt supplicia; at Deus, qui est supremus creaturarum Dominus, pro sua voluntate, rigide animadvertet in criminosos et libere infliget justitiæ severitates: libere et pro arbitrio puniet Deus reprobos. *Deus solus metuendus cujus potestati non natura præscribat*. (5) Non quod modum excedat in supplicii, sed quod legum humanarum non servat modum quia super omnes leges est, neque ullo legum modo cohibetur. Injustum est tyranni imperium, cum irata ejus voluntas est illi pro lege insolenter aientis: *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*; non attendens, neque ad rei innocentiam, neque ad Dei legem cui subjacet, neque ad regni statuta et decreta quæ inviolabiliter servare tenetur, sed ad arbitrium iræ. At Deus pro arbitrio puniens, non est de injustitia culpandus, tum quia pœnas modulatur juxta criminum gravitatem; tum quia supplicia decernit juxta leges a sua voluntate libere præscriptas. Hæc est pia tyrannis et

justa crudelitas qua pro arbitrio punit: *Judex necessario severus, et de severo sævus, si tamen sævus*. (1) Duplici ratione sævit in reprobos, tanquam Deus potens offensus, et tanquam Deus patiens a peccatoribus despectus.

3. *Sed et judicem Deum ab Apostolo circumferri sæpe jam ostendimus, et in judice ultorem*. (2) Verum de quo sumet vindictam ultor ille judex? De divina scilicet majestate offensa, et de diuturna patientia contempta, ex qua delinquendi ansam humana sumit temeritas. *Miror admodum Dei potentiam, ut contrario humanæ temeritatis audaciam*. (3) Lugenda peccatoris temeritas qui non timet Deum, cum quasi de ejus bonitate securus est. (4) De patientia Dei velut securus securitate peccandi, divinam contemnit patientiam. Sed prorsus admiranda Dei bonitas, quæ cum habeat in sua potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam. (5) Hanc multam nuncupat Apostolus: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ*. (6) At, proh dolor! quot sunt vasa iræ? Quot athæi Dei existentiam negantes? quot idololatræ falsa numina colentes? quot Mahometi sectatores felicitatem in corporeis voluptatibus constituentes? quot hæretici errores pertinaciter tuentes? quot impii blasphemias in divina mysteria jaculantes? quot sacrilegi Christi sanguinem in sacramentis contentum conculcantes? quot perversi Christiani depravatis moribus religionem dehonestantes? quot scelerosi et peccatores divinam majestatem offendentes? tot sunt vasa iræ quæ sustinet Deus in multa patientia, quibus media ad salutem sufficientia non denegat, quorum conversionem expectat, quorum crimina patienter tolerat. *Sustinet Deus ingratisimas nationes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inolescentem, ut sua sibi patientia detrahat*. (7) Nam, Deus tandiu sustinens tot criminum temeritates, tot facinorum perversitates, tot profanorum impietates, contumeliosus sibi est apud homines. *Qualis vero et quanta patientia, in contumeliam suæ majestatis et honoris?* (8) A diuturna namque et multa patientia dedecoratur Deus ab hominibus, qui inde, vel 1. Deum negant: *Plures enim Domino idcirco non credunt, quia seculo iratum tandiu nesciunt* (9); vel 2. Stupentem et non providum existimant: *Injuriosus a quibusdam, et quasi negligens*

(1) Psal. 13. — (2) Ezech. 6. — (3) Hebr. 10. — (4) Psal. 95. — (5) D. Amb. in c. 12. Luc.

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 27. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 13. — (3) 2. Clem. Rom. lib. 2. Recog. — (4) D. Aug. lib. 2. de Serm. Dom. in Mont. 22. — (5) D. Cyp. — (6) Rom. 9. — (7) Tert. L. de Pat. 2. — (8) D. Cyp. lib. 1. de Pat. — (9) Tert. L. de Pat. 2.

humanorum actuum creditur. (1) Vel 3. Impotentem, timidum, et non valentem punire legis suæ transgressores prædicant. *O Deum veritatis prævaricatorem, sententiæ suæ circumscriptorem! Timet damnare quod damnat; timet odisse quod non amat; factum sinit, quod fieri non sinit; mavult ostendere qui nolit, quam probare.* (2) Vel 4. Criminum auctorem, et consortem proclamant. *Suspiciatus es inique quod ero tui similis; parum est quia mala facta placent tibi, placere putas et mihi: Deum quia non statim pateris ultorem, vis habere participem.* (3) Vel 5. Si non auctorem peccati, assentatorem tamen prædicant. *Ecce enim, etsi non auctor, sed assentator mali invenitur Deus.* (4) Vel 6. Nimiam bonitatem ab omni justitia alienam arrogant. *Quis est iste Deus tam bonus ut homo ab illo malus fiat?* (5) Nam ex illa nimia et delictis blandiente bonitate sumit peccator audaciam et temeritatem delinquendi. *Nimirum Dominus ingratis benignus, ut non magis irascatur contumeliis clementiæ suæ, quam blandiatur.* (6) Existimatio namque quam habet scelerosus quod Deus criminibus non irascatur, sed potius blandiatur, dat illi delinquendi securitatem, contemnendi Deum temeritatem.

Verum etsi in multa patientia peccatores sustineat Deus, tandem punit scelerosos illos qui ejus contemnunt patientiam, et sibi de ejus bonitate adulantur. *Deus zelotes qui naso non deridetur, adulantium sibi bonitatem ejus.* (7) Quanto major est ejus bonitas, et diuturnior patientia, tanto severiorem sumet ultionem de atheis qui ejus negarunt divinitatem; de Epicureis qui improvidum et stupentem existimarunt; de impiis qui blasphemias in eum vibrarunt; de cunctis generatim scelerosis, qui ex ejus bonitate et patientia securius et audacius peccarunt, et patientia erit judex, et ultor contemptus, quam habuerunt de divina patientia. *Quid ergo credimus judicem illum, si non et ultorem? Hoc se nobis repromittit dicens: Vindictam mihi, et ego vindicabo; id est, patientiam mihi, et ego patientiam remunerabo.* (8) Offensam a peccatoribus patientiam, ulciscetur Deus in die judicii, et ipsamet patientia contempta de contemptoribus sumet vindictam. *Deus æmulator, ulciscens Dominus, et habens furorem; ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis: Dominus patiens et magnus fortituline.* (9)

(1) Salv. lib. 1. de Gubern. Dei. — (2) Tert. L. 1. adv. Marc. 27. — (3) D. Aug. in Psal. 49. — (4) Tert. L. adv. Herm. 10. — (5) Tert. L. 1. adv. Marc. 25. — (6) Tert. L. de Pud. 10. — (7) Tert. L. de Pud. 2. — (8) Tert. L. de Pat. 10. — (9) Nahum. 1.

Dei zelus, ultio, indignatio, furor, in inimicos suos, ab ejus contempta patientia procedunt. Res mira! Dei tolerantior patientia, erit ira vehementior; Dei blandior patientia, erit justitia acerbior; mitior Dei patientia, erit vindicta severior; Dei velut negligentior patientia, erit iratior furor. Species quidem iræ et furoris adhuc inaudita, modus ulciscendi inusitatus: hoc tamen erit mysterium patientiæ Dei contemptæ, in cujus sinu concepta est vindicta. De ea dimanabit furor, ne potius dicamus quod in die judicii ira, ultio, severitas ac furor erunt idem cum patientia. Patientia illa miserescens, et justitiam divinam exarmans, armabit justitiam, ad acerbiores quosque infligendos cruciatus: patientia illa velut insensibilis tot peccatorum sustinens contemptus et indignitates, de suis hostibus ulciscetur; patientia illa longanimis, peccata dissimulans iram et furorem accendet; diuturna illa patientia toties a scelerosis contempta, parturiet supplicia queis puniantur; diuturna illa patientia tanta suavitate scelera sustinens, in severitatem et furorem erumpet; diuturna illa patientia cum misericordia consentiens, scæderabitur cum justitia, ejusque rigores incrementabit; et quemadmodum torrens per vim detentus, retinacula rumpens magno impetu cuncta devastat, ita diuturna Dei patientia, bonitate et misericordia retenta, erumpet in iram, vindictam, furorem adversus criminosos. *Exsurge igitur, veritas, et quasi de patientia erumpe.* (1) In mundi consummatione Dei justitia de patientia erumpet, et cunctos suos rigores in criminosos extendet. Ut enim ait Propheta Evangelicus, *Dominus sicut fortis egreditur; sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur, et clamabit, super inimicos suos confortabitur.* (2) At unde Deo humanato tanta fortitudo? unde Deo pacis amanti tam ardens præliandi amor? unde Deo mitissimo tantus furor, tam grandis severitas? Ipsum audite: *Tacui, semper silui, patiens fui, ut parturiens loquar: dissipabo et absorbebo simul.* (3) Vociferatio de silentio erumpet, furor de patientia procedet, de lenitate nascetur indignatio Dei patientis despecti et Dei amanti derelicti.

3. *Dereliquistis Dominum, et in iram provocastis Sanctum Domini.* (4) Timenda est supremi principis ira, qui valens efficere quidquid vult absque ulla resistentia, indignationis producit effectus. Magis adhuc metuendus furor Regis offensi qui existimat acerbiora

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 3. — (2) Esa. 42. — (3) Esa. 42. — (4) Tert. L. 3. adv. Marc. 15.

quæque posse jure merito infligere supplicia, ut sibi irrogatum puniat contemptum; at imperatoris indignatio nunquam tantopere furit quam dum ejus amori succedit. Cum enim sit offensus in re omnium magis sensibili, nempe corde, quærit ultionem amoris magnitudini, et injuriæ illatæ commensuratum. Quemadmodum maximæ naturæ concussionem eveniunt ex contrariorum occursu: et sicut tonitrua, quæ in aere audiuntur, ex conflictu caloris et frigoris procedunt, sic vehementiores iræ impetus ex vehementi oriuntur amore, ut patet in amasiis, qui a persona amata despecti et derelicti, ira et furore exagitantur. *Amatores voluptatum, si his destituantur, irascuntur et exasperantur.* (1) Cujus optimam subministrat rationem Cassiodorus: *Quia tam ira quam libido ignes sunt, et inflammant cor; unde ab una ad aliam facilis est transitus.* (2) Eadem veritas experientia comprobatur in conjugatis, quorum zelotypia ex amore nascitur; ex zelotypia autem odium, indignatio, furor, vindicta et cædes persæpe oriuntur. *Proinde enim æmulationi occurrant necesse est officiales suæ in ea quæ æmulantur, ira, discordia, odium, dedignatio, indignatio, bilis, nolentia, offensa.* (3)

Sicut qui voluptatis corporeæ sufflamman- tur incendio, facile transeunt ab amore ad odium, adversus scorta vel uxores quæ eorum repudiarunt amorem, et nulla est ultionis species quam eis non inspiret qua laborant zelotypia; ita purus et spiritualis Dei amor a scelerosis despectus et repudiatus, in iram et vindictam convertitur: nam, ut sator ad propositum Moralis Philosophus, *in iracundiam omnis amor, post repulsam revolvitur* (4); quanto major fuerit Dei amor in homines, tanto erit major ejus ira in peccatores; et quo plura experti fuerint benignitatis et benevolentiae testimonia, eo acerbiora supplicia eis infliget divina justitia. *Deus a primordio bonus, deinde justus et severus.* (5) Severitas Christi judicis mensurabitur ex amore Christi hominis, et sicut in incarnatione summum hominibus demonstravit amorem, ita in ultimo judicio summum reprobis ostentabit furorem. Toto tempore mortalis conversationis, Salvator nomen portavit Filii hominis, ad denotandum summum Dei erga homines amorem: *Commendat nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis et velut mysterium commendans admirabilis incarnationis suæ, nomen hoc sæpius*

auribus nobis insinuat. (1) At in fine mundi, Christus non vocabitur Filius hominis, sed judex severus, rex iratus, Deus ad iracundiam provocatus; et amor incarnationis non commemorabitur, nisi ad sufflammandam justitiam ad ultionem, de amore illo offenso, despecto et recusato a peccatoribus, ut objectis suorum sceltrum inordinate adhererent.

Porro, nihil sine æmulatione decurret, quod sine adversario non erit. (2) In Deo binam invenio æmulationem: unam bonitatis, alteram justitiæ. *Æmulationem bonitatis, in dæmonum et hominum malitiam. O Deum non natura beneficum, sed æmulatione* (3): licet enim Deus ex sua natura sit ad benefaciendum pronus, tamen beneficus fuit in homines ex æmulatione, tum diaboli, qui dolens quod Deus humanam et non angelicam naturam ad hypostaticam assumeret unionem, primum hominem impulit ad peccatum. *Adeo decepit eum, quia inviderat; inviderat autem, quia doluerat* (4): tum scelerosi protoparentis qui peccando totam posteritatem peccati participem et pœnæ obnoxiam effecerat. Ex illa autem divinæ bonitatis æmulatione adversus malitiam, tum diabolicam, tum humanam, dimanavit Verbi humanatio, Christi in terris conversatio, dominica in cruce passio, ad debellandum scilicet diabolum, qui vicerat hominem; ad salvandum hominem, qui peccando perierat. Sicut bonitas ex æmulatione fuit in homines benefica in incarnatione, ita in ultimo judicio divina justitia ex æmulatione puniet scelerosos, cum hoc tamen discrimine inter æmulationem divinæ bonitatis beneficia largientis hominibus, et æmulationem divinæ justitiæ punientis reprobos; quod divina bonitas est ex sua natura ad benefaciendum prona, divina vero justitia a peccatorum criminibus velut cogitur ad puniendum. *Cumque ejus naturæ sit mens Dei atque majestas, ut nulla iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci: vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo inferimus misericordiæ.* (5) Christiani, nolite vim inferre divinæ misericordiæ, ne vobis inferat supplicia divina indignatio. *Magna est severitas post judicium, cæjus ante judicium ineffabilis misericordia prærogata est.* (6) Agnoscamus beneficum Deum, ne nos de neglecta

(1) Phil. Jnd. lib. 2. Alleg. — (2) L. 6. Var. Ep. Ult. — (3) Tert. lib. 1. adv. Marc. 25. — (4) L. 2. de Tra. c. 6. — (5) Tert. lib. 2. adv. Marc. 11.

(1) D. Aug. lib. 2. de Consens. Evang. 2. — (2) Tert. lib. 1. adv. Marc. 25. — (3) Tert. lib. 4. adv. Marc. 20. — (4) Tert. lib. de Pat. 5. — (5) Salv. l. 4. de Gubern. Dei. — (6) D. Aug. Serm. 12. de Verb. Dom.

gratia condemnet; honorem humilem, ne nos de contempta magnitudine puniat; non offendamus potentem, ne despiciamus patientem; neque deseramus amantem, ne patientia et amor convertantur in iram, odium, ultionem et severitatem; nunquam a memoria nostra excidat timor reproborum in ultimo judicio, ne a die illo timoris deprehendamus, ut Sodoma et Gomorrha. (1) Primitivos Christianos metus judicii urgebat ad perfectam disciplinæ observantiam. *Ad istam disciplinam metu prædicati judicii transvolamus.* (2) Illorum imitemur exempla, timeamus judicium, timeamus judicem: utriusque timor nos arceat a malo et stimulet ad bonum; nam judex justus sicut malum punit in inferno, ita bonum præmiat in cælo.

.....

CONCIO SECUNDA.

INDE venturus est cum totius mundi motu, cum horrore orbis, cum planctu omnium (3), scilicet reproborum, quos terrore concutiet et gloria opprimet. Cum D. Bernardo triplicem ejus adventum novimus, ad homines, in homines et contra homines. (4) In primo, Dei Filius factus est homo; in secundo, Deus homines effecit deos; in tertio, Christus homo Deus erit peccatorum inimicus et judex. In 1. Verbum assumpsit hominem ad unionem hypostaticam; in 2. Verbum media gratia et charitate univit hominem Deo; in 3. Christus reprobos in æternum separabit a Deo. 1. Operatus est in utero Virginis quando Verbum humanatum est; 2. Adimpletur quotidie in justificatione, in qua homo efficitur divinæ particeps naturæ; 3. Adimplebitur in ultimo judicio, in quo Christus condemnabit præscitos, et æternis inferni mancipabit suppliciis. In 1. Dei Filius ostentavit amorem ineffabilem, divinam magnitudinem humanæ uniens vilitati; in 2. Misericordiam demonstravit incomparabilem, Deo reconcilians peccatores; in 3. Summum exercebit rigorem in reprobos, quos et timore commovebit et gloria opprimet juxta istud: *Scrutator majestatis opprimetur a gloria.* (5) A triplici autem gloria opprimuntur peccatores: a 1. Christi gloria; 2. Crucis gloria; 3. Sanctorum gloria.

I. PARS. Quandiu Christus inter morta-

(1) Tert. lib. 1. ad Uxor. 5. — (2) Tert. lib. de Test. An. 2. — (3) Tert. Apol. 25. — (4) De Tripl. adv. — (5) Prov. 25.

les conversatus est, non demonstravit gloriæ splendorem, sed fuit *vultu et aspectu inglorius.* (1) Trinam etenim formam, eamque ingloriam præ se tulit, passibilem, humilem et inhonorabilem: 1. Passibilem, ut hominem redimeret: *Sordidis indutus est, id est, carnis passibilis et mortalis infirmitate.* (2) 2. Humilem, ut ei humilitatis exemplum præberet. *Primo adventu suo humana forma venit in humilitate.* (3) 3. Inhonorabilem, ut sub ignominia terribilem divinitatis gloriam occultaret. *Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem, sed species ejus inhonorata, deficiens citra filios hominum.* (4) At in ultimo judicio, formam habebit non passibilem, sed impassibilem, non humilem, sed sublimem, non inhonorabilem, sed honorabilem, ut opprimat reprobos gloria impassibili, sublimi et formidabili: 1. Impassibili gloria ingeret eis pudorem; 2. Sublimi gloria incutiet dolorem; 3. Terribili gloria ingenerabit timorem.

1. *Secundus adventus Deo condignus, qui est in honore et gloria.* (5) Impii in judicio gloriosam Christi videbunt formam, non divinam, sed humanam, *quam sibi per sacramentum univit, ut videant impii ejus gloriam, in cujus infirmitatem sævierunt.* (6) Videbunt autem, non ut felicitate potiantur, sed ut pudore afficiantur, desæviisse in benignum illum Redemptorem, qui passibilem induit formam, et crucis subivit mortem. Quapropter ut afficiantur pudore, *idem veniet de cælis, qui est passus; idem omnibus apparebit, qui est resuscitatus. Et videbunt et agnoscent, qui eum confixerunt* (7), ut de tali aspectu confundantur et erubescant. Veniet autem, non in forma passibili; *non adhuc illudendus, non adhuc alapandus, non adhuc flagellandus, non adhuc crucifigendus* (8), sed in forma gloriosa et impassibili, ut ingratis peccatoribus a *magnifica gloria* (9) incutiat pudorem; et ob hanc causam, servavit in corpore vulnerum cicatrices, ut ex benignitatis suæ monumentis eorum confundat ingratitude et crudelitatem. Ingratitude, offendisse benefactorem munificentissimum; crudelitatem, sæviisse in Redemptorem benignissimum; et ne possint negare ejus pietatem, suamque crudelitatem, eis ostendet vulnera quæ suis criminibus effecerunt, cuilibet reproborum dicens: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer*

(1) Tert. lib. de Idol. 18. — (2) Tert. lib. adv. Jud. 14. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. ibid. — (5) Tert. lib. 3. adv. Marc. 7. — (6) D. Aug. lib. de Ver. Inoc. c. 555. — (7) Tert. lib. de Carn. Christ. 24. — (8) D. Aug. in Psal. 49. — (9) 2. Pet. 17.

manum tuam, et mitte in latus meum, et cognosce quæ pro te impio mea pietas tulit (1), ut erubescas de mea pietate et de tua sævitia; ut pudore afficiaris a mea impassibili et magnifica gloria, et dolorem persentias a mea sublimi gloria.

2. *Idem, substantia et forma qua ascendit, talis etiam descensus, agnoscendus scilicet eis qui eum convulnerunt.* (2) Quia vero eum impii vulneraverunt in forma hominis, non in forma Dei, vident eum, non in forma Dei, sed in forma hominis, non quidem humili, sed sublimi. *Christus in judicio, non in forma Dei, qua æqualis est Patri, quæ nec ab impiis videri potest, sed in forma hominis apparebit, quamvis jam in claritate, non in pristina sit humilitate venturus.* (3) In claritate autem et sublimitate veniet, ut scelerosis incutiat dolorem; nam cum hæc forma sit ineffabili decore prædita et summe amabilis, *per suæ præsentiae manifestationem* (4). præscitorum sufflammabit amorem, quos statim acerrimo cruciabit dolore, eos adeo amabili privans aspectu: *Quam lugubre erit homini Deum videre et perdere!* (5) ait D. Augustinus. Cain a Deo rejectus dolens aiebat: *A facie tua abscondar;* (6) omnis qui invenerit me occidet me: seu, ut legit Cajetanus, *omnis qui inveniet, occidat me,* satius existimans occidi quam Dei vultu privari. Si Christiani olim *maluerunt damnari quam a Deo excidere* (7), qualem, quæso, persentient damnati dolorem, quos in æternum Deus projiciet a decora sua facie. *Avertam faciem meam ab eis.* (8) Hanc pœnam inferni igne intolerabiliorem existimat D. Augustinus; *tanta pœna est tantummodo a Dei facie separari.* (9) Hæc autem separatio tanto erit acerbior quanto Christi præsentia amabilior. Ut autem majori virtute cunctorum alliciat amorem Christus, apparebit *adventu pompatico* (10): quanta animi voluptate veteres assistebant imperatorum triumphis. Et quis non ambiat videre pompam in qua rex præcipuam regni sui ingreditur urbem? at ejusmodi triumphis non sunt comparandi adventui Christi pompatico, cujus gloriam certatim Evangelistæ commendant: cunctos assumentes titulos qui pompam, magnificentiam, potentiam, virtutem, magnitudinem et majestatem denotant. Etenim Matthæus asseve-

rat Christum venturum *cum virtute multa et majestate.* (1) Addit Marcus: *Cum virtute multa et gloria.* (2) Matthæum et Marcum transcendens Lucas, ait: *Cum potestate magna et majestate* (3); et quasi tot elogia non sufficiant ad commendandam venturi Christi gloriam, paternam majestatem ei attribuit Lucas: *Veniet cum potestate sua et Patris.* (4) Matthæus vero paternam ei adnectit gloriam: *Venturus est in gloria Patris.* Seu, ut ait Tertullianus, *cum plurimo potentatu et gloria.* (5) Tot encomia venturi Christi prorsus admirabilem et amabilem ostentant Christi gloriam, qua summo cum dolore privabuntur reprobi, qui adhuc formidanda ejus opprimentur gloria et acerbissimo movebuntur timore.

3. Christus ad judicium veniens, *speciem honorabilem et decorem habiturus est indeficientem* (6), ad amorem allicientem. Habiturus est etiam gloriam terribilem, timorem incutientem. *Videbitur terribilis qui visus est contemptibilis.* (7) Christi etiam mortalis præsentia torquet dæmones, ut ipsimet fatentur spiritus immundi: « Quid nobis et tibi, Fili David? venisti ante tempus perdere nos. » (8) Ubi Strabus Fuldensis: *Præsentia Christi tortura est dæmonum, sicut præsentia Dei refectio Angelorum.* Quemadmodum sua præsentia Christus est Sanctorum felicitas, ita damnatorum supplicium; illos lætitia, istos timore afficit. Dei filius ne hominibus timorem ingereret, in incarnatione majestatis gloriam occultavit, verum in fine mundi ut reprobos exterreat occultatam antea manifestabit gloriam. *In tempore vultus tui* (9), id est, ut expendit D. Augustinus, *in tempore manifestationis tuæ.* (10) Tum enim *manifeste veniet*, quia, ut fatur Tertull. *plenius manifestatus veniet.* (11) Quid est manifeste veniet? Respondet D. Augustinus: *Non sicut purus homo humilis, sed sicut Deus homo majestate sublimis.* (12) Qualis erit tunc confusio Judæorum qui eum fabri filium vocitarunt? Quantus eorum tremor qui ei divinitatem eripere moliti sunt? Quibus iratus Dominus dicet: *Hic est ille fabri aut quæstuarie filius, sabbati destructor, Samarites, et dæmonium habens; hic est quem a Juda redemistis; hic est ille arundine et colaphis diverberatus, sputamentis dedecoratus, felle et aceto potatus.* (13) Hic est quem cruci-

(1) D. Aug. Serm. ad Frat. in Er. — (2) Tert. lib. de Res. 51. — (3) D. Aug. Tract. 99. in Joan. — (4) D. Aug. lib. 26. Civ. 30. — (5) Serm. ad Frat. — (6) Gen. 4. — (7) Tert. Apolog. 48. — (8) Tert. lib. 4. adv. Marc. 31. — (9) In Psal. 49. — (10) Tertull. lib. adv. Valent. 16.

(1) Cap. 24. — (2) Cap. 3. — (3) Cap. 21. — (4) Cap. 9. — (5) Tert. lib. de Res. 22. — (6) Tert. lib. adv. Jud. 14. — (7) D. August. in Psal. 75. — (8) Matth. 8. — (9) Psal. 20. — (10) Psal. 40. — (11) Tertull. lib. adv. Prax. 15. — (12) Lib. 5. de Symb. ad Catech. — (13) Tert. lib. de Spect. 30.

fixistis, quem tanta injustitia et crudelitate ad mortem usque persecuti estis. Neque Judæi solum Christi audient vocem tonitru terribiliorem, sed cuncti generatim reprobi. In horum quemlibet hæc exprobrationis jaculabit verba : *Deum prædicabas, et non requirebas; judicium Dei appellabas, nec esse credebas; inferni supplicia præsumebas, et non præcavebas; christianum nomen sapiebas, et Christianum persequeris* (1); seu potius Christum persequeris, qui nunc de tua incredulitate, de tua negligentia, de tuo contemptu et de tua sævitia ulciscitur.

Mittens Deus Moysen in Ægyptum (2) ad liberandos Israëlitas de captivitate, præcepit Moysi quem Pharaonis constituerat Deum, ut hisce verbis crudelem illum alloqueretur tyrannum : *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotenti, et nomen meum Adonai non indicavi eis.* Annon in his verbis evidens apparet repugnantia? Nam, si illis patriarchis apparuit in Deo omnipotenti, quomodo non apparuit tanquam Adonai, cum Adonai et Deus omnipotens idem sonent? Venerabilis Beda hujus difficultatis solvit nodum, animadvertens trinum esse divinæ omnipotentiae theatrum: scilicet vetus Testamentum, novum Testamentum et judicium ultimum. In veteri Testamento, suam omnipotentiam demonstravit Deus, immutans aquas in sanguinem, virgas in serpentes; Ægyptios plagis percussiens, mare aperiens, Jordanis aquas sistens, de rupibus fontes eruens, Judæos per desertum deducens, Angelorum pane nutriens, de Ammonitis, Amalecitis, Chananæis, Philistæis, aliisque infidelibus nationibus victores reddens. Tot mira in gratiam Judæorum patrata, tot sunt omnipotentiae divinæ monumenta, quæ multo magis in novo Testamento elucet, duas naturas infinite ab invicem distantes in eadem persona inseparabiles uniens; in Maria, Virginis puritatem et Matris fecunditatem absque ullo utriusque detrimento connectens: corpus quantum sacramentaliter in puncto indivisibili ponens; puris elementis largiendi gratiam virtutem conferens. Divina omnipotentia in præfatis miraculis multum quidem splendet: verum *expecta, nondum inimicos suos Christus oppressit, ut cum amicis de inimicis triumphet.* (3) In fine mundi, de suis inimicis triumphans, suos hostes opprimens, totam omnipotentiae demonstrabit virtutem, quam totam non indicaverat miracula operans sive

in veteri, sive in novo Testamento. *In veteri Testamento, non indicavi, sicut in novo; vel in novo non indicavi, sicut in die judicii* (1): ubi tanta coruscabit majestate, tanta pollebit virtute, tanta sufflammabitur indignatione, ut ejus aspectum præsciti sustinere non possint, quibus diversimode apparebit ac electis. Amabili mansuetudine electos trahet, formidabili severitate fugabit reprobos: placido vultu felicitabit beatos, irato vultu damnabit reprobos. Idem vultus merces erit beatorum et damnatorum supplicium. Acute animadvertit Chrysologus quod inobsequens Jonas non dixit: *Fugio Deum; sed, A facie Dei ego fugio* (2): quia nihil est intolerabilius homini criminoso quam irati Dei facies. Nec mirum, nam si regina Esther (3) pallescit ad aspectum Assueri regis; si illi qui erant cum Daniele (4) exterriti sunt et fere exanimis effecti eo quod vidissent majestatem principis sedentis in solio supra nubes appenso; si Adamus abscondit se a conspectu Dei offensi; si unum duntaxat benignitatis verbum armatos prostravit milites: *Quis ejus iram toleret, cujus et ipsa non potuit mansuetudo tolerari?* (5)

Joseph suis fratribus sese manifestare volens, dixit eis, suavissimo sermone, lacrymas etiam amoris et teneritudinis fundens: *Ego sum frater vester Joseph. Quo audito, fratres non potuerunt respondere, nimio terrore perterriti.* (6) Josephi præsentia qui post illata mala, tot eis contulerat beneficia, adeo illos exterruit, ut neque ullum potuerint proferre verbum. Qualis a fortiori erit damnatorum timor coram Christo, quem pro volatica voluptate vendiderunt, et suis sceleribus crucifixerunt? Miseri peccatores, trementes filii Israël adstabant coram Joseph, et vos eritis ante Christum; unicam duntaxat filii Israël Josepho intulerunt injuriam, et vos innumeris criminibus offendistis Christum: Josephus fratribus suis non exprobravit eorum immanitatem, Jesus vobis scelera et sacrilegia exprobrabit; Josephus benigne suos alloquitur fratres, eos de oblita injuria securos reddens, Jesus adversus vos æternæ damnationis fulminabit sententiam; Josephus suis blanditur fratribus eisque præbet benevolentiae signa, Jesus in vos sæviet, odium et vindictam spirans, adeo terribili apparebit vultu, ut gehennæ ignes tolerabiliores existimetis irati Christi Domini facie.

Eodem modo loquitur Evangelista (7) de reprobis ac de electis. Electi ultro ibunt in

(1) Tert. L. de Test. An. 6. — (2) Exod. 6. — (5) Tert. L. de Carn. Christ. 15.

(1) V. Beda. — (2) Cap. 1. — (3) Esth. 15. — (4) Daniel. 10. — (5) Greg. Mag. lib. 7. Mor. 21. — (6) Gen. 45. — (7) Matth. 25.

vitam æternam ; non absimiliter reprobis ibunt in ignem æternum, non vi trahentur, non a dæmonibus compellentur ; sed ultro, libenter, sponte ibunt. Homines sponte ad delicias vadunt, quia voluptas trahit, ad supplicia coacti ducuntur, quia tormenta terrent ; reprobis tamen non per vim, sed ultro ibunt ad inferni pœnas ; non quod in gehenna delicias quærant, sed quia tolerabiliora existimabunt inferni supplicia, quam videre iratum Christi vultum : ideoque ne acerbissimam intueantur irati judicis faciem, sponte ibunt ad gehennam, quasi infernus sit damnatorum asilus, protegens eos a furore irati vultus Domini. Christiani, vultisne protegi ab irata Christi facie in die judicii ? *Quærite Dominum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini* (1) : quia reprobis mansuetum ejus vultum non quæsierunt in seculo, iratam ejus faciem patientur in ultimo judicio, et opprimuntur, tum a gloria crucifixi, tum a gloria crucis.

II. PARS. Crux est *signum Dei* (2) : quod Christi præcedet adventum velut vexillum suæ majestatis, vel arma quibus inimicos superabit, vel insigne victoriæ quam de hostibus suis retulit ; et ut fatur D. Chrysostomus, *Christus Dominus cum cruce secundam gloriosam suam præsentiam faciet*. (3) Sanctum autem crucis signum erit sole et luna multo lucidius. *Considera quanta sit virtus crucis : in die namque judicii, sol obscurabitur et luna non dabit lucem suam, ut discas quantum crux luna lucidior et sole splendidior sit, apparebit tunc crux*. (4) Ad quid tanto tunc splendore fulgebit crux ? tum ad Sanctorum solatium, tum ad malorum tormentum. Non loquor in præsentem de lætitia qua afficientur justis, intuentes crucem, sed de pœna quam infliget peccatoribus crucis aspectus. Hos etenim crux 1. Sua gloria opprimet ; 2. Mœrore et tristitia afficiet ; 3. In desperationem injiciet.

1. Non eodem modo apparebit Christus electis et reprobis : *Aliis ferus ut judex, aliis mansuetus ut Salvator*. (5) Non absimiliter signum filii hominis, seu, ut legit Arabicus, *gloria*, nimirum *crux*, diversimode se habebit erga reprobos et Sanctos. *Exultabunt Sancti in gloria, qui nunc de sui regis ac Domini cruce non confunduntur, sed gloriantur*. (6) Sancti qui nunc de crucis ignominia non confunduntur, sed glorian-

tur, in die judicii, non confundentur a gloria crucis, sed potius gloriabuntur ; peccatores vero qui nunc crucem stultitiam existimant et ejus ignominiam contempnunt et aversantur, in ultimo judicio a crucis gloria opprimuntur et confundentur. *Gloria in confusione ipsorum*. (1) Neque solum in fine mundi opprimuntur a gloria, sed per totam æternitatem crucis memoria et gloria in inferno eos opprimet. Quomodo Apostolum expendit D. Paulinus : *Scelerosi aut impietate duri, aut lascivia molles, quorum divitiæ peccatum, itinera lubricum, finis interitus, gloria in inferno est*. (2) Gloriam qua fulgent in seculo peccatores, non deferent secum in infernum, qui est ignominie locus. *Ne timueritis, cum dives factus fuerit homo, et cum abundabit gloria ejus : quoniam cum morietur, non tollet omnia, nec descendet cum illo gloria sua* (3) : recordatio tamen gloriæ crucis in inferno opprimit reprobos, et mœstitia et pœnitentia afficit.

2. In die judicii erunt *et tristitia et læta*. (4) Justis de crucis gloria lætabuntur, peccatores vero de crucis gloria tristabuntur. *Tunc apparebit signum Filii hominis in cælo, et plangent* (5) ; seu, ut legit D. Cyprianus, *lamentabuntur*. Justis qui in hoc mundo gemunt, ferunt crucem, student mortificationi, pœnitentiam agunt, in judicio lætabuntur tanquam de sua salute securi, quam media cruce sibi compararunt. Peccatores vero qui crucem oderunt, post mundana oblectamenta anhellarunt, in die judicii lamentabuntur, quod non sint amplexati crucem, velut felicitatis medium. Quod figuratur in præcepto Ezechieli a Deo imposito : *Et claritas Dei Israël ascendit a Cherubin, et vocavit hominem qui indutus erat podere, qui habuit super lumbos suos zonam, et dixit ad eum Dominus : Transi mediam Hierusalem, et scribe signum Tau in frontibus virorum qui gemunt et dolent super omnia facinora quæ fiunt in medio eorum. Et in his dixit ad audientem : Ite post eum in civitatem, et concidite, et nolite parcere oculis vestris, et ne misereamini ; interficite omnes, ut perdeantur. Omnes autem super quos est Tau signum, ne accesseritis*. (6) Signum Tau est crux, quæ a Dei ira, morte et damnatione liberat justos gementes qui eam tulerunt ; peccatores vero qui eam contempserunt a libro vitæ delebuntur ; gloria crucis con-

(1) Soph. 2. — (2) Tert. L. de Spect. 29. — (3) Hom. de Cruc. et Lat. — (4) Laur. Just. in Sig. Vit. c. 4. — (5) Tert. L. adv. Jud. 11. — (6) D. Aug. Serm. 101. de Tem.

(1) Philip. 3. — (2) Epist. 4. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (4) Tert. ibid. 59. — (5) Matth. 24. — (6) Tert. L. adv. Jud. 11.

temptæ opprimet eos, et in desperationem projiciet.

3. Asseverat Apostolus *crucem Christi stultitiam esse perituris, virtutem autem et sapientiam, salutem consecuturis.* (1) In ultimo autem judicio cognoscent impii quod crux quam stultitiam existimarunt, fuit vera sapientia, et econverso mundana fortuna quam sapientiam existimarunt, fuit vera stultitia: *Tunc cognoscent eum quem pupugerunt.* (2) Nimirum Christum quem suis sceleribus crucifixerunt, ante ejus adventum parebit crucis signum. *Cujus autem rei gratia istud signum apparet?* (3) Hujus quadruplicem subministrat D. Chrysostomus rationem: 1. Ut Judæi qui eum crucifixerunt glorioso crucis signo opprimantur; *ut magno cumulo Judæorum impudentia opprimantur.* 2. Ut ostendat Salvator quanto ardore cunctorum hominum exoptarit salutem, cum pro eis sit eruci patibulatus, *crucem in suam justificationem secum habens, in judicium veniet.* 3. Ut crucis contemptores qui eam velut stultitiam condempnarunt, a crucis gloria condempnentur, *crucem autem secum habet, ut peccatorum suorum sine accusatione condempnentur.* 4. Ut crux sit simul et semel pars accusans, testis deponens et judex condempnans; *non enim accusatoris opus erit cum crucem viderint.* Crucis namque accusatione perterriti et depositione convicti, *sero et frustra fatebuntur impiam cæcitatem.* (4) Belle, sero et frustra; nam ejusmodi confessio nihil eis unquam proderit, idcirco rabie exasperabuntur, et desperabundi *cædent pectora sua* (5); sed in vanum *pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes.* (6) Verum quid plangent? Pœnitebunt quod nimio ardore mundo fuerint addicti: pœnitebunt, carnis oblectamenta, nimia sollicitudine captasse; pœnitebunt, Baccho et ventri indulsisse; pœnitebunt, mortificationem et pœnitentiam odisse; pœnitebunt crucis inimicos exstitisse; pœnitebunt, secundum christianam disciplinam non vixisse; pœnitebunt, justorum exempla secutos non fuisse, quorum gloria opprimantur.

III. PARS. *Spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus.* (7) Sic loquuntur justi apud Apostolum, querentes quod homines mundo dediti, eorum contemnunt morum probitatem et irrident vitæ innocentiam. *Si forte onerosum est, cum peccatores insultaturos inrisiloquio consistit.* (8)

(1) Tert. L. 5. adv. Marc. 5. — (2) Tert. Lib. adv. Jud. 14. — (3) Hom. 77. in Matth. — (4) D. Aug. Sermon. 15. de Temp. — (5) Tert. L. adv. Jud. 11. — (6) Sap. 5. — (7) Tert. L. 5. adv. Marc. 7. — (8) Tert. L. de Pœn. 10.

Quapropter exoptant mundi finem, ut ipsemet fatur: *Vota nostra suspirant in seculi hujus occasum, in transitum mundi quoque ad diem Domini magnum, diem iræ et retributionis.* (1) Et hoc triplici potissimum de causa. Tum ut liberentur a mundanorum risiloquio, pervenientes *ad palmam incriminationis.* (2) Tum ut a mundo et mundanis segregati, inseparabiliter in æternum cum Domino permaneant: *Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli et tuba Dei descendet de cælo, et mortui in Christo primi resurgent: deinde nos qui vivimus, qui simul cum illis tollemur in nubibus obviam Christo in aerem, et ita semper cum Domino erimus.* (3) Tum ut a Christo judice æternam suarum virtutum recipiant mercedem. *Quis annuntiabit vobis locum æternum, nisi Christus incedens in justitia, loquens viam rectam, odio habens injustitiam et iniquitatem?* (4) Qualis erit tunc justorum gloria, quali lætitia, quali felicitate potentur? *Quæ illa exsultatio Angelorum? quæ gloria resurgentium Sanctorum? quale regnum exinde justorum?* (5) At econverso qualis erit reproborum invidia, qualis tristitia, qualis dolor cum Sanctorum gloria opprimantur; videntes 1. In honore et supra caput suum sublimatos viles illos, quos pedibus conculcarunt; 2. Intuentes suos judices pauperes illos, quos ut stultos condempnaverunt; 3. Conspicientes felices, lugentes illos quos miseros existimaverunt.

1. *At enim supersunt alia spectacula, ille ultimus et perpetuus judicii dies* (6): in quo qui nunc in mundo sunt humiles et contemptibiles, erunt sublimes et honorati; sublimes vero dejicientur fientque despecti. Humilium sublimitas tanto erit superbis acerbior, quanto majore afficientur honore, et ipsi magis deficientur. Quod ex vulgari Amani (7) historia comprobatur: qui superbia tumidus et regis benevolentia inflatus, Mardochæum aversans innocuo illi paravit patibulum: at rex memor et fidelitatis Mardochæi qui manifestarat Assuero insidias quas ejus vitæ moliebantur Eunuchi, et quotidie recumbebat ante postes aulae regiae ad conservationem principis, et aliunde convictus de Amani insolentia et perfidia, jussit insolentem illum suspendi in patibulo quod Mardochæo paraverat et antequam ignominiosum pateretur Aman supplicium, vidit Mardochæum purpura indutum, regio diademate coronatum,

(1) Tert. L. de Res. 22. — (2) Tert. L. de Res. 23. — (3) Tert. L. de Res. 24. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 34. — (5) Tert. L. de Spect. 30. — (6) Tert. ibid. — (7) Esther. 6.

superbo equo vectum, cujus habenas ipse tenens, pedester ambulabat per vicos et plateas civitatis clamans: *Hoc honore condignus est quemcunque rex voluerit honorare.* Mar- dochæi autem sublimitas, superbi Amani mentem mortaliter vulneravit, qui invidia excarnificatus, dolore oppressus, pudore confusus, *festinavit ire in domum suam lugens et aperto capite*, non valens tantam ferre fortunæ mutationem. Quandiu scelerosi superbia inflati vivunt in seculo, justos despiciunt, eos irrident, persequuntur et contumelia afficiunt, ut ipsimet queruntur apud Regium Vatem: *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.* (1) Ejusmodi opprobrium expertus est etiam Propheta: *Unde tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei mei cooperuit me.* Quod si quæras a Propheta unde oritur qua suffunditur verecundia, respondebit: *A facie exprobrantis et obloquentis.* Seu, ut expendit D. Augustinus, *a voce insultantium, et crimen mihi objicientium, quia colo te, quia confiteor te.* Regulares qui sese divino consecrarunt cultui, despectui habentur; seculares quoque irridentur qui student virtuti, bonis vacant operibus, pietatem demonstrant, missæ sacrificium quotidie audiunt, ad sacramenta singulis hebdomadibus accedunt. *Muta fiant labia dolosa quæ loquuntur adversus justum iniquitatem.* (2) Verum, ait D. Augustinus, *quando efficiuntur muta ista? In hoc mundo nunquam: nam quotidie clamant contra Christianos, quotidie blasphemant, quotidie latrant, et augent linguas suis pœnam: modo enim dicunt nobis: Ubi est Deus vester? quid colitis? quid creditis? quid videtis? Creditis et laboratis: certum est quod laboratis, incertum quod speratis.* (3) At in ultimo judicio, certum apparebit quod credunt, quod colunt et quod sperant justis. *Tunc muta efficiuntur labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem. Tunc muta fient labia dolosa, quando stabunt justis in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, quibus suam exprobrabant in Deum impietatem, et in justos insolentiam et temeritatem. Sublimitas Sanctorum cruciabit eos, invidia tabescent conspicientes supra caput suum viles illos et humiles quos pedibus conculcarunt. Quis non, æmulum suum cum videt, patitur? quis oculis in eum potest, in quem mentibus non potest?* (4) Superbus supra se neminem videre potest, et dum alios sublimatos, se vero dejectum prospicit, invidia torquetur; maxime si aliquando supra

illos elatus est, si eos contempsit et odio persecutus est. *Utinam invidi ubique oculos haberent, ut omnium felicitate torquerentur!* (1) Et ob hanc causam, ut animadvertit D. Bernardus, *diabolus in pœnam suam, locum in aere isto, medium inter cœlum et terram, de cœlo cadens sortitus est, ut vident et invideat, ipsaque invidia torqueatur.* (2) Videns diabolus, et justos studiosos in terra demorantes, et sanctas animas in cœlum ascendentes, invidia torquetur. Non absimiliter in ultimo judicio, *ut peccatores in supplicio amplius puniantur, eorum vident gloriam quos contempserunt* (3); et ita reprobi invidia lacerabuntur conspicientes viles sublimatos, se vero dejectos, et intuentes tanquam suos judices pauperes, quos tanquam stultos condemnarunt.

2. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus* (4), et omnes Angeli cum eo. Per suos Angelos D. Chrysostomus intelligit cœlestes spiritus, ut testes sint actionis eorum qui judicaturi sunt. D. vero Augustinus Angelorum nomine intelligit homines qui cum Christo judicabunt: *Pauciores erunt quicum Domino judicabunt, et plures qui stabunt ante illum; sed non una conditio eorum: alii ut regnent, alii ut puniantur.* (5) Apostoli omnes, viri quoque apostolici qui evangelica amplexati sunt consilia, judicandi habebunt potestatem: *In numero judicantium omnes intelliguntur qui propter Evangelium omnia sua dimiserunt et secuti sunt Dominum: duodenarius quippe numerus ad quamdam universitatem refertur.* (6) Alias D. Paulus non judicabit qui in duodenario Apostolorum numero non continetur. Acute autem animadvertit D. Augustinus quod « quatuor erunt ordines in die judicii: duo bonorum et duo malorum. Primus salvabitur, et non judicabitur: hi sunt qui sua omnia reliquerunt, qui cum Domino ad judicium venient; ipsi alios judicabunt, et non judicabuntur ab aliis; secundus judicabitur et salvabitur: hi sunt boni Christiani qui res hujus mundi possident, et illas quotidie pauperibus erogant; tertius ordo judicabitur et condemnabitur, hi sunt mali Christiani qui fidem habere videntur, sed operationem non habent. Quartus ordo erit infidelium, qui non judicabuntur, sed condemnabuntur: qui sua reliquerunt et Christum secuti sunt, judicabunt duos ordines sequentes, id est, bonos Christianos, ut bona recipiant, et malos, ut mala recipiant. » (7) Tunc potentes

(1) Psal. 45. — (2) Psal. 30. — (3) D. August. in Psal. 50. — (4) Tert. L. de Pall. 5.

(1) Senec. Apud. Hug. Card. in Psal. 45. — (2) Serm. 50. in Cant. — (3) D. Greg. Hom. 40. in Evang. — (4) Tert. L. de Res. 22. — (5) D. Aug. in Psal. 96. — (6) D. Aug. lib. 30. Hom. hom. 50. — (7) Ser. de Inst. Monach.

et divites mundi, livore torquebuntur cum se videbunt judicatos a pauperibus spiritu quos stultos judicarunt, et quia non potest esse commercium damnaturis cum damnandis, (1) pauperes spiritu et judiciaria pollebunt auctoritate et cœleste possidebunt regnum; criminosi autem divites et potentes a pauperibus judicabuntur et in infernum detrudentur: *Comminabundus et alibi nobilibus et superbis: Dilatavit oreus animam suam et aperuit os suum, et descendent inclyti et magni, et humiliabitur homo; utique exaltatus divitiis, et inhonorabitur vir utique ob substantiam honorabilis.* (2) Seculi igitur potentes et divites criminosi a pauperibus spiritu injuste ab ipsis judicatis et condemnatis juste judicabuntur, et a Deo temere offenso humiliabuntur et punientur: *Ecce Dominus virtutum conturbabit gloriosos cum valentia, et elati comminuentur, et ruent gladio sublimes; qui magis quam divites? Quia receperunt scilicet advectionem suam, gloriam et honorem, sublimitatem ex divitiis.* (3) Diversa est in seculo inter pauperes spiritu et scelerosos divites conditio. Divites sunt in abundantia, honore, sublimitate, gloria: at in die iudicii erit omnimoda rerum commutatio. *Heu! quam lamentandæ vices, quando desperati penes homines possidebunt spem divinam et humanis bonis præditi, bonis cœlestibus fraudabuntur* (4), æternisque mancipabuntur suppliciis! Lamentabilis illa immutatio, impiorum animum mœrore, dolore et livore cruciabit, et sine fine infliget tormenta. *Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est, ubi cruciatus est aliena felicitas* (5); ubi mundani cruciabantur de felicitate lugentium quos miseros existimarunt?

3. Hominiibus sive in seculo, sive in ultimo iudicio competunt, *et tristia et læta.* (6) Cum hoc tamen discrimine quod in seculo tristia competunt Dei servis, læta mundanis. *Vicibus disposita res est: nunc illi lætantur, nos conflictamur: Seculum, inquit, gaudebit, vos tristes eritis.* (7) At in ultimo iudicio, læta competent justis, tristia vero ad impios pertinebunt. Læta competent justis, ut constat ex Christi prædicatione, promissione et depositione. 1. Ex Christi prædicatione: *Creator materias risus et fletus prædicans, risuros plorantes prior dixit* (8): imo ad prædicandum lugentibus lætitiã se missurum asseverat Dominus: *Spiritus Do-*

mini super me, propter quod unxit me ad evangelizandum pauperibus, misit me dare lugentibus Sionis gloriam, et pro cinere cilicii, unguenti jucunditatem et gloriæ habitum pro spiritu tædii. (1) 2. Ex Christi promissione certe *oblectatio et exsultatio in jucunditate illis promittitur, qui in diversa conditione sunt, mœstis, et tristibus, et anxiiis.* (2) 3. Ex Christi dispositione qui beatos lugentes declarat, quia lætabuntur. *Beati qui plorant, quia ridebunt.* Impii autem qui exsultarunt in seculo, tristabuntur in ultimo iudicio. *Decurre sententiam Esaie: Ecce qui serviunt mihi exsultabunt in jucunditate; vos autem confundemini; ecce qui serviunt mihi, oblectabuntur, vos autem clamabitis præ dolore cordis.* (3) Exsultabunt justi audientes se nuncupari æterni Patris benedictos et vocari ad cœleste regnum; lugebunt impii audientes appellari maledictos et inferni condemnari ignibus. *Quid potest delectabilius cogitari quam Venite? quid terribilius quam Ite? Duce sunt voces quarum nihil horribilius una, et nihil jucundius altera.* (4) Ut autem animadvertit D. Bernardus, hæc sententia benedictionis: *Venite, benedicti Patris mei, pronuntiabitur electis priusquam reprobis hæc maledictionis sententia, ut acrius doleant videntes quid amiserint.* (5) Et ob eandem rationem electi prius ascendent in cœlum quam reprobi detrudentur in infernum, ut damnati etiam Beatorum gloria torqueantur. *Fit exclusio in pœnam cum videbunt justos introcuntes in regnum Dei, se vero detineri foris.* (6) Quanta reproborum miseria, qui et sua infelicitate et aliena felicitate cruciabantur! *Omnes ergo resurrecturi sunt, boni et mali. Justi, ut percipiant quæ meruerunt; injusti, ut videant quæ perdiderunt, reportaturi secum primam pœnam alienæ beatitudinis conscientiam.* (7)

Christiani, hucusque vidistis reprobos in die iudicii opprimendos gloria Christi crucifixi, gloria crucis et gloria Sanctorum. « Nemo se circumveniat, malorum supplicia et honorum præmia absque ulla dubitatione ventura sunt; et ideo unusquisque nostrum dum licet, et etiam cum Dei adjutorio in potestate nostra consistit, et peccata vitare, et quod bonum est exercere contendat, ut cum ille dies terribilis et metuendus advenerit, non cum impiis et peccatoribus perenni incendio concrememur, sed cum

(1) Tert. L. 1. de Cult. Fem. 2. — (2) Tert. L. 4. adv. Marc. 15. — (3) Tert. ibid. — (4) Chrysol. Serm. 122. — (5) Chrysol. Serm. 172. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 59. — (7) Tert. L. de Spect. 28. — (8) Tert. ibid.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 14. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. ibid. — (4) D. Aug. Sol. c. 3. — (5) Serm. 8. in Psal. 90. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 50. — (7) Euseb. Emiss. Hom. 2. in Symb.

justis et Deum timentibus pervenire ad æternum præmium mereamur. » (1) Tales erimus per totam æternitatem quales inventi fuimus in ultimo judicio. « Post resurrectionem facto universo completoque judicio, suos fines habebunt civitates duæ : una Christi, altera diaboli; una honorum, altera malorum; utraque tamen Angelorum et hominum: istis in via æterna vere feliciterque viventibus; istis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine. » (2) Qui viles pauperes et lugentes contemnunt et persequuntur, suamque felicitatem in terrenis bonis, carnis voluptatibus et vanis honoribus constituunt, decipiuntur. Nam, *in futuro Christi judicio, quæ hic honorant, onerabunt; quæ hic relevant, ibi gravabunt.* (3) Qui vero in seculo pro Dei amore dejiciuntur, egent et lugent, gloriam consequentur: nam *corona eis qui toleraverunt* (4); deinde *qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* (5) Christiani, si volumus metere exultationem et gloriam in ultimo judicio, non quæramus gaudium et honores in seculo, sed vacemus virtutis operibus. *Bene autem facientes ne tædeat, tempore enim suo metemus* (6) jucunditatem et gloriam.

quibus permisit ut in mundo impii prosperitate florerent et justi adversitate gravarentur; tum quia tunc virtus honorabitur, vitium dedecorabitur, innocentia sibi debitam recipiet laudem, quam ei denegarat humana malitia; crimen vero adulatione commendatum culpabitur, tum quia occulta peccatorum scelera manifestabuntur: Deus namque *omnia de occulto, in apertum repromittit.* (1) Eucharistia vocitatur a D. Dionysio *convivium inspectionis*, quia Christus in ea sub speciebus panis et vini latitans, exponitur conspectibus Dei, Angelorum et hominum: Dei, qui eam lætanter intuetur; Angelorum, qui supremum cognoscentes Dominum, humiliter ejus venerantur majestatem; hominum, qui fide illustrati, ejus præsentiam credunt. Ultimum judicium nuncupatur a Sapiente tempus inspectionis; *et in tempore illo, erit respectus illorum;* (2) seu, ut habet græca lectio, *in tempore inspectionis ipsorum;* quia scilicet reprobi inspicientur, et ut pudore afficiantur, eorum crimina objicientur 1. Dei conspectibus; 2. Propriis conspectibus; 3. Angelorum, dæmonum et hominum conspectibus.

I. PARS. *Enimvero nos sub Deo omnium speculatore dispungimur.* (3) Deus, qui est ubique per essentiam, potentiam et præsentiam, cuncta speculatur, nec quidquam ejus latet oculos. Quod innuere voluerunt Ægyptii, ut animadvertit D. Cyrillus Alexandrinus (4), Deum sub simbolo sceptri oculati repræsentantes, per sceptrum ejus omnipotentiam, per oculum vero omniscientiam denotantes: *Deus auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris quasi alteris tenebris.* (5) Nec mirum, quia, ut ait D. Augustinus, *Deus totus oculus est, quia omnia videt.* (6) Igitur cum Deus totus oculus sit, 1. Quam cæcus peccator qui in secreto peccans existimat quod illum Deus non conspicit; 2. Quam temerarius peccator, qui palam et publice insolenter peccans, Dei conspectum despicit; 3. Quam stultus peccator qui pudorem quem ex Dei conspectu patientur reprobi in judicio, non pertimescit.

1. *Ipse Deus de cælo spectat. Utinam autem Deus nulla flagitia hominum spectaret, uti omnes judicia evaderemus! Sed spectat et latrocinia, spectat et falsa, et adulteria, et fraudes, et idololatrias.* (7)

(1) D. Aug. Serm. 20. de Verb. Dom. — (2) D. Aug. in Enchir. 111. — (3) D. Aug. Ep. 203. ad Maximin. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 3. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 14. — (6) Tert. L. de Res. 23. — (7) Tert. Apol. 7.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 19. — (2) Sap. 3. — (3) Tert. Apol. 45. — (4) Lib. 9. Cont. Julian. — (5) Min. Fel. in Oct. — (6) Epist. 3. ad Fortunat. — (7) Tert. L. de Spect. 20.

CONCIO TERTIA.

Bene autem, quod omnia tempus revelat, ex dispositione nature, quæ ita ordinavit ut nihil diu lateat. (7) Ecclesia sibi contradicere videtur, de ultimo agens judicio, quod interdum diem illuminationis, interdum diem tenebrarum vocitat. Verum absque ulla contradictione ejusmodi nomina ultimo competunt judicio, quod sub diversa ratione, est dies illuminationis et dies tenebrarum. Dies tenebrarum, tum quia sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, et tenebræ cooperient terram; tum quia reprobi projicientur a conspectu Dei, qui est lux indeficiens, sine qua cuncta sunt tenebræ; tum quia damnati detrudentur in infernum, qui est terra tenebrarum, ubi est perpetua nox. Judicium ultimum est etiam dies illuminationis, tum quia Deus suam vindicabit providentiam, ostentans rationes

Athenagoras Marco Aurelio imperatori et filio ejus Commodo ostendere volens quantum Christiani alieni essent a sceleribus sibi falso a Gentilibus imputatis, prodit christianam disciplinam qua credunt quod Deus, qui est ubique, die noctuque in omni loco eos conspiciat, et non modo eorum facta et dicta, sed etiam internæ mentis intuetur cogitationes, ideoque reverentia divinæ majestatis præsentis, eos a peccatis arcet, et quamdam bene vivendi imponit necessitatem: *Aversamini vitia, colite virtutes, magna vobis indicta necessitas probitatis, cum omnia agatis ante oculos judicis cuncta cernentis* (1): et qui ita quemvis intuetur hominem, ac si solus esset in universo mundo. Ut enim ait D. Augustinus Deum alloquens, *gressus meos, semitasque consideras et die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli et terræ oblitus, tantum me solum consideres et nihil sit tibi curæ de aliis.* (2) Nihil efficacius ad resistendum peccato, tentationesque superandas quam præsentis Dei jugis cogitatio. *Hac solum ratione fit ut quis nunquam labatur si Deum sibi ipsi semper adesse existimat.* (3) Christiane, ubique Deum præsentem cogita, in foro, in curia, in negotio, in templo, in cubiculo, in lecto, in teipso, quidquid loqueris, quidquid operaris, quidquid cogitas *Deus videt.* (4) Sive sis in vasta solitudine, sive in densissima nocte, sive in atrio, clausis ostiis, fenestris, cortinis, Deus videt. *Ipse timendus in publico, timendus est in occulto: procedis? videt te, lucerna ardet? videt te; lucerna extincta est? videt te; in cubile intras? videt te; ipsum time, cui cura est ut videat te; et vel timendo castus esto; aut si peccare vis, quære ubi te non videat, et fac.* (5) Nihil melius ad propositum.

Quanta peccatoris cæcitas, qui sese oculis Dei invisibilem existimat, modo sit in tenebris, vel intra parietes domus absconditus, unde sic fatur apud Ecclesiasticum: *Quis videt me? tenebræ circumdant me, parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem verear?* (6) Peccator, ait D. Augustinus, assimilatur struthioni, cujus corpus accedebat ad cameli magnitudinem, caput vero pusillum; de salute confidebat, modo absconderet caput, etiamsi corpus nudum remaneret expositum hostibus. *Ut bestia*

quædam magis quam avis, licet pennata, brevi capite, protracta cervice, cætera altergradia. Hanc aiunt cum delitescendum habet, caput solum, plane totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere: ita dum in capite secunda est, nuda qua major est, capitur tota cum capite. (1) Huic avi assimilatur peccator, qui se immunem censeat a Dei conspectu, modo ab hominibus non videatur. Cui dicendum est cum Tertulliano: *Nihil occultum quod non revelabitur* (2); etsi homini occultantur delicta, a Deo tamen dignoscuntur: *Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est: interest animis nostris, et cogitationibus nostris intervenit.* (3) Frustra prodigus a domo paterna egressus est et abiit in regionem longinquam, ut patris fugeret conspectum: nam, ut eloquenter fatur Chrysologus, *sine patre, coram patre erat:* (4) non habebat patrem in anima præsentem quem suo scelere perdiderat; erat tamen coram oculis patris, qui etiam scelerosos conspiciat. Peccatores possunt quidem fugere conspectum hominum, qui nec ubique esse, nec cuncta videre possunt, quia natura eorum non secus ac scientia finita, nec esse in omni loco, neque omne objectum valet cognoscere. Deus vero pro sua immensitate omnibus locis præsens est, et *pro scientiæ plenitudine* (5) cognoscit omne cognoscibile. Homines exterius tantum conspiciunt, interiorius nequeunt intueri. *Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur.* (6) Nulla est in cognitione faciendi inter Deum et hominem comparatio: *Neque enim si mediocritas humana facti solum judicat, quia voluntatis latebris par non est: idcirco crimina ejus etiam sub Deo negligamus. Deus in omnia sufficit. Nihil a conspectu ejus remotum, unde omnino delinquitur.* (7) Homines non vident in tenebris, Deus vero ita perfecte in nocte ac in die conspiciat. *Quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est.* (8)

Tiberius Imperator in noctis tenebris non secus ac in diei luce conspiciebat; at Dei oculi adeo sunt lucidi ut nullæ eum lateant tenebræ: *Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur.* (9) Hominum intima penetrat, quæ in corde concipiuntur intuetur. *Scrutatorem et dispectorem cordis Deum legimus* (10): ideo sive pec-

(1) Boet. lib. 5. de Consol. Phil. pros. ult. — (2) Sol. c. 14. — (3) Clem. Alex. lib. 3. Pædag. — (4) Tert. Apol. 17. — (5) D. August. Serm. 46. de Verb. Dom. — (6) Cap. 25.

(1) Tert. L. de Vel. Virg. 17. — (2) Tert. L. de Pæn. 6. — (3) Sen. Ep. 84. — (4) Serm. 5. — (5) Tert. Apol. 45. — (6) Tert. L. de Præsc. Hæret. 3. — (7) Tert. L. de Pæn. 3. — (8) Tert. L. de Pæn. 6. — (9) Psal. 158. — (10) Tert. L. de An. 15.

cator mente et voluntate peccet, sive in tenebris et nocte, sive in recessu et solitudine, sive in occulto et abscondito: *Nihil apertum quod non patefiet, et nihil absconditum quod non dignoscetur.* (1) Abscondita

quæque tenebrarum manifestabuntur, et, ut fatur Vates Regius Deum alloquens, *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui.*

(2) In ultimo iudicio, suo vultu Deus illuminabit delicta stulti peccatoris, qui ea occulta credidit, modo in tenebris, vel in occulto delinqueret: at *revelato scelere* (3), pudore confundetur luens pœnam publicæ erubescentiæ ejusmodi scelerum delitescentium: non secus ac criminosus qui ante Dei conspectum insolenter peccat.

2. Christus Dominus *fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis conspectum subtectis et in abditis etiam adesse confideret; et modestiam fidei desiderabat, ut quem ubique videre fideret, ei soli religionem suam offerret.* (4) Christiani non solum fidem habere tenentur, sed etiam modestiam fidei quam Dei præsentiae debent. Scelerosi modestiam fidei non habent, Deum ubique præsentem credentes, et temerarie Deum offendentes, cæcitati nequitiam addentes: *ut apud certos de Dei conspectu* (5), similes barbaris illis qui sagittas suas in solem jaculabant quasi de effusione lucis vindictam sumere volentes. *Ad inventiones eorum contra Dominum, ut provocent oculos majestatis ejus.* (6) Ejusmodi circumstantia illorum facinus multum incrementat, ut fatentur duo famosi peccatores et pœnitentes insignes. Unus est prodigus qui in se reversus, agnoscit peccati gravitatem quod coram patre patraverat: *Peccavi coram te.* (7) Ut enim animadvertit Hugo Carensis, *aggravat peccatum, major enim contemptus videtur esse.* Alter est Regius Vates, qui maxime de peccato dolet, quia illud in conspectu Dei fecit: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* (8) Quam multi hac ætate Prodigii et Davidis imitantur pœnitentiam: plures eorum sequuntur peccatum, perpauci dolorem, qui doleant peccasse coram oculis Dei. Revixisse videntur tempora Noe. Tunc *corrupta est terra coram Deo* (9): seu, ut expedit Cajetanus, *corrupta est terra in faciebus Eloim.* Quemadmodum autem Deus punivit diluvio peccata quæ impudenter com-

mittebant ante faciem suam habitatores terræ temporibus Noe, ita pudorem intentabit in faciem peccatorum, quem illis ingeret lumen Dei conspectus.

3. *Ipsa tribunalis die luce summa condito* (1), Deus lux indeficiens ultimum iudicium in summa luce, administrabit: tum quia *occulta tenebrarum ipse illuminabit* (2); tum quia insolentes peccatores qui in faciebus Eloim peccare ausi sunt, confundet *utique per Christum quem illuminationem reprobavit* (3); tum quia Deus, *qui se tanto seculo absconderat, majus et necessarius lumen* (4) apparebit, ut insolentes peccatores pudore afficiat, quorum conspiciens infamias, intolerabile opprobrium in eorum faciem conjiciet. *Opprobrium sempiternum dedit illis.* (5) Pudore eorum impudentia punietur. *Confusio faciei meæ cooperuit me.* (6) Ejusmodi autem opprobrium et confusionem reprobi per *Dei censorium lumen.* (7) Quemadmodum dolor est proprium voluptatis supplicium, ita diffamatio et confusio est pœna scelerosæ impuditiæ; illa autem diffamatio et confusio fit per convictiones, manifestationes, exprobrationes; convictiones vero et manifestationes operis infamis per lumen efficiuntur: nam, ut ratiocinatur Apostolus, *omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur, omne enim quod manifestatur lumen est.* (8) Græca lectio habet *manifestat*, active; syriaca vero, *omne quod revelat lux est.* Hæc autem lux manifestans et revelans, in die iudicii, infamias et ignominias reprobatorum, ut ex tali revelatione et manifestatione erubescant et confundantur, erit ipsemet Deus. *Est et turpium pœna Deus, lux est enim.* (9) Nam, ut prosequitur Sanctus Abbas, *Deus est non minus pœna perversorum quam humilium gloria;* et quemadmodum est objectum felicitatis et gloriæ Sanctorum, ita est causa confusionis et opprobrii præscitorum. Deus Sanctorum mentes illuminat ut divinam intueantur naturam; Deus peccatorum turpitudines manifestat ut erubescant: *Videntur ergo, ut confundantur; et non vident, ut consolentur.* (10) Quanta autem sit damnatorum confusio ex pudore quem in hac vita patiuntur scelerosi colligendum est. Pudor autem est maximum hujus vitæ supplicium; est enim dolore acerbior, morte intolerabilior, et gravior cunctis

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (2) Psal. 89. — (3) Tert. L. 1. ad Nat. 16. — (4) Tert. L. de Orat. 1. — (5) Tert. Apol. 39. — (6) Esa. 3. — (7) Luc. 15. — (8) Psal. 50. — (9) Gen. 6.

(1) Tert. Lib. de Jejun. 12. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 7. — (3) Tert. ibid. — (4) Tert. L. 4. adv. Marc. 19. — (5) Psal. 77. — (6) Esa. 3. — (7) Tert. L. de Vel. Virg. 15. — (8) Eph. 5. — (9) D. Bern. lib. 5. de Confid. 12. — (10) D. Bern. ibid.

tormentis quæ intelligere valet humana justitia. Est 1. Doloce acerbior, tum quia dolor affligit corpus, pudor vero animam multum corpore nobiliorem; tum quia dolor tollit corporis valetudinem aut voluptatem, pudor vero sequitur vel jacturam honoris, vel saltem metum amittendi honorem; honor autem corporis valetudinem et voluptatem in pretio et valore superat; ut ex pœna Aaronis et Mariæ, sororis ejus, evidenter comprobatur. Ambo de Moyse murmuraverant, sola Maria lepra percutitur, Aaron integra corporis valetudine potitur. Videbitur fortasse alicui injustum quod Maria et non Aaron luat pœnas; nonne justitiæ congruebat ut qui erant consortes criminis, essent etiam supplicii participes? Ambo debebant, aut accipere veniam, aut sustinere pœnam. Nolite existimare, Christiani, Aaronem fuisse a supplicio immunem; acerbius etenim pertulit quam Maria supplicium. Maria punitur in corpore, Aaron in mente, Maria lepra, Aaron pudore: *Maria supplicio afficitur, ut Aaron confusione mulctetur.* (1) Pudor autem est dolore acerbior, 2. Ipsaque morte intolerabilior, ut ex Christo Domino constat, cui intolerabilior fuit confusio quam tristitia, agonia, sanguineus sudor, vincula, verbera, flagella, spinæ, clavi, crux eunctique quos pertulit in passione cruciatus; quos omnes præterit siletque Apostolus, solam confusionem et verecundiam commemorans: *Sustinuit crucem confusione contempta.* (2) Seu, ut legit D. Anselmus, *neglecta verecundia humana*: quæ 3. Cuncta hujusce vitæ supplicia superat. Quod probe scientes Ethnici, mortis pœnam immutabant in pudoris tormentum, crudeliorem existimantes sanguinis suffusionem quam effusionem. *Est in pudoris notam capitis pœna conversa, bonorum adhibita proscriptio: suffundere maluit hominis sanguinem quam effundere.* (3) Quapropter judaicam infidelitatem et ingratitude volens punire Deus, pudore et confusione mulctavit. *Igitur et tu sustine confusionem tuam.* (4) Septuaginta vertunt: *Sustine tormentum tuum*, quia nullum est tormentum confusioni comparandum, et severius punivit Deus Judæos, confusionem injiciens, quam si eos percussisset peste, fame et gladio. En verum supplicii reprobtorum specimen, qui *resurgent in opprobrium sempiternum* (5), quod patientur ex divino conspectu. Christiani, ut valeamus vitare, in die judicii, *occultorum facinorum*

infamiam (1), vivamus semper in conspectu Dei, *ambulemus in lumine Domini.* (2) Tales simus nunc coram oculis ejus quales vellemus haberi in fine mundi: *Hodie nos Deus tales videat quales tunc videbit.* (3) Vereamur ejus conspectum, nec quidquam agamus sive in occulto, sive in publico, quod nos pudore et opprobrio confundat in ultimo judicio, in quo erubescant reprobi, tum ex divinis, tum ex propriis conspectibus.

II. PARS. *Omne malum aut timore, aut pudore natura persudit* (4), quia, ut ait D. Chrysostomus, *pudor est frenum vitiorum*, (5) hominem impediens ne incidat in crimen: *Pudor a crimine deterret.* (6) Absque pudoris freno, homines nullum non perpetrunt facinus. *Dissoluto pudore, qui persuasionis pharmacum est, ad quodvis facinus audaciores redduntur* (7), ut patet hac tempestate in qua multi in tantam impudentiam sunt elati ut 1. Palam et publice peccent; 2. Sese de suis sceleribus jactitent; 3. Ut quis criminosior appareat certatim pugnent.

1. *Taceo de reliquis, etiam quæ in tenebris et in speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent.* (8) Pudenda sunt crimina quæ in occulto ante Dei conspectum faciunt peccatores, sed non minus erubescenda quæ palam et in aperto committunt, quos de impudentia Jeremias redarguit: *Quia confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt, ideo cadent inter corruentes.* (9) Vult Tertullianus *mentis statum in fronte consistere, prioremque esse pudoris quam corporis plagam.* (10) Quandiu conservatur pudor, servatur etiam corporis puritas; amisso pudore, facile amittitur castitas: impudentes illi qui palam et publice peccare non verentur, meretricis habent frontem. *Frons meretricis facta est tibi, nolisti erubescere.* (11) Caligula Imperator sese de impudentia commendabat: « Ego, aiebat, nihil in natura mea, magis probo quam inverecundiam. » Quam plures Caligulæ assimilantur hac tempestate, in qua uterque sexus absque ullo pudore in omnem ebullit lasciviam! *Tanto consilio omnes peccamus, quasi summi consilii conspiratione peccemus.* (12) Ex D. Augustino, Sodome et Gomorrhæ habitatores *in tantam consuetudinem conva-*

(1) Salv. lib. 1. de Gubern. Dei. — (2) Hebr. 1. — (3) Tert. Apol. 4. — (4) Ezech. 10. — (5) Dan. 12.

(1) Tert. Apol. 6. — (2) Esa. 2. — (3) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 7. — (4) Tert. Apol. 1. — (5) Hom. 26. in Matth. — (6) D. Chrysost. hom. de Discip. — (7) Greg. Naz. Orat. 1. Apol. — (8) Tert. L. de Spect. 17. — (9) Cap. 8. — (10) Tert. Scorp. — (11) Jerem. 3. — (12) Salv. lib. 4. de Gubern. Dei.

luerant, quantam leges solent aliorum factorum præbere licentiam. (1) Hæc est hujus ætatis impudentia: nam, ut deslet Cæsarius Arelatensis, ita peccata ista in consuetudinem missa sunt, et tanti sunt qui illa faciunt, ut jam quasi ex licito fieri credantur. (2) Verendum est ne peccata nostra ad cælum usque suam vocem emittant, non secus ac peccata Sodomorum, quæ divinam sufflamarunt animadversionem. *Clamor Sodomorum venit ad me de terra.* (3) Ut autem animadvertit D. Augustinus, per peccati clamorem, *iniquitas sine timore et verecundia significatur.* (4) D. vero Gregorius peccati vocem a clamore distinguit. Quodvis peccatum habet vocem, quæ ad Dei aures pervenit ejusque provocat justitiam. *Proditæ interim etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servatur* (5): peccatum vero quod fit cum jactantia, non solum vocem, sed adhuc habet clamorem. *Peccatum namque cum voce est culpa in actione, peccatum cum clamore est culpa cum jactantia* (6): cujusmodi est crimen impudentium, qui palam et publice peccant, et adhuc sese de suis sceleribus jactant.

2. *Nobis autem primo quidem nullum gloriæ studium est.* (7) Bene gloriæ studium, quia plerique totum adhibent studium ut de his quæ faciunt, sibi gloriam comparent. Hoc autem gloriæ studium alienum a Christianis declarat Tertullianus: *Porro gloria non competit professoribus humilitatis ex præscriptis Dei.* Christiana namque disciplina humilitatem, non vanitatem docet. *Quod si omnis gloria vana et stuporata, quanto magis quæ captatur ex criminibus?* Eo tamen pervenit humana insolentia, ut peccati non erubescat infamiam. *Non tam grave facinus est peccatum quam ipsum peccatum non pudere.* (8) Et quasi parum sit non pudere peccatum, multi lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. (9) De criminibus quæ tristitiam et ignominiam asserunt, lætitiæ et gloriæ materiam sumunt. *Ab eo gloriantur propter quod occultari et pudore affici deberent.* (10) Hujusmodi fuit scelus Joab, qui de homicidio gloriabatur, et ut nemo non sciret se Abner necem intulisse, suum baltheum cruentavit. Ejusmodi fuit turpitudine primogenitæ Loth, quæ filium quem ex incestu conceperat, Moab nuncupavit, id est, ex patre genitum, ut animadvertit D.

Hieronymus. Ejusmodi est adhuc plurimum Christianorum facinus: nam, ut ait D. Paulinus, *gloria impio est iniquitas sua, neque solum operatio eum nequam, sed nequitie fama delectat* (1); quæ tanto major illis videtur, quanto majora sunt quæ faciunt delicta. Hoc errore detenti lævia negligunt delicta, et atrocissima quæque committunt crimina, ut eis exprobrat Ennodius: *Vos vero qui lævia errata contemnitis, qui peccati nobilitate gaudetis: et quod omnem impudentiam superat, ut quisque criminiosior videatur, certatim pugnant.*

3. *Ubi studium, ibi æmulatio, per quam studium sapit.* (2) Magnum agnoscit Salvianus discrimen inter probos et depravatos Christianos. Probi perfectionis studiosi virtutem æmulantur, pravi e converso æmulantur vitium: *Sicut hæc bonorum gloria est, ut quotidie meliores sint, sic malorum omnium ut deteriores.* (3) Boni æmulantur charismata meliora, et ad virtutis apicem ascendere nituntur: *Pessimi optant palmas sibi universorum scelerum vindicare.* Cujusmodi erat D. Augustinus ante conversionem, qui crimina quæ non commiserat mentiebatur, ut inter sceleratos magis haberetur scelerosus. Cujusmodi sunt hoc tempore plures depravati Christiani: *In profundis impietatis inter se certant, ne hac in re levius tolerabiliusque peccent quam cæteri.* (4) Hi sunt impudentiæ fructus, quæ ad crimina adeo pudenda stimulat, quæ peccatoribus incuterent horrorem, nisi cæcitas qua obtenebrantur eis adimeret verecundiam. Siquidem pudor a duabus causis procedit: 1. Ab operatione criminosa et probrosa; 2. A cognitione dedecoris, quod scelerosum opus sequitur. (5) Ex defectu hujus cognitionis modo peccatores malum facere non verentur, imo de criminibus gloriantur, quasi sint laude et honore digna. At in ultimo judicio, aperiet Deus præscitorum oculos, ut criminum suorum conspiciant ignominiam et erubescant. *Modo te non vides, faciam ut videas te; videbis sceditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas.* (6) Impudens peccator, qui majestatem meam offendere non vereris, *arguam te et statuum te contra faciem tuam.* (7) Seu, ut habet hebræa lectio, dirigam te in aciem contra faciem tuam, ut cuncta tua coaspicias scelera, eorumque gravitatem, speciem, multitudinem continuo videas et confundaris. *Revelabo puden-*

(1) Lib. 6. Civ. 30. — (2) Rom. 16. — (3) Gen. 18. — (4) Quæst. 5. in Exod. — (5) Tert. Apol. 7. — (6) L. 5. Mor. 7. — (7) Tert. L. 2. de Cult. Fem. 3. — (8) D. Chrysost. Hom. 41. ad Pop. — (9) Prov. 2. — (10) OEcum. Lib. 3. Reg.

(1) Epist. 4. — (2) Tert. L. de Spect. 15. — (3) Lib. 1. de Gubern. Dei. — (4) Greg. Naz. Orat. 10. — (5) D. Thom. 22. q. 244. — (6) D. Aug. in Psal. 49. — (7) Psal. 49.

da in facie tua (1), neque unquam ab eorum conspectu valebis divertere oculos. *Quidam resurgent in opprobrium sempiternum, ut videant semper.* (2) Impii indesinenter suas videbunt impietates, blasphematores blasphemias, superbi vanitates, impudici venereas voluptates, avari injustitias, et quivis peccator crimina ob quæ damnatus est. *Non est aspectus, sive in cælis, sive in terra, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit.* (3) Licet damnati versentur in tenebris, conspicient tamen opera tenebrarum quæ fecerunt. *Non latent tenebræ vel seipsas, se vident quæ aliud non vident, opera tenebrarum sequuntur illos, non est qui se abscondat ab illis, ne in tenebris quidem.* (4) Pudor, quo ex illo conspectu afficientur reprobi, erit omnium tormentorum maximum, ait Theodoretus. Hanc confusionem ignibus acerbiorum existimat Basilius Magnus: *Certe gravior quam ignis æternus hæc pœna erit, ut nunquam non ob oculos habeant sceleratæ vitæ vestigia.* (5)

Christiane, pertimescis opprobrium quod ex sui conspectu patientur in inferno reprobi? *Tolle te de dorso tuo, ubi te videre non potes, et constitue te ante te: quod erat post te fiat ante te* (6), ut peccati intuens sceditatem, de illo pœniteas. *In tribunal mentis tuæ, ascende contra te, et reum te constitue ante te, noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te.* (7) Imitare Vatis Regii pœnitentiam postulantis suorum munditiem delictorum: « *Amplius lava me ab injustitia mea, et a peccato meo munda me.* » (8) *Quo merito? Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Peccati mei gravitatem indesinenter conspicio ut doleam, *non posui post dorsum meum* (9), sed ante faciem meam. Hac nota Magnus Gregorius electos a reprobis discriminat; quod illi cadunt ante faciem, isti vero retrorsum. *Quid autem hoc quod electi in faciem, et reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis qui post se cadit, ibi cadit ubi non videt; qui vero ante ceciderit, ibi cadit, ubi videt?* (10) Electi vident ubi cadunt; nam dum fragilitate cadunt, peccati intuentur sceditatem, et de eo pœnitentiam agunt; reprobi vero cadunt ubi non vident, quia peccato obcæcati, ejus non vident sceditatem, neque erubescunt, nec pœnitent: idcirco in ultimo judicio in pœnam impudentiæ qua peccarunt, opprimuntur opprobrio

et pudore quem patientur ex Angelorum, dæmonum et hominum conspectibus.

III. PARS. In die judicii, reproborum crimina erunt conspectui omni carni. (1) Peccatores sunt in triplici differentia. Quidam inverecondi, qui palam et publice peccant, neque Dei neque hominum verentur conspectum. Nonnulli stulti, qui clam et in occulto peccant, hominum formidantes conspectum, divinos oculos non pertimescentes; alii fraudulentum, vitia sub specie pietatis occultantes: at Deus in ultimo judicio, *totum pudorem in faciem omnium intentat* (2), exponens Angelorum, dæmonum et hominum conspectibus, scelera quæ commiserunt 1. Inverecondi in publico; 2. Stulti in occulto; 3. Fraudulenti sub virtutis velo.

1. *Leges malos erui jubent, non abscondi; confessos damnari præscribunt, non absolvi; hoc senatusconsulta, hoc principum mandata decernunt.* (3) Qui juste statuerunt ut scelerosi et reipublicæ tolerarent supplicium, ut confusio et pudor esset major eorum pœna: quemadmodum ex Apostolo *honor et gloria, omni operanti bonum*: ita et Sapiente, *super furem pœnitentia et confusio*: quapropter Deus, supremus hominum et Angelorum iudex, scelera etiam palam et publice facta omnium objiciet oculis, ut impudentes illi qui ea committere non erubuerunt, confundantur et pudore incomparabili torqueantur. Recogita, Christiane, protoparentis pudorem, quando post violatam Dei legem, coram offenso Deo coactus fuit apparere nudus; Noe pudorem, dum cognovit quod Cham ejus pudenda detexerat; pudorem legatorum Davidis quibus Ammon, rex Amorrhæorum, dimidiam vestimentorum, et capillorum capitis, et barbæ absciderat; pudorem Sejani filia, coram populo a sicario defloratæ et infami supplicio mulctatæ. Præfata opprobria et quævis alia quæ unquam in hac vita passi sunt mortales, non sunt comparanda pudori quod in ultimo judicio afficientur, non solum homines scelerosi, sed etiam dæmones. Dæmones, qui oderunt virtutes et vitia diligunt; dæmones, qui immunditiis et impietatibus delectantur; dæmones, quibus impudentia et inverecondia videtur consuetudinis; dæmones, qui sunt velut incapaces verecundiæ et pudoris, timent ultimum judicium, et illud duntaxat metuunt ob opprobrium quod patientur ex manifestatione suorum criminum. Quod si pudor futurus est præcipua dæmonum pœna, mirum non est si homines impudentes qui palam et pu-

(1) Nahum. 3. — (2) Dan. 12. — (3) D. Bern. — (4) D. Bern. — (5) Orat. 24. — (6) D. August. — (7) D. Aug. lib. de Utilit. agend. Pœnit. — (8) Psal. 50. — (9) D. Aug. — (10) Hom. 9. in Ezech.

(1) Tert. L. de Res. 31. — (2) Tert. L. de Spect. 21. — (3) Tert. Apol. 2.

blice peccarunt, ex aliorum conspectibus intolerabilem confusionem passuri sunt in ultimo judicio, in quo crimina sive in publico, sive in occulto facta ab omnibus cognoscentur.

2. *Nihil occultum quod non patefiet, et nihil absconditum quod non dignoscetur.* (1) Scriptura sacra duo sepulcrorum recenset genera: quædam aperta, alia clausa. Per sepulcra aperta Origenes peccatores impudentes intelligit, qui in aperto peccare non verentur, per sepulcra clausa stultos peccatores intelligit, qui quarunt tenebras, oculos hominum pertimescunt, Dei vero non erubescunt conspectum. At in vanum captant tenebras: Deus namque *revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis.* (2) Interdum opera illa tenebrarum manifestantur, quantumvis astutia humana, ea occultare nitatur. Fratricidium ignotum existimabat Cain, quia in campo extra hominum conspectum Abelis fuderat sanguinem, et tamen effusi sanguinis vox de terra coram Deo clamavit. Impudici senes magna cautela de adulterio incusabant Susannam, et tamen juvenis eorum detegit malitiam, et de lascivia et falso testimonio convicit. Moyses sese securum existimabat, quia nullus erat præsens dum occidit Ægyptium: at die sequenti, magno est timore perterritus, audiens duos Israëlitas sibi in foro homicidii exprobrantes. Idem plerumque aliis accidit, quorum crimina quamvis in occulto facta, aliquando tamen *palam adiuveniuntur.* (3) At volo ut nunquam occulta scelera innotescant mortalibus, nunquam furis pateant latrocinia, notarii falsitates, mulieris adulteria, attamen, velint, nolint, in ultimo judicio manifestabuntur et cognoscentur. *Tu fecisti abscondite hoc malum, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël.* (4) Sic loquitur Deus qui in die iudicii cunctis superiis spiritibus, inferni dæmonibus, terræ hominibus objiciet reproborum crimina. *Nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnes turpitudinem tuam.* (5) Duo peccatori minatur Deus: unum, detegere illius ignominiam, nimirum cuncta peccata quæ peccatorem infamem reddunt: *Peccatum proprio insignitum caractere producet, sui omnibus expressam suggerens et evidentem notitiam* (6); aliud, ejus ignominiam omnium objicere conspectibus. Dinumera, peccator, cunctos Angelos, dæmones et homines qui fuerunt, sunt et

futuri sunt, et confusionem tuam intuentium multitudine coapta. *Non moro a luce, sed in luce videntur. A quo vel a quibus? Ab omni videntur, ut pro multitudine intuentium sit confusio multa.* (1)

Tiberius (2) Imperator metuens ne post suam mortem criminosa quam duxerat vita a populo redargueretur et a senatu condemnaretur, exoptabat aut nunquam vixisse, aut nullos esse mortalium oculos qui possent sua intueri facinora. Casta etiam Susanna, etsi innocua velabat faciem, *erubescens de infamia sua* (3), mortem etiam desiderans ne diutius impudicorum senum exponeretur conspectibus. *Jam ipsa pudoris compendio, mortis oderat moras.* (4) Criminosi quoque et rei crimina occultant ne afficiantur verecundia et pudore: *Malefici gestiunt latere, trepidant deprehenso, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur: negant suum esse quod malum agnoscunt.* (5) Scelerati etiam dum conspiciuntur a crimine impediuntur, et ab incepto crimine desistunt. « Ut quis victus libidine, conversus huc atque illuc, si neminem videat flagitii sui testem, in facinus ruit: idem tamen quamvis inveniat partam occasionem peccandi, explorat diligenter omnia, sollicitus famæ, erubescens testimonium erroris, qui non erubescit errorem; et si quem forte scrutantem cognoverit, facinoris sui verecundia, sequestrat intemperantiam suam. » (6) Imo, ut ait D. Chrysostomus (7), nemo sanæ mentis vellet probrosum facere opus quod certo sciret crastina die manifestandum coram quatuor testibus: scelerose peccator, non solum coram quatuor testibus, sed coram cunctis hominibus et Angelis manifestabuntur crimina tua, quantumvis fraudulenter specie virtutis occultaveris.

3. *Tu, homo, extrinsecus tantum vides* (8). ideo non facile veram virtutem à fucata discernis. Quemadmodum nix pedalis cooperiens terram impedit ne rosa ab spinis discriminetur, ita exterius bene compositum, impedit ne vera pietas ab impietate discernatur; et ob hanc causam, Christus Dominus, *hypocrisim Pharisæorum taxarat, utique celantem occulta cordis, et incredulitatis secreta superficialibus officiis obumbrantem.* (9) Multi Christiani Pharisæorum æmulantur hypocrisim, specie pietatis veram impietatem obumbrantem: *Jam si pectoribus ad trans-*

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 28. — (2) Job. 12. — (3) Tert. Apol. 4. — (4) Lib. 1. Reg. 12. — (5) Ezech. 16. — (6) D. Basil. in Psal. 15

(1) D. Bern. lib. 5. de Confid. 12. — (2) Sueton. in Tiber. — (3) Tert. L. de Cor. Mil. 4. — (4) S. Zeno. Serm. de Pud. — (5) Tert. Apol. 1. — (6) D. Ambr. in Psal. 118. — (7) Hom. 5. in Ep. ad Rom. — (8) Tertull. Lib. de Pæsc. Hæret. 5. — (9) Tertull. Lib. 4. adv. Marc. 28.

lucentum quamdam specularem materiam natura obdurisset, cujus non praeordia sculpta apparent? (1) Interius hominis criminibus appareret sculptum, cujus exterius modo videtur virtutum coloribus depictum. At in die judicii, cujuslibet damnati praeordia erunt transparentia, et omnia quae in eis modo occultantur tunc videbuntur ab omnibus: Christus namque *illustratione adventus sui* (2), eundem in cordibus producet effectum ac sol materialis super terram (3), et sicut sol noctis fugat tenebras, et cuncta corpora illustrat, et quanta sunt detegit, ita Christus, Sol justitiae, *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (4), neque ulla hypocrisi et pietatis specie sese occultare valebunt peccatores. *Discooperiam Esau, revelabo abscondita ejus, et celari non poterit.* Quot tunc apparebunt lupi modo pellibus ovinis induti! Quot sacrilegi, in Ecclesia velut Sancti honorati! quot injusti iudices modo, supra justitiae tribunal sedentes! quot nobiles plebeios depauperantes! quot publicani post populi substantiam anhelantes! quot adulterae quae de castitate commendantur! quot crimina sub virtutis superficie occultata! *Nihil est occultum quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.* (5)

Idem accidet hypocritis in ultimo judicio quod uxoribus in veteri Testamento. Mulieres de adulterio suspectae ad tabernaculum ducebantur, ibique detecta facie coram populo zelotypiae hauriebant aquas, tanta virtute praeditas ut statim appareret supra frontem, earum, vel castitas, vel adulterium, et a cuncto populo fidelitas, vel infidelitas conspiceretur. In ultimo quoque judicio, lumen diffundet Deus supra cujuslibet conscientiam, quam adeo efficiet translucentem, ut statim quidquid unquam mali fecerint damnati, a cunctis Angelis, daemoneibus et hominibus videatur. Quanta, quaeso, adulterae mulieris verecundia, cujus crimen apparebat in fronte et a populo conspiciebatur? quanto major damnati confusio, cujus turpitudine cognoscetur; non ab amicis, sed ab inimicis; non a propinquis dumtaxat, sed ab extraneis; non ab uno populo et natione, sed generatim a cunctis nationibus et populis; non ab hominibus solum, sed ab Angelis et daemoneibus? Milesiae filiae tanta olim rabie agitabantur, ut sibi inferrent mortem, seseque laqueo suspenderent, neque a tali furore potuerunt dimoveri nisi lege facta a magis-

tratribus qua corpora earum quae suspensio perierant, nuda cunctorum civium exponerentur conspectibus. Timor ne corpora etiam mortua nuda apparent, fuit efficacior ad illas a sua feritate dimovendas, quam parentum teneritudo, amicorum et propinquorum preces, fortunae blanditiae, vitae delectationes, et cunctae cogitationes ante ad hunc effectum adhibitae: Christiane, cuncta crimina quae commisisti, sive corporalia, sive spiritalia, patebunt in die judicii. Cogita quanta tunc erit praescitorum verecundia; hanc time dicens cum Augustino: *Illum confusionem perhorresco, quae est in aeternum.* (1) Intolerabilem illum pudorem, innocuo pudore praevieni, erubescere peccare sive in publico, sive in occulto: *Pudor bonus magister officii* (2), si ab illo erudiaris magistro, docebit te revereri divinum conspectum, oculis hominum praebere virtutis exempla; vilem haberi in conspectu tuo, demonstrareque, non fucatum, sed veram pietatem, quae in die judicii laudatur et remuneratur.



CONCIO QUARTA.

GENTILES negent Christum omnem ab aeo animam restituto corpore judicaturum: dicant hoc, pro tribunali si forte, Minoen, et Rhadamanthum secundum consensum Platonis et poetarum esse sortitos. (3) Christiani poeticas respuentes fabulas, et indubitatas fidei profitentes veritates, Christum omne humanum genus credunt judicaturum, trinum constituentes tribunal, in quo divinae perfectiones mirum in modum elucet: bonitatis in Calvario, misericordiae in poenitentiae foro, justitiae in ultimo judicio: Dei bonitas seu amor eluxit in Calvario cum pro hominibus Christus sustinuit mortem crucis. Etenim si majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam det pro amicis suis, quantus amor Christi in cruce morientis etiam pro inimicis suis? Dei misericordia coruscat in poenitentiae foro; tum delens peccati maculam et largiens peccatori gratiam; tum poenam aeternam peccato debitam commutans in temporalem. Dei justitia fulgebit in ultimo judicio criminisum judicans. Adeamus mente divinae justitiae tribunal, et conspiciemus scelerosum 1. Accusatum; 2. Convictum; 3. Condemnatum.

(1) Tert. Apol. 35. -- (2) 2. Thess. 2. -- (3) D. Hieron. in c. 4. Malach. -- (4) 1. Cor. 4. -- (5) Luc. 12.

(1) Epist. 48. -- (2) D. Ambrosii, lib. 7. in Luc. -- (3) Tertull. Apolog. 25.

I. PARS. Probi iudices non solent *inaccusatos temere damnare*. (1) Christus Dominus, iudex optimus, non inaccusatos, sed accusatos damnabit reprobos; qui accusabuntur a creaturis quibus ad peccandum abusi sunt; a scelerosis quibus cum peccaverunt, a probis Christianis quos suis sceleribus scandalizaverunt; ab Angelis custodibus, quorum consilia contempserunt. At de quo accusabuntur? de pluribus: sed præsertim de trino capite: quod 1. Bonum omiserint; 2. Bonum non bene fecerint; 3. Malum commiserint.

1. *A disciplina devertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicii, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal adstare, reddentes rationem imprimis ipsius fidei.* (2) Cunctarum virtutum quas disciplina præcipit christiana, reddenda erit ratio. Inter divina mandata quæ bonum præcipiunt, quædam respiciunt cultum Deo debitum; alia iustitiam proximo præstandam. De utrisque reddenda erit ratio, et de omissionibus erga Deum et proximum, accusabitur peccator. Christianus tenetur Deo credere, in Deo spem suam ponere, Deum adorare, amare, ei gratias referre, et religiose servire; præsertim diebus dominicis et festis divino cultui consecratis. Peccator tamen nullum fidei, spei, charitatis et adorationis elicit actum, sed dies festos et dominicos divino cultui dicatos luxu, vanitate, impudicitia et impietate profanat. De cunctis illis omissionibus accusabitur, et quia plenitudo legis est dilectio proximi, in ultimo iudicio præsertim accusabitur peccator, non exhibuisse proximo fraternam dilectionem, quam humanitas, æquitas et religio exigebat. Et ob hanc causam, ut animadvertit D. Augustinus, Christus Dominus sententiam æternæ benedictionis laturus est in electos, eo quod misericordes exstiterint; in immisericordes vero vibraturus æternæ maledictionis sententiam. *Quæro causas, vel tantæ mercedis: Percipite regnum; vel tantæ supplicii: Ite in ignem æternum.* (3) Multa virtutum opera ediderunt electi, multa quoque crimina operati sunt reprobi; et si a Deo exquirant iusti cur eos cæli beatitudine remunerat, respondere posset, quia exstiterunt fideles, pii, humiles, sobrii, casti, aliisque virtutibus decorati; et si scelerosi expostularent cur eos æternis inferni condemnat suppliciis, posset etiam respondere, quia fuerant increduli, impii, superbi, iracundi, gulosi,

impudici, aliisque vitiis dedecorati: et tamen in ultimo iudicio ferens sententiam Christus, non adducet neque electorum fidem, pietatem, humilitatem, sobrietatem, castitatem; neque reproborum incredulitatem, impietatem, superbiam, iram, gulam, impudicitiam; sed electorum sententiam supra opera misericordiæ solidabit, reproborum vero fulciet sententiam supra omissionem operum misericordiæ. *Quare illi percepturi regnum? Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Quare isti ituri in ignem æternum? Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* (1) Hac autem sententia nihil iustius: nam, ut belle ait Euthymius, *iustissima est æquitas, ut inhumanitas inhumanis, et misericordibus misericordia rependatur.* Ex sententia autem quam laturus est Dominus in immisericordes, qui sua largiti non sunt egenis, recte colligit D. Augustinus severitatem Christi in scelerosos qui aliena iniuste rapuerunt: *Si in ignem mittitur qui non dedit rem propriam, putas ubi mittendus est qui invasit alienam? Si cum diabolo ardere debet, qui nudum non vestivit, putas ubi arsurus est qui exspoliavit* (2) pupillum, viduam et humilem ad extremam egestatem redegit?

2. *Næ videatur unaquæque perversitas, non examinata, sed præjudicata damnari.* (3) Ipsa quoque opera misericordiæ, ipsæque virtutes examinabuntur, an scilicet ea quæ ex sua natura bona sunt, bene sint facta. Nam, ut ipsemet ait Deus, *scrutabor Jerusalem in lucernis.* (4) Quæ verba sic expendit D. Bernardus: *Tunc Christus omnes animæ et conscientie angulos scrutaturus veniet, veluti lucernæ lumine admoto, ne vel minimum peccatum latere possit, juxta illud: Scrutabor Jerusalem in lucernis.* (5) Ex exacto illo examine quod faciet Deus in Jerusalem, id est, in anima sancta, colligit Bernardus: *Sed quid in Babylone tutum, si in Jerusalem manet scrutinium?* Si Jerusalem, urbs sanctitatis, ita scrutatur, quid fiet de Babylone, civitate iniquitatis? et si iustorum conscientia tam exacto examine discutitur, quali discussione examinabuntur peccatores? Quod denotatum vult D. Bernardus per præceptum Ezechieli Prophetæ factum: (6) « Cui mandavit Deus sumere novaculam, seu gladium acutum, radere caput suum et barbam, rasosque capillos in tres partes dividere: unam partem in medio civi-

(1) Tert. I. 1. ad Nat. 2. — (2) Tert. I. de Præsc. Hæret. 44. — (3) Serm. 50. de Temp.

(1) D. Aug. ibid. — (2) Serm. 20. de Temp. — (3) Tert. I. adv. Præsc. 2. — (4) Sophon. 1. — (5) Serm. 55. in Cant. — (6) Cap. 5.

tatis comburere, alteram in minutissimas partes secare, tertiam in ventum et aerem dispergere. Hæc est figura examinis quod fiet in ultimo judicio, ubi Deus exacte singulorum scrutabitur conscientias, cogitationes, sermones et actiones eunctorum hominum in justitiæ statera ponderabit. *Et assumes tibi stateram ponderis.* Prima pars quam gladio præcepit amputari: *Tertiam partem concides gladio*, denotat peccata lethalia quæ animam scelerosam vulnerant ad mortem, et peccatorem a Deo in æternum separant. Altera pars, quam mandat comburi: *Tertiam partem igne combures in medio civitatis*, significat peccata venialia quæ nunc velut palea in igne purgatorii comburuntur. Tertia vero pars, quam jubet projicere in ventum: *Tertiam vero aliam disperges in ventum*, figurat opera externa ex sua natura bona, quæ ex defectu rectæ intentionis projiciuntur in ventum, vanaque inutilia et levia in bilance divinæ justitiæ inveniuntur. *Pondus et statera judicia Domini sunt.* (1) At quid in statera ponderat Dominus? non actiones externas quæ ab hominibus videntur, sed mentis cogitationes, voluntatis affectiones, cordis motus, quos conspiciere non valent mortales. *Spirituum ponderator est Dominus*, id est, ut expendit Venerabilis Beda, *spiritus singulorum, quid in occulto cogitent certa luce discernit.* Multa sunt quæ exterius videntur bona, non tamen sunt bene facta. Nam, ut addit Sapiens, *omnis via viri sibi recta videtur, appendit autem corda Dominus*, quorum est scrutator, examinador, librator, ponderator, intentiones librans: et, ut ait Job, *gressus omnes dinumerans: Tu quidem gressus meos dinumerasti* (2); seu, ut legunt Septuaginta, *annotasti*, cuncta annotans et considerans usque ad vestigia pedum. Addit Propheta: *Et vestigia pedum meorum considerasti* (3); seu, ut vertunt Septuaginta, *usque ad radices pedum meorum pervenisti.* Pes mentis intentionem et cordis affectionem significat: idcirco Deus usque ad cordis intima penetrat, mentis intentionem investigat, voluntatis affectionem attente considerat. *Nec solum intentionem, sed radicis ejus medullam intimam disertissima tuæ lucis veritate colligis, numeras et intueris: consignas ut reddas unicuique, non solum secundum opera et intentionem, sed etiam secundum ipsam interiorum absconditum medullam radicis, de qua procedit intentio operantis.* (4) Quod innuit

ipsemet Deus per os Regii Vatis aïens: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* (1) Non dicit se judicaturum duntaxat injustitias, blasphemias, adulteria, latrocinia, homicidia, sed ipsas justitias; seu, ut habet hebræa lectio, *ego recta judicabo*: an scilicet recte seu recta intentione sint facta. *Terribile verbum, quod non tantum peccata judicabit, sed et justitias; bona scilicet opera examinabit.* (2) Jejunia judicabit an ex devotione vel per hypocrisim sint facta; examinabit eleemosynas an factæ sint ex vanitate vel ex charitate et compassione fraterna; examinabit confessiones an sint imperfectæ vel integræ; examinabit communionem an sint sanctæ aut sacrilegæ; examinabit missas an sint auditæ cum attentione mentis et modestia corporis, aut cum immodestia et distractione; et generatim, ait D. Bernardus, *vias justorum* (3) examinabit. *Verendum est ne subtili examine multæ nostræ justitiæ quæ putantur, peccata appareant: dicente Domino: Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* (4) Inde concludit Bernardus: *Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit?* Et si accusabitur homo in ultimo judicio quod non bene fecerit bonum, quanto a fortiori accusabitur fecisse malum?

3. *Facinora tributa sunt vitæ.* (5) Scelerosus Christianus, peccando, dies, hebdomadas, menses, annos et fere totam pertransit vitam. Cuncta illa peccata quæ male vivendo cumulat peccator, erunt tot capita de quibus accusabitur. *Cuncta quæ sunt adducet Deus ad judicium,* (6) Bone Deus! quot peccata commisit criminosus Christianus per totum vitæ spatium! et tamen de innumerabili illo accusabitur criminum numero, *judicandus, non tantum de factis, sed de verbis et cogitationibus.* (7) Quot mala opera! quot verba inhonesta! quot cogitationes pravæ! quot peccata publica et scandalosa! quot scelera occulta et abscondita! Tamen *in illo judicio stabunt omnia peccata contra infelicem peccatorem, dicentia: Tu nos fecisti, opera tua sumus, jam non te deseremus, sed tecum ad judicium pergemus.* (8) Et quemadmodum dux exercitus urbem suo imperio subijcere volens, illam circumdat et obsidione cingit, non absimiliter, ait Theodoretus, *me circumdabunt opera mea prava quæ commisi, undique me cingentia.* (9) Hæc consideratio

(1) Prov. 16. — (2) Cap. 14 — (3) Job. 13. — (4) D. Aug. Solil. 18.

(1) Psal. 74. — (2) Hug. Card. — (3) Serm. 55. in Cant. — (4) D. Bern. Serm. 54. in Cant. — (5) Tert. L. de An. 55. — (6) Eccles. 12. — (7) D. Cypr. Serm. de laps. — (8) D. Bern. lib. de Confid. ad Eugen. — (9) In c. 2. Rom. Psal. 48.

Vati Regio ingenerabat timorem. *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quasi dicat, ut expendit Theodoretus in Catena Græcorum Patrum: *Timoris hujus causa mihi est male acta vita.* Vel incipit Propheta per interrogationem, ut etiam responsum accipiat: *Cur timebo?* ubi interpungendum est, ut sit sensus: Si quis interroget me, et sciscitetur causam ob quam timeam, respondebo esse diem quamdam malam quam formido; metuo autem ne iniquitas calcanei mei circumdet me: vel in die maligni, ut alii legunt, per malignum, intelligentes diabolum, qui in die illa mala, de iniquitate calcanei miserum accusabit peccatorem.

Diabolus, id est, delator (1), in ultimo judicio, non solum delator, sed etiam accusator erit. *Diabolus dicitur, quoniam idem in peccatoribus et cooperator et accusator est.* (2) Accusatoris titulo denotatur etiam a Dilecto Discipulo, *quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte.* (3) Astutus ille dæmon, qui nobis modo blanditur, fortunæ bona pollicetur, concupiscentias fovet, sceleribus patrocinator, ut nos inducat ad peccatum, in die judicii de criminibus quæ ejus suasionem commiserimus nos accusabit: *Præsto erit diabolus ante tribunal Christi, recitabit verba professionis nostræ.* (4) In foro humanæ justitiæ, sunt patroni qui accusatoris agunt personam, sunt etiam qui accusati tuentur causam. *Respondendi, altercandi, facultas patet, quando non liceat indefensos et inauditos omnino damnari* (5): et ob hanc causam, litigantes, et rei proprio ore, et mercenaria advocacy utuntur ad innocentiam suam commendationem. (6) In ultimo judicio, nullus pro accusato peccatore advocati fungetur officio, neque ipse suam valebit propugnare causam. *Nunquid die illo apud tribunal Domini proferemus? et allegabimus quod vetuit ipse?* (7) Peccatore autem tacente, et velut crimina de quibus accusatur confitente, perorabit dæmon, et uti causidici in orationis exordio, judicis benevolentiam et attentionem captare moluntur, ita dæmon agens talem causam, apud talem judicem, dicet: *Æquissime Judex, justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* (8) Criminosum Christianum damnare teneris: quia mea qui-

bus in baptisinate renuntiaverat *invasit: cum meis apprehendi, invasorem detinui, in ipsa quodammodo mea possessione apprehensus est.* (1) Nonne baptismum suscipiens renuntiavit diabolo, pompis et operibus ejus? Rescindens tamen adeo solemnem pollicitationem, et promissam fidem, mea invasit et nequiter usurpavit. *Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiaverat? quid intemperantia? quid avaritia? quid ira? quid cætera mea* (2), in libris criminalibusque habentur apud homines? *Examinatio criminis exigit consequentia, qualitatem facti, locum, modum, tempus, conscios, socios.* (3) Hæc omnia producet diabolus, ut scelerosos convincat Christianos. *Objiciet nobis in faciem, omnia quæcunque fecimus, in quo die, in qua hora peccavimus.* (4) Tempus, locum, personas quibuscum peccavimus, peccatorum species, circumstantias, numerum, gravitatem sigillatim manifestabit. *Quid ad hæc respondebimus, Fratres?* (5) Verum quid respondere poterunt peccatores de præfatis accusationibus evidenter convicti?

II. PARS. *Ex forma malorum judicandorum* (6) qua utuntur terreni judices adversus scelerosos, assurgendum est ad formam judicandi, qua cælestis Judex procedet adversus peccatores. Terreni judices reos non condemnant, nisi prius convincantur depositione testium omni exceptione majorum, Christus etiam Dominus antequam peccatores condemnet in ultimo judicio, advocabit testes qui eos de suis criminibus convincant: et quia *in tribus testibus stabit omne verbum* (7), infelix peccator trino, eoque irrecusabili convincetur testimonio: nimirum ex 1. Legis depositione; 2. Exemplari Sanctorum operatione; 3. Propriæ conscientiam confessione.

1. *Ut congruit bonitati Dei et æquitati ipsius, ut pote plasmatoris generis humani, omnibus gentibus eandem legem dedit.* (8) Tum quia lex naturalis et non scripta calamo et atramento, sed in cordibus sculpta Dei digito, omnibus est data, tum quia lex data Moysi in monte Sina, non pro populo judaico tantum, sed pro cunctis nationibus data est. *Nisi enim omnibus eam dedisset, nullo pacto ad eam etiam proselytos ex gentibus accessum habere permetteret.* (9) In fine autem mundi, *Dominus de Sina veniet, et in manu*

(1) Tert. L. 2. adv. Marc. 10. — (2) D. Basil. — (3) Apoc. 11. — (4) D. Aug. Serm. Contra Jud. Pag. et Arria. — (5) Tert. Apol. 1. — (6) Tert. Apol. 2. — (7) Tert. L. 2. ad Uxor. 3. — (8) D. Aug. lib. de Salat. Docum. 62.

(1) D. Aug. lib. de Catech. Rud. — (2) D. Aug. ibid. — (3) Tert. Apol. 2. — (4) D. Aug. ibid. — (5) D. Cypr. — (6) Tert. Apol. 2. — (7) Tert. L. 4. adv. Marc. 22. — (8) Tert. lib. adv. Jud. 2. — (9) Tert. ibid.

opus ignea lex. (1) Christus ad vallem Josaphat veniens, dicitur habere in sua manu legem hominibus datam, ut convincat inobservantes. Quando Deus per Moysen legem dedit hominibus, eis etiam intimavit iudicium; illos namque adstringens ad legis observantiam sub spe præmii æterni vel timore æterni supplicii, eos etiam ad reddendam rationem de illius observatione adstrinxit: quam ideo secum deferret Dominus, ut ipsius depositione transgressores convincat et inexcusabiles ostendat. Quam autem tunc excusationem afferre potest scelerosus Christianus? Non enim illi ignorantia patrociniabitur post rationis lucem et fidei cognitionem; neque defectus auxilii necessarii, quia nulli Deus sufficiens denegat; neque passionum violentia, quas per rationem mitigare et per gratiam superare poterat: neque observationis impossibilitas, Deus legem non dedit observatu impossibilem; neque naturæ infirmitas, aut corporis debilitas, multi enim homines, etiam infirmiores et delicatiores, eam observarunt: *Tu non potes? ille potuit. Nunquid tu delicatior es illo senatore? Femine potuerunt, viri non possunt? delicati divites potuerunt, pauperes non possunt* (2), postquam Verbum humanatum est, et carnis assumpsit infirmitatem. *Rideo cum infirmitas carnis opponitur, quæ summa fortitudo dicenda est* (3): quæ ex affinitate contrahitur quam per incarnationem habet homo cum Deo. *Verbum ideo carnem est dignatum induere, ut nemo possit se per carnem, cum dies iudicii advenerit, excusare.* (4) Non solum igneam legem in manu tenebit iudex, sed adhuc erunt *eum eo sanctorum millia*, ut eorum exemplo convincatur peccator.

2. Tunc autem nullum erit *neque accusationi, neque recensationi spatium.* (5) Præcipiet Christus Angelis ut Sanctos qui probe legem servaverunt, segregent a peccatoribus. *Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus* (6), ut innocua eorum vita scelerosos convincat Christianos. *Vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et altus liber apertus est.* (7) Per illos libros quos primo loco ponit Evangelista, D. Augustinus intelligit justos. *Libri quos priori loco posuit, intelligendi sunt Sancti, ut in illis ostenderetur quid Deus fieri jussisset.* (8) Et iudicati sunt mortui ex iis quæ scripta sunt

in libris: quia, ut ait Magnus Gregorius, *in ostensa vita justorum quasi in expansione librorum, legunt bonum perversi, quod ipsi agere voluerunt, atque ex eorum qui fecerunt comparatione damnantur.* (1) Peccatores cujusvis status, conditionis, sexus, ætatis convincentur exemplo Sanctorum ejusdem status, conditionis, sexus et ætatis. Justi namque qui exstiterunt pauperes, convincent criminosos qui fuerunt pauperes; domestici domesticos; artifices artifices; negotiatores negotiatores; milites milites; causidici causidicos; medici medicos; plebei plebeios; nobiles nobiles; reges reges; soluti solutos; conjugati uxoratos; religiosi religiosos; ecclesiastici ecclesiasticos: imo Sancti unius status et professionis convincent peccatores diversi status et conditionis: pauperes divites; divites pauperes; plebei nobiles; nobiles plebeios; domini servos; servi dominos; reges subditos; subditi reges; soluti uxoratos; uxorati solutos; religiosi seculares; seculares religiosos; herus servum; servus herum; pater filium; filius patrem; maritus uxorem; uxor maritum. Tunc enim nihil proderit status, nihil conditio, sed vita innocua; nihil etiam nocebit status neque conditio; sed vita criminosa. Nam, ut fatur reprobus apud D. Augustinum, *tot vincuntur testibus quot mihi præbuerunt bene vivendi exemplum.* (2) Et, ut fatur aliorum D. Augustinus (3), convincet Abraham inobedientes; Isaac iracundos; Jacob desidiosos; Josephi impudicos; cæterique electi qui aliqua speciali virtute fuerunt decorati, reprobos qui contrario vitio fuerunt dehonestati: Sanctorum innocentia, Dominus convincet criminosos, quibus exprobravit secutos non fuisse electorum exempla. In hoc seculo ut plurimum sunt *requirenda quæstionibus scelerata* (4): at in ultimo iudicio, adhibenda non erit quæstio, reprobi Sanctorum convincentur exemplo tanta evidentia ut nullatenus sua scelera possint excusare. *Omnis anima rea et testis est: stabit ante aulas Dei, die iudicii, nihil habens dicere.* (5) Quid dicent inimicantes, vindictam semper meditantes, conspicientes Sanctum Stephanum qui pro lapidantibus oravit? Quid dicent adulteræ matrimonii fidem violantes, conspicientes Susannam quæ maluit ignominiosam pati mortem quam conjugalem maculare thorum? Quid dicent he'lluones quorum Deus venter est, conspicientes Joannem Baptistam

(1) Dent. 33. — (2) D. Aug. in Psal. 119. — (3) Tert. Lib. de Mon. 15. — (4) S. Zeno. Serm. 2. de Nat. — (5) Tert. L. 1. ad Nat. 2. — (6) Psal. 49. — (7) Cap. 20. — (8) Lib. 20. Civ. 14.

(1) Lib. 14. Mor. — (2) Medit. c. 5. — (3) Serm. 3. ad Frat. 11. Erem. — (4) Tertull. Apolog. 2. — (5) Tertull. Lib. de Test. An. 6.

qui melle silvestri et locustis pro cibo utebatur? Quid dicent superbi vanitate tumidi, conspicientes Sanctum Ludovicum in throno regio humilitate florentem? Tandem quid dicent cuncti scelerosi, conspicientes Sanctos qui eis bene vivendi præbuerunt exempla? *Si in tribus testibus stabit omne verbum* (1): si tres testes sufficiunt ad plenam criminis convictionem, quanto magis innumerabilium testium depositio, quæ adhuc confirmabitur propria reorum confessione.

3. *Repræsentatur eis tota causa* (2) de qua accusantur. At quomodo crimina reprobis repræsentabuntur? Triplici potissimum modo: 1. In corpore Christi, in quo velut in speculo sua conspicient facinora. *Videbunt et agnoscent, qui eum confixerunt.* (3) Conspicient superbiam in capite coronato; gulam in ore felle potato; rapinam in transfixis manibus; impudicitiam in corpore dilacerato; inimicitiam in latere perfosso; superbia namque Christum coronavit; gula felle et aceto potavit; avaritia manus transiit, inimicitia cor percussit; luxuria corpus dilaceravit; 2. In libris a Deo productis. *Dehinc et igne dato, universalis resurrectionis censura de libris judicetur.* (4) Deus habet librum rationis, in quo cuncta describit peccata: *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* (5) Quemadmodum creditor debitoris sygrapham studiose custodit, et in sacculo compressam in arca tuetur, non assimiliter Deus peccata justitiæ suæ debita in sacculo ponit et in thesauris custodit, tempore judicii producenda? *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.* (6) Aut sicut mercator producens librum rationis, debitores convincit, neque alia probatione indiget, sic Deus afferet librum in quo continentur reproborum scelera, neque ad eos convincendos alia erit necessaria probatio. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, et seculum nostrum in illuminatione vultus tui.* (7) In momento unusquisque cognoscet cuncta peccata quæ nunquam commiserit; in adolescentia, in juventute, in senectute, cogitatione, verbo, opere. *Uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit.* (8) Et ob hanc causam, ut animadvertit D. Augustinus, *testem se Dominus dicit velocem, quia ipsas convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias: quia sine mora revocaturus est in*

memoriam unde convincat puniatque conscientiam. (1) In ipsa cujuslibet conscientia repræsentabitur quidquid vel boni vel mali egerit. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, vel etiam defendentibus, in die cum judicabit Dominus occulta hominum.* (2) Tunc enim Deus illuminabit abscondita cordis, *ut accuset vel excuset scientia conscientiam.* (3) Conscientiæ singulorum eruat quasi quidam libri continentes res gestas, ex quibus judicium procedet. Ex his libris unus erit vitæ, ait D. Hieronymus (4), alter mortis. In uno continentur cuncta bona justorum opera, quantumvis exigua; in altero vero omnia pravorum peccata, quantumvis parva. *Formidabiles libri in quibus scripta sunt opera nostra, et actus, et verba, et quæcunque egimus in hac vita, nec solum actus, sed et cogitationes et intentiones cordis.* (5) In libro vitæ legent justis virtutes quibus sibi felicitatem compararunt: in libro mortis legent reprobi vitia quæ ipsi contra se scripserunt: *Et aperti sunt libri, non utique atramento scripti, sed vestigiis delictorum et flagitiorum inquinamento; aperientur libri conscientiæ tuæ, aperientur libri cordis tui, culpa nostra recitabitur* (6); nemo sygraphem suam diffiteri poterit, nemo manum suam, qua pectoris sui tabulis tot insculpsit scelera, negare præsumet, *ubi est testis conscientia* (7), sed conscientiæ suæ convictus testimonio, in has confusionis plenas erumpet voces: *Væ mihi; quia latere cupio, et latere non possum! quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum judicia peccatorum?* (8) et ita reprobi evidenter convicti, juste condemnabuntur ab æquissimo judice.

III. PARS. *Scimus judicium Dei secundum veritatem esse.* (9) Magnum sane est discrimen inter humanum et divinum judicium. *In terreno judicio, et justis condemnantur, et injusti effugiunt; et rei dimituntur et innocentes puniuntur* (10); quod procedit ex judicium vel ignorantia, vel nequitia, vel impotentia. Verum *in supremo judicio nihil tale* (11): reprobi namque condemnabuntur a judice 1. Sapientissimo, quem non poterunt decipere; 2. Æquissimo, quem non poterunt corrumpere; 3. Potentissimo, cui non valebunt resistere.

(1) Tert. L. de Bapt. 6. — (2) Tert. L. 1. ad Nat. 16. — (3) Tert. L. de Carn. Christi. 24. — (4) Tert. L. de Res. 25. — (5) Job. 14. — (6) Deuter. 32. — (7) Psal. 89. — (8) 1. Cor. 5.

(1) Lib. 20. Civ. 26. — (2) Rom. 2. — (3) D. Aug. lib. 20. Civ. 14. — (4) D. Thom. in Supplem. qu. 87. a. 1. — (5) In c. 7. Dan. S. Ephrem. lib. de Pen. c. 4. — (6) D. Ambr. in Psal. 1. Penit. — (7) D. Aug. in Psal. 66. — (8) D. Ambr. in Apol. David. — (9) Tert. L. 5. adv. Marc. 13. — (10) D. Aug. Serm. 150. de Temp. — (11) D. August. ibid.

1. Christus Dominus *pro scientiæ plenitudinæ* (1) reproborum non ignorat crimina, sed illa perfectissime cognoscit: idcirco D. Augustinus illum sic alloquitur: *Tu solus juste judicas, superas enim omnes judices, omnes homines, quia plus es quam homines,* (2) qui in ignorantia versantes, non discernunt inter sotes et insotes, et persæpe ex defectu scientiæ insotes condemnant, et sotes absolvunt. Hujusmodi injustum iudicium ut plurimum ex quadruplici procedit ignorantia: 1. Quia qui *judicant, conscientias eorum de quibus judicant ceruere nequeunt* (3); neque discernere an sint innocui vel criminosi. 2. Quia iudices ferre tenentur sententiam juxta depositionem testium, qui persæpe mentiuntur, *ac per hoc ignorantia iudicis plerumque calamitas est innocentis.* (4) 3. Quia falso de crimine accusatos torquent, ut ex ipsorum ore criminis habeant notitiam; miseri autem insotes tormentorum violentia coacti, malunt mortem subire quam diutius dira illa sustinere tormenta, et scelera quæ non commiserunt, se commisisse fatentur: *et quod erit intolerabilius magisque plangendum, rigandumque si fieri posset, fontibus lacrymarum: cum propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentiam, sit per ignorantiam miseriam, ut et tortum et innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat.* (5) Tandem 4. Innocentes condemnant et criminosos absolvunt ex ignorantia legum, quas patroni ingenii acumine, et eloquentiæ studio, palliant, depravant et perverse interpretantur: quod non advertunt ignari iudices in innocentiam damnum. At Christus Dominus admirabili scientia præditus ex ignorantia non condemnabit innocuos, et absolvet criminosos. Nam, 1. Nihil est in conscientias adeo occultum, quod illum lateat, nam *Deus conspexor est cordis* (6); et ita, *non ibi licebit decipere, non mentiri, non sub ovis pelle latere.* (7) 2. Ut fatur Regius Vates, *judicabit populos in veritate sua* (8): non secundum depositionem testium qui persæpe mentiuntur. *Non enim ut iudex terrenus quæsiturus est testes, ut te convincat.* (9) 3. Tortura non indigebit *extorquendæ veritatis* (10) causa, cum illam perfectissime cognoscat: *Non enim veritatem per tormenta requisiturus est, ut confessum puniat, cum*

sedens sedeat iudex ipsa justitia, et testis sibi sit ipsa mala conscientia. (1) Tandem 4. Supremus iudex legem tum naturalem, tum scriptam plenissime cognoscet: *Judicabit Deus occulta hominum, tam eorum qui in lege deliquerunt quam eorum qui sine lege, quia et hi legem ignorant, et natura faciunt quæ sunt legis; utique is Deus iudicabit, cujus sunt et lex, et ipsa natura, quæ legis est instar, ignorantibus legem.* (2) In legis autem notitia, non caudidici astutia et facundia decipietur. Infelix peccator, *non est unde præsumas, cum venerit ad iudicium Deus, nec falsos testes adduces quibus ille fallatur, nec patronum fraudulentis circumventionibus et linguosis artibus adhibebis, nec ambies aliquomodo, ut iudicem possis corrumpere. Quid ergo ages apud talem Iudicem, quem nec fallere, nec corrumpere poteris?* (3) non fallere, quia est sapientissimus; non corrumpere, quia est æquissimus.

2. Marcionitas qui Christo judiciariam denegabant auctoritatem, merito redarguit Tertullianus: *Nolite reprehendere iudicem, sed revincite malum iudicem.* (4) Bonus iudex, nec odio, nec invidia, aut aliqua passione turbatur, nec potentis auctoritate movetur, nec desidia et negligentia detinetur; *nec gratia prævenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur.* (5) Verum si cum D. Cypriano adeamus terrenum forum: *Inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur; innocentia, ne illic, ubi defenditur, reservatur; qui sedet crimina vindicaturus, admittit et ut reus innocens pereat, sit nocens iudex.* (6) Quia 1. Ex animadversione aut invidia, aut aliqua alia passione, innocuum condemnat; 2. Ad potentes, divites, magnates respicit, quos offendere formidat, eorumque benevolentiam captare desiderat; 3. Ex negligentia et ignavia, non laborat, ut innocentium jus cognoscat et tueatur, sed in relatione secretarii confidit qui persæpe mercede corruptus causam fraudulenter et falso refert. Ideo *qui bonam causam perdidit de iniquo, vel tardo, vel negligenti, iudice quæritur.* (7) 4. Gratia prævenitur, pravi namque iudices sibi mutuo gratiam et favorem præstant, dum quis alicujus rei efficitur protector; 5. Injusta criminosi compassione et misericordia movetur: *Homines enim quando judicant ali-*

(1) Tert. Apol. 45. — (2) In Psal. 50. — (3) D. Aug. lib. 19 Civ. 6. — (4) D. Aug. ibid. — (5) D. Aug. ibid. — (6) Tert. Lib. 2. de Cult. Fem. 15. — (7) D. Aug. Serm. 19. ex add. per Pat. Sirmoud. — (8) Psal. 95. — (9) D. August. lib. 5. de Symb. 8. — (10) Tert. Apolog. 2.

(1) D. Aug. lib. 3. de Symb. 8. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 15. — (3) D. Aug. lib. de Decem. Chor. disc. 2. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 15. — (5) D. Aug. lib. 5. de Symb. — (6) Ep. 2. ad Donat. — (7) D. Aug. lib. 1. Cont. Epist. Parmen. 6.

quando victi misericordia faciunt contra iustitiam. (1) Ut autem ratiocinatur D. Augustinus, *bona est misericordia, sed non debet esse contra iustitiam. iudicium sane appellat Scriptura, quod iustum est.* (2) 6. Ex corruptione, *iudex sententiam vendit.* (3) Ut autem animadvertit D. Augustinus, *usque adeo hoc inolevit malum, ut jam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit, nulla jam causa possit esse sine causa.* (4) Ab his defectibus, quibus culpatur malus iudex, immunis est Christus, *bonus iudex, id est, iustus.* (5) Nam, 1. Nulla inordinata passione agitur, *quia iudex venturus est; nunquid iniustus? nunquid malevolus? nunquid invidus?* (6) 2. Ad personas divitem et magnatum non respiciet: *Æquissimus iudex nullius potentis personam accipiet.* (7) 3. Non negligentia et ignavia torpedit, *quia erit testis velox super maleficos.* (8) 4. Non alicujus gratia condemnabit innocuos. *Cum iudex Deus justitiæ carissimæ sibi exigendæ, tuendæque præsideat, et in eam omnem summam disciplinæ suæ sanciat.* (9) Non 5. Compassione aut precibus movebitur, *nam in iudice ultorem* (10) criminum cognoscere debemus. Tandem 6. Non vendet pecunia iustitiam, aut muneribus corrumpetur. Singulare Christi encomium prædicat Basilius Seleucus; quod delicta non vendat, aut donis peccata nundinetur. *Inducebam iudicem: integrum et muneribus corrumpi nescium, peccata donis nequaquam nundinantem.* (11) O Deus, quantum metuere debent homines iustitiam tuam! Nam si in die iudicii inveniuntur criminosi (12), non poterunt tuis latere conspectibus, cum sis sapientissimus, et cuncta clare cognoscas; tuam non poterunt corrumpere integritatem, cum sis æquissimus, nec sumas pro redemptione dona plurima; nec tuæ valebunt resistere fortitudini, cum sis potentissimus, nec tibi quidquam sit impossibile.

3. *Ipse erit iudex, qui et vindex.* (13) Dei Filius humanatus est ut triplici fungeretur officio, Doctoris, Redemptoris et iudicis. Officio Doctoris functus est in Judæa et Samaria, homines verbo et exemplo

erudiens. Obivit Redemptoris munus in Calvario, crudele et ignominiosum crucis supplicium patiens. In valle Josaphat iudicis exercebit officium scelerosos condemnans et puniens. Doctoris et Redemptoris perfectissime peregit officium: ideoque quando docuit neminem iudicavit, et ob eandem causam mulierem in adulterio deprehensam non condemnavit: quando Redemptoris agebat officium, siluit, neque Herodi quidquam respondit, sed duntaxat Iudicis, de criminosis vindictam sumentis. Inter homines nemo est iudex in sua causa, neque potest simul et semel agere personam partis accusantis, testis deponentis et iudicis condemnantis, ne in suis ferendis iudiciis passionem consulat, et non æquitatem: at Christus cum iudicio veniet vindicandorum præceptorum suorum (1); simul et semel erit erga peccatores pars accusans et iudex condemnans; quia *nemo justius iudicabit quam Christus, qui iniuste iudicatus est* (2); in seculo rei non nisi cum vita spem salutis ambiunt. Nam, si possunt fallere aut corrumpere, aut ad misericordiam flectere iudicem, suas, amicorum, etiam et proximorum adhibent vires, ne lata adversus ipsos executioni mandetur sententia. At in die iudicii, nulla fortitudo Christi poterit impedire sententiam, quia Iudex venturus est cum virtute magna, cui nemo resistere poterit. Quemadmodum enim electos interminabili felicitate præmiabit, ita reprobos æterno puniet supplicio. Nam *bonum factum Deum habet debitorem, sicut et malum: quia iudex omnis remunerator est causæ.* (3)

Inde Christianos hortatur D. Augustinus: *Fide custodiantur iudicia justitiæ Dei, cum sub Deo justo iudice nec recte factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum.* (4) Fides mercedis quam electis largiturus est iustus iudex, probos ad virtutem stimulat. Fides supplicii cui est mancipaturus reprobos, a vitiis malos avocatur; incertitudo in qua versantur mortales utrum sint iusti, an peccatores, eos sollicitos et timidos præstat. *Perpendamus quanta debemus formidine venturum iudicium semper expavescere, quando et ille qui a iudice laudatus est, adhuc de retributione iudicii, in suis vocibus securus non est.* (5) Loquitur Sanctus Gregorius de Job, qui etsi a Deo iustus ac timens Deum prædicatus, tamen, ut ipsemet ait

(1) D. Aug. in Psal. 100. — (2) Lib. quæst. in Exod. q. 88. — (3) D. Cyp. ibid. — (4) Serm. 19. de Verb. Dom. — (5) Tert. L. 2. adv. Marc. 16. — (6) D. Aug. in Tit. Psal. 147. — (7) D. Aug. Serm. Cont. Jud. pag. Arr. — (8) Malach. 3. — (9) Tert. L. de Pæn. 2. — (10) Tert. L. 5. adv. Marc. 15. — (11) Oral. 43. — (12) Innoc. 3. — (13) Tert. L. 4. adv. Marc. 56.

(1) Tert. L. 4. adv. Marc. 55. — (2) D. Aug. Tract. 39. in Joan. — (3) Tert. L. de Pæn. 2. — (4) Serm. 25. in Psal. 118. — (5) D. Greg. lib. 15. Mor. c. Ult.

Propheta : *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* Artifex certo sciens suum opus a magistratu visitandum, « ut ei vel premium vel pœnam rependat (1), » omni studio ad operis perfectionem nititur : Christianus, fide divina illustratus, infallibiliter cognoscit Christum, supremum omnium judicem, in fine mundi venturum, cunctosque peccatores fore accusandos, de suis secleribus convincendos, et inferni suppliciiis condemnandos. Post hanc indubitam notitiam, nonne virtuti studere debet, ne tanquam criminosis accusetur, convincatur et condemnatur? Recogitemus, quæso, litigantium sollicitudinem, in causis in quibus duntaxat agitur de beneficio, officio, domo, hæreditate, fortunæ bonis. Nihil non intentatum relinquunt, cursitant, laborant, sollicitant, die noctuque vigilant, cunctos deprecantur, cunctis humiliantur quorum vel protectionem vel favorem exspectant, pecunias procuratoribus, causidicis, iudicibus, aliisque fusc largiuntur, et sæpe sæpius in vanum; nam post tot sumptus expensos, tot labores exantlatos, tot sollicitudines, vigilias, fatigationes, gehennas mentis et corporis, amittunt, non solum bona litigiosa quæ prosequerentur, sed etiam ea quæ libere et pacifice possidebant. Si unquam fuit lis magni momenti, maxime quæ in die iudicii decidetur, in qua agendum est, non de officio, domo, villa, hæreditate temporali, aliisque terrenis bonis, sed de cælo aut inferno; de interminabili beatitudine aut damnatione. Quid non aggredi, quid non facere debet Christianus, ut interminabilem illam incurrat pœnam, sed æternam acquirat felicitatem? Si quisquam tibi diceret : Christiane, supremum aliquem iudicem, cras de tua vita informaturum, teque infami supplicio mancipaturum, tibi que concessa duntaxat esset dies hodie ad sollicitandum, impenderesne in otio aut vanis occupationibus, aut offendendo illo severo iudice, tempus tibi ad conservationem vitæ concessum? Non, opinor; sed potius omni diligentia saluti tuæ provideres, humilis ante iudicem appareres, nihilque ommitteres, quo iudicis posses placare indignationem : *Dies iudicii nondum est, sed quia irædictus est, implebitur.* (2) De hoc nequis dubitare, Christiane; nam tanquam fidei articulum credis Christum venturum iudicare vivos et mortuos, teque si sis criminosis condemnaturum : *Judex supremus ante iudicium placari potest, in iudicio non po-*

test. (1) Unum duntaxat habes diem ad illum placandum; et forte unius diei concessum tibi non est spatium, quia omni hora periclitatur vita tua; a momento vitæ tuæ dependet sententia vel salutis, vel damnationis æternæ. Nonne omnimoda sollicitudine debes bonis vacare operibus, et cunctas tuas actiones dirigere ad iudicium, quasi hac die de illis esses rationem redditurus, et, ut fatur D. Chrysostomus, *tanquam ad tremendum conventuri iudicium, actiones nostras dispensemus?* (2) Tremendum illud iudicium ante mentis oculos sibi proponunt iusti : *cogitationes enim iustorum iudicia.* (3) His cogitationibus retinentur ne labantur in peccatum. Quemadmodum difficile est, ait D. Augustinus, ut qui vere Deum diligunt eum offendant, ita difficile est ut qui ultimum iudicium serio recogitant, in peccatum cadant. Quapropter ultimi iudicii considerationem et memoriam, Patres tanquam passionum frænum et virtutis calcar et stimulum subministrant. D. Augustinus Christianum hortatur ut serio consideret Christum qui modo testis est vitæ suæ, futurum iudicem vitæ suæ : *Tunc enim ipse erit iudex causæ tuæ, qui modo est testis vitæ tuæ* (4) : D. Gregorius vult ita agendam hujus temporis lætitiâ, ut nunquam excidat a memoria iudicii recordatio : *Ergo præsentis temporis ita est agenda lætitiâ, ut nunquam amaritudo sequentis iudicii recedat a memoria.* (5) Magnus vero Basilius ultimi iudicii præbet cogitationem et memoriam velut optimum ad vincendas concupiscentias remedium : « Cum te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud et intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit Iudex in alto et excelso throno, adstabit autem omnis creatura, ad gloriosum ejus conspectum contremiscens; adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vitæ pessimum rationem reddituri : mox illis qui multa mala in vitâ perpetrarunt, terribiles quidem et deformes assistent Angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes, noctique vultu similes, propter mœrorem et odium in humanum genus. Ad hæc cogita profundum barathrum, et inextricabiles tenebras, et ignem carentem splendore urendique vim habentem, deinde vermium genus, venenum emittens » (6); et cætera quæ cruciant in inferno reprobos.

Magna securitas! ipse iudicat, securi sunt boni : iudicem ipsorum nullus adversarius

(1) Orig. Hom. 9. in Levit. — (2) D. Aug. Serm. 55. de Verb. Dom

(1) D. Greg. l. 14. Mor. 50. — (2) Hom. 1. ad Pop. — (3) Prov. 12. — (4) In Psal. 102. — (5) Hom. 52. in Evang. — (6) In Psal. 55.

justitiam vindicet adversus eos qui eam negant. *Sunt qui etsi Deum non negent, dispectorem plane, et arbitrum, et judicem non putent : sic Deum honorantes, dum curis observationis et molestiis animadversionis absolvunt.* (1) Tum ut impii qui in hoc mundo fortunæ bonis prosperarunt, palam et publice de suis sceleribus puniantur. *Sed et qui videntur tibi impune tulisse, venient in diem divini judicii.* (2) Tum ut hominibus innocuis exhibeat præmium ; criminosis vero supplicium. *Ideoque et judicium constituit æternum, de gratis et ingratis.* (3) Tum ut corpora simul cum anima remunerentur vel crucientur, prout virtuti vel vitio ministraverint. *Certe quia ratio restitutionis destinatio judicii est, necessario idem ipse qui fuerat exhibebitur, ut boni seu contrarii meriti judicium a Deo referat.* (4) Quam lugenda peccatoris conditio, qui est in ultimo judicio, 1. De cunctis rationem redditurus ; 2. A cunctis entibus prosequendus ; 3. Omni auxilio destituendus.

I. PARS. *Merito judex, quia Dominus; merito Dominus, quia auctor; merito auctor, quia Deus* (5) : siquidem in principio Deus creavit cælum et terram. Acute autem animadvertit Cajetanus quod versio hebraica loco *Dei* legit *judicem*, Eloim, id est, iudices in plurali, quia tres personæ Trinitatis una et eadem potentia prodixerunt mundum. Ut autem totum hoc *judicatum dispositum et ordinatum est* (6) a tribus divinis personis, iudicis munus obeuntibus ; ita in fine mundi, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, scelerosum iudicabunt Christianum, a quo iudiciariam exigent rationem : 1. Pater de opere creationis ; 2. Filius de opere redemptionis ; 3. Spiritus Sanctus de opere sanctificationis.

1. Anima solo lumine naturali ducta, *judicem quoque contestatur Deum.* (7) Æternus Pater cui appropriatur creationis opus, a sceleroso exiget rationem intellectus, an errorem veritati prætulit ; voluntatis, an pro sua libertate, non bonum, sed malum prosecuta sit ; memoriæ, an imagines non virtutis, sed vitii susceperit ; oculorum, an impudicos injecerint aspectus ; aurium, an altro detractionis vel impudicitiae audierint sermones ; oris, an gule deditum fuerit ; linguæ, an blasphemiae et impietatis verba protulerit ; odoratus, an nimia sollicitudine odores exquisierit ; manuum, an vim intulerint, vel alienum rapuerint ; pedum, an ad

choreas, vel lupanaria cursitaverint ; corporis, an sese in libidinibus cœnum immersit ; cordis, an animadversione et invidia exarsit ; nobilitatis, an ad aliorum contemptum induxerit ; dignitatum, an insolentem reddiderint ; divitiarum, si in eis finem suum constituerit ; deliciarum, an eas illicite seu immoderate captaverit ; bonorum temporalium, an eis abusus sit. *Quando hæc sit tota ratio damnationis, perversa administratio conditionis.* (1) Deus peccatori fortunæ et naturæ fuerat bona largitus ad bonum usum, ut ex illis sumeret ausam Deo serviendi ; quia tamen abusus est eis, et nactus est occasionem offendendi Deum, idem illi eveniet ac Diviti evangelico, qui cruciatur in flammis, non solum quia pauperi Lazaro elemosynam denegavit, sed, ut animadvertit Chrysologus, *quando hinc magis reus, quod cum a Deo pro malis receperit bonum, bona pro bonis Deo reddere contempsit.* (2) Peccator qui fortunæ aut naturæ abutitur bonis de pravo illo usu reddet rationem æterno Patri, non secus ac Filio ; de opere redemptionis.

2. *Qui veniet cum cæli nubibus judex* (3), cui redditurus est peccator rationem de cælesti doctrina, quam prædicavit ; de miraculis quæ patravit ; de virtutum exemplis quæ præbuit ; de Ecclesia quam fundavit ; de Sacramentis quæ instituit ; de sanguine quem fudit ; de morte quam sustinuit ; et generatim de cunctis quæ Christus pro ejus salute egit. Qualis tunc erit Judæorum confusio qui eum crucifixerunt ? Qualis Gentilium dolor, qui crucem ejus contempserunt ? Qualis pravorum Christianorum desperatio, qui suis sceleribus ei contradixerunt ? Plangent Judæi, Christum tanquam verum Messiam non agnovisse ; plangent Gentiles, ejus doctrinam non suscepisse ; plangent pravi Christiani, virtutes ejus imitatos non fuisse ; plangent quivis peccator, iudicis indignationem provocasse. Cui iratus iudex exprobrabit : « Ego te, homo, de limo terræ manibus meis feci ; ego terrenis artibus spiritum infudi ; ego te ad imaginem et similitudinem meam facere dignatus sum ; ego te inter paradisi delicias collocavi, tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quam Dominum maluisti : sed antiqua motus postea misericordia, cum expulsus de paradiso jure peccati mortis vinculis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis in pariendo, introivi ; in præsepio positus, et pannis involutus, jacui, in facie contumelias, humanosque do-

(1) Tert. lib. de Test. An. 2. — (2) Tert. L. ad Scap. 3. — (3) Tert. lib. ad Scap. 2. — (4) Tert. Apol. 48. — (5) Tert. lib. de Hes. 14. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (7) Tert. Apol. 18.

(1) Tert. L. de Spect. 2. — (2) Serm. 66. — (3) Tert. L. 4. adv. Marc. 10.

tores quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet ut te mihi similem facerem pertuli iridentium palmas et sputa suscepi, acetum cum felle hibi, flagellis cæsus, spinis coronatus, affixus cruci, perfossus vulnere, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia quibus affixus pepensi, en perfossum vulnere latus. Suscepi dolores tuos ut tibi meam gloriam darem; suscepi mortem tuam, ut tu in æternum viveres; conditus jacui in sepulcro, ut tu regnares in cælo: cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur, ingratus, redemptionis tuæ munera renuisti? Non te ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi; redde mihi vitam tuam quam vanis fallaciis perdidisti, pro qua vulneribus peccatorum tuorum meam occidi. Cur habitaculum quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculasti? Cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pro te pependeram, affixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitatus pendo, quam illa in qua tui misertus mortem tuam occisurus ascendi. Cum essem impassibilis, pro te factus sum homo, et pro te pati dignatus sum: sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in iudice veniam, in cruce vitam, in suppliciis medicinam: et quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non poteris liberari. » (1) Hæc exprobrationis verba audiet peccator a Filio Dei Iudice, cui redditurus est rationem de opere redemptionis, quemadmodum Spiritui Sancto de opere sanctificationis.

3. *Non leviter nobiscum pactus est Spiritus Sanctus, etiam ultro pactus.* (2) Spiritus Sanctus cui opera bonitatis et sanctificationis attribuuntur, peccatori suas largitus est gratias, ut pietatis vacaret operibus: et quia *sponsionem ejus nemo dissolvit, nisi ingratus*; ab ingrato Christiano donorum suorum exiget rationem: temporis quod ei ad pœnitendum, concessit; remissionis peccatorum quam toties ei contulit; primæ sanctificationis quam in baptismo simul cum Christiani caractere recepit; augmenti gratiarum quæ in aliis sacramentis incrementatæ sunt; illustrationum quibus ejus mentem illustravit; piorum affectuum quibus voluntatem sufflamnavit; honorum motuum quibus cor traxit; cunctarum denique gratia-

rum actualium, habitualium, exteriorum, interiorum, quæ sunt multitudine innumerales, valore inappretiables quas omnes vanas, inutiles et frustraneas reddidit. Sicque scelerosus ille Christianus tribus divinis Personis de cunctis est rationem redditurus, et in pœnam suorum criminum a cunctis entibus prosequendus.

II. PARS. *Christus Dominus venturus est cum totius mundi motu, cum horrore orbis, cum planctu omnium.* (1) Quid faciet tunc infelix peccator, a cunctis universaliter entibus insecutus, et undequaque cinctus objectis mœstitudinem, timorem et dolorem ingenerantibus, intuens supra se cælum clausum; infra se infernum apertum; extra se mundum incendio consumptum; contra se Deum indignatione accensum; intra se cruciantem peccatorum suorum numerum? Quocumque se vertat, hostes conspiciet insequentes, ideoque cuncta pertimescet. Timebit 1. Creaturam qua abusus est: 2. Creatorem cui infensus est; 3. Semetipsum, nam sibi ipsi inimicus est.

1. *Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur: in reos majestatis et publicos hostes omnis homo miles est.* (2) Peccator est latro qui divinam furatus est gloriam; est reus læsæ majestatis divinæ, quam criminibus suis insolenter aggressus est; est publicus hostis, quia creaturis abutens eas a suo fine removet: *Gloriæ suæ causa Deus molitus est mundum* (3), et dum ad hunc finem homo utitur creaturis, sponte suum ei præbent obsequium; at dum eas adversus Dei gloriam assumit velut coactæ obtemperant; unde eam et *Apostolus invitam ait, vanitati occidisse.* (4) Vis quam peccando infert creaturis scelerosus, tanta est ut si intelligentia et libertate pollerent, potius eligerent ferri contra innatum impetum quam servire peccato quo Deus offenditur. Ignis mallet vergere deoresum, terra ascendere sursum, cœli suspendere motum, bestię contra naturalem agere appetitum, quam esse instrumentum criminis et tamen scelerosus homo illis contra Dei honorem abutitur: *Quid non Dei est, quod Deum offendit?* (5) Adversus Deum suis bonis pugnant: ipsas creaturas quanquam invitas adversus Creatorem suum armans. Recogita miseros Christianos a Mahometis captos, triremibus mancipatos, quos Turca inhumane cogit adversus propriam remigare pa-

(1) D. Aug. Serm. 67. de Temp. — (2) Tert. lib. de Pud. 12.

(1) Tert. Apol. 25. — (2) Tert. Apol. 2. — (3) Tert. Lib. adv. Heremog. 10. — (4) Tert. L. de Cor. Mil. 6. — (5) Tert. L. de Spect. 2.

triam. Ecce tibi ali quale creaturarum specimen, quas criminosus cogit adversus Creatorem suas exercere vires : quemadmodum infelix Christianus sub Turcarum tyrannide ingemiscit, non dissimiliter sub peccatoris tyrannide creaturæ ingemiscunt. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit.* (1) Ingemiscit sol lucem præbere tot operibus tenebrarum ; ingemiscunt elementa sua præbere oblectamenta corpori, quod post venereas anhelat voluptates ; ingemiscit aurum, quod avari vero Deo despecto, illud tanquam supremum venerentur numen ; ingemiscunt animantia obsequium præstare homini Deo inobsequenti. Obtenebratum solem tempore passionis Christi asseverat Rupertus præ dolore crucifixoribus præbuisse lucem : in fine quoque mundi sol, luna et stellæ, obscurabuntur, quasi præ tristitia velut pœnitentiam agentes quod scelerosos illustraverint. *Scimus quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.* Dum Scriptura summum innuit dolorem, illum comparat cum dolore mulieris parturientis. Omnis creatura parturit usque adhuc, tanquam tolerans dolores parturientis : patiuntur creaturæ non valentes parturire ultionem quam adversus peccatorem conceperunt ; expectant mundi finem ut fœtum quo imprægnantur pariant : at *in tempore consummationis effundent virtutem.* (2) Tunc cœli cunctos emittent influxus malignos ; tunc sidera cunctas suas obtenebrabunt luces ; tunc ignis omnem flammaram suarum extendet activitatem ; tunc aer omnem suam effundet labem ; tum aquæ in omne prorumpent frigus ; tunc terra omni concutietur motu ; tunc serpentes omne suum evoment venenum ; tunc belluæ omnem suum ostentabunt furorem ; tunc creaturas omnes armabit Deus adversus peccatorem quas adversus Deum armavit peccator. *Creatura quippe creatori deserviens exardescet in tormentum adversus injustos.* (3)

2. In ultimo judicio de peccatore ulciscetur Deus, *quod sententiæ suæ et legi debeat vindictam in auctoritatem et obsequii necessitatem.* (4) Criminosus autem insolenter Dei transgrediens legem, ejus quoque auctoritatem contempsit ; de hoc contemptu quemadmodum de transgressionem vindicabitur : et quia scelerosus ad transgressionem et contemptum usus est creaturis, Deus etiam in fine mundi *armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* (5) Deus ut Caini peniret fratricidium, hanc in illum jaculavit sententiam : *Maledictus*

eris super terram (1), seu, ut legitur Septuaginta, *maledictus eris a terra.* At cur inhumanus ille ab aliis non maledicitur elementis ? Ut ex maledictione quam passurus erat a terra, cognoscerent homines quanta passurus esset ab aliis elementis. Nam si terra, quæ est omnium elementorum minimum, adeo insequitur crudelem illum fratricidam, quanto magis Cain insequendus erat a nobilioribus mundi partibus ? *Non est ergo dubium quod eum et superiora damnaverint, quem inferiora damnarunt.* (2) Idem colligendum est in præsentia materia : si creaturæ inanitatæ, insensibiles et irracionales, pugnaturæ sunt pro Creatore adversus peccatores, non est dubium quin Angeli et dæmones tanquam ministri justitiæ Dei vehementius scelerosum illum persequantur : qui erit suiipsius tortor et carnifex.

3. Criminosi et peccatores *rennant ob malitiam prædamnatos in eundem judicii diem* (3) : cum tamen advenerit, a cunctis insequentur creaturis, a Deo creatore punientur, et adhuc a semetipsis cruciabuntur. Tunc neque creaturarum valebunt sustinere incursus, neque Dei offensi tolerare furorem, neque adhuc ferre semetipsos, habebunt namque intra semetipsos et doloris causam, et supplicii instrumentum. Tanta eorum erit afflictio ut Ezechiel Propheta eam de singularitate commendet, quasi nulla sit ei comparabilis. *Hæc dicit Dominus Deus : Afflictio una, afflictio ecce venit.* (4) Reprobis erit suiipsius accusator, testis, iudex et lanio ; conscientia remorsus erunt oculi indesinenter sua scelera detegentes ; linguæ eum accusantes ; iudices condemnantes, laniones torquentes. Affligetur præteriti repræsentatione ; futuri timore torquebitur ; præsentis cogitatione cruciabitur ; præteritum plañget, pœnitens quod illud amiserit ; præsens crudeliter illum affliget, et futuri cogitatio acius exagitabit ; *quod omnis generis suppliciorum tempus jam adesse cernat.* (5)

Gregorius Nazianzenus fratricidam Cain nuncupat *justitiæ divinæ animatam columnam*, ob desperationem et rabiem qua exasperabatur, infernum ubique et semper secum deferens. Intolerabilius adhuc patietur peccator in ultimo judicio tormentum, conscientia remorsibus velut tot furiis exagitatus : tunc persentiet supplicium quod Pharaoni comminatus fuerat Deus : *Quia in hac vice mittam omnes plagas super cor tuum.* (6) Sce-

(1) Rom. 8. — (2) Eccli. 59. — (3) Sap. 16. — (4) Tert. lib. 1. adv. Marc. 26. — (5) Sap. 5.

(1) Gen. 4. — (2) D. Ambr. 1. de Cain et Abel. c. 9. — (3) Tert. Apol. 25. — (4) Cap. 3. — (5) Sophron. de Excell. Ang. — (6) Exod. 9.

terose peccator, in ultimo judicio, te universis ; lagabo vulneribus, cuetis terreo timoribus, cuetis exagitabo furiis, cuetis percutiam doloribus, cuetis affligam amaritudinibus, quibus non valebis afferre solatium, quia eris omni auxilio destitutus.

III. PARS. In adversis *solatium capere* (1) est miseriæ levamen : at calamitate gravari nec ullam habere consolationem, est miseriæ summa. Quoad peccatores vivunt in seculo, consolantur ab hominibus, eis Angeli custodes et sanctæ animæ opitulantur. Virgo Mater misericordiæ, et *Deus, consolatio miserorum* (2), illis patrocinantur : at in ultimo judicio, summam patientur absque ulla consolatione miseriam. Miseri peccatores, *quid facietis in die indignationis et calamitatis ? ad cujus confugietis auxilium ?* (3) Non ad homines, non ad Angelos aut Sanctos, non ad Deiparam neque ad Christum. Nullum accipietis 1. Ab hominibus solatium ; 2. Ab Angelis auxilium ; 3. A Deipara et Christo patrocinium.

1. Socrates cum esset ab Atheniensibus injuste morti damnatus, occurrerunt ei amici ad *injuriam solamen* (4) compatientes : at in ultimo judicio, omni solatio carebit reprobis, qui in mundo abundavit consolatione. *Tot hic peccator sibi habet effugia, quot sibi præparat oblectamenta.* (5) Etenim divitiæ eum eximunt, a paupertatis miseria ; a morborum cruciatibus præservatur remediis ; dignitatum honore a contemptu liberatur ; conversatione sublevat solitudinis tædia ; famis vin lautis fugat convivii ; corporis nuditatem pretiosis tegit indumentis : at in ultimo judicio, omni destituetur solatio. *Tunc nec divitiæ, nec nobilitas generis, nec potentia dignitatum, aliquem defendere poterunt.* (6) Tunc enim erunt denudati cunctis rebus ob quas dereliquerunt Deum : nihil eis remanebit præterquam memoria illas possedisse, et dolorem ad suam damnationem adhibuisse : *Oculi impiorum deficient, et effugium peribit ab eis.* (7)

Stupendum sane factum accidit, quando Core, Dathan et Abiron viventes devoravit terra. (8) Ad tale et tantum supplicium absque ulla compassione adstiterunt præsentibus, vicini, domestici, amici, cognati, proximi : imo omnimodam obliviscentes amicitiam, familiaritatis, propinquitatis et sanguinis necessitudinem, ultionem factam sermonibus

et manuum plausibus approbarunt. Idem eveniet in ultimo judicio, in quo inferni supplicio condemnabuntur peccatores coram vicinis, amicis, domesticis, propinquis, consanguineis ; neque ullus deorum miseria movebitur : frater non compatietur fratri, soror sorori, pater filio, filius patri, mater filiæ, filia matri : imo filius de patris infelicitate lætabitur, pater de filii miseria gaudebit. *Lætabitur justus cum viderit vindictam ; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* (1) Hannibal conspiciens foveam hostium sanguine plenam, se nunquam jucundius vidisse spectaculum lætatus est : et parentes natorum suorum tormenta conspicient cum gaudio, in quorum sanguine manus lavabunt lætantes. Dilectus Discipulus asseverat se vidisse severam judicem in throno sedentem, *a cujus conspectu fugit terra et cælum.* (2) Per terram intelligendi sunt homines ex terra materiati ; per cælum vero Angeli, seu beatæ animæ cœlesti beatitudine fruentes. In ultimo judicio fugiet terra, scilicet amor ille tener quo frater fratrem diligit, mater filiam, filium pater. Fugiet etiam cælum, nimirum beatæ animæ, sancti Angeli qui nullum peccatori præstabant auxilium.

2. *Consecrationis solatio honestatis.* (3) De gentilibus loquitur Tertullianus ; qui in deos consecrabant, non solum probos de virtutibus commendatos, sed etiam improbos sceleribus contaminatos. In ultimo judicio, electi inter cœlestes spiritus munerabuntur, reprobi vero simul cum dæmonibus æternis ignibus mancipabuntur ; nec ullum ab Angelis accipient auxilium. Angeli custodes, qui nunc magna cura protegent, et ab incursibus dæmonum tuentur, bona subministrant consilia, tunc dicent : *Curavimus Babylonem et non est sanata : derelinquamus eam* (4) : tantum abest ut eos consolentur, quinimmo ad doloris incrementum insultabunt. *Nec consolanda injuria, sed potius insultanda.* (4) Quapropter irrisorie quilibet Angelus hominem suæ custodiæ commissum interrogabit : *Ubi sunt dii tui quos fecisti tibi ? surgant, et liberent te in die afflictionis tuæ.* (5)

Neque etiam a Sanctis aliquid accipient solatium vel auxilium, quomodo Gregorius Magnus expendit dictum Abrahami ad criminiosum divitem : « Inter nos et vos magnum chaos firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint. » (6) *Qui in beatitudinis forte suscepti sunt, quo pacto dicitur, quia transire ad eos, qui in inferno*

(1) Tert. lib. de An. 55. — (2) D. Aug. in Psal. 143. — (3) Esa. 10. — (4) Tert. l. de An. 1. — (5) Greg. Mag. l. 15. Mor. — (6) D. Hier. l. 2. in c. 2. Esa. — (7) Job. 11. — (8) Joseph. l. 4. cap. 36.

(1) Psal. 57. — (2) Apoc. 20. — (3) Tert. lib. 2. ad Nat. 7. — (4) Tert. lib. de An. 1. — (5) Hier. S. — (6) Luc. 16.

cruciantur, volunt. Absque ullo dubio damnati ad felicitatem anhelant : at quomodo Sancti in gratia confirmati volunt transire ad infernum, nec possunt? Hanc enodat difficultatem Sanctus Pontifex; transitum illum de affectu compassionis et misericordiae intelligens, qui cum sit illis velut innatus, vellent appetitu innato miseros liberare damnatos, at de facto subvenire non possunt, quia ita sunt divinae voluntati conformes, ut nullatenus eis compatiantur. «Transire justorum ad afflictos atque in tormentis positos, est mente ire per misericordiam, eosque velle liberari : sed qui volunt transire non possunt, quia justorum animae quamvis in naturae suae bonitate misericordiam habeant, tamen tunc auctoris sui justitiae conjunctae tanta rectitudine constringuntur, ut nulla in reprobos compassione moveantur : ipsi quippe judici concordant, cui inhærent, et eis, quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt.» (1) Tunc etenim Apostoli, Apostolici viri, alique Sancti, adeo zelo divinae justitiae exardescunt, ut nullatenus miseriis peccatorum commiserentur : quomodo istud Davidicum expendit D. Bernardus : « Absorpti sunt juncti petrae, judices eorum. » (2) Apostolis virisque Apostolicis pollicitus est Christus judicandi peccatores auctoritatem : « Sedebitis et vos super sedes judicantes duodecim tribus Israël. » (3) In ultimo autem judicio, judices illi uniti erunt petrae, nimirum Christo Domino, supremo hominum et Angelorum judici. *Absorti plane sunt in affectum justitiae, petrae soliditatem cui juncti sunt imitantes : tunc putasne flexibile quippiam inveniendum, in judicibus junctis petrae ?* (4) nempe Christo, qui reprobis nullum amplius exhibebit patrociniū.

3. Ne divinae justitiae severitas adversus peccatorem *memoria affectuum temperetur*, (5) Christus Dominus *ad judicium veniet, ignorans misericordiam* (6); quasi a misericordia quam acceperat a matre degenerans. Dei Filius ab aeterno *ex Deo genitus, proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et pater ipse testatur: Eructavit cor meum sermonem optimum* (7) : at Dei unigenitus, qui a corde paterno quasi de vulva ortus dicitur, voluit etiam nasci ex Matris corde; ut induens misericordiae viscera, hauriret a Matre indolem ad misereendum pronam : ideoque

nonnulli apud Abulensem (1) pie meditantur, Christi corpus Spiritus Sancti virtute fuisse compactum ex aliquibus sanguinis guttis ex Mariano corde desumptis, quia Salvator futurus erat ad compatiendum et misereendum propensus. Humana autem compassio et miseratio sedem habent in corde : et ob hanc causam beatissima Virgo nuncupatur a D. Bonaventura *vena misericordiae* (2); quia, ut ait Joannes Damascenus, *Dei misericordiam parit* (3); unde Maria non tantum dicitur Christi Dei mater, sed etiam mater misericordiae Filii sui. Quod docet D. Augustinus, Deiparae implorans auxilium : *Fac benedicta per misericordiam quam peperisti.* (4) Quasi non tantum Christus, quam Christi misericordia sit soboles Mariae. Saepe parentum mores hauriunt filii, et quemadmodum a parentibus arripiunt iracundiam, immisericordiam, aliosque mores agrestes et inhumanos; sic eorum expriment mititatem, mansuetudinem bonamque indolem : Maria vocitatur mater misericordiae : tum quia peperit Christum misericordem, neque a Matre degenerantem; tum quia misericordiam exercet erga peccatores, quibus adversus Dei justitiam patrociniatur : *Maria nobis dicitur advocata, quae apud Deum salutis nostrae negotia efficaciter pertractat.* (5) Verum tanta sollicitudine, ut videatur dividere cum Filio, misericordiae erga peccatores negotium. *Dividunt coram Patre, inter se, Mater et Filius, pietatis officia.* (6) Christus qui in sua incarnatione accepit a Matre, non solum naturam humanam, sed etiam pietatis et miserationis indolem, nunc est peccatorum asylius; et, ut fatur D. Augustinus illum alloquens, *tu, Domine, factus es spes desperatorum, desolatorum consolatio.* (7) Seu, ut ait Regius Propheta, *refugium meum es tu, tu es protector meus.* (8) At in die judicii, misericordiam quam accepit a Matre nesciet, non nisi severitatem et justitiae rigorem sapiet : *Non revertetur oculus meus ut videat bona, nec aspiciat me visus hominis.* (9) Ut autem expendit Magnus Gregorius, *visus hominis est misericordia Redemptoris, quae insensibilitatis nostrae duritiem, cum respicit, emollit.* (10) At in fine mundi, Christi misericordia, neque emolliet peccatoris duritiem, neque ab ejus miseria emollietur; sed adversus eum indignati judicis demonstrabit effectum. *Indignatio non est mihi, quis dabit me spinam, et*

(1) Hom. 59. in Luc. — (2) Psal. 140. — (3) Matth. 19. — (4) Serm. 7. in Ps. Qui habitat. — (5) Tert. L. de An. 56. — (6) Petr. Dam. Ep. 57. — (7) Tert. Lib. adv. Prax. 7.

(1) In c. 12. Levit. — (2) In Psalter. Virg. — (3) Orat. 1. de Nat. Virg. — (4) Serm. 2. de Assumpt. — (5) D. Berg. Serm. 1. de Assumpt. — (6) Arnold. Carnot. Tract. de Laud. Mart. — (7) Solil. 22. — (8) Psal. 50. — (9) Job. 7. — (10) L. 8. Mer.

repem in prælio? grauiar super eam, succendam eam pariter. (1) Aquila vero legit: *Quis dabit me adamantem et senticetum?* Fiet totus spinosus Christus ut miseros pungat reprobos; adamantis æmulabitur durtiem, neque ulla miseratione emollientur ejus viscera. Seu, ut vertit D. Hieronymus, *quis me faciet durum atque crudelem, ut vincam naturam meam, et in prælio atque certamine truculentus incedam?* (2) Tantam Christi Domini severitatem et justitiam conspicientes reprobi, has planctus et querelæ emittent voces: *Quid faciemus sub tanti iudicis majestate? quid excusationis ostendere poterimus? qua nos defensionis arte purgabimus? quæ nobis subventura est pœnitentia quam in hac carne contempsimus? quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hac vita non fecimus? ad quos Apostolos seu alios Sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul et verba despeximus? Pensandum ergo est, et summo studio revolvendum, quis in illo die terror erit, cum in pœna jam remedium non erit.* (3) Tunc enim miseri reprobi erunt omni solatio, refugio et auxilio destituti, nec quidquam ad misericordiam flectere valebit Iudicem. *Super quo tibi propitius esse potero?* (4) Non precibus, non elemosynis, non pœnitentia, non bonis operibus, non Sanctorum patrocinio et intercessionibus: *Omnes enim contra peccatores tunc erunt.* (5) Sancti non amplius intercedent pro illis, sed simul cum Christo eos condemnabunt. Angeli non amplius eorum custodiæ invigilabunt, sed eos de contemptu bonarum cogitationum accusabunt. Maria Virgo non erit amplius eorum advocata, sed ad vindictam Filium suum sufflamabit, cui dicet: *Recordare, Domine, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bona et averterem indignationem tuam ab eis, propterea deduc eos in manu gladii, ut videam ultionem tuam ex eis.* Christus quoque tunc obliviscetur se natum, conversatum et passum pro peccatoribus, nihilque aliud spirabit præter iram, justitiam, furorem et vindictam. *Ita cui comœtit vindicta ei competit materia vindictæ, Evangelium dico et veritas et salus.* (6) De eorum contemptu vindicabitur Christus. Idcirco Isaias iudicium ultimum diem furoris insanabilis vocitat: *Ecce dies Domini insanabilis venit furoris et iræ* (7): quia tunc non erit pœnitentiæ locus, ait D. Hieronymus (8): « Cum venerit iudicii tempus, correctionis

locus non erit, sed tantum damnationis. Erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. Vis ut sit fructuosa? non sit sera: hodie te corrige; reus es, ille iudex est: corrige reatum, et gaudebis ad iudicem: hodie enim hortatur te ne iudicet te: et qui iudex tuus futurus est, ipse est hodie advocatus tuus. »

(1) « Ad hunc adventum Domini nostri Jesu Christi parati simus, et timeamus ne ille nos tales inveniat quales noluit inveniri; qui ideo omnia pro nobis passus est, ut nos inveniret tales, quibus non supplicia inferret, sed præmia redderet sempiterna. » (2)



CONCIO SEXTA.

Sic loquuntur justii apud Tertullianum *Vota nostra suspirant in seculi hujus occusum, in transitum mundi quoque ad diem Domini magnum; diem iræ et retributionis; diem ultimum et occultum; nec ulli præter Patri notum; et tamen signis atque portentis, et concussionibus elementorum, et conflictationibus nationum prænotatum.* (3) De ultimo iudicio quatuor scitu dignissima docet Tertullianus: 1. Typis fuisse præfiguratum; 2. Signis fore denotatum; 3. Quid illa signa significant sciscitandum. Duplici præsertim typo mundi excidium figuratum asseverat Tertullianus. Tum diluvio Noemetico: *Jam enim iudicium Dominus ostenderat per diluvium* (4); tum Jerosolymitano excidio: Christus namque « interrogatus a Discipulis quando ventura essent quæ interim de templi exitu cruperant, ordinem temporum, primo Judæorum usque ad excidium Hierusalem dehinc communium, usque ad conclusionem seculi, dirigit: nam posteaquam edixit, et tunc erit Hierusalem: conculcatui nationibus, allegendis scilicet a Deo, et congregandis cum reliquiis Israël: inde jam in orbem et in seculum prædicat, secundum Joëlem et Danielelem, et universum concilium Prophetarum, et futura signa in sole, et in luna, et in stellis, conclusionem nationum cum stupore; sonitus maris, et motus refrigerantium hominum, præ metu et expectatione eorum quæ immineant orbi terræ. 2. Ultimum iudicium est signis prænotandum: *Evolverem prophetias, si Dominus ipse tacuisset nisi quod et prophetie vox erant Domini: sed plus est, quod illas suo ore consignat.* (5) Concordant inter se prophetiæ

(1) Esa. 27. — (2) In c. 5. Hier. — (3) Petr. Dam. Epist. 57. — (4) Jerem. 5. — (5) D. Aug. Serm. 6. ad Fiat. in Erem. — (6) Tert. lib. 5. adv. Marc. 16. — (7) Cap. 5. — (8) In c. 1. Ipe.

(1) D. Aug. in Psal. 51. — (2) D. Aug. Serm. 5. de Fide. — (3) Tert. Lib. de Res. 22. — (4) Tert. L. de Jcjun. 4. — (5) Tert. lib. de Res. 22.

·radictiones, et dominicæ pronuntiationes, eademque signa ultimi judicii prænotant: *Conveniunt, opinor, et Domini pronuntiationes et Prophetarum, de concussionibus mundi et orbis, elementorum et nationum* (1); et quia 3. Signum præter id quod ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire, multiplici de causa Christus Dominus voluit prætata signa præcedere judicium. 1. Ut quæ a Lege et Prophetis fuerant prædicata confirmaret: *Præmiserat oportere hæc fieri tam atrocia, tam dira, certe a Prophetis et a Lege prædicata, adeo Legem et Prophetas non destruebat, cum quæ prædicaverant, confirmat perfici oportere.* (2) 2. Ut homines videntes ejusmodi signa, discerent proximum esse judicium ad illudque se præpararent. *Aspicite arbores omnes, cum fructum protulerint, intelligunt homines æstatem appropinquasse. Sic et vos cum videritis hæc fieri, scitote in proximo esse regnum Dei. Si enim fructificationes arbusculorum, signum æstivo tempore præstant, antecedendo illud, proinde et concussiones orbis, signum prænotant regni, præcedendo illud.* 3. Ut divinam in reprobis indignationem significent. *Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei.* (3) Signa et portenta ut plurimum antecedunt urbium et regnorum excidium, sic ante Hierosolymitanam eversionem per Titum, visus est per annum districtus in aere ensis infelicem illam urbem velut unitans. Seu, ut fatur Tertullianus, *civitas constat enim, ethnicis quoque testibus, in Judæa per dies quadraginta matutinis momentis civitatem de cælo pependisse, omni mæniorum habitu evanescente de profectu diei, et alias de proximo nullam.* (4) Sicut autem gladius ille districtus seu civitas in aere apparens, fuit signum vastandæ Hierusalem per Romanos, sic signa quæ præcedent judicium mundi repræsentabunt mundi excidium, ideoque Christus Dominus: *Monstrato dehinc tempore excidii, cum cœpisset vallari exercitibus Hierusalem, signa jam ultimi finis enarrat, solis et lunæ, siderumque prodigia, et in terra angustias nationum obstupescientium velut a sonitu maris fluctuantis pro expectatione imminentium orbi malorum.* (5) 4. At Imperfectus: Quemadmodum « Patrefamilias moriente, tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, et conscissis tunicis suis, nigris se operiunt vestimentis, sic et humano genere, propter quod omnia fuerunt creata,

circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa cæli ministeria lugent, et candore deposito, pro vestibus luctuosis tenebris vestiuntur; nam sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum. » (1) 5. Signa quæ futura sunt in universo orbe, denotant parvi mundi perversionem. *Et dabo prodigia in cælo et in terra, sanguinem et ignem, et fumi vaporem. Sol convertetur in tenebras, et in sanguinem luna, priusquam adveniat dies magnus et illustris Domini.* (2) Homo parvus nuncupatur mundus, quia in eo magnus mundus velut in compendio reperitur. Anima ejus sapit cælum, corpus terram redolet, intellectus est sol, voluntas luna; in corpore quatuor elementa, saltem virtute continentur. Peccatum autem movet illam terram, cælum obnubilat, intellectum contenebrat, voluntatem depravat. Quod per signa quæ præcedent judicium denotatur. 6. Homo criminosus cunctis rebus abusus est ad peccandum: nam *omnes species malorum ex operibus Dei constant.* (3) Quapropter a cunctis rebus patietur, ut fatur Magnus Gregorius: « Omnia quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum convertimus culpæ; sed cuncta quæ ad usum pravitatis infleximus, ad usum nobis convertentur ultionis. » Hæ rationes demonstrant quanta congruitate signa præcedant finem mundi, qui trina terminabitur consummatione: scilicet 1. Mundanæ dispositionis; 2. Humanæ operationis; 3. divinæ miserationis.

I. PARS. *Mundus apud Græcos, ornamentum et cultus, non sordium nomen est.* (4) Trinus est autem mundus ornamento et cultu commendatus: nimirum universalis seu genericus; civilis seu politicus; spiritualis seu mysticus. At in fine seculorum per *conflagrationem universitatis, usque ad ultimam eversionem* (5), triplicis illius mundi eveniet consummatio. Mundi scilicet 1. Elementaris et generici; 2. Civilis seu politici; 3. Spiritualis seu Ecclesiastici.

1. Mundus universalis commendatur, tum ab auctore, nempe Deo. *Grande opus et dignum Deo mundus.* (6) Tum a magnitudine rerum quas continet: *Unde et Græci nomen mundo κοσμον accommodaverunt.* (7) Tum a pulchritudine qua decoratur, a qua nuncupatur mundus. *Neque enim mundus, si non ut mundus proinde.* (8) Tum ob diversitatem creaturarum, quas complectitur, et va-

(1) Tert. l. 4. adv. Marc. 39. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. lib. ad Scap. 5. — (4) Tert. l. 3. adv. Marc. 24. — (5) Tert. l. 4. adv. Marc. 59.

(1) Hom. 47. in Matth. — (2) Tert. l. 4. adv. Marc. 59. — (3) Tert. l. de Spect. 2. — (4) Tert. lib. 1. adv. Marc. 15. — (5) Tert. l. de An. 55. — (6) Tert. lib. 1. adv. Marc. 12. — (7) Tert. Apol. 17. — (8) Tert. l. de Pall. 2.

riorum officiorum ad quæ servit : *Quippe mundus ex diversis substantiis officiisque constabit.* (1) Tum ob admirabilem dispositionem, qua concinnatur. *Jam ediximus Deum universitatem hanc mundi verbo et ratione, et virtute molitum, qui cuncta in dispositione formaverit.* (2) Tum a fine ultimo et proximo ob quem creatus et ordinatus est : gloria namque Dei est finis ultimæ productionis mundi. *Deus totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ.* (3) Cuncta namque quæ sunt in mundo, velut Dei aut imagines, aut saltem vestigia, gloriam decantant divinæ potentæ, quæ illa de nihilo produxit : sapientiæ, quæ admirabili ordine disposuit ; bonitatis, quæ adeo munifice et diversimode se effudit. Finis proximus mundi est utilitas hominis. *Etsi Deus mundum homini non sibi fecit* (4) : quia etsi illum fecerit et ordinaverit ad suum honorem, non tamen ad suam, sed ad hominis duntaxat utilitatem : homo etenim et non Deus mundo indiget : *Ipsæ orbis cultior de die, et instructior pristino : solitudines fauosas retro, fundi amœnissimi obliteraverunt, sylvas arva domuerunt ; feras pecora fugaverunt ; arenæ seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur, tantæ urbes jam, quantæ non casæ quondam ; jam nec insulæ horrent, nec scopuli terrent ; ubique domus, ubique populus, ubique respublica, ubique vita.* (5) Verum tot mundi oblectamenta, tot ornamenta, tot suppellectilia, tot urbes, arces, palatia indumenta, thesauri, et generatim quidquid est in universo orbe amœnius, jucundius, utilius, sublimius, universali conflagratione peribit : *At enim supersunt alia spectacula, ille ultimus et perpetuus judicii dies, cum tanta seculi vetustas, et tot ejus nativitates uno igne haurientur* (6) : quemadmodum tempore Noë, *mundus aqua inundatus perit* (7) generali diluvio, puniente Deo terræ tunc habitatores, ita in ultimo judicio mundus universali incendio devastabitur, Deo de peccatoribus vindictam sumente : *Terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur.* (8) Neque terram duntaxat et opera quæ in ea sunt exurenda asseverat Apostolorum Princeps, sed adhuc elementa igne dissolvenda, et cælos igne arduos affirmat, novosque cælos, novamque terram sperat : « Expectantes et

properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent ; novos cælos et novam terram, secundum promissa ipsius expectemus. » D. Petri verba considerans Tertullianus mundum de nihilo productum, vult adhuc in nihilum redigendum : *Cæterum omne ex nihilo constitisse, illa postremo dispositio studebit, quæ omnia in nihilum reductura est : siquidem et cælum convolvetur ut liber, imo nusquam fiet cum ipsa terra, cum qua primordio factum est. Cælum et terra præteribunt, inquit : cælum primum et terra prima abierunt, et locus non est inventus illis : quia scilicet quod et fuit, locum amittit : sic et David : Opera manuum tuarum cæli et ipsi peribunt : nam etsi mutabit illos velut oportorium et mutabuntur ; sed mutari perire est pristino statui, quem dum mutantur, amittunt ; et stellæ quidem de cælo ruent, sicut fici arbor, cum valido commota vento, acerba sua amittit ; montes vero tanquam cera liquescent, a conspectu Domini cum surrexerit, scilicet confringere terram : Sed et paludes, inquit, arefaciam, et quærent aquam, nec invenient : etiam mare huctenus.*

(1) Verum in fine mundi quædam sunt destruenda, quædam vero non destruenda, sed alteranda et accidentaliter immutanda. Elementa sunt quidem alteranda, sed non destruenda ; quia ad integritatem pertinent universi ; alteranda sunt tamen, et virtute ignis extenuanda, et quasi liquanda, ut ab eis separentur vapores, fæces, exhalationes, aliæque res crassæ et impuræ eis permixtæ : quemadmodum in conflatorio solvitur aurum, dum vi ignis liquatur ut ab eo separetur scoria, æs, omnisque alia impuritas ei commissa, ut purum restet et effulgeat aurum : cæli vero non substantialiter, sed accidentaliter tantum sunt immutandi : nam sicut per resurrectionem hominum corpora non mutantur in aliam substantiam, sed in aliam qualitatem ; nam erunt immortalia, ita cæli idem substantialiter remanentes, mutabuntur in melius : nam *lux lunæ erit sicut lux solis et lux solis septemplex sicut lux septem dierum.* (2) Tandem mixta omnia sive a natura, sive ab arte et hominibus facta igne sunt exurenda, et in cinerem seu terram et elementum de quo producta sunt revertenda. Ut autem per diluvium mundi non perit substantia, sed tantum ejus species, decor, ornatus, divitiæ et opera hominum, ita in fine mundi hæc omnia oportet *cum totius mundi habitu præterire.* (3) Inde Apostolo-

(1) Tert. Lib. de Pallio, 2. — (2) Tert. Apol. 21. — (3) Tert. Apol. 17. — (4) Tert. L. 1. adv. Marc. 12. — (5) Tert. L. de An. 30. — (6) Tert. L. de Spect. 30. — (7) 2. Pet. 3. — (8) D. Pet. ibid.

(1) Tert. L. adv. Herm. 34. — (2) Esa. 50. — (3) Tert. L. de Res. 26.

rum princeps Christianos ad pietatem, virtutem et bona opera stimulat : *Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus?* Maxime cum consummatio mundi universalis et generici, annexam habeat consummationem mundi civilis et politici.

2. *Hæretici vel maxime mundum per dominum mundi interpretantur.* (1) Ex mente etiam Apostoli diabolus nuncupatur Princeps hujus mundi : *Nos autem hominem qui sit in mundo intelligimus ex forma simplici loquelæ humanæ, qua plerumque id quod continet, ponimus pro eo quod continetur, Circus clamavit, et Forum iocutum est, et Basilica fremuit, id est, qui in his locis rem egerunt.* (2) Imo econtra homo parvus vocitatur mundus, quia in compendio continet ea quæ magnus habet mundus : Dominus autem mundi, est rex seu imperator qui in hominem, qui est mundus, exercet principatum ; hæc autem politica et civilis dominatio simul cum consummatione mundi universalis consummanda est. Hac ratione Tertullianus demonstrat Christianum non esse hostem imperatoris, *quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum dirigat, et revereatur, et honoret, et scilicet velit, cum toto Romano imperio, quousque seculum stabit : tandiu enim stabit.* (3) At in fine mundi, consummabitur Romanus status, *cujus abscessio in decem reges dispersa Antichristum superducat ; et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit apparentia sui.* (4) Adveniente autem Christo, non solum Antichristi destruetur imperium, sed etiam omnis humana dominatio erit consummata, et qui in homines domicabantur, ejus agnoscent principatum. *Et omnis gloria famulabunda, et potestas ejus usque in ævum, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non vitiabitur.* (5) Ante thronum Regis regum et Domini dominantium adstabunt tyranni et principes iniqui qui eum non cognoverunt, vel injuste sua abusi sunt potestate : *Quæ tunc spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? ubi gaudeam? ubi exultem? tot spectans reges, qui in cælum recepti nuntiabantur, in imis tenebris congemiscetes?* (6) Et ut fatur D. Augustinus : « Ubi se tum impii videbunt? ubi adulteri? ubi ebriosi? ubi amatores luxuriæ? ubi raptores? ubi superbi apparebunt? » (7) Et ut aliorum ait Sanctus Doctor, « ubi imperatorum excellen-

tia et principum potestates? ubi tunc servi et ancillæ? ubi flagrantia vestimenta et splendida calceamenta? ubi serica et byssina ornamenta? ubi excellentia auri et sonitus argenti? ubi cibi varii, et horti insiti instar paradisi? ubi habitationes decoratæ et splendidæ? ubi tunc qui condunt thesauros, qui exsecrantur pauperes, et abjiciunt, Deum non timentes, judicii incredibiles? quantum erunt seipsos exprobrantes ac dicentes : Docebamur, et non attendebamus ; monebamur, et contemnebamus ; contestabamur, et non credebamus : Scripturas audientes, nosmetipsos seducebamus. Digna sunt judicia Dei, vere digne de actibus nostris recipimus : Heu! propter temporalem et nefandam lætitiæ colaphizamus ; propter modicum tempus refrigerii perpetuo igne consumimur ; propter modicam gloriam et abominabilem de vera gloria cecidimus ; pro modica esca paradisi sideribus privati sumus ; propter divitias perituras divitias cœlestes amisimus ; in seculo stulto omnia poscimus, hic præter pœnas nihil habemus. Illi autem qui tunc non possederunt, nunc exaltantur ; qui jejunaverunt, saturantur ; qui caste degerunt, in cœlesti thalamo lætantur ; qui seminaverunt in lacrymis, in gaudio metuat ; qui planxerunt perpetuo, consolantur ; qui contempserunt terrena, perceperunt cœlestia. » (1) Quapropter quanto magis iniqui ultimum aversantur judicium, tanto magis justi illud exoptant : tum ut tyranni qui eos injuste persecuti sunt, suæ crudelitatis pœnas luant ; tum ut a dura impiorum liberentur dominatione ; tum ut Christus suum in cunctos exercent imperium ; tum ut dominici regni sint particeps. *Cum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem seculi tendat, optamus maturius regnare, et non diutius servire. Etiam si præfinitum in oratione non esset, de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissimus, festinantes ad spei nostræ complexum. Clamant ad Dominum invidia animæ martyrum sub altari : Quoniam usque non ulcisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terræ? Nam utique ultio illorum a seculi sine dirigitur. Immo quam celeriter veniat, Domine, regnum tuum. Votum Christianorum, confusio nationum, exultatio Angelorum, propter quod conflictamur, immo potius propter quod oramus* (2) ; donec veniat consummatio mundi spiritualis et ecclesiastici.

3. Duplici pœna ingratos punivit Judæos

(1) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 5. — (2) Tert. ibid. — (3) Tert. L. ad Scap. 2. — (4) Tert. L. de Res. 24. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 7. — (6) Tert. L. de Spect. 30. — (7) Epist. 120. ad Honorat. c. 34.

(1) Serm. 8. de adv. Dom. ad Judic. — (2) Tert. L. de Orat. 5.

Deus, quos et regia potestate, et templo sibi dicato privavit. Utriusque punitionis meminit Tertullianus. De prima sic fatur: *Quanta deliquerint Iudæi etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum: dispersi, palabundi, et cæli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege.* (1) Secundam adhuc pœnam refert Tertullianus: *Tulit enim Dominus Sabaoth a Iudæis et ab Hierusalem, inter cætera, et sapientem architectum, qui ædificat Ecclesiam Dei, templum et civitatem sanctam, et domum Domini* (2): quod prophetatum fuerat a Daniele et adimpletum vastata per Titum Hierusalem. *Auferetur sacrificium et libatio, et in sancto execratio vastationis, et usque ad finem temporis consummatio dubitur super hac vastatione.* (3) In fine quoque mundi, eveniet non solum consummatio mundi elementaris et civilis, sed etiam mundi spiritualis et ecclesiastici. *Omnibus enim congregatis adjudicabitur regnum cœlorum, vel infernale suspendium: tunc Ecclesia consummabitur.* (4) Nunc trina distinguitur Ecclesia: regnans in cœlo, patiens in purgatorio, militans in seculo. Consummato autem mundo, non erit amplius Ecclesia militans in seculo, nec patiens in purgatorio, sed duntaxat triumphans in cœlo. In Ecclesia militante, templa consecrantur, sacrificium offertur, sacramenta administrantur; consummata autem Ecclesia militante, non amplius sacramenta administrantur, nec offeretur sacrificium, nec erit templum. *Templum ergo Deo peribit, et Deus templo.* (5)

In Ecclesia militante, boni et mali miscentur donec consummatio rerum, resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat. (6) Quod patet ex commixtione paleæ et frumenti in area; agnorum et hædorum in ovili; tritici et lolii in agro; parvorum et magnorum piscium in rete. At in consummatione seculi, exhibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum. (7) Justi gloriosas dotes deferent suis corporibus. *Tunc et mundi destructione et iudicii conflagratione commissa demutatis in atomo sanctis.* (8) Illis dotibus carebunt reproborum corpora: ibunt obviam Christo in aera, reprobi in justis terra remanebunt: justis ad dexteram Christi collocabuntur, reprobi ponentur ad sinistram. Justis gaudebunt: *Siqui-*

dem et justum, et Deo dignum, illis quoque exsultare famulos ejus, ubi sunt et afflicti in nomine ipsius (1); reprobi tristabuntur, eruntque dolore nutriti (2); justis a Christo benedicentur, reprobi vero maledicentur. Tandem justis simul cum Christo in cœlum ascendent, summa fruituri beatitudine; reprobi simul cum diabolo in infernum detrudentur. Nisi enim Deus post mortem bearet justos qui sancte vixerunt, ejus justitia humanæ justitiæ esset postponenda, quod ex honore quem defunctis deserebant Gentiles demonstrat Tertullianus: *Illic ille cui ob merita vitæ imagines, statuæ et tituli, honores publici, privilegia rependuntur? cui curia, cui populus suffragiis immolat? O iudicia divina post mortem humanis mendaciora, contemptibilia de pœnis, fastidibilia de gratiis, quæ nec pessimi metuant, nec optimi cupiant; ad quæ magis scelesti, quam sancti quique properabunt; illi, ut justitiam seculi citius evadant; isti, ut tardius eam capiant. Bene philosophi docetis, utiliter suadetis, leviora post mortem supplicia, vel præmia; cum si quod iudicium animas manet, gravius debeat credi in dispunctione vitæ, quam in administratione: quia nihil plenius quam quod extremus; nihil autem extremius quam quod divinius. Deus itaque iudicabit plenius, quia extremus, per sententiam æternam tam supplicii quam refrigerii: et hoc semel, et in eum diem quem solus Pater novit, ut pendula expectatione sollicitudo fidei probetur; semper diem observans, dum semper ignorat; quotidie timens, quod quotidie sperat.* (3) Longiuscule quidem Tertullianus; verum his verbis plura eaque perpulchra præbet documenta: nam 1. Ex honore quo Gentiles probos viros venerantur post mortem, recte colligit præmium quo Sanctos Deus remunerat; 2. Divinam justitiam humanæ præponit, sive in puniendo, sive in præmiando; 3. Præmia et supplicia majora ostendit post hominis mortem quam dum vivit; 4. Sententiam Dei æternam, sive supplicii, sive præmii, asserit; 5. Hanc sententiam semel ferendam in die iudicii, ait; 6. Tandem ultimum diem incertum Deus esse voluit, ut fidelis omnes dies observet dum illum metuit, in quo erit consummatio humanæ operationis.

III. PARS. *Quis enim iudicium Dei non in sententia duplici statuit, salutis et pœnæ?*

(4) Electos summa beatitudine remunerat,

(1) Tert. Apol. 21. — (2) Tert. L. adv. Jud. 13. — (3) Tert. L. adv. Jud. 8. — (4) Guillelm. Paris. 2. 2. Dom. 1. Adv. Serm. 5. — (5) Tert. L. 5. adv. Marc. 7. — (6) Tert. lib. 4. adv. Marc. 23. — (7) Matth. 13. — (8) Tert. L. 3. adv. Marc. 24.

(1) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 24. — (2) Tert. L. de An. 56. — (3) Tert. Lib. de An. 53. — (4) Tert. L. de Res. 59

reprobos summa miseria cruciat. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus, *in hac vita, non sunt nec summa bona, nec summa mala* (1); at in cœlo, est summa beatitudo, quia electi summo fruuntur bono; in inferno etiam est summa miseria, quia reprobi summo privantur bono. Quandiu vivit homo, potest et summam acquirere felicitatem, et summam vitare miseriam; at in judicio ultimo, neutrum valebit peccator, quia tunc erit consummatio humanæ operationis ex defectu 1. Voluntatis; 2. Sanctitatis; 3. Tempestatis.

1. Sunt *voluntates bonæ* (2) quod potest tripliciter intelligi: entitative, moraliter et supernaturaliter. Omnes in universum voluntates sunt entitative bonæ, quia sunt facultates reales animæ ab ipso Deo productæ; illæ autem voluntates sunt bonæ moraliter quæ feruntur in bonum morale, quod naturam non superat, quomodo peccatores, imo et infideles, possunt habere bonas voluntates; voluntates vero bonæ supernaturaliter, id est, quæ tendunt ad bonum quod naturam superat, et ad ordinem gratiæ spectat, illam bonitatem a divino mutuatur auxilio: *Voluntas bona siue adjutorio Spiritus Sancti non potest esse.* (3) Nam, ut ratiocinatur D. Augustinus, *voluntas in natura quæ facta est bona, a bono Deo, sed mutabilis ab immutabili, ex nihilo, ab eo qui est, et a bono potest declinare ut faciat malum, quod fit ex libero arbitrio; et a malo ut faciat bonum, quod non fit sine divino adjutorio.* (4) Diversimode mutabilis est voluntas humana. A bono in malum, et a malo in bonum. A bono in malum solo arbitrio absque ullo Dei adjutorio mutatur. A malo in bonum *arbitrii potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas.* (5) Reprobi autem ex defectu bonæ voluntatis non operabuntur bonum, quia nullum unquam Dei habebunt adjutorium: *Non erunt in memoria apud Deum, quorum mansio cum diabolo, ubi nulla est visitatio, sed consummatio.* (6)

Christianus nuncupatur a Tertulliano *veritatis integrior* (7), quia juxta veritates fidei operatur; ad quod quatuor concurrunt: 1. Lux supernaturalis, quæ voluntatis cæcitatem illustrat; 2. Pia affectio, quæ voluntatem prævenit et inflammat; 3. Libera voluntatis determinatio, quæ prævenienti gratiæ auxilium suum præstat; 4. Auxilium supernaturale, quod in operando voluntatis infirmitatem adjuvat. At reprobi non erunt veritatis integritates: 1. Ob defectum luminis

quod eorum illustret voluntatem: *Reprobi non solum exterioribus, sed etiam interioribus involventur tenebris, quia spirituali pariter et corporali carebunt luce.* (1) 2. Ob defectum piæ affectionis quæ voluntatem ad bonum sufflammet: nam *ibi erunt ubi nulla vox, nisi gemitus; ubi nulla requies, nisi ignis; ubi nullum refrigerium, nisi flamma.* (2) 3. Ob defectum libertatis, quia eorum voluntates necessario ad malum erunt determinatæ: *Voluntatis arbitrio privatur quicquid necessitate constringitur.* (3) Tandem 4. Ob defectum auxilii quod voluntatis adjuvet infirmitatem: *Justum est enim ut qui noluerunt cum potuerunt, cum velint non possint.* (4) Quapropter in ultimo judicio erit consummatio humanæ operationis ex defectu voluntatis et sanctitatis.

2. Christianus est *factorum operator* (5), quia scilicet bonis vacat operibus. Ad bona autem opera vitæ æternæ digna, tria potissimum requiruntur: 1. Ut a gratia sanctificante procedant quæ est principium meriti, et a Deo liberaliter infunditur, quia principium meriti non cadit sub merito. *Quæ a Domino indulgentur, sua gratia gubernantur* (6): opera namque meritoria cum sint media ad finem supernaturalem, debent esse supernaturalia et viventia: non possunt autem esse supernaturalia et viventia, nisi a gratia sanctificante procedant; 2. Ut libere a voluntate producantur; quia debent esse opera moralia: non possunt autem esse opera moralia nisi a libero producantur arbitrio. *Cæterum, nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* (7) 3. Ut propter bonum finem fiant. *Universorum finem Deus considerat, quoniam in omnibus quæ agimus, finem intentionis magis, quam actum operationis attendit.* (8) Reprobi autem in ultimo judicio nihil habebunt ad opus meritorium: requisitum. Non 1. Gratiam sanctificantem, quia *destitit apud illos Dei gratia.* (9) Non 2. Arbitrii libertatem, quia non erunt indifferentes ad bonum et malum, sed necessario determinati ad malum. *Voluntas damnati licet amiserit potestatis effectum, semper tamen habebit malignitatis affectum.* (10) Non 3. Propter Dei honorem valebunt operari quem indesinenter blasphemabunt. *O homo qui desideras reg-*

(1) Serm. 55. de Verb. Apost. -- (2) Tert. L. de Verb. Cast. 21. -- (3) D. Aug. L. de Pal. 24. -- (4) L. 15. Civ. 21. -- (5) D. Aug. Ep. 95. ad Innoc. -- (6) D. Aug. Serm. de adv. Dom. ad Judic. -- (7) Tert. Apol. 46.

(1) D. Aug. L. Medit. -- (2) D. Aug. l. de adv. Dom. ad Judic. -- (3) D. Aug. L. de Nat. et Grat. c. 46. -- (4) D. Aug. L. Medit. -- (5) Tert. Apol. 46. -- (6) Tert. L. 1. ad Uxor. 8. -- (7) Tert. L. 2. adv. Marc. 6. -- (8) D. Aug. Solil. 14. -- (9) Tert. L. adv. Jud. 15. -- (10) D. Aug. Medit. c. 38.

num Dei possidere, quod male fecisti dum potes emenda; dum tempus habes, clama ad omnipotentem Deum; dum tibi datur spatium, luge; dum potes pariter, festina; dum potes, dum adhuc anima versatur in corpore tuo (1), nam in ultimo judicio, non poteris operari ex defectu temporis.

3. Christianus est *negotiator salutis*. (2) Ut quis probe negotietur, tribus præsertim indiget: 1. Animi solertia, ut rerum pretia cognoscat; 2. Familiari substantia, ut sumptibus expendendis subvenire valeat; 3. Tempore ad negotiandum idoneo: quantumvis enim pallescat animi sagacitate, et sit fortunæ ditatus bonis si tempus non captet ad negotiandum aptum, depauperatur. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori*. (3) Tria autem Christiano negotiatori sunt necessaria: 1. Ut cognoscat media salutis et valorem honorum operum; 2. Ut gratiæ sanctificantis ditetur gazis; 3. Ut bene operetur quandiu vivit in seculo. Duplex est hominis status: unus viæ, alter termini. In termino non potest mereri, sed in via duntaxat: siquidem *ordo temporum sternitur*. (4) Ordo autem meriti juxta ordinem temporis disponitur, et quia tempus est duratio mundi, *meritorium factus est mundus* (5); scilicet homo mereri potest quandiu est in mundo, quandiu vita ejus tempore mensuratur: at in ultimo judicio, consummabitur mundus, consummabitur tempus, non amplius homo poterit mereri. *Closa est janua, id est, clausus est aditus regni cælorum. Non enim post judicium patet meritis locus*. (6) Quapropter Christus Dominus hortatur Christianos ut negotientur antequam veniat: « *Negotiamini dum venio*; » (7) quia in ultimo judicio non erit negotiandi spatium, *quoniam habet tempus finem suum*. (8) Cum enim sit mensura mundi, simul cum mundo finietur: et ne ullus de hac veritate valeat dubitare: « *Angelus quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cælum, et juravit per viventem in secula seculorum, qui creavit cælum, et ea quæ in eo sunt; et mare, et ea quæ in eo sunt; quia tempus non erit amplius*: » (9) Quo consummato non erit meritorii locus: *Cum tempora totius spei fixa sint sacrosancto stylo* (10); inde concludit Apostolus: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*. (11) Et Sapiens Christianum hortatur: *Quodcumque potest*

facere manus tua, instanter operare, quin nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos (1), ubi est consummatio humanæ operationis et divinæ miserationis.

III. PARS. Deus *tam bonus quam et justus* (2): nam, ut eloquenter fatur Chrysologus, *penes Deum neque pietas sine justitia est, neque sine pietate justitia; cælesti censu sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur: virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur; æquitas sine bonitate sævitia est, et justitia sine pietate, crudelitas*. (3) Verum, ut obplorat D. Augustinus: « *Nos perversitate nostra sic volumus Deum esse misericordem, ut non sit justus, alii rursus quasi præsertentes de justitia sua, sic volunt justum ut nolint misericordem: utrumque se exhibet Deus, utrumque præstat, nec misericordia ejus præscribit justitiæ, nec justitia ejus aufert misericordiam: misericors est et justus est. Unde misericordem probamus? Parcit modo peccatoribus, dat veniam confitentibus: unde probamus, quia justus? quia venturus est dies judicii, quem modo differt non aufert.* » (4) Misericordia quam modo erga peccatores exercet, est victrix et triumphans, dives et abundans, patiens, longanimis et exspectans: quapropter Jonas pœnitentiam Ninivitis prædicaturus: *Præmisit optimi Dei titulum patientissimi scilicet super malos, et abundantissimi misericordiae et miserationis*. (5) Verum licet perfectiones divinæ, utpote infinitæ, non sint inæquales, in judicio tamen ultimo misericordia Dei 1. Victrix et triumphans superabitur; 2. Dives et abundans evacuabitur; 3. Patiens, longanimis et exspectans consummabitur.

1. Modo Deus *in misericordiae affectu* (6) non solum vincit humanam malitiam, sed etiam superare videtur divinam justitiam; juxta istud Jacobi: *Superexaltat misericordia judicium* (7): seu, ut expendit OEcumenius, « *gloriatur misericordia adversus judicium; hoc est, vincit, expugnat, obtundit, vel hebetat.* » Ironicus interpretatur: « *Exultat, vel utique insultat adversus judicium.* » (8) Græca lectio habet: « *Cervicem attollit, superbit.* » Alii vero exponunt: « *Justitiam judicat, cujus sententias rescindit et annullat.* » Plura victricis misericordiae exempla refert Tertullianus: *Nam Deus post tot et tanta delicta humane temeritatis a principe generis Adam auspicata, post condemnatum*

(1) D. Aug. l. adv. Dom. ad Judic. — (2) Tert. Apol. 46. — (3) Matth. — (4) Tert. Lib. de Res. 25 — (5) Tert. L. adv. Valent. 7. — (6) D. Aug. Serm. 12. de Verb. Apost. — (7) Luc. — (8) Dan. 8. — (9) Apoc. 10. — (10) Tert. L. de Res. 21. — (11) Gal.

(1) Eccles. 9. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 12. — (3) Serm. 145. — (4) Serm. 109. de Temp. — (5) Tert. L. 4. adv. Marc. 24. — (6) Tert. L. 4. adv. Marc. 11. — (7) Cap. 2. — (8) In Psal. 76

hominem cum seculi dote, post ejectum paradiso, mortique subjectum: cum rursus ad suam misericordiam maturavisset: jam inde in semetipso pœnitentium dedicavit, rescissa sententia irarum pristinaram, ignoscere pactus operi et imagini suæ. (1) Illa victrix Dei misericordia multis adhuc exemplis commendatur. *Avertens jam destinatum exitium Ninivitis; et largiens spatium vitæ Ezechiæ lacrymis; et restituens statum regni Babylonis, tyranno pœnitentiam juncto. Iliam dico misericordiam, quæ et filium Saulis moriturum ex devotione populo concessit; et David, delicta in domum Uriæ confessum, venia liberavit; et ipsum Israël toties restituit, quoties judicavit; toties refecit, quoties et increpuit.* (2) At in ultimo iudicio, justitia victricem et triumphantem vincet et detriumphabit misericordiam. Tunc enim Deus *continebit in ira misericordias suas* (3), id est, concludet, prohibebit, reprimet, claudet, obturabit, contrahet, oppilabit. Alludere videtur Propheta ad urbem obsidione cinctam; quasi iræ divinæ legiones circumvallare undique misericordiam et premere videantur. Nonnulli legunt: « Præfocabit: » D. Hieronymus vertit: « Complebit in furore misericordias suas. » Quasi ira misericordiam adimpleat, vel potius misericordia sit indignationis et justitiæ complementum. Nam, ut belle ait ad propositum Angelicus Doctor, *zeli districtio de virtute misericordiae necesse est ut ardeat: ignis zeli ardere debet oleo misericordiae.* (4) Mite ac blandum misericordiae oleum, est idoneum severæ ac rigidæ justitiæ nutrimentum; benignitatis oleum est conveniens ad rigorem justitiæ pabulum, quod in zeli ardorem convertitur. Quo modo intelligendus est Jacobus aiens: « Misericordia superexaltat iudicium, » quia illud reddet acerbius. Ut enim ait D. Bernardus, *ipsa indignatio non aliunde quam de misericordia est.* Quod innuere videtur Propheta (5) juxta Septuaginta: *Ultus est eos brachio suo et justitia ipsius confirmavit eum, et misericordia ipsa fulcivit eum, ne ab incepto desisteret.* Misericordia quæ nunc impedit brachium justitiæ, in die iudicii ei subministrabit vires: *Quanto enim ad misericordiam Dominus promptior fuit, tanto erit vindicta ejus acerbior.* (6) Inde Christianum hortatur D. Augustinus: *Sic Deum dilige misericordem, ut velis esse veracem; non enim misericordia potest illi auferre iudi-*

cium (1): imo illud accendet, et in fine mundi misericordia a justitia superabitur et evacuabitur.

2. *Deus qui dives est in misericordia* (2), etiam scelerosis dona sua liberaliter largitur: quocirca peccatores gratia depauperati ditari nequeunt, nisi *apud Dominum optimum et profusæ misericordiae* (3); in ultimo tamen iudicio, dives et opulenta Dei misericordia evacuabitur: nam, ut ait Petrus Damianus de Christo loquens, *ad iudicium veniet ignorans misericordiam.* (4) Quod præfiguratur in filia Osee quam præcepit Deus appellari *absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israël, sed oblivione obliviscar eorum.* Quemadmodum enim Deus qui multoties delinquenti Israël pepercit, ejus tamen oblitus est, nec post Hierosolymitanum excidium miseretur; ita nunc misericordiam erga criminosos Christianos exercet; verum in generali mundi excidio, fiet *iudicium absque misericordia* (5) ut puniantur reprobi, qui contempserunt Deum *miseriordem et miserescensem, et plurimum misericordiae.* (6) Christiani, attendite ad sapiens D. Augustini monitum: « Ergo, Fratres, quoniam habemus tempus misericordiae, non nobis blandiamur, non nos dimittamus, non dicamus: Semper parcit Deus, ecce feci heri, et pepercit Deus; facio et hodie, et parcit Deus; faciam et cras, quia parcet Deus: attendis ad misericordiam, et non times iudicium. Si vis captare misericordiam, et iudicium intellige, quia ideo parcit ut corrigaris, non ut in malignitate permanas. (7) Nec minus ad rem Tertullianus: *Absit ut redundantia clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est* (8); ne suis sceleribus divinam velut exhauriat misericordiam ut ei exprobrat Apostolus. *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis?* (9) Deus est dives in bonitate, dignis et indignis benefaciens; dives in potentia, atrociam multaque sustinens crimina: dives in longanimitate, præstans longum pœnitendi spatium; peccator tamen divitias tum bonitatis, tum patientiæ, tum longanimitatis contemnit; et suo contemptu misericordiam depauperat, divinamque justitiam opulenter ditat: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi iudicii Dei.*

(1) Tert. Lib. de Pœn. 2. — (2) Tert. L. 2. adv. Marc. 5. — (3) Psal. 76. — (4) L. 1. de Iudic. Princip. c. 5. — (5) Esa. 59. — (6) D. Chrysost. Hom. 59. in Evag.

(1) In Ps. 44. — (2) Ephes. — (3) Tert. Lib. 5. adv. Marc. 5. — (4) Epist. 59. — (5) Jacob. 2. — (6) Tert. L. 2. adv. Marc. 24. — (7) In Ps. 110. — (8) Tert. L. de Pœn. 7. — (9) Rom. 2.

Ubi D. Bernardus : *Thesaurizas tibi thesauros iræ pro prorogatis tibi thesauris misericordiæ, quos contemnis, et evucas in te misericordiam Dei* (1), quæ in die illa tremenda te amplius non exspectabit, sed consummabitur.


3. Deum agnoscam patrem misericordiarum (2) : præsertim cum intueor Dominum tanto ævo patientissimum. (3) Verum Dominus veniet ad iudicium, patientiam abiciens (4); imo ad vindicandam patientiam veniet : *Dicimus plenum primo perfectumque credendumque iudicium Dei, ut ultimum jam atque exinde perpetuum : ut sic quoque justum, dum non in aliquo minus : ut sic quoque Deo dignum, dum pro tanta ejus patientia, plenum atque perfectum.* (5) Perfectio et plenitudo iudicii de ultione divinæ patientiæ sumitur : tunc enim misericordia terminabitur et sola justitia de scelerosis sumet vindictam : *Patientiæ ejus et sustentationis certa mensura est.* (6) Misericordia Dei sese usque ad finem mundi duntaxat extendit : *Misericordia usque in seculum, id est, usque in finem seculorum.* (7) Post iudicium vero consummata misericordia, justitia puniet scelerosos. Quod innuere videtur Regius Vates : « Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine. » Ubi D. Augustinus : *Non sine causa dictum est : Misericordiam et iudicium, non*

autem iudicium et misericordiam, quia modo tempus est misericordiæ, futurum autem tempus iudicii. (1) Nunc ostendit Deus mansuetudinem, postea furorem; nunc elementiam, postea severitatem; nunc amorem, post odium; nunc veniam, post ultionem. *Tempus misericordiæ tunc est, iudicii tempus post erit.* (2) Est adhuc tempus misericordiæ, in quo *misericordiarum pater, misericors et miserator, et misericordiæ plurimus* (3) nos ad pœnitentiam patienter exspectat, nobis misericorditer suam gratiam præstat. Adeamus igitur ad thronum gratiæ, ut misericordiam inveniamus et auxilium in tempore opportuno : *A divina bonitate etiam ratio temporum nata est* (4); ut divina adjuti misericordia, fugiamus vitia quæ divinæ accendunt ardores, et sectemur virtutes quæ sunt itinera æternitatis : *Hic dum tempus habet, agat anima pro se, quandiu locus est misericordiæ, qui ibi erit locus justitiæ.* (5) Ut autem acute animadvertit D. Augustinus : *Misericordiæ tempus nunc est, nondum iudicii. Nisi enim primo Deus per misericordiam parceret, non inveniret quos per iudicium coronaret.* (6)

Exspectans autem illam gloriæ coronam quam in ultimo iudicio dabit Deus electis, iudicio et auctoritati sanctæ Romanæ Ecclesiæ subijcio cuncta quæ in hoc volumine continentur.

(1) Serm. de Tripl. Miser. — (2) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (3) Tert. Lib. 3. adv. Marc. 4. — (4) Petr. Dam. Ibid. — (5) Tert. L. de Res. 14. — (6) Orig. — (7) D. Aug. in Psal. 105.

(1) In Ps. 100. — (2) In Ps. 52. — (3) Tert. L. 5. adv. Marc. 11. — (4) Tert. L. 2. adv. Marc. 3. — (5) D. Aug. l. 3. de Symb. — (6) Psal. 100.



INDEX

MATERIARUM

QUÆ IN TOMO TERTIO CONTINENTUR.

A			
ABRAHE probatur fides.	fol. 15	Artifex universitatis Deus.	267
Abundantia contumeliosa in semeptipsam.	265	Artificem non miratur, qui non cognoscit artes.	262
Adamus filius Dei effectus.	274	Aurum ignis.	107
Adamus princeps generis et delicti.	207	B	
Adamus auctor mortis.	ibid.	BAPTISMUS æque Dei census.	272
Adamus nomen artifex.	62	in Baptismo societatem habemus cum Patre, Filio, et Spiritu sancto.	274
Adamus ob ingratitudinem de paradiso ejectus.	280	in Baptismo, spiritus malus ejicitur, et bonus inducitur.	ibid.
Adventus Christi duplex.	401	Baptismus peccati maculas lavat.	271
Adventus Christi triplex.	412	per Baptismum homo a servitute diaboli liberatur.	272
Adventus Christi superbus triumphans.	401	in Baptismo, pompis diaboli renuntiat Christianus.	284
Adventus Christi pompaticus.	419	Accepto Baptismo, homo nuncupatur fidelis, non rationalis.	164
Adversitas a Dei bonitate procedit.	268	Baptismi character non deletur per peccatum.	275
Adulterium culpatur.	99	Baptismus sacramentum novæ vitæ.	272
Ænigma aliter quam sonat intelligendum.	115	Baptismus, conscientiæ interrogatio.	176
Ænigmatum nebulæ.	ibid.	Baptismum æmulatur diabolus.	271
Ænigma miseræ.	ibid.	Beatitudinis inchoatæ quadruplex causa.	180
Ænigma jejunii.	115	Beatitudo non competit creaturæ essentialiter.	ibid.
Afflictio, Christiani character.	255	Benedictio Deo semper et ubique præstanda.	255
Afflictus, beatus a Deo prædicatur.	ibid.	Benefactores contemnuntur ab ingratis.	256, 257
in Afflictione gaudendum.	57, 255	Beneficus Deus æmulatione.	263
Afflicti consolantur.	118, 120	Beneficiis oneratur homo.	270
Alexander magnus sua gloria minor.	76	Beneficii bonus interpret.	261
Ansicitia cum Deo.	275	Beneficiis Deus nos cingit.	ibid.
Amoris divini stimulus creaturarum cognitio.	265	Beneficiis suis Deus nostrum extorquet amorem.	265
Amoris usura.	275	Beneficiorum Dei memoria.	270
Amor omnium bonorum causa.	44	Beneficia Deus continuo largitur.	255
Angelos post Deum novimus.	142, 301	Beneficium nunquam obliviscendum.	260
Angelus nomine Dei locutus.	62	Beneficii oblivio culpatur.	ibid.
Angelica similitudo.	106	Beneficium perdere et dare, magni animi est.	254
Andreas filius crucis.	41	Beneficia nec dare scimus, nec accipere.	260
Andreas os lampadis.	42	Beneficii magnitudo ingratitudinis innuit magnitudinem.	261
Andreas crucem desiderans.	56	Beneficium non honorat ingratus.	122
Andreas amator crucis.	41	Beneficia divina gradibus accedunt.	275
Andreas totus ignescens.	42	Beneficium non acceptum existimatur, acceptum vilescit.	262
Andreas in cruce deliciatur.	56	in Beneficiis Christum Judæi non agnoverunt.	ibid.
Andreas crucifixus crucifixum prædicabat.	42	Bene impudens.	125
in Anima Dei imago.	186	Bonitas divina operata est mundum.	556
Anima naturaliter Christiana.	212		
in Anima non est integritas a delicto.	187		
Anima movet corpus.	177		
Anima exorbitationis et oblivionis capax.	260		
Anima a Deo data, datorem suum noscit.	265		
Apostoli duodecim a Christo electi.	13		
Apostolos passos manifesta doctrina est.	ibid.		
Aquæ baptismalis effectus.	245		
Arbor virens semper.	170, 171		
Ad arboris radicem securis apposita.	171		
Argumentationum inundatio.	160		

Bonitatis divinæ exceptorium, homo gratus.	261	Christus pro omnibus mortuus.	204
Bonorum auctor Deus.	257	Christus patiendi præbuit exemplum,	11
Bonorum quorundam intolerabilis magnitudo.	3, 18	pro Christo pati, beatum.	13
de Bono in melius proficiendum.	176	Christus patitur in suis membris.	101
Bonus proficere optat.	32	Cognitio pronuba dictorum.	180
C			
CARCER locus lucis alienus.	12	Collegiarii ministri.	69
Carcere in tenebrarum patitur impius.	ibid.	Columba amat lucem.	66
Castitas corona Angelica.	104	Concupiscit Deus Deo digna.	36
Certamina coronata.	40	sine Concupiscentia, nulla voluntas.	ibid.
Charitas animæ magnitudo.	99	Concupiscentiæ seculi damnantur.	ibid.
Christianus passione dignoscitur.	38	Confessio simulata.	8
Christiani vita sanctum desiderium.	ibid.	Conversio peccatoris, difficilis.	17
a Christianis testimonium sui exoptat Christus.	7	ad peccatoris Conversionem, necessaria lancea solis.	22
Christiani scelerosi Christum factis negant.	8	in Conversione peccatoris lætatur cælum.	20
Christianus monstruosus.	178	Conversio debet esse prompta, perfecta, firma.	ibid.
Christus virtute Spiritus sancti conceptus in utero Virginis.	5	in Conversione peccatoris non destruitur natura, sed mutatur.	30
Christus homo Deo mistus.	ibid.	in Conversione amittit peccator quod erat, acquirit quod non erat.	18
Christus sine peccato.	ibid.	Cor intellectus et voluntatis.	64
de Christo opinio multiplex.	ibid.	Coronantur sponsi.	104
Christus a Chrismate dictus.	ibid.	Creaturæ a Deo bonæ commendantur.	254
Christus natus ex Virgine desponsata.	65	Crucis virtus.	42
Christus habet Deum patrem sine homine matre, et matrem hominem sine homine patre.	72	Crux ignominiosa.	116
Christus homo et filius hominis.	ibid.	Crucis ignominiam suscepit Christus.	ibid.
Christus caro natus.	72	Crux gloriosa.	ibid.
Christus Patris vicarius.	71	Crux gloriatio gloriationum.	117
Christus a columba denotatus.	68	Crux glorificata.	129, 130
Christus Pastor, medicus, et Redemptor.	212	Crux Christi membris dedicata.	36
Christus Pastor bonus.	10	Crux sacramento signata.	ibid.
Christus Pastor bonus perditam humeris defert ovem.	ibid.	Cruces divinitatem consequuntur.	38
Christo data est regia potestas.	406	Crux bonorum omnium datrix.	37
Christus solus potentator, et Rex regnantium.	ibid.	Crux ditat et nobilitat.	39
Christus veniet cum cœli nubibus iudex.	409, 404	Crux in corpore humano repræsentata.	40
Christus ad iudicium veniet, humilitatem nesciens.	406	Crucis figura visa a Magis in stella.	36
Christus vultu et aspectu inglorius.	412	Crucis filii.	41
Christus primo adventu humilis.	ibid.	Crucis antistites.	36
secundus Christi adventus erit in gloria.	ibid.	Crucis portitor, Christianus.	60
Christus adveniet cum plurimo potentatu et gloria.	415	Crux ferenda a discipulis Christi.	35
Christus pæonius medicus, ægrotæ animæ incantator.	22	tres Cruces in eodem loco inventæ.	40
Christus confessurus confessores, negaturus negatores.	2, 3, 7	qui Crucem amant, vitam crucifixam amant.	42
Christus discipulos interrogat, quisnam illis videretur.	7	Crucifixi hæredes.	40
Christus confitetur ore, opere, sanguine.	8	Crucifixorum vita.	42
Christus de naviculariorum collegio allegere affectavit.	13	Curiositas stupida.	139
Christus sedentes in tenebris illustrat.	ibid.	Curiositate opus non est post Christum.	ibid.
Christus homines trahit in funiculis charitatis.	ibid.	Curiositati dediti astrologi.	ibid.
Christus ex amore hominis suscepit crucem.	9	Curiositas hæreticorum inquieta.	ibid.
D			
		Deus nequit ignorari, nomine magnitudinis.	261
		Deum non recognoscere, delicti summa.	264
		Deus est natura cognoscendus, doctrina recognoscendus.	145
		Deus ita colendus et credendus est, ut fides et disciplina disposita est Christianorum.	147
		Deus propter semetipsum credendus.	151
		Deo credendum.	163, 164
		Deus nesciendo melius scitur.	165

de Deo non possumus scire quid sit, sed quid non sit.	81	Dilectio inimicorum exemplo Stephani et Christi auctorata.	109
Deus visus est a Prophetis in somno, speculo, ænigmate.	103	Divitiæ cœlestes damno seculi comparantur.	125
Deus princeps mundi perfectæ potentiae et majestatis.	146	Doctores erronei, politici, molles.	24
Deus universitatis conditor.	195	Doloribus nos traxit Christus.	120
Deus hominis plasmator.	ibid.	Domitianus portio Neronis de crudelitate.	10
Deus perfectus in omnibus.	ibid.		
Deus de singularitate præstantiam possidet.	65	E	
Deus nullo minor nec subjectior.	74	EBRIETAS crudelis.	99
in Deo non delinquendi felicitas.	186	Ebrietas libidinosa.	ibid.
Deus nullius eget auxilio.	ibid.	Ecclesia una.	149
a Deo origo nobilitatis.	179	Ecclesia nobis et hæreticis una non est.	ibid.
Deus de humano arbitrato pensatur.	188	in Ecclesia vera est fides.	165
Deus modulatur sublimitates.	77	extra Ecclesiam non est vera fides.	164
Deus à suis vicariis distat.	71	non habet Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem.	165
Deus triumphorum.	27	absque auctoritate Ecclesiae Evangelio non credidisset D. Augustinus.	ibid.
a Deo descendum.	158	in Ecclesiis laudandus Deus.	275
Deus de sublimioribus oculatior.	146	variæ Elementorum mundi utilitates.	258, 259
Deus habet oculos cognitionis, homo habet oculos credulitatis.	179	Eleemosyna recta intentione facienda.	316
Deus auctoritatem præstat disciplinæ.	164	Eleemosynam ob vanitatem largitur hypocrita.	315
Deus hominum pater.	201	ubi Emendatio nulla, pœnitentia necessario vana.	599
Deus conservator.	247	Eruditionis infernalis fructus.	550
Deus spiritus.	293	ab Eva, ignominia delicti.	502
Deus de fallacia infirmus.	309	Evæ superbia punita.	ibid.
a Deo omnia habemus.	268	Evangelii plenitudo.	52
Deus toto corde amandus.	265	Eucharistia donativum Christi.	276
supra Deum diligere nec animam licet.	15	Eucharistia abundantior (quam alia sacramenta) largitur gratiam.	ibid.
Dei voluntas non est curiose investiganda.	142	Eucharistiae unio qualis.	277
Deus mitissimus.	201	Eucharistia alimentum nocturnum.	142
Deus bonus nequit esse malus.	195	Exsilio vastitas.	58
Deus de suo optimus, de nostro justus.	200	Exilium, mors.	ibid.
Dei bonitas in hominem.	197	Exomologesis gehennam extinguit.	552
Deus vult omnes salvos fieri.	ibid.		
Deo digna hominis salus.	198	F	
Deus peccatoris non vult mortem.	196	FACIES filii, pater.	68
Deus neminem ante prævisa demerita reprobat.	195	Facies occultorum ea quæ apparent.	74
Deus bonis et malis beneficus.	254	Facundiae caupones.	51
Deus suas præmittit prærogativas.	45	Facundiae mella.	ibid.
Deus misericors erga peccatores.	195	Fallaciæ negotium.	310
a Deo est nostra conversio.	187	Famæ causa, mala tolerata.	39
quod Deus damnat, nusquam et nunquam excusatur.	94	Famæ æternitas.	ibid.
Diaboli trina domus.	12	Fidei prælatio.	151
Diabolus nihil magis curat, quam destruere fidem.	152	Fidei præceptor Christus.	ibid.
Diabolus se regnare putat si sanctos a Dei religione deturbet.	12	Fidei oculus cordis.	145
Dilectio magnanimis.	41	Fides intellectum ab erroris captivitate liberat.	153
Dilectio patientiæ disciplinis eruditur.	42		
Dilectio omnia tolerat.	42, 121	Fides melius oculata, cognoscit quod ratio non attingit.	ibid.
Dilectio fugat timorem.	1, 4, 41	Fidem instituit Christus, ut homo ad Deum fidentius ambularet.	ibid.
Dilectio animat confessionem.	4	Fides veri luminis compos.	157
Dilectio in martyrio decertat.	8, 42	Fides lampas illuminans.	ibid.
Dilectionis Dei probatio.	60	regula et merces Fidei.	ibid.
Dilectio pro Deo animam ponit.	8	Fides trina visione remunerata.	162
Dilectio inimicorum.	107	Fides futura representat.	175
Dilectio inimicorum perfectissima.	ibid.	Fidem Deus animavit.	157
Dilectio inimicorum, Christianorum propria.	ibid.		

Fides Spiritu sancto vestita.	166	Fides pagana.	165
Fidei cedat curiositas.	72	Fides cruda.	177
Fides victrix.	27, 72	Fides nulla.	163
Fides ad tutelam necessaria.	4	Fides mortua.	ibid.
Fides in tentatione victrix.	178	Fidei reddenda ratio.	176
Fides martyrii debitor.	8	Filius Dei, prolatione generatus.	5
Fidei scutum sumendum.	178	Filius est Deus, et Patri consubstantialis.	ibid.
Fides in persecutione disciplinator.	177	Filia criminis.	100
Fidei sacramentum.	178	in Filio mater recognoscitur.	75
Fides ex personis non est probanda.	156	Filii non sint Deo cariores.	13
Fides in regula posita.	147	Flos ex virga Jesse, Christus.	107
Fides una.	148	Femina mare.	74
Fides immobilis et irreformabilis.	150	Femina periculosa.	100
Fidei effigies.	152	Fortuna barbata.	268
Fides spiritu Dei velificata.	151		
Fides capitalis honorificentia Dei.	145	G	
Fides altare Domini.	146		
Fides supremæ majestati piæ crudelitatis reventiam impendit.	147	Ad Dei gloriam cuncta referenda.	269
Fidei modestia.	143	Gloria non competit professoribus humilitatis.	283
Fides non est superborum sed humilium.	153	Gloriæ incendium.	39
Fides, viva columna.	174	Gratia imber cœlestis.	4
Fides, viaticum.	ibid.	Gratia gratis data.	189
Fidei præsidium.	175	Gratiæ privilegia.	251
Fidei regulæ.	174	Gratiæ patrocinium.	192
Fides ardua.	161	Gratiæ necessitas.	1, 186
Fides bona.	163	Gratia ad conversionem necessaria.	16
Fides integra.	166	Gratiæ tribuenda vocatio, et sanctificatio.	192
Fides sana.	ibid.	Gratiarum maximum adiutorium.	222
Fidei valetudo.	169	Gratia homini necessaria, ut malum fugiat, tentationes superet, divina mandata servet.	226
Fides informata.	177	postulanda Dei gratia.	188
Fides vigilans.	1	ad Gratiam nequit se disponere homo naturæ viribus.	252
Fidei candor.	166	anima ad receptionem Gratiæ disposita.	240
Fides dicitur vita æterna.	179	Gratia operandi copiam subministrat.	266
a Fide vita censetur.	176	cur Gratia dicitur præveniens.	253
ex Fide vivit justus.	67, 181	Gratia sufficiens nulli denegatur.	195
Fides bonæ actionis genitrix.	176	Gratia sufficiens quomodo ab efficaci distincta.	241
Fides appellatur ab eo quod fit.	177	Gratia efficax inscrutabilis.	222
Fidei opus dilectio.	175	Gratiæ efficacia.	29
mentes Fide accensæ, et operibus veritatis re-lucentes.	ibid.	Gratia efficax solem jaculat.	28
Fidem non habere magna insania est, major Fidem habere et male vivere.	ibid.	Gratia sibi subdit liberam hominis voluntatem.	ibid.
cum Fide colloquatur Christianus.	176	Gratiæ convisceratio.	251
Fidei conscientia interroganda.	ibid.	tota Spiritus sancti Gratia requiescit super Christum.	105
Fidei qualitas de genere conversationis æstimanda.	177	peccator reddit Gratiam irritam et exarmatam.	229
Fides nationum melior in suam sectam quam Christianorum in suam.	ibid.	qui Gratiam respuit, exspuit in faciem Christi.	188
a Fide vidui.	115	Gratia coronatur.	105
orbi Fide.	168	Gratia fons aquæ vivæ.	180
Fides conceptiva animæ, non substantiva.	166	Gratiæ fulgor exundat in faciem.	106
Fides titubans.	1	Gratiæ sanctificationis valor.	249
Fides periclitans.	ibi l.	Gratia meretur gloriam.	251
Fides infirmans.	ibid.	Gratiæ sanctificationis dignitas.	248
Fides sauciata vel in hæresim, vel in seculum exspirat.	145	per Gratiam sanctificantem homo fit Spiritus sancti habitaculum.	246
Fidei perversitas, probata non credere, non probata præsumere.	ibid.	— homo Deus nominatur.	244
Fidei infantia.	179	— Deus consecratur.	245
quantula Fides.	ibid.		
Fides frigida.	4, 163		
Fides Frivola.	8		

— Dei filius adoptatur.	ibid.	Homo criminosus corpore et animo a Deo des-	264
— Deo Gratias nihil melius potest audiri.	256	ciit.	192
— Deo Gratias antiquitus in usu apud regu-	ibid.	non est Homo qui non peccet.	186
lares.	254	Homo nullius boni.	309
Gratiæ Deo semper agendæ.	ibid.	Homo fallit et fallitur.	320
Gratiæ Deo agendæ pro omnibus et singulis-	ibid.	Homo maximus et abjectissimus.	ibid.
ejus beneficiis.	255	Honor Deo debitus.	489
Gratiæ Deo agendæ etiam in adversis.	253	Humilitas Christi.	71
creaturæ ad Gratias Deo agendas hominem	256	Humilitas sine exemplo, quod Deus homini	
stimulant.	279	obtemperet.	89
Gratias agens Deo, Deum sentit.		tres sunt Humilitatis gradus: subdere se majo-	
Gratiarum actio est Dei cultus.		ri, æquali, minori.	291

H

HEREDITARIUM rei.	214, 273	Humilitatis doctor Christus.	ibid.
Hæreses ad languorem et interitum fidei pro-	144	Humilitatis exemplar Christus.	284
ductæ.	ibid.	Humilitas Christi, signum Christiani.	286
Hæreticorum mater superbia.	151	Humiliatio hominis.	284, 285
Hæretici per fallaciam veniunt.	ibid.	Humilitas Christiana disciplina.	284
Hæretici nec veritatem nec disciplinam ha-	ibid.	Humilitas fidei.	284, 288
bent.	ibid.	Humilitatis necessitas.	Humilitas virtutum initium et complementum.
inconstans Hæreticorum sententia.	156		298
Hæretici inter se diversi.	ibid.	Humilitas dispositio ad susceptionem gratiæ.	296
Hæretici ruinas operantur.	ibid.	Humiles Deus benigne respicit.	293
Hæretici volunt simplicitatem, prostrationem	157	Humilium Deus orationem exaudit.	294
disciplinæ.	156	Humiles sublimitate mutantur.	89
Hæreticæ mulieres procaces.	157	Humilitas mensura magnitudinis.	90
Hæresis de sapientum ingeniis animatur.	166	Humilitas via ad cælum.	292
in Hæresim cadunt peccatores.	ibid.	Humilitas vera.	285, 286
Homo corporis et animæ fibula.	172	Humilitatis indicia.	287
Homo triplex.	259	Humilitas Chananeæ, Centurionis, et Publi-	
Homo Dei imago.	263, 262	cani, commendatur.	295
Homo Dei opus.	269	Hypocrita speciem virtutis simulat.	309
Homo quantum Deo debet.	277	Hypocrita mendax.	ibid.
Homo indiget Dei communione.	ibid.	Hypocrita fallax.	310
Homo componitur ex his qui accipiunt, et ex	263	Hypocrisis Pharisæorum damnatur.	311
his qui dant.	262	Hypocrita sociatur cum diabolis, hæreticis,	
Homo Deo reddendus.	263	Pharisæis.	ibid.
Homo cur postremus conditus.	263	Hypocrita criminosus.	312
Homo libertate præditus.	ibid.	Hypocritam Deus odit.	313
Humani corporis fabrica mirabilis.	ibid.	Hypocrita ut videatur ab hominibus jejuna-	
Homo cæteris creaturis prælatus.	ibid.	orat, eleemosynam dat.	314
Homini cuncta quæ sunt in mundo famulan-	258	Hypocrita gloriam Deo debitam usurpat.	319
tur.	105	Hypocrita cæteros depretiat.	324
Homo coronandus.	150	Hypocrita cunctos temerarie judicat.	329
Homo manibus expansis refert crucem.	190	Hypocrita invidia laborat.	336
Homo gratiæ cooperatur.	139		
Hominis ignorantia.	172		

I

Homo rationalis ratione vult dignoscere mys-	172	IDOLOLATRIA ex Dei rebus constat.	258
teria.	140	Ignis infernalis varii tituli.	359
Homo minutissimæ formicæ non agnoscit na-	172	Ignis infernalis activitas quanta, et unde su-	
turam.	264	menda.	369
Homo carnalis sensibilia duntaxat credit.	260	Ignium plaga.	352
Homo non ad malum sed ad bonum accepit	187	Ignis infernalis repræsentatio corripit.	ibid.
corporis sensus, et animæ potentias.	221	Infernalis ignis ab elementari diversitas.	369
Homo obliviosissimus.	187	Infernalis ignis qualitas.	370
Hominis fragilitas.	221	Infernalis ignis indicia.	372
Homo divinæ legis voluntarius contemptor.	187	Infernalis ignis unde perpetuo accenditur.	373
ex quo Homo culpam commisit amisit gratiam.	197	Infernalis ignis quomodo cruciat animas.	374
Homo sibi mortem attraxit.		Inferni locus quis.	353
		Inferni pœna vindicatur æterna.	391
		pœnæ Inferni superant Christi tormenta.	362

pœnæ Inferni superant cuncta hujus vitæ sup- plicitia.	360	Joannes Martyr castitatis.	97
pœnæ Inferni in magnitudine æmulantur cœli præmia.	364	Joannes Evangelista, cui donatum est.	43
In inferno pœnæ ponderantur.	353	Joannes Dei gratia interpretatur.	44
In inferno pœnæ numerantur.	356	multimoda Joannis et Christi similitudo.	47
In inferno pœnæ mensurantur.	358	Joannes dilectissimus Domino.	44
In inferno pœnam damni patiuntur reprobis.	379	Joannes præ cæteris Apostolis dilectus.	43
Infernus credendus.	344	Joannem plusquam Petrum dilexit Christus amoris teneritudine.	45
Infernus metuendus.	347	Joannes Christi amor.	ibid.
Infernus præcavendus.	349	Joannes Mariæ filius.	50
Ingenia a Deo producta.	278	Joanni committitur Deipara.	48
Ingenii diversitas unde procedit.	259	Joannes microcosmus sanctitatis.	45
Ingrati Judæi.	258	Jonnes aquilæ comparatus.	51
Ingratitudo redarguitur.	279	Joannes Prophetis doctior.	ibid.
Ingratitudo exitiosa.	282	Joannes ceteris Evangelistis altior.	54
Ingratus superbus.	256	Joannes Petrum et Paulum in cognitione su- perans.	55
Ingratus scelerosus.	ibid.	Joannes cuncta propalavit mysteria.	52
Ingratus gratiæ Dei.	266	unde Joanni tanta notitia.	56
Ingratus accepti beneficii immemor.	257	Joannis discipuli.	51
Ingratus adversus Deum suis bonis pugnat.	256	Joannis Ecclesiæ.	52
Ingratus per mulum infœcundum denotatus.	262	Joannes in triño bibit calice.	57
	58	Joannes inter Martyres constantior.	ibid.
Inimicus sæviendo proficit.	105	Joannes ter martyr.	59
Iridis ornatus.	336	Joannis martyrium acerbum, varium, et lon- gum.	57
Invidia criminosisima.	339	Joannis intercessio potentissima.	51
Invidia crudelissima.	342	Joseph Patriarcha ex gratitudine recusat adul- terium.	257
Invidia infelicissima.	128	Joseph de genere Sanctorum.	61
Invidi ex aliena prosperitate cruciantur.		Joseph Christi pater.	ibid.
		Joseph cum Patre æterno dividit dignitatem Patris Dei.	ibid.
J		Joseph cum Spiritu sancto partitur titulum sponsi Virginis.	65
JEJUNIUM verum commendatur.	314	Joseph cum Maria partitur auctoritatem in Christum.	70
Joannes Baptista multis elogiis commendatur.	80, 81	Joseph defensor Virginis, incarnationis asser- tor.	66
Joannis encomiastes Christus.	78	Joseph intercessio quam potens.	74
Joannis magnitudinem testatur Christus.	ibid.	Judæi sine solo vagantes.	101
Joannes existimatus Christus.	81	Judicia Dei ininvestigabilia.	222
Joannis et Christi similitudo multiplex.	77	in Judicio coram Christo timebit peccator.	127
Joannes Christo, Christus Joanni convenit.	ibid.	in ultimo Judicio peccator opprimetur a glo- ria.	412
Joannes erat Christi, et Christus Joannis.	81	in ultimo Judicio peccator afficietur pudore.	420
omnia Joannis Christo præstruebantur.	90	Judicium dies Domini magnus et illustris.	404
Joannes verbi minister et portitor.	ibid.	Judicium ultimum, regnum Christi.	406
Joannes agnum demonstrat.	92	in Judicio Christus apparebit aliis ferus ut Ju- dex, aliis mansuetus, ut Salvator.	415
Joannes Christum baptizat.	ibid.	Judicium dies inspectionis.	419
Joannes vox adhortatoria.	91	in Judicio cuncta manifestabuntur crimina.	424
Joannes Angelus dictus.	76	in Judicio peccator accusatus.	427
Joannes magnus coram Domino.	78	in ultimo Judicio peccator convictus.	436
Joannes major homine.	75	in ultimo Judicio peccator condemnatus.	431
Joannes antistat Patriarchis, Prophetis, Apos- tolis.	76	in ultimo Judicio rationem de cunctis est red- diturus peccator.	456
Joannis sanctitas.	82	in ultimo Judicio peccator est a cunctis entibus prosequendus.	437
Joannis humilitas.	88, 501	in ultimo Judicio peccator est omni auxilio et solatio destituendus.	439
Joannis pœnitentia.	86	ultimi Judicii signa.	441
Joannes pœnitentiæ præco.	87, 95		
Joannes cur Helias dictus.	87		
Joannes Spiritus sancti igne succensus.	86		
Joannes inter Seraphinos collocatus.	ibid.		
Joannis ardens charitas.	85		
Joannes Martyr.	94		
Joannes Martyr divinæ auctoritatis.	ibid.		
Joannes Martyr veritatis.	95		

in ultimo Judicio erit consummatio mundanæ dispositionis.	443	Maria ante Christi nativitatem Josephi uxor , post nativitatem Christi dicitur mater.	66
in ultimo Judicio erit consummatio humanæ operationis.	446	Maria dividit cum Filio pietatis officia.	75
in ultimo Judicio erit consummatio divinæ miserationis.	447	Mariæ humilitas exaltata.	302
Judicium temerarium arguitur.	529	Maria creaturarum domina.	74
Justitia Dei modulata est mundum.	556	Maria gratias largitur.	84,85

L


LACRYMÆ sunt sanguis cordis.	2	Martyres patiendo consecrantur.	153
Lacrymæ , calidæ , frigidæ , amaræ.	ibid.	Martyrum coronæ.	115
Lacrymæ , testes doloris.	5	Martyres coronati , et coronarii.	110
Lacrymæ , testes amoris.	ibid.	Martyres victores.	32,34
Lacrymæ , vim habent baptismatis.	ibid.	Martyrum passio , Dei triumphus.	ibid.
Lacrymæ , diluvium peccatorum.	4	Martyr morte nascitur.	ibid.
Lacrymæ , deliciae Angelorum.	ibid.	Martyris gloria , tyranni sævitia.	58
Lacrymas Dens esurit peccatorum.	ibid.	Martyrem non facit pœna , sed causa.	40
Lacrymæ rigatoriæ.	268	Martyrem excudit dilectio.	9,57
Largitas Dei pie usuraria.	405	Martyres suæ confessionis alumni.	8
Largitor Charismatum Deus.	275	Martyres in tormentis Deum colunt.	7
Largitor clementiæ.	ibid.	Martyr testimonii Dei miles.	58
Largitor misericordiæ.	ibid.	Martyres honorati.	59
Largitus est Christum.	519	Martyr Deo placet et vitam æternam meretur.	40
Laus Deo debita.	211	Martyrum victoria debetur Christo.	110
Lex naturalis cunctis gentibus data.	262	Martyrum passiones de Christi corpore dimanatae sunt.	10
Liberalitas fides.	ibid.	a Martyre passionis vicem expectat Christus.	9
Liberalitas Dei quanta.	255	Martyr Christo rependit caput.	10
in Libertate hominis Dei imago consistit.	41,224	Martyres vices præstant Christo.	9
Libertas arbitrii non perit per originale peccatum.	195	Martyr adæquatur passionibus Christi.	ibid.
Libertas indifferentiæ.	99,100	Martyrum gloriam æquari passionibus Christi.	59
Libertas ad opus virtutis non sufficit sine gratia.	124	Martyrii legem Christus in præsepio præfigebat.	10
Libidinum furia.	118	Martyria a primordio patiuntur justi.	9
Libido monstrum haberetur sine gula.	104	Martyria fidei examinatória.	8
Lætitia mundi culpatur.	142	Martyrium ex dilectione toleratum.	55
Lucere oportet Christianos.	141	Martyrii felicitas.	40
ob Lucis excessum Deus non cognitus.	209	Martyrium longum.	34
Lucem nequit sustinere homo.	195	Martyrium sine passione perfectum.	55
Lumen est Deus.	104	Martyrium amoris.	59
Illuminator Deus.	ibid.	Martyrii candida coronandus.	58
Lumina angelica.	254	Memoria , studiorum thesaurus.	259
Luminibus cœlum floret.	102	Memoria , adjutorium vitæ.	ibid.
Luxuria damnatur.	99	Memoria , sensuum et intellectum salus.	260
Luxuria monstruosa.	ibid.	Memoria repræsentat præterita.	ibid.
Luxuria inter duo summa crimina collocata.	ibid.	Mendax diabolus.	148

M


MAGNETIS virtus.	22	Mentiri de religione nefas est.	8
Magister verus quod dicto asserit demonstrat exemplo.	77	Metallo datus.	58
Magisterii auctoritas constat ex vita.	86	Ministerium implere.	53
Majestatis census Deus.	146	Miraculis doctrina confirmatur.	51
Majestatis plenitudo.	ibid.	Miracula assiduitate vilæerunt.	262
Manus a corde dicitur.	176	Moyses commendatur.	71
Manus homini ad vitam necessariæ.	ibid.	Monumentum moeans mentem.	260
Manibus operari.	ibid.	Monumenta cadaverum stabula.	511
		Mortem vivere.	395
		Mulier viro subdita.	74
		Mundus Dei majestatem prædicat.	262
		Mundum Deus homini fecit.	ibid.
		Mundi corpus.	253
		Mundi ornatus.	254
		in Mundo tres creaturarum ordines.	ibid.


N	
NERO primus orientem Romæ fidem cruentavit.	10
Necessitas medii et præcepti.	284
Negotiatori tria necessaria.	447
Nomen patris in divinis gloriosius nomine Dei.	62
Nominum impositio ad parentem pertinet.	ibid.
Nominum fides.	102
Nomina indicant merita.	ibid.
in sua Nominatione damnantur.	111
Novatorum tria genera.	169
O	
OBEDIENTIA salutem promeretur.	15
ad Obsequii exhibitionem prior est auctoritas imperantis.	94
Obsequium extorquet qui imponit præceptum.	284
Obsequii disciplina, morigera subjectio.	ibid.
Oblivio tanta injuria, quanta gloria ejus, cuius est oblivio.	261
Oculi Domini alti.	147
Oculi cordis a Deo illuminati.	192
Odii necessitas.	278
Odii justitia.	587
Odium justum.	ibid.
Opus salutis, Dei proprium.	186
Opera ad salutem necessaria.	182
ad bonum Opus tria necessaria.	308, 194
Operator factorum Christianus.	446
bona Opera testes fidei.	170
Operarius dolosus.	311
Operis examinatur intentio	321
ab Operibus Dei continemur, sustinemur, oblectamur.	262
Oratio dominica breviarium totius Evangelii.	300
Oratio potentissima.	109
Orationi vacandum tempore persecutionis.	229
habitus Orantis Christiani paratus ad omne supplicium.	151
Oratio solemniter pœnitentium.	75
Oratio pro inimicis efficacissima.	108
Oratio hypocritæ damnatur.	318
sine Ordine nihil rationale.	355
Ordinatus a Deo mundus.	ibid.
Ordo, meritorum dispositor.	356
sine Origine nihil nisi Deus.	252
Origo hominis duplex.	ibid.
Ornamenta animæ et corporis.	267
P	
PATER omnium Deus.	267
Patris appellatio est pietatis et potestatis.	75
Pater in Filium semper habet imperium.	70
in Patre filius invocatur.	75
Pater æternus volens, non voluntate, Filium producit.	64
Pauli conversio.	16
Paulus ante conversionem, persecutor Christianorum.	ibid.
in Pauli conversione splendent potentia, sapientia, et Dei misericordia.	17
Paulus multimode mutatus.	18
Paulus magister orbis.	21
Pauli in peragrando orbe velocitas.	ibid.
Paulus universum fere orbem ad Christi fidem adduxit.	ibid.
Pauli scientia unde motuanda.	25
Paulus interpret Christi.	26
Pauli fraterna dilectio.	24
Paulus Joannis exitu coronatur.	94
Paupertas Christi.	292
Pauper spiritu est humilis.	284
Peccator lacrymabilis, non lacrymatur.	4
Peccator peccatorum funibus ligatur.	11
Peccator gratiæ contumeliosus.	270
Peccator quomodo induratur.	219
Peccator idololatra.	258, 259
Peccatum quid.	379
Peccatum hominem parvum efficit.	27
Peccatum obscurat rationem.	12
Peccatum est pondus.	355
Petrus peccavit fidei imbecillitate, præsumptione et timore.	1
Petrum non nulli excusare nituntur.	2
Petrus flet.	ibid.
Petrus amare flevit.	2, 5
Petrus ex amore lacrymatur.	5
Petrus lacrymis delet negationis culpam.	ibid.
Petrus multiplici timore percussus.	2
Petrus vehemens Christi amator.	5
Petrus filius Spiritus sancti.	4
Petrus confitetur Christi divinitatem.	6
Petrus nomine omnium Apostolorum confessus est Christum.	6
Petrus Apostolorum Princeps.	7
Petrus unde Christi mutuatus est notitiam.	6
Petri confessio remunerata.	7
Petrus plus dilexit Christum quam sua, quam suos, et quam se.	15
Petri martyrium.	9
Petrus crucis subit mortem.	11
Petrus cur corpore inverso crucifixus.	ibid.
Petrus passioni Christi adæquatur.	9
Pelagius versipellis.	185
de Perseverantia nemo certus.	158
Philosophus sapientiæ animal.	160
Philosophorum ignorantia de Deo.	158
Philosophorum varia opinio.	159
Pharisæorum hypocrisis.	285
Pharisæus se laudat et Publicanum deprecat.	324
Pompeius Magnus.	27
Pompeius Magnus theatro suo minor.	75
Pœnarum inferni universalitas.	356
Pœna damni in quo consistit.	379
Pœnitentia Deo receptabilis.	270
Pœnitentia pro Dei indignatione fungitur.	352
Pœnitentiæ connexio cum timore.	1
Pœnitentiæ testis est dolor.	2, 3

Tempus in ultimo iudicio consummatur.	446		
Tempora totius spei fixa sunt sacro-sancto stylo.	447		
ratio Temporis est a divina bonitate.	449		
Tempus misericordiæ nunc est.	ibid.		
Tentationem permittit Deus ad retundendam superbiam.	33		
nemo intentatus consequitur cælum.	227		
Tentationis præses diabolus.	191		
ad Tentationes superandas postulanda est Dei gratia.	227, 228		
divini Thesauri conditorium.	124		
in Thesauris reposita.	ibid.		
Thesaurus pœnarum ignis.	357		
Timoris origo, notitia.	2, 347		
Timor necessarius.	347		
Timor, Dei honor.	ibid.		
qui Timet Deum, sectatur virtutes.	181		
qui non Timet Deum, in omne vitium dil- luit.	ibid.		
Timor initium sapientiæ.	175		
Timor, fundamentum salutis.	347		
Timor, frenum passionum.	ibid.		
Timor ultimi iudicii.	175		
Timoris candidatus.	349		
Timor infructuosus.	352		
qui Timet non est perfectus in dilectione.	2		
Timor, negationis auctor.	ibid.		
Transfiguratur Satanas.	310		
ad Tribunal Christi palpitantes.	401		
Trinitas stultorum linguas non effugit.	141		
Tristitia omnis, plaga cordis.	127		
U			
Usibus turpibus, injustis et impiis creaturas adhibent peccatores.	256		
Usus mundi perversus, ratio damnationis.	259		
		V	
		VERBUM Dei facit quod dicit.	7
		Verbum triumphatorium.	30
		Verbum exstructorium.	32
		Veritatis integrator.	31, 177, 446
		Veritatis testimonium præferendum.	95
		nulli Veritas cognita sine Deo.	148
		Veritas fidei fundamentum.	ibid.
		porus Veritatis aer infusatur.	155
		Veritatem ex fide præstat.	177
		Veritatis probatio est Christiana disciplina.	181
		Veritatem integre præstant Christiani.	147
		Via fidem demonstrat.	174
		Via sancta vocabitur.	ibid.
		Via ad creatorem, creatura.	262
		Victoriæ ut numina adoratæ.	27
		Vincula probrosa, pretiosa, gloriosa.	12
		Vincula pro Christo tolerata, regibus, Apos- tolis, Angelis, præponuntur.	14
		Vincula martyrum in carcere deosculabantur Christiani.	15
		Vincula aurea, sunt divinæ leges.	ibid.
		Virgines de familia Angelica deputantur.	103
		Virgines vident faciem Dei.	ibid.
		Visibilia ad invisibilia ducunt.	262
		Visioni beatificæ comparata fides.	179
		Vita æterna, donativum Dei.	275
		Vitæ alicui mori.	42
		Vitæ alicui vivens debet facere opera vitæ convenientia.	huic ibid.
		Voluptas vera non est in seculo.	37
		Voluptates tristes.	ibid.
		Voluptas, fastidium voluptatis.	ibid.
		Voluptas pœnam causat.	ibid.
		Vox, quid est.	301









HOLY REDEEMER COLLEGE
925 Cousineau Road
Windsor, Ont. N9G 1V6

BR 65 .T32 1856 v.3 IMS

Tertullian, ca. 160-ca.
230.

Tertullianus praedicans
: et, supra quam libet
AWM-1454 (mcsk)

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
MEDIALVA STUDIES
300 TAPPAN PARK
ANN ARBOR, MI 48106

